H-235

Digitized by Google

AD RITUALE ROMANUM COMMENTARIA,

AUCTORE

HIERONYMO BARUFFALDO

FERRARIENSI,

SACRÆ INQUISITIONIS CONSULTORE,

ET INSIGNIS COLLEGIATÆ CENTENSIS ARCHIPRESBYTERO.

EDITIO NOVISSIMA

A plurimis, quæ in alias irrepſerant, mendis, ad exemplar Auctoris ipſius manu correctum diligenter expurgata, & quod ad Ritualis ipſius textum attinet, ad recentem BENEDICTI XIV. *juſſu vulgatam exacta.*

Accedit etiam nunc primum, præter uberrimum rerum & verborum Indicem, abſolutiſſimus Romanorum Pontificum, & Sacrarum Congregationum Decretorum ad Rituale pertinentium, quæ ad hæc uſque tempora prodierunt, Catalogus

UNA CUM

SS. D. N. CLEMENTIS XIII.

FELICITER REGNANTIS

CONSTITUTIONE, QUÆ NUPER EDITA EST, DE FACULTATE BENEDICENDI POPULO NOMINE SANCTITATIS SUÆ PRÆLATIS CONCEDENDA.



VENETIIS,

MDCCLXIII.

Ex Typographia Remondiniana.

SUPERIORUM PERMISSU.

IN NOVAM HANC EDITIONEM

TYPOGRAPHI AD LECTOREM ADMONITIO.

COGITANTI mihi novam horum Commentariorum editionem paraturo quomodo ceteris & nitidior & perfectior prodiret in lucem, plura ſeſe obtulere, quibus non inutiliter operam meam qualemcumque collocarem. Et primum quidem cum animadvertiſſem non modo Venetam priorem, de qua id ſecunda aperte fatetur, ſed & ſecundam ipſam, quamvis in fronte mendorum expurgationem polliceatur, aliaſque etiam Germanicas prope innumeris, iiſque non levioris momenti operarum erroribus miſere ubique fœdatam eſſe, quantam maximam potui diligentiam adhibui, ut ab illis omnino expurgaretur; quam in rem maximo mihi adjumento fuit hujus Operis exemplar Auctoris ipſius manu correctum antequam fato fungeretur. Neque id in Commentariis ſolum factum eſt, ſed & Ritualis ipſius textus, quem Auctor ſemper Commentariis ſuis præfert, emendationem noſtram non uno in loco poſtulavit. Cum enim paucis ab hinc annis, ſcilicet poſt ultimam horum Commentariorum editionem ab Auctore ſecundis curis adornatam, Rituale Romanum BENEDICTI XIV. juſſu auctum, & caſtigatum ſit, ego hujuſmodi textum cum nova illa doctiſſimi Pontificis editione accurate conferendum curavi, & ſi quid corrigendum occurrit, exacte correxi; ubi vero aliquod additamentum inveni, illud Lectori noſtro ſaltem indicare iis in locis non prætermiſi. Inter recentes a BENEDICTO XIV. factas Rituali acceſſiones potiſſimum recenſetur *Ritus abſolvendi, & benedicendi Populos & Agros ex Apoſtolicæ Sedis Indulto*; nec non *Methodus indictionis præmittendæ Pontificiæ Benedictioni ſtatis diebus ſuper Populum elargiendæ; Rituſque in ea ſervandus a Regularibus, quibus a S. Sede hujuſmodi facultas indulta eſt, vel indulgebitur &c.* ubi igitur hæc novo Rituali addita eſſe Lectores meos commonefeci, operæ pretium inſuper duxi integras exhibere encyclicas litteras, quas nuper, nempe menſe ſeptembri 1762. SS. D. N. CLEMENS XIII. feliciter regnans Romæ evulgavit, & quibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, nec non aliquibus inferioribus Prælatis benedicendi Populo nomine Sanctitatis ſuæ

facultatem poſtulantibus concedendam eſſe ſtatuitur, Rituſque in ea elargienda ſervandus præſcribitur.

Præterea quæ Auctor poſt abſolutam primam Editionem in calce Operis Addendorum nomine appoſuerat, ipſe ad ea loca, quibus conveniunt, & quæ ibidem indicantur, omnia opportune tranſtuli; quod cur in ſecunda, aliiſque quæ deinceps ſecutæ ſunt, editionibus factum non ſit, neſcio. Illud denique Sacrorum Rituum ſtudioſi in hoc opere deſiderabant, ut quemadmodum Gavantus, quique eum obſervationibus atque additionibus illuſtravit, Cl. Meratus, ſuis in Miſſalis & Breviarii Rubricas Commentariis uberrimum omnium S. R. Cong. Decretorum ad idem Miſſale, & Breviarium pertinentium catalogum attexuerant, ita Auctor quoque noſter omnia quæ Rituale Romanum ſpectabant hujuſmodi Decreta collegiſſet, eaque in indicem accurate digeſta quaſi uno obtutu legenda exhibuiſſet. Quod igitur Auctor noſter neſcio qua de cauſa pretermiſerat, & quod maxime utile, & propemodum neceſſarium eſſe nemo non videt, ego optimo conſilio ſupplevi. Hujuſmodi enim Catalogum, eumque omni ex parte abſolutum; utpote qui omnia ad Rituale attinentia Decreta, quæ ad hæc uſque tempora prodiere, complectitur; ex Cl. Cavalieri, aliiſque Recentioribus ſummo ſtudio, & diligentia concinnatum in fine Operis procudendum curavi. Hæc autem Decretorum collectio eo magis neceſſaria viſa eſt, quod eorum plura Scriptorem noſtrum, ceteroquin accuratum præterierant, non pauca etiam, poſtquam ipſe ſcripſerat, edita ſunt. Atque hæc, Lector humaniſſime, te monuiſſe oportebat, ut perſpiceres quot ſint, quæ Novam hanc Editionem meam anteactis omnibus longe præſtantiorem efficerent. Laborem igitur meum, quantuluſcumque eſt, æqui bonique conſule, & vale.

A U-

AUCTORIS AD LECTOREM PROŒMIUM.

EX quo Doctiſſimus Sacrorum Rituum Interpres *Bartholomæus Gavantus* opus ſuum elucubratiſſimum *Commentariorum*, *ad Rubricas Miſſalis*, *& Breviarii Romani*, ſatis proſpere, & bono omine exegit, typiſque evulgavit, centeſimus hodie annus completur. Hoc unum prorſus deerat, ut *Rituale Romanum*, quod non minus quam Miſſale, & Breviarium, præ manibus quotidie a Sacerdotibus habetur, ob difficultates, quæ in Sacramentorum, & Sacramentalium uſu, & miniſterio, in dies inſurgunt, animadverſionibus, commentariiſque aliquo pacto perpenderetur, per quæ, rerum in eo contentarum tuto, & inoffenſo pede fieret miniſtratio.

Quam provinciam licet ſatis arduam, Deo ſic ſuadente, pro meis viribus, etſi exiguis, aſſumere auſus ſum, in unum ea congerendo, quæ non tantum oculis meis adverti, ſed in optimis, probatiſque Authoribus, præcipue canonicis, & de Sacris Ritibus tractantibus notata, ac in Sacris Congregationibus reſoluta, necnon a Pontificiis oraculis pronunciata ſuere, ad argumentum meum conducentia, comperii, adeo ut his omnibus in unum congeſtis, Volumen hoc efformaverim.

Ritus igitur omnes, & ſinguli continentur in hoc Volumine, quorum uſus a Parocho fieri poteſt, tam in Sacramentis ſibi tantummodo pro miniſterio atque ex officio aſſignatis, quam in cæteris ad animarum curam ſpectantibus, pro ſpirituali gubernio, pro ſacrarum rerum decore, pro ſolamine viventium, ac demum pro Deſunctorum ſuffragio: quidquid enim in Rituali Romano locum habet, vel reſpicit Deum, quoad ejus cultum; vel Sanctos, quoad illorum venerationem; vel Animas Fidelium, illorumque res, ad juvamen, inſtructionem, atque ſanctificationem. Nonnulli Ritus ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, nonnulli, & numero majores ad Sacramentalia, a Baptiſmo ad Exequias uſque deveniendo: cuncta vel in ſe, vel in rebus ſuis hominem Chriſti Fidelem ſanctificant, dirigunt, cuſtodiunt, exornant, expiant, atque purificant, modo una, modo alia ſolemnitate, ſtatutis precibus adhibitis, ſervataque methodo in rebus ſacris approbatiori.

Quoniam vero ad hoc potiſſimum, Volumen Rituale ab Eccleſia inſtitutum eſt, ut ad manus Parochorum quotidie habeatur, operæ pretium duxi ad faciliorem illius intelligentiam, & uſum, his Commentariis præire & lumen quodammodo rebus agendis præferre: plura enim, quæ in Rubricis, ſeu Regulis generalibus enunciantur, Parochum, ſive Sacerdotem ſatis edoctum ſupponunt ad ea intelligenda, quæ miniſtrat, ut nullitates evitentur præſertim in Sacramentorum miniſtratione.

Sane in bene accuratis Eccleſiæ miniſtris, res Sacras rite, & recte, juſtoque, & convenienti decore tractantibus, quædam elucet majeſtas, & imperium, ut quandoque Angeli ipſi operam ſuam illis præbere non ſint dedignati: viſique non raro ſint Dæmones contremiſcere, & in fugam verti: non enim incaſſum tot, & tanti Ritus ab Eccleſia inſtituti ſunt: tot Preces, tot Orationes; tanta ſacrorum thymiamatum profuſio, ſanctorumque Oleorum effuſio; tot ſigna, & vexilla, cantus, lumi-

na, adorationes, aſperſiones, & cætera ad Sacramenta, & Sacramentalia conficienda inſervientia: ſed omnia, & ſingula apposite, ſuiſque adornata myſteriis, & ſignificationibus exhibuit, ut non ſolummodo materialiter, ſed ſpiritualiter in conſpectu Dei, ad deſignatos fines, debita rerum diſpoſitione, tali, & non diverſo modo parata operarentur.

Quæ myſteria ſi optime, & perfecte ab Eccleſiæ Miniſtris attingerentur, explicarenturque fidelibus Populis, ad mentem Sacrorum Canonum, & præcipue Sacroſancti Concilii Trident. *Seſs. 10. de ref. cap. 7.* ſane pluris apud illos valerent, ac majori veneratione colerentur.

Ad hanc metam pertingendam plures Theologi, infinitis propemodum animadverſionibus, diſceptationibus, elucubrationibus, laboribuſque inſudarunt: hoc quotidie quærunt Sacræ Congregationes Almæ Urbis, & illa præcipue quæ pro Sacris Ritibus conſervandis, interpretandiſque a Sixto V. inſtituta, in dies convocatur. Ad hoc tot Summorum Pontificum Decreta, Conſtitutiones, Sanctioneſque tendunt, ut decoro ritu in ſacris dirigatur, manuteneaturque Eccleſia illa, quæ una eſt, nec multiplicitatem patitur.

Quæ omnia tamen ab uno Parocho, ſeu Eccleſiæ Miniſtro perfecte attingi non poſſunt, ob Authorum, Librorumque infinitam propemodum copiam, quorum acquiſitio, & uſus non adeo facilis eſt, variis de cauſis, ſed præſertim ob rerum familiarium anguſtiam, qua plurimi detinentur, hoc uno contenti, ut reiteratis in Rituali monitis pareant, de illo Sacro Volumine præ manibus habendo in Sacramentorum, & Sacramentalium adminiſtratione. Quod ſi difficultas, ac nodus ſatis inextricabilis inſurgat in tali miniſterio, nullum, quem conſulant, Doctorem habentes, vel caſu bene ſe gerunt, vel irreparabiliter a recta ſemita aberrantes, damnum pro nihilo valent reparare.

Hoc mihi inhærens animo, factum eſt, ut prima uſque ab adoleſcentia, dum pene ſacris initiatus forem, me ad ea, quæ Eccleſiaſticum virum decent, converterem, Rituſque Sacros adeo enixe perpenderem, enuclearemque, ut quæcumque a Sacris Miniſtris peragerentur, ad trutinam avocare ſtatuerem; rationeſque inquirere non trepidaverim. Ab illa uſque ætate multa recondere placuit a SS. Patribus, Theologiſque decerpta, quibus dubietates meas ſuis loco, & tempore, enodarem, ac perfecte ea, quæ intus myſteria latent in Sacris Ritibus, aperirem: non enim ſyllaba, non interpunctio in Sanctionibus Eccleſiaſticis otioſe jacet, atque inutiliter.

Scopus igitur meditationum mearum, atque horum *Commentariorum* (in quibus data aliquali doctrina, ſemper remiſſive me habeo) ille fuit, ut ſignificationes Sacrorum Rituum aperirem, difficultateſque, quæ in dies oboriri ſolent, explanarem, pro eo tantum quod ſpectat ad Rituale Romanum. Quod ut promptius, tutiuſque adimpleretur, ex mea ſententia nihil promere auſus ſum, ſed doctrinis SS. Patrum, Theologorum, Canonum, & Sacrarum Congregationum innixus Decretis, & Reſolutionibus inſpectis, Doctorumque, præcipue Canoniſtarum placitis ad examen vocatis, omnia ad unum finem dirigere optimum fore ſum ratus.

Ab antiquis Ritualibus Libris non pauca excerpſi, ut collatione eorum facta cum recentioribus, illud demonſtrarem, omni tempore Eccleſiam Catholicam ſtuduiſſe novo ornatu incedere, ſed nuſquam a primævo uſu diſſentire quoad intrinſecus latentia myſteria, & fundamenta Catholicæ Religionis.

Præ cæteris, *Acta Mediolanenſis Eccleſiæ* per S. Carolum Borromæum Epiſcopalis dignitatis ſidus, & columen, elaborata, ante oculos habui, atque ex illis tanquam e limpidiſſimo fonte, plurima ad inſtitutum meum facientia exhaurire non deſtiti, ut tutius cuncta dicenda procederent. Item *Sacerdotale Brixinenſe* per Guillelmum illius Eccleſiæ vigilantiſſimum, Doctiſſimumque Epiſcopum ab anno 1640. evulgatum, frequentiſſime percurrere non renui. Volumen enim illud, licet uni Provinciæ accommodatum videatur, attamen poſt Rituale Romanum, multa, & quidem non parvi ponderis mihi ſuppeditavit: utpote quia non tantum in Ritibus exponendis moretur, ſed illos optimis monitis, & animadverſionibus illuſtrando, ea præſtet, quæ Sacris Miniſtris maxime inſerviunt ad rectæ miniſtrationis præludia, & ad evitandum dedecus, & diſſonantiam a rebus ſacris omnino avertendam.

Hæc ſunt quæ te ſcire, humaniſſime Lector, exoptavi, quæ a me clariori quam potui methodo expoſita ſunt, ſtylum Canonicarum rerum inſequendo, & ſubtilitatem ſermonis prætereundo, quæ minime ad res practicas, & inſtructivas pertinet: Quod nollem te malo animo ferre, ac propter hæc te mihi moleſtum futurum fore. Scio utique nullatenus vitari poſſe reprehenſionem niſi nihil ſcribendo: ſed quoniam ſcribere decrevi, hoc unum a te vellem ut neque corriperes, ſed judicium ſuſpenderes more Judicis, cui calculus tertius datur; nec ſemper imponitur neceſſitas aut *abſolvendi*, aut *condemnandi*; ſed etiam ut, *non liquere*, pronuntiare poſſit. Vale. (*Baco de Verul. de certit. leg. aphor.* 40.)

Typo-

Typographi Veneti Monitum ſecundæ Editioni præfixum.

Hujuſce Operis adeo invaluit uſus apud Eccleſiæ miniſtros, ut prima Veneta editio, (non obſtante altera Auguſtæ Vindelicorum, & Dilingæ habita anno 1735. cum præclariſſimorum Virorum in Eccleſia Auguſtana Prælatorum approbatione) ferme in Italia defecerit. Cui deficientiæ cum non alio pacto ſubſidium ferri poſſet, niſi illud noviter recudendo: factum eſt, ut paternus Authoris amor per diligentiſſimos Typographos Balleonios certior factus, atque invitatus, ad augendam meſſem, illamque cribrandam, purgandamque ſe ſe admoveret, ita ut hæc altera editio frugum ulterius onuſta reviviſceret. In hoc enim intermedio tempore nonnulli Authores inſurrexerunt, & quidem excellentes in hoc eodem Argumento, a quibus nova Sacrarum Urbis Congregationum decreta noviter enucleata fuere: inter quos prior eminet, velut inter ignes luna minores, Sanctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. feliciter ſedens, qui quinque Sacrarum Conſtitutionum Volumina, & quatuor de SS. Canonizatione magna Eccleſiaſtica doctrina cumulata evulgavit: Dein P. Cajetanus Merati ad Gavantum, & P. Joannes Michael Cavalieri in tribus uſque modo Voluminibus ad ſacrarum Congregationum Decreta orbem impleverunt. Quæ omnia cum Operi huic multum faveant, ſæpe ſæpius hic relata invenientur, ad hoc ut hæc nova regeneratio, perfectius quantum fieri poſſit, abſolvatur.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

CONCEDIAMO Licenza a *Giambattiſta Remondini* Stampator di *Venezia* di poter riſtampare il Libro intitolato *Ad Rituale Romanum Commentaria, Auct. Hieronymo Baruffaldo Ferrarienſi*, oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 23. Luglio 1761.

(Sebaſtian Giuſtinian Ref.

(Alviſe Mocenigo 4.° Cav. Proc. Ref.

(Polo Renier Ref.

Regiſtrato in Libro a carte 138. al num. 668.

Giacomo Zuccato Segr.

INDEX TITULORUM,

SERVATO ORDINE

RITUALIS ROMANI.

Titulus I. De *Rituali Romano. Præludium.* Pag. 1
Tit. II. *De iis quæ in Sacramentorum adminiſtratione generaliter ſervanda ſunt.* 2
Tit. III. *De Sacramento Baptiſmi rite adminiſtrando.* 12
Tit. IV. *De materia Baptiſmi.* 13
Tit. V. *De forma Baptiſmi.* 14
Tit. VI. *De miniſtro Baptiſmi.* 15
Tit. VII. *De Baptizandis Parvulis.* 17
Tit. VIII. *De Patrinis.* 19
Tit. IX. *De tempore, & loco adminiſtrandi baptiſmi.* 22
Tit. X. *De Sacris Oleis, & aliis requiſitis.* 23
Tit. XI. *Ordo Baptiſmi Parvulorum.* 29
Tit. XII. *De Baptiſmo Adultorum.* 34
Tit. XIII. *Ordo Baptiſmi Adultorum.* 39
Tit. XIV. *Ordo ſupplendi omiſſa ſuper Baptizatum.* 46
Tit. XV. *Ritus ſervandus cum Epiſcopus baptizat.* 47
Tit. XVI. *Benedictio Fontis Baptiſmi extra Sabbatum Paſchæ & Pentecoſtes.* 49
Tit. XVII. *De Sacramento Pœnitentiæ.* 50
Tit. XVIII. *Ordo miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ.* 53
Tit. XIX. *Abſolutionis forma.* 60
Tit. XX. *De Abſolutione ab excommunicatione in foro exteriori.* 61
Tit. XXI. *Ritus abſolvendi excommunicatum jam mortuum.* 63
Tit. XXII. *De modo abſolvendi a Suſpenſione, vel Interdicto extra, vel intra Sacramentalem Confeſſionem.* 65
Tit. XXIII. *De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.* 66
Tit. XXIV. *Ordo miniſtrandi Sacram Communionem.* 72
Tit. XXV. *De Communione Paſchali.* 77
Tit. XXVI. *De Communione Infirmorum.* 80
Tit. XXVII. *De Sacramento Extremæ Unctionis.* 90
Tit. XXVIII. *Ordo miniſtrandi Sacramentum Extremæ Unctionis.* 98
Tit. XXIX. *Septem Pſalmi Pœnitentiales, cum Litaniis.* 102
Tit. XXX. *De Viſitatione, & cura Infirmorum.* 103
Tit. XXXI. *Modus juvandi morientes.* 109
Tit. XXXII. *Ordo commendationis Animæ.* 112
Tit. XXXIII. *In expiratione.* 114
Tit. XXXIV. *De Exequiis.* 117
Tit. XXXV. *Quibus non licet dari Eccleſiaſticam ſepulturam.* 126
Tit. XXXVI. *Exequiarum Ordo.* 130
Tit. XXXVII. *Officium Defunctorum.* 141
Tit. XXXVIII. *De Officio faciendo in Exequiis, abſente corpore Defuncti, & in die Tertio, Septimo, Trigeſimo, & Anniverſario.* 142
Tit. XXXIX. *De Exequiis Parvulorum.* 143
Tit. XL. *Ordo ſepeliendi Parvulos.* 144
Tit. XLI. *De Sacramento Matrimonii.* 145
Tit. XLII. *Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum.* 156
Tit. XLIII. *De Benedictione Mulieris poſt Partum.* 159
Tit. XLIV. *De Benedictionibus Regulæ generales.* 161
Tit. XLV. *Ordo ad faciendam Aquam benedictam.* 164
Tit. XLVI. *Benedictio Candelarum extra diem Purificationis B. M. V.* 166
Tit. XLVII. *Benedictio Domorum in Sabbato Sancto Paſchæ.* 167
Tit. XLVIII. *Alia Benedictio Domorum alio tempore facienda.* 168
Tit. XLIX. *Benedictio Loci.* ibid.
Tit. L. *Benedictio Domus novæ.* ibid.
Tit. LI. *Benedictio Thalami.* 169
Tit. LII. *Benedictio novæ Navis.* ibid.
Tit. LIII. *Benedictio communis ſuper Fruges, & vineas.* ibid.
Tit. LIV. *Benedictio Peregrinorum ad loca Sancta proficiſcentium.* 170
Tit. LV. *Benedictio Peregrinorum poſt reditum.* 173
Tit. LVI. *Benedictio Eſculentorum, præſertim in Paſcha.* ibid.
Tit. LVII. *Benedictio Agni Paſchalis.* ibid.
Tit. LVIII. *Benedictio Ovorum.* 174
Tit. LIX. *Benedictio Panis.* ibid.
Tit. LX. *Alia Benedictio Panis.* 175
Tit. LXI. *Benedictio novorum Fructuum.* ibid.
Tit. LXII. *Benedictio ad quodcumque Comeſtibile.* ibid.
Tit. LXIII. *Benedictio Olei ſimplicis.* 176
Tit. LXIV. *Benedictiones ab Epiſcopo, vel ab alio facultatem habente faciendæ.* ibid.
Tit. LXV. *Benedictio Sacerdotalium Indumentorum in genere.* 177
Tit. LXVI. *Benedictio Mapparum, ſive linteaminum Altaris.* 178
Tit. LXVII. *Benedictio Corporalium.* ibid.
Tit. LXVIII. *Benedictio Tabernaculi, ſeu Vaſculi pro Sacroſancta Euchariſtia conſervanda.* 179
Tit. LXIX. *Benedictio novæ Crucis.* ibid.
Tit. LXX. *Benedictio Imaginum Jeſu Chriſti Domini noſtri, Beatæ Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum.* 180
Tit. LXXI. *Ritus benedicendi, & imponendi primarium lapidem pro Eccleſ. ædificanda, a Sacerdote facultatem habente ab Epiſcopo.* 182
Tit. LXXII. *Ritus benedicendi novam Eccleſiam, ſeu Oratorium publicum ubi SS. Miſſæ Sacrificium celebrari poſſit.* 183
Tit. LXXIII. *Ritus reconciliandi Eccleſiam violatam, ſi nondum erat ab Epiſcopo conſecrata.* 189
Tit. LXXIV. *Ritus benedicendi novum Cœmeterium per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum.* 192
Tit. LXXV. *Ordo reconciliandi Cœmeterium ſive Eccleſiæ contiguum ſit, ſive ſeparatum, ubi Eccleſia non eſt polluta.* 197
Tit. LXXVI. *De Proceſſionibus.* 199
Tit. LXXVII. *De Proceſſione in die Feſto Purificationis B. M. V.* 204
Tit. LXXVIII. *De Proceſſione in die Palmarum.* 205
Tit. LXXIX. *Ordo ſervandus in Litaniarum majorum Proceſſione, quæ in Feſto S. Marci celebratur.* 207
Tit. LXXX. *De Proceſſione in feſto SS. Corporis Chriſti.* 211
Tit. LXXXI. *De Proceſſione ad petendam Pluviam.* 216
Tit. LXXXII. *De Proceſſione ad poſtulandam ſerenitatem.* 217
Tit. LXXXIII. *Preces ad repellendam Tempeſtatem.* 218
Tit. LXXXIV. *Preces dicendæ tempore Penuriæ, & Famis.* 219
Tit. LXXXV. *Proceſſio tempore mortalitatis & Peſtis.* ibid.
Tit. LXXXVI. *Preces dicendæ in Litaniis tempore Belli.* 220
Tit. LXXXVII. *Proceſſio in quacumque Tribulatione.* 221
Tit. LXXXVIII. *Preces dicendæ in Proceſſione pro Gratiarum actione.* ibid.
Tit. LXXXIX. *De Proceſſione in Tranſlatione Sacrarum Reliquiarum.* 222
Tit. XC. *De exorcizandis Obſeſſis a Dæmonio.* 224
Tit. XCI. *Ritus abſolvendi, & benedicendi Populos, & Agros.* 234
Tit. XCII. *Formula ſcribendi in libris habendis apud Parochos.* 237
Tit. XCIII. *Forma deſcribendi Baptizatos in primo Libro.* 241
Tit. XCIV. *Forma deſcribendi Confirmatos in ſecundo Libro.* 243
Tit. XCV. *Forma ſcribendi Conjugatos in tertio Libro.* ibid.
Tit. XCVI. *Forma deſcribendi ſtatum Animarum in quarto Libro.* 245
Tit. XCVII. *Forma deſcribendi Defunctos in quinto Libro.* 247

AD

RITUALE ROMANUM COMMENTARIA.

DE RITUALI ROMANO,

TITULUS PRIMUS,

PRÆLUDIUM.

SUMMARIUM.

1 *Rituale Romanum unde dictum?*
2 *Hetruſci antiqui habebant libros Rituales pro condendis Urbibus.*
3 *Differentia inter Ritus, & Cæremonias.*
4 *Congregatio Sacrorum Rituum quando Romæ inſtituta fuerit.*
5 *In Eccleſia Catholica Rituale Romanum invaluit tempore Pauli V.*
6 *Rituale in antiqua Eccleſia variis nominibus nuncupabatur.*
7 *Officialis libellus quinam fuerit, & quid nomine Breviarii intelligeretur?*
8 *Cur Rituale dicatur Romanum?*
9 *Apud Græcos Romanum idem eſt ac Conſtantinopolitanum.*
10 *Rubricæ Ritualis Romani cujus naturæ ſint?*

1 RITUALE Romanum a Ritibus, ſeu Cæremoniis, moribus, & conſuetudinibus in eo deſcriptis, ac aſſignatis nomen deſumpſiſſe concordant omnes DD. & ipſamet Etymologia ſatis docet, eo pacto, quo *Miſſale* a Miſſa, *Sacramentarium* a Sacramentis, *Proceſſionale* a Proceſſionibus, *Cæremonialis* a Cæremoniis, & alia hujuſmodi Volumina derivationem traxere a rebus in iiſdem deſcriptis, & explicatis. Pari itaque ratione cum Volumen hoc in ſe contineat Ritus pro recta nonnullorum Sacramentorum & Sacramentalium adminiſtratione, Rituale nuncupatum eſt.

2 Quod nomen apud Latinos ſatis antiquum dignoſcitur: Feſtus enim teſtatur, ſuis temporibus extitiſſe Rituales Hetruſcorum libros, in quibus ſcriptum erat quo ritu Urbes conderentur, Curiæ, Tribus, Centuriæ, & cætera hujuſmodi ad pacem, bellumve pertinentia, & quo pacto ædes ſacrarentur, unde Hetruſcorum Aruſpicini fulgurales libri, a Cicerone *1. de divinat.* Ritualium nomine nuncupantur.

3 Inter Ritus vero, & Cæremonias aliquam diſtinctionem ponunt nonnulli Scriptores, eodem pacto, quo Aqua differt ab Ablutione. Ritus eſt modus præſcriptus ſacræ actionis: Cæremonia autem ipſa Ritus executio, & praxis, qua actio ſacra perficitur. Ex Conc. Trid. *ſeſſ. 22. de ſacr. Miſſ. cap. 5.* ibi: *Cumque natura hominum ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli: propterea pia mater Eccleſia RITUS quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia vero elatiore in Miſſa pronunciarentur inſtituit. CÆREMONIAS item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina, & traditione, quo & majeſtas tanti ſacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia Religionis, & Pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

Quæ Concilii verba ad ampliorem ſenſum perducta nihil aliud ſignificant, quam quod *Eccleſia Chriſti non ſolum voce utitur ad Deum laudandum, ſed etiam externis cæremoniis, quarum multa ab Apoſtolis acceptæ ſunt, ut docet D. Baſilius, reliquæ a poſteris utiliter adjectæ. Cum enim Cæremonia ſit externa actio, effectum nullum internum producens: adhibetur tamen ad effectus ſpirituales, eoſque multiplices*, quos diſtincte enumerat, & explicat Auguſtinus Valerius Card. Veronæ Epiſc. *in Theſaur. Piet. inſtitut. part. 3. §. 1.* Pro quorum Rituum obſervantia Sixtus 4
V. Pont. Max. Congregationem *Sacrorum Rituum* nuncupatam inſtituit anno 1587. 11. *Kal. Februar.* & eſt quinta inter quindecim Congregationes inſtitutas; cujuſque inſtitutionis Bulla incip. *Jam vero, &c.*

In Eccleſia Catholica nomen hoc *Rituale* præcipue invaluit tempore Pauli V. Summi Pontificis, tunc quando (anno ſcilicet 1614.) juſſit ex antiquis præſcriptis Cæremoniis ab Eccleſia Apoſtolica non diſcrepantibus Volumen unum confici, in quo ſacri, & ſinceri ejuſdem Eccleſiæ Ritus in Sacramentorum adminiſtratione, (Sacramentis Confirmationis, & Ordinis, quæ ad Epiſcopos tantummodo ſpectant, quoad adminiſtrationem exceptis) aliiſque eccleſiaſticis functionibus ſervandi comprehenderentur, illudque RITUALE ROMANUM appellari mandavit. Ad cujus Operis texturam idem ſummus Pontifex quamplures S. R. E. Cardinales, pietate, doctrina, & prudentia præſtantes, multoſque eruditos Viros in rebus eccleſiaſticis, Bibliothecas, & codices priſcos conſuluit, ac præcipue Ritualem Librum a Card. Julio Antonio Sanctorio Sanctæ Severinæ nuncupatum jam prius elucubratum, ut uniformiter in Eccleſia Romana adminiſtrarentur Sacramenta, & Sacramentalia: circa quæ fuſius videndum Breve ejuſdem Pauli V. incipiens, *Apoſtolica Sedi, &c.* Dat. Romæ die 27. Junii 1614. quod obſervandum inſtet Barboſa, *de off. & pot. Paroc. p. 2. c. 17. num. 2.* 5

Antiquitus vero, & primis Eccleſiæ temporibus, Rituales libri habebantur ſejunctim a Miſſalibus, ut videtur inferre Gavantus, *Rubris. Miſſ. p. 1. t. 1.* Sed multiplici Rituum diverſitate erant inter ſe diſcrepantes, atque ita non uno nomine e variis Authoribus nuncupabantur. Alii *Euchologium*, hoc eſt Rituale Græcum, in quo præter Orationes, & preces ad Sacramenta miniſtranda, alii Ritus ſacerdotales, & Epiſcopales deſcribebantur. Alii *Ordinales*, & ſic eos appellat Matth. Paris *in Vita Abb.* his verbis: *Sine Ordinalibus Conſuetudinariis, Miſſalibus, Tropariis, &c.* Dixerunt alii *Sacramentarium*, quemdam librum a D. Gregorio Papa elaboratum, in quo omnes collectas, & orationes, aliaſque preces ad Officium Divinum ſpectantes, & ad ſacros Ritus, per totum annum collegit. Proprie vero *Miſſale eſt*. Ita Lindanus *pro Liturgia S. Petri*, c. 12. & alii apud Gavant. *loco citato*. Denique *Sacerdotale* liber dicebatur ille, in quo copia Rituum ad Sacerdotes pertinentium deſcribebatur, eratque antiquum *Rituale*, recentiore copioſius. Monachi tamen Præmonſtratenſes utuntur hoc vocabulo ad ſignificandum verſiculum in Officio Divino recitandum in principio ad Laudes. Hujus nominis Librum, Romanæ, 6

ac aliarum Eccleſiarum commoditati aptiſſimum elucubravit Albertus de Caſtello Ord. Præd. tempore Leonis PP. X. Anno 1530. Aderat quoque liber qui dicebatur *Baptiſterium*, in quo Cæremoniæ, quæ ad Baptiſmum ſpectabant, deſcribebantur, ut tradit nuper enunciatus de Caſtello, *in principio*, *f.* 2. Inſuper Librum de Sacramentorum Ritibus, *Sacramentale* nuncupatum, ad uſum Ferrarienſis Eccleſiæ promulgandum curavit Jo. Fontana Epiſcopus Ferrarienſis ſemper recolendæ memoriæ in ſua prima Synodo Diœceſane 1592. pag. 62. 63.

Dignum quoque ſua mentione eſt Volumen inſcriptum *Sacerdotale*, ſive *Sacerdotum Theſaurus* juxta conſuetudinem S. Rom. Eccleſiæ, Sacrique Concilii Tridentini ſanctiones, quibuſcumque Sacerdotibus, Epiſcopis, Prælatis, nec non cunctis Chriſti-fidelibus pernéceſſarius, ex diverſis Voluminibus compendioſe collect. a Franciſco Samarino Beneficiato Lateranenſi: quod Volumen expurgatum, multiſque rebus auctum, & reformatum per Angelum Rocch. prodiit typis Venetis, Anno 1583.

7 Neque deſunt qui hujuſmodi *Rituale*, *Officialem libellum* nuncupaverint, ut habetur ex Concil. Toletan. IV. *Can.* 25. Sed potius hoc Vocabulo, prædictum Concilium, de *Breviario* intellexiſſe putat Dominicus Macrius *in. Hierolex. verb. Rituale*; ubi plura de hoc nomine habentur. Ego vero Canonem Concilii Toletani in fonte perquirens, talem inveni, ut potius de *Rituali* pro Sacramentorum adminiſtratione, quam de *Breviario* intelligi debeat. Inquit enim *diſt.* 38. hoc pacto: *Quando Presbyteri in Parochiis ordinantur, libellum officialem a ſuo ſacerdote accipiant, ut ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi accedant, ne per ignorantiam, etiam in ipſis divinis Sacramentis Chriſtum offendant: ita ut quando ad Litanias, vel ad Concilium venerint, rationem Epiſcopo ſuo reddant, qualiter ſuſceptum officium celebrent, vel baptizent*, *&c.* Ibi enim ſermo eſt de Sacramentis, & præcipue de Baptiſmo, non de Pſalterio, ſeu de Officio divino, deque Horis Canonicis in genere, ut ſupponit præfatus Macrius.

Verum, deletis omnibus antea deſcriptis nominibus, *Rituale* appellandum decrevit hoc Volumen idem Pontifex Paulus V. cum alia Volumina eccleſiaſtica, variis de cauſis, potius *Cæremonialia*, *Pontificalia*, *Epiſcopalia*, & hujuſmodi dicenda ſint.

8 Porro *Romanum* dicitur hoc Rituale eodem pacto, quo Eccleſia Catholica, & Apoſtolica, *Romana* communiter a nobiliori ſui parte nuncupatur, Becan. *Manual. l.* 1. *cap.* 3. *conc.* 5. *n.* 59. idem enim ſonat *Romana*, ac *Catholica*, Caſal. *de Vet. Sacr. Rit. cap.* 70. ubi plura de titulo Romanæ Eccleſiæ, eruditiſſime, Patrum teſtimonia affert. Ita Res omnes, quæ ad cultum, cæremonias, ritus, & ſacramenta hujus Univerſalis Eccleſiæ pertinent, Romanæ vocantur ad diſtinctionem Græcorum, Ambroſianorum, aliorumque Rituum a Romanis diſcrepantium non eſſentialiter, ſed quoad demonſtrativas cæremonias: etenim præter Miſſalia, Pontificalia, Ritualia, & alia Volumina Romana, Ambroſiana etiam, & Græcis titulis inſcripta pro Græcis, & Ambroſianis paſſim occurrunt.

Igitur *Rituale Romanum* dicimus eo quia continet, & præſcribit Ritus, quibus Eccleſia Romana utitur, & qui ſervantur Romæ tanquam in Sedis Apoſtolicæ Metropoli.

Apud Græcos Scriptores *Romanum* nomen Conſtantinopolitanum ſignificabat: id vero, quod nos Romanum dicimus, illi latinum vocant, & apud catholicos Scriptores Orthodoxum ſonat. Vide plura apud Salvin. *lib.* 5. & Baron. *Ann.* 45. n. 9. 456. *n.* 23. 583. 47. *& in notis ad Martyrolog.* 16. *Octob.* quod Romanum nuncupari voluit, ad diſtinctionem *Menologiorum*, *Paſſionalium*, *&c.* 9

His de *Rituali Romano* in genere expoſitis, plura remanent dicenda de ejus uſu apud Chriſti-fideles, & præcipue apud Parochos: ſed cum iterum de eodem uſu habendus ſit ſermo in Rubrica, ſeu Titulo *de iis*, *quæ in ſacramentorum adminiſtratione generaliter ſervanda ſunt*, §. 16. ideo ad illum locum Lectores meos remittam, ubi plura habebunt ſcitu maxime utilia, & præſertim de apocryphis, damnatis, atque anathematizatis Ritualibus.

Quoniam vero in his Commentariis Rubricæ Ritualis potiſſimum erunt explicandæ, nonnulla hic de Rubricis in genere ſupereddere non inutile cenſui ad majorem legentium utilitatem; quandoque enim nigrum eſt generalius rubro, Anacl. *lib.* 2. *decretal. tit.* 15. *rubr.* n. 1. Prætermiſſis itaque iis, quæ de nomine, & origine Rubricarum docet Gavant. *part.* 1. *tit.* 1. & Macrius in *Hierolex.* verbo *Rubrica*, dicam, Rubricas a Theologis dividi in præceptivas, & directivas, Corſett. *Prax. Sac. Rit. Introd.* Præceptivas unice ſub mortali, vel veniali obligare docent communiter DD. juxta diverſitatem caſuum, & parvitatem materiæ. Directivæ vero cum ſint de conſilio, non obligant, ſaltem ſub mortali, ex ſententia DD. qui Rubricas de defectibus vocant doctrinales, ut ex Paſqual. *de Sacr. nov. leg. q.* 799. *n.* 7. & Polac. *part.* 2. *n.* 6. *append. adden.* 2. Tutius tamen eſt culpabilem negligentiam vitare, eam ad earum obſervationem impellamur vi ordinis, & miniſterii, Caſtald. *ſect.* 14. *cap.* 1. 10

Strictius tamen in caſu noſtro præciſe, & in terminis de Rubricis *Ritualis Rom.* loquitur Clericat. *de Sacr. Bapt. Dec.* 24. *num.* 3. *Dec.* 64. *n.* 19. cum Menoch. Lotber. & aliis, qui eſſe de præcepto has Rubricas aſſerunt, ideo quia obligare ſub mortali, cum habeant vim legis, ex decr. Conc. Trid. *ſeſſ.* 7. *can.* 13.

His de *Rituali Romano* præmiſſis, illius explicationem, ſervata Rubricarum, ſeu Titulorum Œconomia, & Methodo, aggredior.

DE IIS, QUÆ

IN SACRAMENTORUM

Adminiſtratione Generaliter ſervanda ſunt.

TITULUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

1 *Quænam veniant ſub nomine generali in adminiſtratione Sacramentorum?*
2 *Rituale Romanum inhæret antiquis Eccleſiæ Inſtitutis, & præſertim Apoſtolicis traditionibus.*
3 *An Eccleſia Univerſalis poſſit novas cæremonias, & obligatoria præcepta circa eas imponere?*
4 *Rituum mutatio, ac innovatio ad Eccleſiam tantummodo ſpectat, & de illis judicium, & cenſura.*
5 *Ritus nonnulli communes inter Chriſtianos, & Infideles.*
6 *An condito novo Teſtamento Cæremoniæ Veteris Teſtamenti ſint ſublatæ?*
7 *Uſus cæremoniarum Veteris Teſtamenti paulatim deceſſit.*
8 *Ritus Sacri cuſtodiendi ſunt, explicandi, & promulgandi a Concionatoribus.*
9 *Fideles ubique locorum eſſe debent uniformes in ſacris Ritibus.*
10 *Locus Concilii Trident. contra contemptores ſacrorum Rituum.*
11 *Ritus debent approbari, nec ſufficit ſi introducti ſint ſine approbatione.*
12 *Concilium Trident. obſervari debet rigoroſe quando Sacramenta publice adminiſtrantur.*
13 *In privata adminiſtratione aliquæ Cæremoniæ particulares omitti poſſunt, & præcipue in caſu neceſſitatis.*
14 *Cæremoniæ nec omitti, nec contemni poſſunt ſine peccato.*
15 *Diſtinctio inter contemptum, & omiſſionem.*
16 *Epiſcopi non poſſunt mutare Ritus abſque approbatione S. R. E.*
17 *In Eccleſia nihil ſanctius Sacramentis.*
18 *Soli Parocho poſt Pontificem, & Epiſcopum competit adminiſtratio Sacramentorum.*
19 *Simplici Sacerdoti requiritur delegatio pro adminiſtrandis Sacramentis.*
20 *Regulares habent privilegia miniſtrandi Euchariſtiam ſine licentia ſupradicta.*
21 *Sancta ſancte tractanda ſunt.*
22 *Quænam puritas neceſſaria ſit Sacerdoti?*
23 *Quænam Pietas neceſſaria? Ubique demonſtranda.*
24 *Error Wicleff, qui aſſerebat, non confici Sacramenta a Sacerdote in peccato mortali exiſtente. Sacerdos tamen peccat mortaliter ſic miniſtrando.*
25 *Impune quid ſignificet?*
26 *Indigne æquivalet Inhoneſte.*
27 *Quomodo, & quando ſit mortale miniſtrare Sacramentum in mortali?*
28 *Ignorantia excuſat a mortali.*
29 *Si non adminiſtraverit, non peccat.*
30 *Debet conari, ut in gratiam reſtituatur, & quomodo?*
31 *Sacerdos non debet ſe confiteri indutus ſacris paramentis.*
32 *Quando liceat ſine prævia confeſſione miniſtrare?*
33 *Quacumque hora Parochus debet eſſe promptus ad miniſtranda Sacramenta.*
34 *Qua diligentia tenetur Parochus properare viam?*
35 *Regula tenenda quando Parochus vocatur tempore nocturno.*
36 *An de nocte induere debeat Veſtem talarem?*
37 *Quomodo Parochus ſe gerere debeat ſi adſit metus propriæ vitæ?*
38 *An Aeris intemperies ſit periculum magnum?*
39 *Qua pœna afficiendus Parochus recuſans miniſtrare Sacramenta?*
40 *An Parochus debeat vocari, vel ipſe quærere indigentes Sacramentis?*

41 *Pa-*

41 *Parochus debet monere populum ad ſe vocandum.*
42 *Non eſt peccatum ſi miniſtraturus Sacramenta orare omittat.*
43 *Paululum orare debet, non prolixe, & quinam orationi vacare?*
44 *Parochus debet prævidere Cæremonias neceſſarias.*
45 *Veſtis ſacra adhibenda in omni Sacramentorum adminiſtratione, & quid ſignificent?*
46 *Superpelliceum, ſeu Cotta quid ſit? & varia circa eam.*
47 *Cotta, & ſtola debet indui, non ſuperimponi beachro.*
48 *Orationes præſcriptæ an recitari debeant in actu quo veſtes induuntur?*
49 *Stola deſcribitur, & de ea varia obſervantur.*
50 *Stolæ pro adminiſtrandis Sacramentis habeantur ſejunctæ ab aliis.*
51 *Colores Eccleſiaſtici olim quatuor, nunc quinque, & cur?*
52 *Pompeji Sarnelli Epiſcopi Vigilien. epiſtola ad Authorem circa colores.*
53 *Sufficit, ut colores emineant in paramentis, nec paramenta ſint unius coloris.*
54 *Stola Verſipellis deteſtatio.*
55 *Colores adhibendi juxta Ritus Sacramentorum.*
56 *Caſus in quibus poſſunt miniſtrari Sacramenta ſine Cotta, & Stola.*
57 *Clerici, & Miniſtri adhibendi in adminiſtratione Sacramentorum.*
58 *Fœminæ an adhiberi poſſint ad inſerviendum Sacerdoti miniſtranti?*
59 *Quælibet Eccleſia Parochialis debet habere ſaltem unum Clericum.*
60 *In caſu magnæ penuriæ quilibet inſervire poteſt, non tamen cum Cotta.*
61 *Clerici poſſunt cogi ad inſerviendum Eccleſiæ.*
62 *Rectores ut plurimum ſunt diligentes in cuſtodienda ſacra ſupellectile.*
63 *Inventarium ſupellectilium ſacrarum confici debet a Parocho.*
64 *Claves Sacramentorum ſtare debent penes Parochum.*
65 *Quando, & quomodo deſit integritas Sacrorum Vaſorum?*
66 *Virtus, & uſus Sacramentorum explicandi a Parocho.*
67 *Conſtitutio Benedicti Papæ Decimitertii circa Congregationes Cleri pro ſacris Ritibus.*
68 *Singula verba in conficiendis ſacramentis exprimi debent.*
69 *Memoriæ nihil fidendum in miniſtratione Sacramentorum.*
70 *Tutior modus eſt ſi legatur forma in libro Rituali.*
71 *Sacramenta cum gravitate miniſtranda ſunt.*
72 *Omnes extraneæ cogitationes deponendæ dum miniſtrantur Sacramenta.*
73 *Intentio neceſſaria pro Adminiſtratione valida Sacramentorum.*
74 *Nihil lucri ſperandum, vel exigendum eſt pro tali adminiſtratione.*
75 *Quidquid ſponte offertur, poteſt accipi, ubi eſt conſuetudo.*
76 *Cui conſuetudini poteſt Epiſcopus derogare.*
77 *Parochus non debet miniſtrare fidelibus alienæ Parochiæ.*
78 *Poteſt tamen in caſu gravis neceſſitatis.*
79 *Epiſcopus poteſt diſpenſare, non obſtante conſuetudine.*
80 *Monitiones a Parochis non ſunt faciendæ in ſpecie, ſed in genere.*
81 *In Sacramentis ſuſcipiendis convenit decentia acceſſus.*
82 *Fœminæ in ſuſcipienda Euchariſtia debent eſſe velatæ.*
83 *Maximæ utilitatis eſt intereſſe miniſtrationi Sacramentorum.*
84 *Ritualis liber debet ſemper eſſe apud Parochum.*
85 *Alii libri ad uſum Ritualium non admittendi.*
86 *Circulus Aureus prohibitus a Benedicto XIII. P. M.*
87 *Conjurationes additæ Rituali Romano, prohibitæ.*
88 *Rituales diverſi quocunque idiomate prohibiti.*
89 *Rituale Roman. compactum fuit ad habendam uniformitatem in Ritibus.*
90 *Sacramenta quæ unice ad Epiſcopos pertinent non ſunt in Rituali.*
91 *Illorum tamen uſus, & fructus debet a Parochis explicari.*
92 *Libri neceſſarii apud Parochos circa functiones Parochiales.*
93 *Illos Parochi religioſe cuſtodire debent ob authenticam illorum fidem.*

SUB hoc Generali titulo compleſtuntur ea, quæ univerſaliter, & ſine ſpecialitate pertinent ad integritatem Miniſtri, & Miniſterii, pro recta Sacramentorum adminiſtratione, in quibus Sacerdotem inſtrui opus eſt: non enim ſufficit, ut practicarum, ac particularium regularum miniſterii ſui ſcientiam habeat, ſi ignoret quæ ad Miniſtrum ſpectant. Itaque primo Rituale loquitur in genere, ad diſtinctionem Rubricarum particularium unicuique Sacramento appoſitarum, de quibus infra erit ſermo. 1

§. I. Ut ea quæ ex antiquis Catholicæ Eccleſiæ inſtitutis, & Sacrorum Canonum, Summorumque Pontificum decretis de Sacramentorum Ritibus, ac Cæremoniis hoc libro præſcribuntur, qua par eſt, diligentia, ac religione cuſtodiantur, & ubique fideliter ſerventur; illud ante omnia ſcire, & obſervare convenit, quod Sacroſancta Tridentina Synodus de iis Ritibus decrevit in hæc verba, &c.

2 Ex hoc patet, Rituale Romanum antiquis Eccleſiæ inſtitutis, & Sacrorum Canonum decretis inhærere, utpote ex illis compactum, ne ab Eccleſiæ veris ſemitis declinarent Miniſtri, & Cæremoniæ. Præcipue ex Apoſtolicis traditionibus hoc factum fuiſſe credendum eſt; Apoſtoli enim, abſque controverſia Rituum eccleſiaſticorum Authores fuere; ex Dionyſ. Areop. *cap. 2. de eccl. hierarch.* Quod item docuit D. Baſilius, & alii, qui in hoc concordant, quod Eccleſia Chriſti non ſolum voce utitur ad Deum laudandum, ſed etiam exterois cæremoniis, quarum multæ ab Apoſtolis acceptæ ſunt, reliquæ a poſteris utiliter ſuperadditæ.

3 Utrum univerſalis Eccleſia poſſit novas cæremonias, & obligatoria præcepta circa eas imponere, omnes DD. diſputant, ſed omnes concorditer affirmant: Sicut enim Spiritus Sanctus in Concilio Apoſtolorum præſidebat, ita, & in præſenti diſponit de his, quæ ab Eccleſia decernuntur, ea quo evenit, ut illa errare non poſſit. Inquit enim D. Auguſtinus *l. contra epiſt. Fund. Manich. c. 5. t. 6. Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas.* Certum eſt namque Cæremonias, ſeu Ritus, quos Eccleſia ſervari inſtituit, eſſe ſignum altiſſimarum rerum, & in iis maxima cæleſtium Sacramenta arcanorum, ad Dei majeſtatem contemplandam includi, quæ etiam in Veteri Teſtamento maximi momenti erant.

Quare Rituum mutatio, ac innovatio ad Eccleſiam tantummodo ſpectat; & de his judicium, & cenſura: placuit enim tam piæ Matri cæremonias ſenſibiles tradere (quibus excluſis, divinus cultus claudicaret) eo quia natura hominum non ita facile quis ſine adminiculis exterioribus, ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli. D. Auguſtinus, *l. 33 de lib. arb.* unde fit, quod etiam viſibilia Dei, per ea, quæ ſunt inviſibilia, nobis demonſtrantur. D. Ambroſius *c. 4. in Luc.* Cum vero mentem mutare, & de propoſito diſcedere homines facile poſſint, caute proviſum fuit, ne cuiquam liceret immutare minimum verbum, vel introducere novas cæremonias abſque expreſſa licentia Sac. Rit. Congregationis. Qui ſecus fecerint, eos animadverſione dignos cenſuit Sac. Rit. Cong. 12. *Comment. ad Rituale.* *Nov. 1605. & 12. Maji 1612.* per alleg. a Barboſ. & Corſett. *Tract. 2. p. 1. ſect. 1. Add.*

Quid inſuper dicendum de Ritibus Chriſtianis cum Ethnicis communibus, qua de cauſa Sectarii de Idololatria Catholicos arguunt? Reſpondendum cum D. Hieronymo *contra Vigilan. T. 2. cap. 3.* his verbis: *Quicumque accendunt cereum, ſecundum fidem ſuam habent mercedem;* *dicente Apoſtolo;* Unuſquiſque in ſenſu ſuo abundet. *Rom. 14. Idololatras appellas hujuſmodi homines? Non diffitemur, omnes nos, qui in Chriſto credimus, de Idololatriæ errore veniſſe; non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani: & quia aliquando colebamus Idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili eum videamur cum Idolis honore venerari? Illud fiebat Idolis, & idcirco deteſtandum eſt: & hoc fit martyribus, idcirco recipiendum eſt. Apoſtolus enim dicit:* Omnia autem probate: quod bonum eſt tenete, *1. Theſſ. 5. cap. 21.* Gentiles etenim cum Judæis illorum antiquioribus ritus communes habuerunt, ut late probat Baronius ex SS. PP. Verum Ritus gentiles qui ſunt contra bonos mores, quamvis per abuſum inveteratos S. M. Eccleſia ſummopere eradicare ſtuduit, & hoc ætatis Africani Concilii PP. ab Impp. petierunt, ut in *Can. 27.* nam licitum conſuetudine non fit quod eſt lege prohibitum, monente doctiſſimo P. M. Vincentio Ludovico Gotto hujus ætatis dogmatico eximio, & hæreſeum profligatore acerrimo Ordin. Prædicator. in lib. Colloquiorum, *colloq. 13. num. 8.* An, quando diſpoſitio legis Civilis, vel Canonicæ pugnat cum lege rituali Judæorum, ſit inter Judæos in concernentibus ritus, & cæremonias ſervanda lex Civilis, vel Canonica, an vero lex Ritualis, egregie docet Ricciull. *de Jure Perſonar. extra Eccleſ. l. 2. c. 18. per totum.* 5

Ad illud quod aliqui quærunt: An condito novo Teſtamento, cæremoniæ veteris Teſtamenti ita ſublatæ ſint, ut earum uſus interdicatur? Reſpondendum, Cæremonias omnes, & maxime Veteris Teſtamenti latentium rerum Sacramenta deſignare; aliæ enim futuram gratiam prænunciant, aliæ præſentia myſteria futuris etiam temporibus duratura. Quibus addo, Redemptorem noſtrum, ut ex *Matth. 5.* veniſſe, non ut ſolveret, ſed ut adimpleret: ideo cum 6

antiquæ cæremoniæ illum venturum ſignificarent, omni-
no adimpletæ ſunt per ejus adventum, atque ideo ſubla-
tæ. Uſus enim cæremoniarum Veteris Teſtamenti non
eſt ad ſalutem neceſſarius; nam illis excluſis, adhuc ja-
nua ſalutis patet per ſanguinem Chriſti, cujus voluntas
per mutatas cæremonias mutata non eſt, nec mutatur fi-
des in Novo Teſtamento per diverſitatem cæremoniarum.
Quarum uſus non ſubito, & irreligioſe, ſed paulatim,
& cum quadam veneratione aboleri debuit. Tria enim
tempora diſtinguenda ſunt cum Beccano *d. l. 1. c. 4. a. 9.*
Primum ante mortem Chriſti: Tunc ſimul viguit Syna-
7 goga vetus, & Eccleſia nova, ſimul lex, & Evangelium.
Alterum in morte Chriſti. Tunc ſpiravit Synagoga cum
ſuis cæremoniis, & ſacrificiis: tunc Velum Templi ſciſ-
ſum eſt in duas partes: tunc lex Moſaica abrogata eſt,
docente D. Auguſtino, *epiſt. 19. ad Hieron.* & Hieronymus
ipſe, *epiſt. ad Auguſt.* quæ eſt undecima inter epiſt. Au-
guſtini, & Div. Thomas 1. 2. *quæſt.* 103. *art.* 3. *ad* 2.
Tertium poſt mortem Chriſti: Tunc Synagoga ſepulta
eſt: tunc cæremoniæ, & Sacrificia Moſaica, quæ jam an-
tea erant mortua, cœperunt fœtere, vel ut verbis Theo-
logorum utar, cœperunt eſſe mortifera. Attamen quam-
vis hodie cæremonias illas nihil nobis prodeſſe putemus,
tamen ad huc utiles nobis ſunt, ut hujuſmodi myſteria
jam impleta intelligamus: oportet enim moralia per cæ-
remonias illas ſignificata ſervare. Atque hæc de Cære-
moniis, ac Ritibus in genere dicta ſint. De quibus fu-
ſius Caſalius *de Vet. Rit. Chriſt. cap.* 58.
Quoad illud verbum *cuſtodiantur*, monet D. Bernar-
dus, *epiſt.* 174. *Ego quæ accepi ab Eccleſia, ſecurus te-*
neo, & trado. Imo Div. Carolus Borromæus *Conſt. Sy-* 8
nod. 2. *de Prædic. Verbi Dei*: id expreſſe jubet Concio-
natoribus, ut in Sacrorum Rituum dilucida explicatione
verſentur, & Ritus Romanæ Eccleſiæ in Cathedralibus
adhibeantur, quibus aliæ Eccleſiæ Parochiales uniantur.
Ex verbo tandem *Ubique*, patet intentio Eccleſiæ,
quæ per quantum in ſe eſt, fideles in iiſdem Ritibus,
ubique Regionum, uniformes eſſe deſiderat, ac omnes 9
in unum Romanum Ritum coaleſcere. Contra vero ne-
gligentes, & minus obſervantes hos Ritus ſtat Concil.
Tridentinum verbis ſequentibus.

§. II. Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.

Locus eſt *Seſſion. 7. can. 13. de Sacramentis in genere.*
10 Circa quem Canonem vide Henriquez *in Summ. l. 1. c.*
11. Coninck *de Sacrament. tit. 1. quæſt. 66. num. 99. &*
quæſt. 71. *num.* 3. Reginald. *Prax. for. Pœn. l.* 26. *num.*
10. *&* 28. *cum ſeqq.* Ledeſma *in Summ. part. 1. de Sacr.*
ubi de Baptiſmo, cap. 12. concl. ult. in fine. Bonacina
de Sacrament. diſp. 1. quæſt. ult. de Bonis *de exam. Eccl.*
part. 1. tr. 4. cap. 2. quæſt. 7. in fine. Molfes *in Summ.*
Theol. Moral. tr. 1. cap. 9. num. 7. Hurtado *de Sacram.*
tr. de Confirm. diffic. 14. *in fine.* Barboſ. *Collect. in Con-*
cil. Seſſ. 7. can. 13. num. 15. ex quibus eruitur, non ſuf-
ficere, ut Ritus recepti ſint; poſſunt enim recipi per
11 abuſum, & tacita tolerantia, vel conſenſu; ſed appro-
bari debent: cum enim habeant vim legis, & obligent
ſub peccato, privilegium legis eſt, ut ſit promulgata, &
acceptata, ex communi DD. ſententia.
Notandum eſt, quod lex Concilii tunc obſervanda eſt
12 in Sacramentorum adminiſtratione, quando Sacramenta
publica adminiſtrantur: unde in privata eorundem diſtri-
13 butione aliquæ particulares cæremoniæ omitti poſſunt ſi-
ne peccato, & de facto omittuntur in caſu neceſſitatis,
quod evenire non debet in ſolemni actione, de qua lo-
quitur hic Concilium, eo quia tunc Sacramentum eſt in
ſua ſplendidiori demonſtratione, & majeſtate, nec ha-
bet quidquam, quod diſpenſare valeat Miniſtrum ab ob-
ſervantia ſtatutorum Rituum. Ex hoc tamen non eſt fa-
cienda illatio quod in tali privata adminiſtratione poſſint
ad libitum introduci novi Ritus, & Cæremoniæ; atque
ita omitti eſſentiales, & neceſſariæ a Rituali præſcriptæ.
Inſuper per verbum *Contemni*, intelligit Concilium,
14 Miniſtros Eccleſiæ non poſſe nec contemnere, nec omit-
tere ſine peccato Ritus antiquos & novos introducere,
cum hoc ad Eccleſiam unice ſpectet, nec poſſe fieri abſ-
que expreſſa facultate docet ipſamet S. R. C. *in una Ur-*
bis 22. *Maji* 1612. Coninck. *de Sac. q. 66. n. 89. & q. 71. n. 3.*
Reginald. *Prax. for. Pœn. l. 26. n. 10. & 28. cum ſeqq.* Ledeſ-
ma, *Summ. part. 1. tract. de Bapt. c. 12. conc. ult. in fine.*
Inter Contemptum, & Omiſſionem hæc datur diſtin-
ctio. Sub nomine Contemptus cadunt quæ fiunt cum a- 15
nimi tædio, ſordide, & indevote: qui negligunt enim ſe-
cras cæremonias, ſignum præbent indevotionis; & qui in-
devoti ſunt, cæremonias contemnunt, neque de illis cu-
rant. Corſett. *Prax. Introd.* Quomodo cognoſcatur Con-
temptus in peccante, vide *gloſſ. cap. Metropolit. 2. q. 2.*
Felin. *cap. cum quidam, de Jureſur. verſ. ſed non decla-*
rat, num. 7. coll. 255. *p.* 2. Atque iſte contemptus pec-
catum mortale eſt, eo quia circa rem gravem verſatur,
quæ nullam, nec in miniſtris, admittit confidentiam:
multo magis ſi oriatur ſcandalum.
Omiſſionis vero nomine appellamus ea, quæ (ſecluſa
oblivione, ignorantia inculpabili, & inadvertentia, quæ
culpam imminuunt) vel reticentur totaliter, vel negli-
guntur, & mortalem culpam important, præſertim ſi Ru-
bricæ ſint præceptivæ, ſecus vero ſi directivæ, niſi ex con-
temptu omittantur. Nunquam vero contra Rubricas de-
linquentibus excommunicationis pœna infligitur, quæ in-
fertur in Canone ſuperenunciato. Catech. Rom. *p. 2. n.*
18. quia aliud eſt omittere, & contemnere, aliud eſt
doctrinam ſuſtinere contrariam, quæ immunes a peccato
doceat eſſe, qui Rubricas contemnunt, vel omittunt,
vel novos Ritus inſtituunt.
Neque *Paſtores*, quorum appellatione veniunt Epiſco-
pi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ, poſſunt mutare, vel 16
introducere novos Ritus abſque approbatione S. R. E. ut
eadem ſæpius decrevit, & præcipue loco ſupra allegato
ex Barboſa *de Pot. Epiſc. alleg.* 17. *n.* 6.

§. III. Cum igitur in Eccleſia Dei nihil ſanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis ſalutem a Chriſto Domino inſtituta; Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum adminiſtratio pertinet, meminiſſe in primis debet, ſe ſancta tractare, atque omni fere temporis momento ad tam ſanctæ adminiſtrationis officium paratum eſſe oportere.

Per Sacramenta omnis vera juſtitia incipit, vel cœpta
17 augetur, vel amiſſa reparatur, Conc. Trid. *ſeſſ. 7. de*
Sacr. in Proœm. ideoque nihil ſanctius reſpectu myſterio-
rum, nihil utilius reſpectu Animarum, nihil excellentius
reſpectu Authoris, Chriſtum enim Redemptorem noſtrum,
inſtitutorem fuiſſe omnium Sacramentorum ſatis patet ex
pluribus Scripturæ locis: quapropter D. Ambroſius *l. 4.*
de Sacrament. inquit: *Author Sacramentorum quis eſt niſi*
Dominus Jeſus? de Cœlo iſta Sacramenta venerunt. Et
Concil. Trid. *ſeſſ. 7. de Sacram.* hæc habet: *Si quis di-*
xerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chri-
ſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora,
&c. Anathema ſit.
Parocho tribuit Textus noſter facultatem miniſtrandi Sa-
18 cramenta, quia poſt ſummum Pontificem, & Epiſcopos
illi ſoli competit illorum adminiſtratio: imo de jure di-
vino, ipſe tenetur ea miniſtrare, Poſſevin. *de off. Cur. c.*
5. qui cum Tridentino concordat, *ſeſſ. 23. cap. 1. de re-*
form. Nam etſi Sacerdotibus quibuſcumque, ex Chriſti
inſtitutione, competat ordinaria poteſtas adminiſtrandi Sa-
cramenta, ut habemus, *ex c. pervenit, de conſ. diſt.* 2. Et
ex Trid. *ſeſſ. 13. c. 8. de Euchar. Sacramento*: cum ta-
men in illis juriſdictio deſideretur, illicite faciunt ſi mi-
niſtrent abſque delegata, vel ordinaria juriſdictione. Bar-
boſa *d. de pot. Paroch. c. 20. n. 1. & 2.* aliud enim eſt
poteſtas, aliud juriſdictio. Cumque Grex illis deficiat,
Paſtoris munere uti non debent, quia vere Paſtores non
ſunt. Excipiendi ſunt tamen caſus neceſſitatis, in quibus
cuique Sacerdoti tacite datur illa facultas ex vi Ordinis.
Quare ipſe Textus ſubdit: *Vel quivis alius Sacerdos*: nam,
ut diximus, ex Chriſti inſtitutione, quicumque Sacerdos
poteſtatem habet miniſtrandi Sacramenta: nihil aliud ita-
que hic deſideratur, niſi delegatio facta a Parocho.
De licentia expreſſa igitur Parochi, valet ſimplex Sa- 19
cerdos Sacramenta miniſtrare, etiam ſi non ſit ab Epi-
ſcopo expoſitus ad Sacramenta miniſtranda (excepto ta-
men Sacramento Pœnitentiæ, in quo ſpecialis juriſdictio
ab Epiſcopo tantum datur, & ſecluſa Epiſcopi reſervatio-
ne.) Ad hæc enim non eſt neceſſaria actualis juriſdi-
ctio, ſeu poteſtas, ſed tantummodo potentia ad diſtri-
buendum, Barboſ. *d. de Off. & pot. par. c. 20. num. 6.*
Hac igitur facultate recte uti poteſt quilibet Religioſus 20
Presbyter, quia a Concil. Tridentino non aufertur a ſim-
plicibus Sacerdotibus hæc poteſtas diſtributiva ſi habeant
ad id licentiam a Parocho, vel a Sancta Sede Apoſtolica:
quæ licentia tamen a Regularibus non petitur, quia Re-
gulares habent privilegium miniſtrandi Sacram Euchari-
ſtiam omnibus Chriſti-fidelibus in ſuis Eccleſiis per ſe, vel
per alios Sacerdotes, non requiſita licentia Parochi, ut
patet ex privilegiis Nicolai V. Sixti IV. Leonis X.
& alio-

Digitized by Google

& aliorum Summorum Pontificum apud Lantuſca, *Theatr. Regular.*

21 Sequitur Rubrica præcipiens Parocho, ſeu Sacerdoti, ut reminiſcatur ſe ſancta tractare; & non ſufficit, ut hoc in abſtracto illi innoteſcat, ſed in actu meminiſſe debet. Scimus enim nos omnes Chriſti fideles mandata legis, ſed non omnes opportune eorum recordamur. In actu igitur adminiſtrationis Sacramenti meminiſſe debet Sacerdos ſe ſancta pertractare: Sancte enim ſancte tractande eſſe docet Concil. Trid. *ſeſſ. 22. c. 5. de Sacr. Miſſ.* nam nihil ſanctius in domo Dei ipſis Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutis, Caſtald. *Prax. lib. 2. ſeſſ. 14. cap. 1. n. 5.* Sacerdotium ſanctum eſt, Trident. *ſeſſ. 23. c. 2. de Sacr. Ord.* Sacramenta ſanctiſſima ex allatis; ergo quid turpius, in tanta rerum ſanctitate ſolos Sacerdotes ſancte non procedere? Id nobis innuit Iſaias 2. *Sancti eſtote quia ego ſanctus ſum.*

§. IV. Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caſte, pieque vitam agat: nam etſi Sacramenta ab impuris coinquinari non poſſint, neque a pravis Miniſtris eorum effectus impediri: impure tamen, & indigne miniſtrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius (quod abſit) ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat; ſed ſi habeat copiam Confeſſarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri.

22 Ne a peccati vinculo detineatur Sacerdos, cura, quam de ſe habere debet, non per momentum eſt duratura, ſed *perpetuo*, ut quocumque tempore ad Sacramenta miniſtranda aptus ſit, non aptitudine materiali, ſed præparatione ſpirituali, quæ conſiſtit in cordis munditie. *Perpetuo* igitur ſtudebit Sacerdos integritati, idest inculpabilitati, in omnibus verum ſe Dei miniſtrum exhibendo. Primo, Animo, & corpore a carnis inquinamento immunis eſſe debet: nam, ut ait D. Chryſoſtomus: *Neceſſe eſt Sacerdotem ſic eſſe purum, ut ſi in ipſis Cælis collocatus, inter cæleſtes illas virtutes medius ſtaret.* Quapropter ejus animam ſolaribus radiis puriorem eſſe oportet, adeo ut Sacerdoti dicere vere liceat cum Apoſtolo: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*: Ne quando deſolatum illum Spiritus Sanctus relinquat. Cui concordat D. Baſilius: *Splendore enim Vitæ totum illuminantis Orbem fulgere debet animus Sacerdotis:* Io non, ut ſequitur D. Ambroſius, *lib. 3. epiſt. ad Iren. Nihil plebejum requiri debet, nihil populare, nihil commune cum ſtudio, atque uſu & moribus multitudinis.*

23 *Pietati* quoque ſedulo incumbere debet, ſcilicet pie, devote, & cum charitate procedere in omnibus, ut non vituperatur miniſterium illius, 2. *Cor. 7.* Quare Conc. Trident. *ſeſſ. 14.* monet quod Clerici Laicos in *vita*, ſicut in Officio præcedant: nihil enim majus eſt quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita, & exemplum, qui ſe divino miniſterio dedicarunt, *ſeſſ. 22. c. 1. de Ref.*

Quamobrem non inutile erit ſi admonitionem e Magno Gregorio, *hom. 17. in Evang.* Sacerdotibus factam, ſæpe animo repetant: *Timeamus vehementer, chariſſimi, & curemus, ut conveniat actioni noſtræ ipſum miniſterium noſtrum; de noſtra quotidie relaxatione cogitemus, conſideremus ſine ceſſatione, quia ſumus (nempe Sacerdotes) penſemus negotium noſtrum, penſemus pondus, quod ſuſcepimus; faciamus quotidie nobiſcum rationes quas cum Judice noſtro habebimus.*

Neque iſta pietas, ſeu vitæ honeſtas tantummodo in ſacrarum rerum tractatione demonſtrari debet, ſed quocumque tempore, quacumque occaſione, cum quibuſcumque ſociis, & in quocumque loco apparere debet: Chriſtus enim e congregatione conviventium, indutum ſordidis veſtibus ſeparavit: enim vero non caſu, ſed appoſite Clerici clericatus ſui ſigna habent, quibus a Laicis diſcernantur, eo pacto, quo characterem in anima ab omnibus diſtinctum præſeferunt, quo diſtincte fulgebunt in cælis, & in gehenne ſignanter noſcebuntur. Aliter ſe gerens Sacerdos, ſcenicam veſtem indueret, perſonam mentiendo, & dupliciter apparens, nempe ſcurrilis in converſatione, honeſtus in miniſterio; pius in Templo, indevotus, & irreligioſus per vias, & in plateis. Uniformiter igitur ſe ipſum ſemper conſiderare debet Sacerdos, ut in omni loco, & tempore venerationem exigat.

24 Circa verbum illud *Coinquinari*, & ea quæ ſecum neceſſario affert, dicam quod damnatur iſte error a Conc. Trid. *ſeſſ. 7. de Sacram. in gener. c. 12.* hoc pacto: *Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem (modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit) non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema ſit.* Eumdem errorem, qui unus erat e 45. articulis Wicleffi, damnaverat Concilium Conſtantienſe, *ſeſſ. 8. cap. 4.* Pariter idem ſtatutum ſuerat per *cap. Roman. de conſecrat. diſt. 4. &c. ſi juſtus 1. q. 1.* Vide *ſumm. Sacramentorum, quæſt. 28. de Bapt.* Attamen talis miniſter peccat mortaliter miniſtrando Sacramentum in peccato mortali. Div. Thom. *3. p. q. 65. art. 6.* tribus accedentibus ſecundum Cajet. *Sum. Sac. ubi quinta qu. 29.* Dat enim Deus Sacramenta per bonos, & malos Miniſtros, ſed ſæpe dat gratiam per ſe ipſum, D. Aug. *de Bapt. l. 5. c. 25.* & habetur per *qu. 1. c. multi*, & quoad eſſentialia æqualis eſt Miſſa boni, & mali Sacerdotis, *l. q. 1. c. intra*, Navarr. *c. 25. nu. 78. & ſeqq.* agunt enim in Sacramentis Miniſtri non virtute propria, ſed Chriſti, D. Th. *l. 4. contra Gent.* Turtetrem. *Summ. Eccl. l. 1. c. 99.* & Miniſtros Eccleſiæ inſtrumentaliter agere in Sacramentis non ſecundum propriam virtutem, ſed ejus a quo moventur, docet D. Th. *3. part. q. 64. art. 5.* & Barboſ. *de Off. & pot. Paroc. c. 17. n. 6.* Peccatum namque mortale eſt impedimentum, non quidem impediens uſum Ordinum, nec Sacramentorum adminiſtrationem, ſed rectum uſum illorum. *Comment. ad Rituale.*

Impune, ſignificat ſine venia: proprie vero ſine pœna & ſtultre. Perott. *Cornucop.* 25

Indigne, ſcilicet inhoneſte, & præter dignitatem Rei, non Perſonæ. Idem 26

Æterna mortis, &c. Peccatum mortale eſt, generice loquendo, Sacramenta miniſtrare in mortali, Div. Th. & alii apud Toled. *Inſt. Sac. add. Victorell. c. 91.* & apud Barboſ. *d. c. 17. nn. 4.* ſed duo requirunt Cajetan. Sot. Valer. & alii. Alterum ut ſit Miniſter ex Officio, ideſt, conſecratus ad id: alterum ut ſolemniter adminiſtret. Unde Laicos in neceſſitate baptizans in peccato mortali, non peccat mortaliter, Cajet. *loc. cit.* & alii apud eumdem, neque Sacerdos id faciens ſine ſolemnitate, ib. (nec aliter poteſt intelligi iſta exceptio niſi in caſu neceſſitatis.) Tria autem conveniunt in Miniſtrum Sacramentorum, quæ ipſum obligant, ut abſque conſcientia peccati mortalis Sacramentum miniſtret. Primum eſt, ipſa ſpiritualis conſecratio, per quam ei poteſtas data eſt. Secundum ipſa gratia ad hoc peculiariter collata. Tertium quia in talibus artibus ſe exhibet miniſtrum Religionis, charitatis, & cultus ſpiritualis, & Divini: quorum trium explicatio fit e Toledo, *c. 91. n. 3.* Ideo Sacerdotem, ſeu Miniſtrum toties peccare, quoties miniſtraverit, notat S. l. Cler. 2. *not. 8.* Secundum quam opinionem, qui viginti homines communicabit, vicies etiam peccare mortaliter, inſinuat Poſſevin. *de Off. Curati, cap. 5. num. 43.* & Victorell. *in Addit.* cum Suarez, *loc. cit.* qui ait, Parochum aſſiſtentem Matrimonio in peccato mortali, non peccare mortaliter, quia non miniſtrat. Quibus addo, duas opiniones ex Barboſa *d. c. 20. n. 17.* circa miniſtrantes Euchariſtiam. Prima eſt, & habet ſeptem DD. ibi relatos, quod Parochus non peccabit mortaliter miniſtrans Euchariſtiam in peccato mortali, quia miniſtrans Euchariſtiam conſecratam non eſt miniſter Dei ad juſtificationem proxime ſicut in aliis Sacramentis, ſed tantum eſt ſicut applicans activa paſſivis. In aliis Sacramentis Sacerdos ſimul conficit & miniſtrat, non autem in hoc; non enim eſt idem conficere, & aliis miniſtrare. Alia opinio contraria, quæ tutior, & probabilior eſt, & habet enim pro ſe ſeptem DD. ibi recenſitos, affirmat Parochum peccare adminiſtrando indigne hoc Sacramentum: in materia enim Sacramentorum quærere debemus ſummam integritatem, & conformari Domino in operando. 27

Quod ſi ignoraverit Sacerdos, ſe eſſe in mortali, noviter non peccat ſic adminiſtrando Sacramenta, quia malitioſe non agit. Barboſa *d. c. 7. n. 4.* Tunc ſolum peccat quando eſt in claro mortali, vel clare illi conſtat, eſſe in dubio de mortali. Poſſev. *c. 5. n. 40. in fin.* 28

Non audeat accedere. Si autem non adminiſtraverit, non peccat, quia actum indignum non conſumavit. Rubrica enim ſubdit præcipue adminiſtrationem atque ideo tutior regula eſt, ut non audeat accedere. 29

Corde Pœniteat. Ex regula generali, Conſtitutus in peccato mortali debet conari, ut in gratiam reſtituatur antequam adminiſtret Sacramenta. Tenetur itaque Miniſter habere contritionem, vel talem attritionem, quæ ab eo repetetur contritio quando eſt in mortali, vel veniali dubio de mortali, alias peccat mortaliter, D. Thom. *3. p. qu. 64. art. 6.* & alii apud Poſſev. *c. 5. n. 40.* Advertere ideo debet, ſolam Attritionem non ſufficere ad reſtituendam gratiam, ſed actum contritionis elicere debere. Quod ſi iſte actus reddatur illi impoſſibilis, ad confeſſionem commode recurrat, Barboſ. *ibid.* Igitur quando noſter Textus ſubdit *Corde pœniteat*, intelligit: Actum contritionis elicier, idem *c. 20. n. 17.* Contritio enim ex Trid. *ſeſſ. 14. de Sacr. Pœnit.* Eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, quod per David exprimitur Pſal. 12. *Quandiu ponam conſilia in Anima mea? dolorem in corde meo per diem?* Et ulterius intelligitur, Tex- 30

tum noſtrum de contritione loqui, quia ſola contritio extra confeſſionem reſtituit gratiam. Quibus addo cum Victorell. ad Toled. *c.* 21. *in fin.* ſufficere contritionem poſt peccatum mortale ſi ſis adminiſtraturus Sacramenta: tutius tamen eſſe ſacra confeſſione animam expiare, quam non puto de præcepto eſſe in hoc caſu, ut nonnulli aiunt, eſt tamen de præcepto in caſu Sacerdotis, qui eſt Miſſam celebraturus. Si ſis attritus, præmiſſenda eſt confeſſio; ſed ſi inculpabili Ignorantia, te contritum putares, non patrares ſacrilegium ſi ita ignorans adminiſtrares ſolemniter. Suarez *ſect. col.* 3.

Sed ſi habeat copiam Confeſſarii, *&c.* Quando adſit inopia confeſſarii ita intelligitur, ſcilicet quando non adeſt, vel longius abeſt, vel timeares ſcandalum. Gavant. *Theſaur. p.* 3. *tit.* 8. §. *inopia*). Et ſic explicantur illa duo verba textus noſtri: *loci & temporis ratio*: unde Poſſevinus optima hic ſubdit conſilia, & remedia omnino a Parocho adhibenda, ad quæ remittimus noſtrum Sacramentorum miniſtrum, *cap.* 5. *n.* 44. 46.

Hoc vero advertendum eſt, quoad Ritum, & Cæremoniam, ne ſacerdos indutus ſacris indumentis confiteatus, ſed antequam ea veſtiat: hoc enim magis docet juxta Didac. Murill. *in Scala ſpirit. p.* 1. *l.* 3. *cap.* 13. per Gavant. *in Rubr. p.* 2. *t.* 1. repræſentas enim veſtibus ſacris indutus, Chriſti figuram, non Peccatoris. 31

Verbum illud *Convenit*: Obligationem non importat, & ultra convenientiam non procedit, ex ipſius vocis vera ſignificatione: ſed in hoc caſu videtur importare obligationem ac ſi diceret: ſi ratio temporis, vel loci feret, teneantur; ſin minus, convenit. Quando liceat ſine prævia Confeſſione celebrare, vel miniſtrare, vide Tonell. *l.* 1. *t.* 1. §. 2. 32

§. V. Quacumque diei, ac noctis hora ad Sacramenta miniſtranda vocabitur, nullam officio ſuo præſtando (præſertim ſi neceſſitas urgeat) moram interponat. Ac propterea Populum ſæpe prout ſe ſe offeret occaſio, præmonebit, ut cum ſacro miniſterio opus fuerit, ſe quamprimum advocet, nulla temporis, aut cujuſcumque incommodi habita ratione.

33 Boni Paſtoris ſolertia promptum ad ovium ſtatum levamen Paſtorem requirit ad omnes horas diei ac noctis. Error hic notandus, & objurgandus venit Parochorum illorum, qui extra Parochiam degunt per dies, noctesque, abſque ſubſtitutione idonei Sacerdotis, & miniſtri in Eccleſia propria; adeo ut, caſu quo vocetur Parochus, ignoretur locus ubi degat, ſeu pernoctet & ex hoc Sacramentis defraudentur Parochiani. Quacumque igitur diei, vel noctis hora, ſive prandeat, ſive cœnet, ſive dormiat, ſive horis canonicis incumbat, ſive oret; ſeu quidquid aliud, non tamen ſi Sacrum agat, debet eſſe ad munus ſuum paratus. Verbum enim illud noſtri Textus *quacumque hora*, generale eſt, & oritur ex obligatione juſtitiæ. Barb. *d. c.* 7. *n.* 12. Si ſacrum conficiat, ut ſupra enunciavi, videtur quod non debeat imperfectum relinquere Sacrificium, ad hoc ut aliud Sacramentum miniſtret, nonnullas vero doctrinas, & rationes in contrarium affert Paſqualigo *de Sacr. nov. leg. qu.* 195. *per tot.*

34 Quæris hic curioſe Poſſevin. *c.* 5. *n.* 34. qua diligentia teneatur Curatus properare in adminiſtrandis Sacramentis? Et reſpondet. Ubi non adeſt neceſſitas feſtinandi, adminiſtret cum gravitate, & decenti feſtinatione. Duplici modo poteſt intelligi iſta feſtinatio: vel in die, vel in nocte. In die quando Curatus eſt indutus, & addo, propria veſte clericali, non quacumque, properet, relicto quidquid agat, & ſecum ferat Sacramenta, præcipue vero Oleum Sanctum, ſi ad Infirmum vocetur, & moneatur de periculoſo morbo, ſine quo in repentinis caſibus, nunquam ad Infirmos vocatus accederem. Si alia Sacramenta miniſtret, vide fuſius Poſſevin. *c.* 5. *n.* 35.

35 Si vero de nocte vocetur, cautius procedendum eſt. Regulam dat Poſſevinus loco citato hoc pacto: *Induat ſe prius & feſtinet, quia cum iſtu obligent moraliter, non tenetur* Curatus *ire in induſio, aut ſemiveſtitus, ut acceleret. Ita univerſaliter practicatur. Verum eſt tamen, quod debet feſtinare, & relinquere omnia, quæ non ſunt neceſſaria ad neceſſarium veſtitum: puta, non debet ſe polire, lavare, pectere, & ſe veſtire, ac ſi deberet in die claro, per medium forum tranſire, maxime cum veſte Talari, ut poſſit defendere corpus ab injuria, quam poteſt nox illi inferre, ob non abſolutam induitionem.*

Verum iſtis regulis aliquæ exceptiones dandæ ſunt, bona Poſſevini venia; ducat enim id experientia, & decus miniſtri, & miniſterii. Nego igitur, quod Parochus, non ſe debeat polire, lavare, & pectere: hoc enim non fert decus miniſterii, ut irſutis, incultiſque comis, palpebris conglutinatis, manibus ſordidis, ac omnino impolitis, accedat ad Sacramenta miniſtranda; licet hoc fieri debeat minori cultura & ſtudio, non omnino tamen omittendum eſt.

36 De Veſte Talari danda eſt exceptio. Poſſevinus vult, quod Curatus non ſit ſubtus totaliter indutus, & hæc veſtis valeat reparare hyemis aeriſque rigorem, ſed contrarium experientia docet; nam veſtes Talares, præcipue in iſtis Regionibus, non adeo corpori adnectuntur ut ad id valeant; ſed ſunt latæ, & magnificæ, ad aerem ventilandum aptiſſimæ, ideoque magis aptæ ad augendum, quam ad comminuendum aeris rigorem. Præterea ad iter ſolicitum pro impedimento communiter habentur; & in ruralibus Parochiis difficilius inſervire poſſunt: pulvere enim æſtivo tempore, & cœno, hyemali, impeditur inceſſus, niſi complicentur aliquo ligamine circa corpus, & inde in miniſtrando Sacramento ob decus exſolvantur, & ad talos perveniant.

De longo itinere, de pluvioſo, intemperatoque Cælo, deque hyemis rigore, & viis inviis loquendo, doctrinam ſequor D. Poſſevini, *c.* 5. *n.* 37. 38. *& ſeqq.* qui omnimodo vult, Parochum propriæ, Animarum Populi ſui curam anteponere, & juxta diverſitatem caſuum tum currere, tum feſtinare: non vero ut ſemiveſtitus pergat aſſenſus, repugnat enim hoc decori Miniſtri, & Miniſterii.

Idem dicendum de metu propriæ vitæ, v. gr. tempore peſtis, aggreſſionis, incurſus hoſtium, & ſimilium: tunc enim magno ſe debet proximi amore imbuere, & in Deo fiduciam tenere firmiſſimam, qui cuſtodiat eum in omnibus viis ſuis, illud Evangelii reſpiciens, quod *Bonus Paſtor Animam ſuam dat pro ovibus ſuis*; de quibus omnibus fuſius laudat. Poſſevin. *l. c.* & Barboſa *d. c.* 17. *n.* 16. *& ſeqq.* Verum hoc facilius dictu eſt, quam factu, & in ſolo Sacerdote evenire poteſt, qui vera in Deo erga Proximum ſuum charitate conflagret, ſciatque Deum Juſtitiæ authorem eſſe, & tutorem, nec melius, & laudabilius poſſe Sacerdotes mori, quam quaſi Martyres. Penſanda tamen ſunt tria, nempe tempus, neceſſitas, & occaſio, ut id prudenter evenias ne illud dicatur Eccleſiaſtici: *Qui amat periculum, peribit in illo*. Vide quæ dicenda ſunt ad Titulum *de communione Infirmorum* §. 8. prope finem. 37

Periculum magnum aliqui volunt eſſe aeris intemperiem, quæ in aliquibus Civitatibus, menſibus Æſtivis, & autumnalibus eſſe ſolet per allegat. ab Urſaja, *diſcept. Eccleſiaſt. Tom.* 4. *p.* 2. *diſt.* 13. *a n.* 56. ubi cum Corrad. *in Prax. l.* 8. *cap.* 10. *n.* 18. *verſ. quartum*, *&c.* & Pac. Jord. *Var. lucubr. Tom.* 1. *prælud.* 8. *n.* 8. exiſtimat eſſe impium, & fere inhumanum in tali circumſtantia, cum vitæ periculo, obligare aliquem ad accedendum ad locum peſſimi aeris: ſed caſus hujus obligationis reſpicit reſidentiam, & ſervitium Eccleſiæ, non vero adminiſtrationem Sacramentorum, in quibus major obligatio incumbit Parocho, quam ſimplici Beneficiato. 38

Quanam pœna afficiatur Parochus ſi Sacramenta miniſtrare recuſaverit ubi obligatus eſt, videndus Barboſa, *d. cap.* 17. *n.* 34. 39

Vocabitur. Cum ex dictis, de jure Divino, teneatur Parochus miniſtrare Sacramenta, quærendum eſt hic, an ipſe teneatur quærere indigentes, vel tantum debeat miniſtrare poſtulantibus? Quibus omnibus reſpondet Poſſevin. & Barboſa, nec non Toledo, & alii DD. Vel hic ſupponitur neceſſitatis caſus, vel non: In utroque, pro regula generali, debet petentibus miniſtrare, nec eos quærere. Nonnullæ tamen ſunt exceptiones, Toledo *l.* 5. *n.* 4. *c.* 5. Affirmat, quod debeat miniſtrare Sacramenta infirmis morbo periculoſo, licet non petentibus, hortando tamen illos ad ea ſuſcipienda. Navar. vero *c.* 25. *n.* 131. dicit, ſufficere ſi dentur petenti. Inter has opiniones diſtinctionem hanc affero: vel adeſt neceſſitas, vel adeſt præceptum (puta Paſchale), vel non. Si prius adſit, debet Parochus Infirmos ſuæ Parochiæ viſitare, & ſcire, an Sacramento indigeant, de quo videbis quid afferam in Tit. *de viſitatione, & cura Infirmorum*. Tempore vero Paſchatis, debet eos monere, ſi negligant, & miniſtrare. Poſſevin. *cap.* 5. *n.* 2. Tenetur igitur in iſtis duobus caſibus quærere; in aliis, non niſi vocatus miniſtrare: de quibus omnibus dicti DD. & præcipue Barboſa *d. cap.* 20. *num.* 5. 40

Inſuper debet Parochus monere Populum, ut cum ſacro miniſterio opus fuerit, ſe quamprimum advocet, nulla temporis, aut cujuſcumque incommodi habita ratione, & ſi tunc Parochus neglexerit, peccat mortaliter. Poſſev. *d. c.* 5. *n.* 3. & hoc eſt in caſu neceſſitatis. In caſu vero præcepti, cum ipſi manifeſtum fuerit de negligentia alicujus, iſta notitia habetur pro vocatione, & debet ab iſta cenſeri vocatus ad miniſtrandum. Semper igitur ſtat, quod debet vocari, & quod nonniſi vocatus teneatur. Textus enim id expreſſe demonſtrat, inquiens: *Quacumque hora &c. ad Sacramenta miniſtranda vocabitur*; & iſta vocatio habetur pro petitione, quæ diſtinguitur a Poſſevin. *dict. cap.* 5. *num.* 4. in explicitam, & implicitam. An vero danda ſint Sacramenta invitis, an ſæpius petentibus, an extra caſum neceſſitatis, an juſtis de cauſis deneganda ſint, late docet Em. Sà: *Verbo Parochus*, *n.* 4. Poſſevin. *loc. cit.* Toledo *l.* 5. *cap.* 5. & Add. Victorell. alii. 41

Digitized by Google

aliique, pro cujus opinionis coronida ejuſdem Victorell. verba afferam circa ſuperenarratos caſus ad Tolet. *lib. 5. cap. 5. Parochum Animarum eſſe medicum, & annuas redditus habere ex juſtitiæ lege, ut teneatur juſte petenti ſalutis remedia præbere. Quod ſi monitus, & vocatus, vel negliget, vel moretur, vel opinioni potius propriæ, quam medico fidem præſtet, & ideo neget, vel differat adminiſtrationem cum periculo Infirmi, procuIdubio, non ſine gravi culpa id fore autumo, & multo magis ſi aliquis ob Parochi incuriam, ſine Sacramentis moriatur, quia defectus eſt in re gravi, præcipue ſi Sacramenta adminiſtranda ſint neceſſaria neceſſitate medii, puta Baptiſmus, & Pœnitentia, non neceſſitate præcepti, ut ſunt alia.*

§. VI. Ipſe vero antequam ad hujuſmodi adminiſtrationem accedat, paululum ſi opportunitas dabitur, orationi, & ſacræ rei, quam acturus eſt, meditationi vacabit, atque ordinem miniſtrandi, & cæremonias pro temporis ſpatio prævidebit, & perleget.

42 Eadem eſt iſta clauſula, ſeu conditio: *Si opportunitas dabitur*, ac illa quæ legitur in Rubricis Miſſalis ad locum præparationis Sacerdotis celebraturi; atque ideo idem cum Gavanto hic noto, non eſſe peccatum ſi adminiſtraturus Sacramenta orare omittat, & communiter omittitur, Gavant. *part. 2. Tom. 1. n. 1. litt. C.* Cavendum tamen eſt ne hæc omiſſio fiat cum ſcandalo, ſive in contemptum rei pertractandæ, quia tunc eſſet graviter peccaminoſa.

43 *Paululum*, &c. Tunc brevitatis tempus eſt, non prolixitatis: non enim debet Sacerdos adeo ſe contemplationi dare ante adminiſtrationem Sacramentorum, ut tædio afficiantur illi qui ea petunt: ſed Oratio debet fieri cum diſcretione, & reſpectu ad poſtulantium incommodum.

Orationi, &c. Cuinam Orationi? Pro præparatione ad Miſſam aſſignantur Orationes propriæ recitandæ: hic vero non. & Piſcara, Corſettus, & alii nihil de hac Oratione loquuntur, ſed Rubricam tantum prout ſtat exponunt. Ego vero puto, quod hic intelligi debeat de mentali meditatione myſterii a Sacramento conferendo importandi, ut ſic internus, exteriuſque Sacerdos ſummo Sacerdoti placere ſtudeat. Quod ſi vocalibus Orationibus potius vacare cupiat, Orationes non deſunt, ac Pſalmi, qui Sancti Spiritus opem implorent, & quidquid immundum, ſeu ſuum tranſgreſſione commiſerit Sacerdos, detergant: puta *Pſal. Miſerere*, & omnes Pœnitentiales. Oratio *Actiones noſtras*, &c. Hymn. *Veni Creator Spiritus*, &c. & jaculatoria varia ex locis Sacræ Scripturæ deſumpta. Sed, ut ſupra diximus, Rubrica in hoc loco intelligit de aliquali meditatione circa dignitatem, utilitatem, & majeſtatem Sacramenti miniſtrandi; quæ meditatio clare ſpectat ad impetrandam cordis, & corporis munditiem, atque ad implorandam Divini numinis opem.

44 *Prævidebit*, &c. Præcipue ex hoc moneatur Parochus, qui de recenti munus Parochiale ſubiit, nec multum callet Ritus, & cæremonias, in quibus poteſt inſtrui legendo, & perlegendo Rubricas. Valet utarius iſta prævidentia ad res diſponendas, ſeu materiales, ſeu formales pro adminiſtratione Sacramenti, & ad intentionem renovandam, de qua inferius dicemus. Solebat Cl. Mem. Card. de Verme olim Epiſcopus Ferrarien. Sacerdotibus noviter conſecratis, & ad Parochialem aliquam Eccleſiam deſignatis injungere, ut quotidie perlegerent caput unum Rubricarum, ſive Miſſalis, ſive Breviarii, ſive Ritualis, donec memoriter illud tenerent, & hoc ut facile haberent ad manus reſolutiones in caſibus adminiſtrationis Sacramentorum, ſeu recitationis horarum Canonicarum.

§. VII. In omni Sacramentorum adminiſtratione ſuperpelliceo ſit indutus, & deſuper Stola ejus coloris, quem Sacramenti Ritus expoſcit, niſi in Sacramento Pœnitentiæ miniſtrando occaſio, vel conſuetudo, vel locus interdum aliter ſuadeat.

45 Generaliter hic ponitur omnis Sacramentorum adminiſtratio, eo quia iſte vere eſt habitus religioſus, & majoris venerationis, per quem debent Sacerdotes diſtingui in miniſtrandis Sacramentis; juxta allegat. a Div. Thoma *ſuppl. ad qu. 40. art. 7.* quæ refert Summus Pontifex Benedictus XIII. feliciter regnans in *Lectionibus ſup. Exod. p. 2. Lect. 49. n. 30.* ubi: *Veſtes Miniſtrorum deſignant idoneitatem, quæ in eis requiritur ad tractandum Divina.* Caſal. *d. c. 35.* obſervat quod Eccleſiaſticorum habitus, quibus in Sacris Ritibus utuntur, diſtingui debent ab illis qui in uſu communi eorumdem ſunt extra Eccleſiam. Superpelliceum deſignat candorem, munditiam, ſeu puritatem juxta illud, Eccl. 9. *Omni tempore veſtimenta, idest opera tua ſint candida, & munda.* Propter nomen vero ſuum carnis mortificationem figurat, Durand. *l. 3. c. 1. n. 10.* In omni igitur Sacramentorum adminiſtratione (demptis caſibus neceſſitatis, qui nonniſi in Sacramentis Baptiſmi, & Pœnitentiæ evenire poſſunt, ut inferius dicemus) uti debet Sacerdos ſuperpelliceo, & ſtola; *Religio enim*, ut monet D. Hieronym. *lib. 14. ſup. Ezech. alterum habet habitum in uſu, alterum in miniſterio*, & Piſcara *l. 2. ſect. 1. c. 10. n. 1.* a quo declaratur ſuperpelliceum proprium Clericorum indumentum. Vide privilegium PP. Societ. Jeſu in his Commentariis ad Titulum 17. *de Sacramento Pœnitentiæ*, §. 4. *in fine.*

46 De ſuperpelliceo, ejus nomine, etymologia, ſignificatione, & uſu, deque illius varia forma tractant Durand. *l. 3. c. 1. n. 10. & 11.* Gavant. *part. 2. t. 1. n. 2.* Piſcara *lib. 2. ſect. 1. c. 9. 10. ſect. 14. cap. 1. n. 4.* Caſal. *c. 35.* Menag. *Orig. ling. Ital.* & alii quamplurimi, quos omnes antecelluit eruditione doctiſſimus Macri in *Hierolex.* ubi omnia, vel ſaltem potiora de hoc indumento, & ejus uſu æque erudite, ac diligenter exponit: a quibus, & aliis nonnulla obſervatione digna eruam. Superpelliceum idem eſt ac Cotta, non vero Cotta ille, quæ apud Menag. *Orig. ling. Ital.* dicitur Veſtis talaris ac Muliebris a Crocota derivata, de qua Cic. *de Aruſp. Reſp.* & Author Poematis *Ciris*, quod Virgilio attribuitur: *Quæ prius in tenui ſteterit ſuccincta Crocota*, de qua plura Scaliger. Quod talis numeraretur Veſtis inter antiquos lego apud Pignor. *de Orig. Pad.* his verbis: *Avevano gli Antichi una Veſte per le femine, che chiamavano Crocote, e Crocotola, dalle quali vengono le Cotte voce Franceſe, e le Cottole.* Verum iſta Veſtis Eccleſiaſtica, & ad uſum Sacrum non valde antiqua eſt, nec mulieribus inſervit. In aliquibus Senenſi Eccleſiæ Cæremonialibus MSS. *Cotta*, & alio nomine *Camiſia ſuperanea* vocatur. Sed de nomine ſatis: ad ejus uſum, & formam procedamus.

Cotta Tunica Clericis propria vocatur ab Alexandro IV. *lib. 6. epiſt. 256.* hoc pacto: *Clerici induti Veſtimentis ſericis, aut ſuperpelliceis, ſive Cottis vadant proceſſionaliter*. Inſuper charta Petri Epiſcopi Anagnini apud Odor. Raynald. *Ann. 1299. n. 30.* de ea mentionem habet: *Diaconus ſtet cum Cotta, & Stola, & Subdiaconus, & Acolytus cum Cotta.*

Ejus forma ſic præſcribitur a Bauldrio *loc. cit.* *Cotta ſint Manicis ita oblongæ, ut extenſæ uſque ad ſummos digitos pertingant, quæ eſſe poſſunt cubitis circa duobus; late autem patentibus in Orbem circiter cubitis quatuor. In ipſo ore potius formæ ſit rotunda, quam quadratæ: A pectore nulla modo ſciſſæ* (ita judico auferri poſſe abuſum ligandi hanc ſciſſuram fibulis argenteis, vel ſericis amentis, & quod pejus eſt, verſicoloribus, non albis) *longe ducatur infra genua fere ad media crura: lata pateat ab extremis oris ambitus cubitis circa treſdecim, ab humeris circiter octo. A nulla parte neque nimis affectata artificioſi operis elegantiæ elaboratæ, ab humeris præſertim, non ſpecioſo artificis ornatu.* Atque iſta forma a Div. Carolo Borromæo præſcripta fuit per allegat. a Marcell. Cavalier. *Rott. Eccleſ. tit. 20. n. 36.* & cum iſta ſit Veſtis atque ornamentum ad uſum Sacrum comparatum, ex Eccleſiæ inſtituto benedici debet, nec adhiberi poteſt priuſquam ſolemnibus precibus ab Epiſcopo, vel ab alio, qui poteſtatem, ſeu auctoritatem habeat, benedicetur. Ita D. Carolus, *in 2. Synod. Prov. med. Decr. 20.*

In aliquibus Eccleſiis, & præcipue Venetiis, adhuc primæva ſuperpellicei forma retinetur, nempe ea rotunditate antiquæ Planetæ ſine manicis, ſub qua, e lateribus, brachia extolluntur.

Pro ſuperpelliceo Davantria intelligit *Rochettum*, quia ſub Cappa pellicea geſtatur, & id quod nos Rochettum dicimus, ipſe Cottam appellat, quæ eſt Tunica Clericis propria: Duſren. *Gloſſ. med. latin.*

Iſtæ Cottæ olim erant talares, Gemin. *de antiq. lit. Miſſæ l. 1. c. 132.* inquiens: hæc Veſtis eſt lata, quia clericalis vita debet in eleemoſynis, & in bonis operibus eſſe larga: eſt etiam talaris, quia docet uſque in finem perſeverare in bonis. Idemque Author addit, quod tempore Quadrageſimali ſuperpellicea geſtabantur ex lana contexta in ſignum mæſtitiæ, & humilitatis: *Diebus Quadrageſimæ, vel alio congruo tempore laneis tunicis utatur*, *l. 1. c. 133.* Sed hic non loquitur de Cotta, ſeu ſuperpelliceo, ut ſupponit Macrius, ſed de Tunica, quæ diverſa erat a ſuperpelliceo: Concilium enim Baſileenſe *ſeſſ. 21.* ait: *Clerici horas Canonicas dicturi cum Tunica talari, & ſuperpelliceis mundis, ultra medias tibias longis, vel Cappis, &c. ad pſallendum ingrediantur.* Nihilominus aliquando iſta vox *Tunica* pro Cotta accepta fuit, ſed nunquam cum titulo *Talari*, Caſal. *c. 35.* Igitur ſuperpelliceum eſt Tunica parva non ultra genua, Italice *Cotta* nuncupata, inſerviens adminiſtranti Sacramenta quæcumque, quæ definitio omnes alias a tot Authoribus allatas exſuperat. Con-

ſtruuntur hujuſmodi parvæ Tunicæ ex lino, vel ſimili materia, ut maculæ poſſint lotione facilius abſtergi, & candor reſplendeat, quemadmodum etiam Deus præcepit, Exod. 28. *Filiis Aaron Tunicas lineas parabis in gloriam, & decorem*; & per Levitic. 16. prohibetur Sacerdoti ingreſſus in Sanctuarium niſi fuerit hac Tunica veſtitus.

47 Debet itaque Miniſter Sacramentorum indui Cotta, & Stola. Hinc patet abuſus illorum, qui Cottam, & Stolam ſupra brachium portantes, ſeu ſupra humeros, ad modum ſarcinæ indecenter incedunt; & potius gravati, quam induti ſacris veſtibus adminiſtrant. A temporis fortaſſe brevitate, & anguſtia inducti hoc faciunt, quaſi ad induendam Cottam, hora integra impendi debeat; & ad nihil aliud, quam ad pompam, & oſtenſionem iſta indumenta deſerviant, quando veram, et propriam habent ſignificationem, ut ſupra expoſuimus. Cum enim ſint tamquam lorica, & armatura contra ſpirituales hoſtes, vere armati debemus ad luctam, non ad fictum certamen.

48 Hoc ulterius advertendum eſt pro Corollario: pia nempe conſuetudo recitandi orationes in eo actu, in quo Sacerdos, ſeu Clericus induit ſacras veſtes, videlicet, ad Cottam: *Induat me Dominus novum hominem, &c.* & ad Stolam: *Redde mihi Domine Stolam, &c.* quæ ad majorem miniſterii meditationem inſerviunt; de conſilio autem hoc eſt, non de præcepto. Vide Gavant. *P. 2. Tit. 2. n. 2. lit. B.*

49 *Deſuper Stola, &c.* Supra Cottam, ut viſibilis appareat, collocanda eſt Stola, ac etiam, ut facilius mutari poſſit ſuo loco, & tempore, ac porrigi iis, quibus in varia miniſtratione porrigenda eſt.

De Stola, & ejus origine plura notat Durand. Gavant. Macri, Caſal, & alii. Alio modo Orarium dicitur, & eſt indumentum Sacerdotale antiquiſſimum, & ab Apoſtolis adhibitum juxta aſſerta per Cedrinum apud Bulenger *l. 1. c. 28.* relatum a Gavant. & ad collum pendens defertur, cujus ſignificationes variæ ſunt, & piiſſimæ apud dictos Authores. Præcipue vero Jugum Chriſti ſuave indicat apud omnes, ſunemque quo Chriſtus ligatus fuit, & ad mortem tractus.

Imponenda eſt collo cum oſculo, & recitatione Orationis *Redde mihi, &c.* ut ſupra diximus, & item cum oſculo deponenda ad denotandum aſcenſum, & deſiderium, quo ſubjicitur Miniſter huic jugo. Durand. *l. 3. c. 5. n. 2.* Toled. *Inſt. l. 2. c. 2.* Præſcribitur ejus forma a Bongio. canon. *in ſacra cæremoniarum ſylva*, & a Cavallerio *in Rect. Eccleſ.* nec non a Bauldrio *in 1. de menſuris propriis ſacra ſupellectilis*, ex Actis Mediolanenſis Eccleſiæ D. Caroli Borromæi, hoc pacto. *Sit Stola longa cubitis circiter ſex, ut infra genua producantur; lata autem unciis ſex pateat: lacinia, ſeu frangia unciarum trium ſint, & præterea Cruces ✠ tres de more annectantur eidem in medio, & in extremis partibus. Unaquæque Crux ſit ferme quadrata, quæ ab omni parte unciis circiter tribus conſtet.* Hæc de ejus forma: nunc ad ejus uſum, & modum eam collo imponendi deſcendamus.

Imponitur Stola ſecundum communem, & veriorem ſententiam, contra recentiorum nonnullorum opinionem, non longe a collo, premens cervicem, & utrumque humerum. Conc. Bracaren. 3. *cap.* 3. nulloque modo premere poteſt cervicem, niſi ſit prope collum. Debet ulterius deſcendere per anteriora ad dextrum, & ſiniſtrum latus, quia *per arma juſtitiæ a dextris & a ſiniſtris*, ideſt in proſperis, & in adverſis, Sacerdos debet eſſe munitus, quatenus nec adverſis, nec proſperis elevatur. Durand. *l. c.* Macri, & Bauldri *p. 3. t. 1. n. 5.* ſtatuunt præcipue, quod Stola ad collum debeat geri, non projiciendo illam ad medios uſque humeros (quia hoc convenit tantum Epiſcopis) qua de cauſa ejus brachia non extenduntur uſque ad genua, ut monuit Bles. *Ser. 41.* Et hoc eſt nomini conſonum; a Græcis enim Stola dicitur *Epitrachelion*, quod Torquem, ſeu collare ſignificat. Itaque Innocentius III. *l. 1. de myſt. Miſſæ*, ait: *Debet ergo Sacerdos ſecundum decretum Bracarenſis Concilii uno eodemque Orario cervicem, & utrumque humerum premens ſignum Crucis in pectore ſuo præparare. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ ſubjacebit*. Imo clarius præcipit antiqua Rubrica Miſſalis, quæ ſic exponebat Orationem recitandam in actu ſumendi Stolam: *Stola juſtitiæ circumda Domine cervicem meam*; & in hoc concordant præcipui Sacrarum cæremoniarum Scriptores cum Tonell. *Tit. 1. Rub. 5. n. 3.*

Tenentur igitur Clerici, & Sacerdotes ſæculares Stolam, & Cottam induere dum Sacramenta miniſtrant, & id ab hac Rubrica præcipitur, quod prius monitum fuit a *S. C. Epiſc.* 8. *Nov.* 1588. apud Corſett. *Tr. 2. p. 1. ſect. 1.* Hoc etiam in Synodis potioribus ab Epiſcopis jubetur; & D. Carolus Borromæus latis verbis hoc idem innuit in *Conſt. Synod. Mediol. p. 2. verſ. Studeant*, ubi ait, *Semper & Stolam, & ſuperpelliceum induant in adminiſtrationem Sacramentorum*, & illud *ſemper* notandum eſt, quod omnem adverſam interpretationem excludit, & perpetuitatem importat, ut notant Socin. Roland. Surd. atque alii apud Paſqualig. *de Sacr. nov. Leg. T. 2. quæſt.* 1176. n. 10. De ſigno, & juriſdictione per Stolam denotata, plura dicemus in Tit. *de exequiis*, ſuo loco.

50 Stolæ ulterius, quæ adminiſtrationi Sacramentorum inſervire debent, cujuſcumque coloris ſint, ſejunctim haberi debent a Stolis, caſulis conformibus, & conſociis, ne inæqualiter, ac præventive deformentur, ſeu deturpentur, & ut commodius præ manibus ſint Sacerdotum, & Miniſtrorum. Quod videtur innuere Cavaller. *d. t.* at. num. 24.

51 Modo de Coloribus Stolæ dicendum. Cum itaque quinque ſint colores quibus utitur in miſteriis ſuis Eccleſia, nempe Albus, Rubeus, Viridis, Violaceus, & Niger, quærendum eſt hic quare Scriptores, præcipue antiqui ſacrorum Rituum, quatuor tantum Colores deſcribant, Violaceum excludendo? Quæſtionem hanc, annis elapſis, auſus fui proponere per epiſtolam doctiſſimo, & omni laude digniſſimo Antiſtiti Pompeio Sarcellio Epiſcopo Vigilien. de rebus Sacris, & Eccleſiaſticis peritiſſimo, & optime merito. Hic, de more, humaniſſime mihi reſponſum fecit pariter per epiſtolam ſub die 6. Decembris 1704. 52 his verbis: *Anteceſſores noſtri eo modo, quo Sacrarum Veſtium uſum a veteris Teſtamenti Sacerdotibus deſumpſere* (*dicit enim Honorius in Gemma l. 1. c. 89. D. Clementem Pontificem ita ſtatuiſſe, ex traditione D. Petri, & de facto habemus, ſimiliter feciſſe Apoſtolos, ut videre eſt apud Macrium in verbo Colobium,*) *ita quoque quatuor colorum conſuetudinem vindicavere, aliquo modo correlative ad purpuram, byſſum, coccum, & hyacinthum: nempe Album ad ſignificandam gloriam, gaudium, & innocentiam: Rubeum ad denotandam excellentiam graduum ſuper alios: Viridem tamquam medium inter colores pro diebus feſtialibus & communibus: Nigrum denique ad demonſtrandam abſtinentiam, mærorem, & triſtitiam pro Defunctis. Temporibus Innocentii III. in uſu erat color Niger iis diebus, in quibus modo utimur Violaceo; & Alcuinus ait, quod in cereorum Benedictione, & Proceſſione utebantur nigro colore ad denotandam Simeonis Prophetiam de Virgine Matre:* Tuam ipſius Animam doloris gladius pertranſibit. *Tractu temporis color Violaceus introductus fuit ad ſignificandum mærorem, & abſtinentiam: ſed tantum in die feſto SS. Innocentium ad illorum cædem commiſerandam; & in Dominica* Lætare, *quia dies erat abſtinentiæ. Deinde pro peccatis & defunctis ampliatus fuit iſte color, ut notat Innoc. III. & ita uſus invaluit. De facto cadavera Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum Violaceo colore veſtiuntur. Tandem Violaceus color deſignatur eſt pro afflictione, abſtinentia, & peccatis, & Niger pro defunctis: Atque ita Violaceus, qui antiquitus non erat in uſu, vel certe rare, remanſit apud nos pro quinto colore Eccleſiaſtico. Hodie color aureus in uſu venit, & inſervit pro Albo, & pro Rubeo in ſolemnitatibus, unde habemus a Balſamone,* l. 2. Hiſt. cap. 27. *Conſtantinum Magnum dono dediſſe Macario Stolam auro contextam.*

Hæc, & alia nonnulla reſcripſit mihi doctiſſimus ille Antiſtes, quæ poſtmodum varia eruditione ampliavit, & epiſtolam compegit Eccleſiaſticam italico idiomate, quæ in aliis ſuis epiſtolis inſerta eſt T. 4. *ep.* 46. *pag.* 89. *Typ. Venet.* 1716.

Colores igitur Eccleſiaſtici quinque hodie ſunt, nempe Albus, Rubeus, Viridis, Violaceus, & Niger; quos plene deſcripſit, atque explicavit Sammarinus *in Sacerdotal. p. 3. pag.* 19. ubi animadverſione dignum eſt, quod cum de coloribus Eccleſiaſticis tractare inſtituat, dicit *de Quatuor coloribus, &c.* & deinde eos explicans per capita ſeparata, demonſtrat eſſe quinque, Violaceum ſuperaddendo. 53 Qui colores, ſufficit, ut emineant aliquo modo in textura operis, licet totaliter unius coloris opus non ſit. Hujuſmodi colorum Stolas debet in ſua ſupellectili ſacra adnumerare quilibet Parochus, & eas, ut diximus, habere promptas & paratas ſejunctim ab aliis veſtibus ſacris. 54 Abſit vero penuria illa (heu quam ſordida!) verſipelles Stolas adhibendi duplicis coloris, ſeu utraque parte varie coloratas, adeout repente de uno in aliud miniſterium, ſeu ad aliud Sacramentum miniſtrandum tranſiens Sacerdos, fiat ſcenæ mutatio ſine loci, & rei diverſitate, nec alio modo niſi Stolam invertendo, & pannum ſubſutum pro vera facie demonſtrando, ſeu ſuppeditando. Difficile credo dari poſſe in Eccleſia Parochiali, licet exigui patrimonii, talem penuriam (quæ tamen in aliquibus locis, me erubeſcente, data eſt) unice a Parochorum ignavia, & negligentia provenientem. Sed ad alia.

55 Quando Sacerdos miniſtrare debeat Sacramentum, cui conveniat color Albus, Albam Stolam ſumere debet; quando cui competat color Violaceus, ſeu Niger, Nigram, ſeu Violaceam ſumere opus eſt, nec confundere Stolam inconvenientem Sacramento, ſeu Sacramentali. Rubricæ ſatis clare loquuntur, & docent quinam color rei miniſtrandæ conveniat.

56 Verum Textus cognovit dari poſſe neceſſitatem, & caſum, in quo commode Sacerdos uti non poſſit Cotta, & Stola. Sed iſte caſus dari poteſt unice in Sacramento Pœnitentiæ, quia ubique locorum & quacumque hora iſtud Sacramentum miniſtrari poteſt. Sed non ubique locorum, nec in quacumque hora Sacerdos poteſt habere Stolam, & Cottam. Poteſt etiam dari caſus repentinus

admi-

adminiſtrandi Baptiſmum in neceſſitate, & tunc etiam Sacerdos diſpenſatur ab uſu Cottæ & Stolæ, non tantum ob ſubitaneitatem caſus, ſed etiam quia hoc Sacramentum miniſtrari poteſt a quacumque perſona, non e ſolo Sacerdote. De Matrimonio non loquor. In hoc Sacramento Parochus eſt tantum Teſtis omni exceptione major, & quandocumque (illicite tamen) dari poteſt caſus, quod clandeſtine, & ex tempore, quocumque in loco interpelletur Parochus ad aſſiſtendum alicui Matrimonio: tunc certe, cum id prævideri non poſſit, ita facile Cotta, & Stola non erit illi præ manibus.

Addit Textus noſter exceptionem conſuetudinis, & loci aliter interdum ſuadere. Hæc conſuetudo non adhibendi Cottam, & Stolam in Sacramento Pœnitentiæ, præcipue viget apud nonnullos Regulares, qui in habitu tantum ſuæ Religionis, & quandoque etiam cum Pallio confeſſionalibus inſident, & proſtant cuicumque volenti. Limita ſemper hoc licere quando ita non fiat in contemptum Sacramenti, quia tunc quando Sacerdos ſic miniſtret, & contemnere intelligit, graviter peccat. Reginald. *Prax. for. l. 29. n. 112.*

§. VIII. Adhibebit quoque unum ſaltem ſi habeat, vel plures Clericos, prout loci, & Sacramenti ratio poſtulabit, decenti habitu, & ſuperpelliceo pariter inditos.

57 Textus noſter ſupponit abundantiam Clericorum, ſeu miniſtrorum. In Civitatibus valet hæc propoſitio; in Parœciis vero ruralibus non ſemper adhiberi poteſt hæc diligentia, eo quia (loquor de Clericis) ſæpe ſæpius in Villis magna eſt penuria Clericorum; & quamvis Conc. Trid. *ſeſſ. 21. cap. 4.* injungit, ut ubi unus Rector non ſufficit Populo, adjungat ſibi Sacerdotes, & Miniſtros competentes quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum, & ad hoc compelli poſſint Rectores Eccleſiarum, juxta Decret. S. C. Concilii: attamen inopia Eccleſiarum in aliquibus locis ad hoc non 58 valet, unde magna omnium admiratione, pro Miniſtris adhibentur quandoque fœminæ, quæ ipſo jure a miniſterio Altaris arcentur, ut communiter docent Doctores allegati a Paſqualigo *de Sacr. nov. leg. T. 1. q. 342. n. 1.*

Circa quod Regula generalis eſt, debere quamcumque Parochialem Eccleſiam eam dotem habere, quæ non ſolum ſufficiat pro Rectore, ſed etiam pro uno ſaltem Clerico Miniſtro. Ita Beilart. *diſq. Cler. P. 1. §. 15. n. 4.* qui ibi docet ſtipendium Clerico non propter indigentiam, ſed propter ſervitium, *d. n. 13.* non enim minori annuo reddita decenter vivere poteſt Parochus, cum unum ſaltem Clericum illi inſervientem habere debeat; nam ſolus eſſe non poteſt, Caſſad. *deciſ. 19. n. 1. de Præbend.* Rot. *diverſ. p. 2. dec. 56. num. 10.*

59 In caſu tantæ penuriæ quicumque vir baptizatus adhiberi poteſt, tamquam Socius in hujuſmodi adminiſtratione, puta Euchariſtiæ, in cujus miniſterio, ad decus Sacramenti, plures manus neceſſariæ ſunt. Poſſevinus addit, quod in caſu neceſſitatis ſufficeret unus miniſter; & ſi non poſſet haberi mas, credit, quod ſufficeret fœmina, quam unice ego admitterem, loquendo de Monialibus, intra quarum Septa nonniſi Confeſſarius admittitur, pro adminiſtratione Sacramentorum. In hoc caſu non curat Rubrica hujus Textus, quod ſcilicet, ſuperpelliceo pariter hæc fœmina induatur; immo addo, quod neque ſuperpelliceo indui poſſit qui non ſit Clericus, eo, quia Cotta, ſeu ſuperpelliceum, ut alias diximus, proprie veſtis eſt Eccleſiaſtica ad uſum Clericorum, non vero Laicorum, niſi illi Laici ſint Religioſi Regulares, eo quia in hoc caſu tales Laici, quamvis tonſurati non ſint, attamen ſunt de religioſa familia.

Huic Clericorum Eccleſiæ inſervientium penuriæ pro- 61 viſum nuper fuit in Concilio Romano a Sanctiſs. D. N. Benedicto XIII. celebrato, ubi inhærendo Decretis Concil. Trid. *ſeſſ. 23. de Ref. cap. 6. & 16.* decernitur, ne nullus initietur Clericali Tonſura, niſi eodem tempore Eccleſiæ illi adſcribatur, pro cujus ſervitio ordinari debet, *tit. 6. c. 2.* quod ſi Eccleſia vere indigeat Clericis, & adſint in loco, poſſunt cogi ab Epiſcopo ad inſerviendum illi, dato eis congruo aſſignamento, ut reſpondit *S. C. Ep. & Reg. Archiepiſcopo Cuſentino 5. Aprilis 1593.* Quando enim Clerici de redditibus Eccleſiæ non participant, non tenentur ſuis ſtipendiis militare, *cap. fin. 1. q. 2. cap. cum ſecundum, de præb. Abb. in c. Epiſc. n. 3. eod tit.*

§. IX. Curabit etiam ut ſacra ſupellex, veſtes, ornamenta, linteamina, & vaſa miniſterii integra, nitidaque ſint, & munda.

Quamvis unaquæque Eccleſia cuſtodem ſuum habeat, ſi non Sacriſtam, vel Campanarium, vel ut alii nuncupant, Maſſarium, cui competat cura Sacrarum ſupellectilium Altaris, & Sacriſtiæ, necnon rerum ad Sacramentorum miniſterium facientium, attamen quia iſtæ Perſo- 62 næ, ut plurimum mercenariæ ſunt & rudes (loquor de Eccleſiis Parochialibus, in quibus Religioſi Regulares non adſint: Monaſteria enim, & Cœtus Regularium perquam maxime ſtudent, ut omnia in munditie, & nitore parata ſint) neceſſe eſt, ut Parochus quoque vigilet, & curam habeat rerum ſibi commiſſarum, nec omnino ſe fidet Miniſtrorum operi. Quare ſubdit hic præſens Textus, ut omnium curet de Sacra ſupellectile, de Veſtibus, de Ornamentis, de Linteaminibus, & Vaſis, ut quæcumque nitida, & munda ſint in honorem miniſterii.

63 Harum omnium, & ſingularum rerum, optime cura erit ſi Parochus conficiet, ac penes ſe retineat Inventarium, illas ſæpe enumeret, perpendat, & ſcrutetur an reparatione indigeant, & illas reaptare faciet: nec pene 64 Cuſtodem tantum deponetur Clavis Armariorum, ſeu Scriniorum, in quibus reponuntur iſtæ ſupellectiles, & vaſa; ſed & ipſe præcipue illam cuſtodiet. Claves vero Sacramentorum, nempe Euchariſtiæ, Baptiſmi, & Olei Infirmorum nonniſi a Parocho cuſtodiantur, ne profanæ manus ad ea pertractanda ſe ingerant.

Iſta integritas, & mundities deeſt in Sacris Vaſis quan- 65 do per diminutionem, vel decolorationem deformantur, & tunc profanata dicuntur, & ſuſpenſa ipſo jure, nec illis poteſt uti Sacerdos pro adminiſtratione Sacramentorum abſque peccato, Gavant. *part. 2. tit. 1. n. 2. litt. r, s, &c.* & in capite ſeparato *de nitore, & munditie Sacræ ſupellectilis*. Plura de integritate, & nitore Sacrorum Vaſorum videbis apud Marcell. Cavalier. in libro inſcripto; *Il Rettore Eccleſiaſtico*, de mandato Eminentiſſimi Card. Urſini, modo SS. Benedicti XIII. Pontificis M. feliciter regnantis, typis edito ad inſtructionem Cleri ſui Beneventani.

§. X. In Sacramentorum adminiſtratione, eorum virtutem, uſum, ac utilitatem, & cæremoniarum ſignificationes, ut Concilium Tridentinum præcipit, ex Sanctorum Patrum, & Catechiſmi Romani doctrina, ubi commode fieri poterit, diligenter explicabit.

Iſta explicatio circa virtutem, uſum, &c. Sacramentorum, & ſignificationem Sacrarum Cæremoniarum innititur 66 præcepto per Concil. Trid. impoſito, *ſeſſ. 24. de Ref.* Itaque notandum eſt, quod iſta explicatio debet fieri lingua vernacula pro ſuſcipientium captu, & quandocumque fieri poterit, præcipue vero in actu adminiſtrandi aliquod Sacramentum, quod ſatis clare docet Barboſa *d. de Offic. & pot. Paroc. cap. 17. n. 1.* Neque hic prætermittenda eſt conſtitutio recentiſſime SS. D. N. Benedicti PP. XIII. 67 modo feliciter regnantis, qui in ſuo Concilio Romano, *t. 15. c. 9.* Sacrarum Cæremoniarum neglectui occurrens, mandavit Cleri Congregationem quater ſaltem in menſe, ſeu ſemel in hebdomada habendam pro Sacrorum Rituum diſceptatione tum in Civitatibus, tum in Diœceſibus per omnes de Clero Sacris initiatos ſub certa pœna pecuniaria contra contumaces: in quibus Congregationibus, alternatim & Rituum, & conſcientiæ caſus proponantur, diſcutiantur, & practice exerceantur, methodo ſervata ſynodali, quæ exhibetur in fine ejuſdem Concilii n. XVII.

Hoc pacto quilibet Sacramentorum Miniſter ſtudio huic enixe vacans, & ſe exercens, facile omnes Ritus callebit, & eos in adminiſtratione Sacramentorum plene, & adamuſſim adimplebit, necnon virtutem, uſum, utilitatem, atque cæremoniarum ſignificationes percipiens, ſine magno labore poterit eas docere populum ſuum pro hujus Præcepti adimplemento: quod præceptum neceſſe eſt adimpleri, ut Fideles in Sacramentis ſuſcipiendis erudiantur, nec ad illa ignoranter accedant. Poterit Parochus, ſeu quiſque Sacramentorum Adminiſtrator in hoc caſu uti brevibus verbis, ſed clarioribus, ut ita fideles ante ſuſceptionem cognoſcant quid ſint ſuſceptur. Quando vero neceſſitas miniſtrandi Sacramentum aliquod, tempus commode non ſuppeditabit, tunc hæc explanatio, & inſtructio poſthaberi poterit ad utilitatem ſeu ſuſcipientium, ſeu adſtantium.

§. XI. Dum Sacramentum aliquod miniſtrat, ſingula verba, quæ ad illius formam, & miniſterium pertinent, attente, diſtincte, & pie, atque clara voce pronuntiabit. Similiter & alias Orationes, & Preces devote ac religioſe dicet, nec memoriæ quæ plerumque labitur, facile confidet: ſed omnia recitabit

ex

ex libro. Reliquas præterea cæremonias, ac ritus ita decenter, gravique actione peraget, ut adſtantes ad cœleſtium rerum cogitationem erigat, & attentos reddat.

68 Ne Theologicis quæſtionibus me involvam, quærendo an ſingula verba in Sacramentis conficiendis ſint neceſſaria, adeo ut, vel aliquo immutato, vel prætermiſſo dubitari poſſit an conficiatur Sacramentum, & præcipue Euchariſtia, circa quæ multa apud Theologos eſt diſceptatio, hoc ad praxim breviorem, ſecundum inſtitutionem meam ab initio mihi propoſitam, afferam, nempe notato dignam eſſe diſtinctionem in præſenti Textu poſitam, hoc eſt. Quando Rituale loquitur de Verbis, quæ ad formam Sacramenti pertinent, loquitur abſolute dicens, quod Miniſter ea attente, & diſtincte pronuntiabit. Hæc interpunctio, & attentio facit ut nulla verba immutentur, nulla omittantur, & ſic ceſſat omnis difficultas, & quæſtio, An confectum ſit Sacramentum. Quando vero ſermonem habet de Orationibus, & precibus, non loquitur de ſingulis verbis, ſed injungit tantummodo, ut devote, & religioſe Sacerdos eas dicat, ac ſi aliqualis verborum immutatio, vel prætermiſſio non noceat Sacramento.

69 *Nec memoriæ*, &c. Nimia fiducia, quæ ab aliquibus habetur memoriæ, ſeu reminiſcentiæ compeſcenda eſt, quia fructus peſſimos quandoque gignit; verba enim propria ſæpe vitiantur atque immutantur. Tenaciſſimæ, & firmiſſimæ memoriæ Concionatores quandoque audivi ſermonem eumdem a ſe compoſitum bis, & ter repetere, ſed nunquam eodem firmo verborum ordine ſervato: nihil enim labilius hac animi facultate, quæ in hominis poteſtate non eſt, licet ſpecierum a ſenſibus acceptarum ſit conſervatrix. Igitur optime docet Textus noſter, non debere Miniſtros Sacramentorum multum memoriæ fidere in recitatione verborum, precum, & orationum præſcriptarum in adminiſtrandis Sacramentis, quia tunc mens nimis materialiter operatur: multa enim in memoria habemus, quæ tam actu cognoſcimus. M. Henning. *dict. Phil.*

70 Tutior modus eſt legendi quæcumque in libro diſpoſita ſunt, quia majori mentis intenſione tunc operatur Homo, quando per oculos intellectui mandat verba, circa quæ Anima immoratur, ut percipiat illorum ſignificationem.

71 *Reliquas præterea cæremonias*, &c. Ad gravitatem miniſtrantis Sacramentum hæc pertinent: nam animus adſtantium non erigitur ad cogitationem rerum cœleſtium, niſi aliquid cœleſte videant in miniſtro. Materia Sacramentorum, Panis, Vinum, Aqua, Oleum, &c. habent in ſe materiale, & corporeum. Si animus humanus debet elevari, oportet, ut in facie, in geſtu, in inceſſu miniſtri aliquid ſupernaturale appareat; nec alio modo id evenire poteſt, niſi miniſtrando graviter, & decenter. Igitur cæremonias, ac Ritus decenter, & gravi actione peragens Sacerdos, ſe ipſum, reliquoſque ad reverentiam, & devotionem, nec non ſpiritualium Myſteriorum, quæ tractantur conſiderationem excitabit, Corſett. *Prax. de Sacram. Admin. p. 2. c. 1. n. 9.* De facto in vultu aliquorum Sanctorum Virorum miniſtrantium Sacramenta, toties viſus eſt ſplendor, & quædam laureola divinitatis, ut de S. Philippo Nerio legimus, de S. Andrea Avellino, qui vere miniſterium ſuum implebant.

§. XII. Ad miniſtrandum procedens, rei, quam tractaturus eſt, intentus ſit, nec de iis, quæ ad ipſam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur, in ipſaque adminiſtratione actualem attentionem habere ſtudeat, vel ſaltem virtualem, cum intentione faciendi quod in eo facit Eccleſia.

72 Proceſſionem iſtam ad Sacramenti adminiſtrationem, atque iſtam alienationem mentis, & animi a quacumque se non pertinenti demonſtravit Patriarcha Abraham, tunc quando procedens ad ſacrificandum in Monte Viſionis filium ſuum Iſaac, de mandato Dei, elevatis oculis, & viſo loco ad Sacrificium deſignato, reliquit Servos, & Aſinum ad radices Montis dicens: *Sedete hic cum Aſino: ego autem, & Puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*, Geneſ. 22. Quem locum Interpretes, & SS. PP. explicant de deponendis vanis, & inutilibus ſollicitudinibus dum res Sacras tractamus: ex quo ediſcere poſſumus, unice tunc cum Deo eſſe a nobis tractandum, de Deo loquendum, & cogitandum.

73 *Actualem Attentionem, vel ſaltem virtualem*, &c. Hoc diſcrimine differunt inter ſe Attentio, & Intentio. Attentio eſt actus intellectus conſiderans ea quæ facit homo. Virtualis dicitur illa, cum qua quis v. gr. incipit orare, & virtute illius proſequitur orationem, quamvis inter orandum involuntarie diſtrahatur. Attentio actualis eſt illa, qua quis actualiter attendit ad ſenſum verborum, vel ad piam meditationem, Staniſl. *deſuer.* De habituali nullum ſermonem faciam, eo quia in quacumque actione eſt inſufficiens. In Oratione vocali triplex eſt Attentio. 1. Quando attenditur ad verba, ne aliquis in eis pronunciandis erret. 2. Quæ attenditur ad ſenſum verborum. 3. Quæ attenditur ad finem Orationis, ſcilicet, ad Deum, & ad rem, pro qua oramus, D. Thom. 2. 2. *qu.* 83. *art.* 13. *in Corpor.*

Intentio vero eſt tendentia intellectus in rem aliquam, quæ & ſolet appellari Notio, vel eſt actus liber voluntatis, ſed tendens in finem. Triplex quoque iſta eſt. Actualem dicitur habere qui actu elicito, & expreſſo intendit id quod facit. Virtualis eſt cum quis virtute actualis intentionis præcedentis operatur aliquid, etſi tunc illam intentionem non habeat, Agud. *de Sacr. in gen.* de habituali, quæ ad nihilum valet, ſermo non eſt habendus. Textus in hoc loco præcipit, ut in Adminiſtratione Sacramentorum habeatur Attentio actualis, vel ſaltem virtualis; ſed cum virtualis aliquantulum infirma ſit, in ſubſidium ſuum vocat intentionem faciendi id quod facit Eccleſia. Gavant. *T. 2. ſect. 1. tit. 4.* ait peccare eum qui non attendit ad verba, vel ad ſenſum verborum, vel ad finem propoſitum, quarum duæ primæ attentiones ſingillatim ſufficiunt, in quo loco multa vide de iſta Attentione. Quoad Intentionem vero non ſufficit, ut Miniſter intendat exteriorem illum actum; ſed requiritur ut intendat conferre, ſeu conficere Sacramentum ſaltem implicite; non vero requiritur, ut intendat explicite conferre ejus effectum, Coninck. *de Sacram. qu. 64. art.* 8. Tamburin. *Meth. celebr. Miſſ. l. 2. c. 2.*

§. XIII. Illud porro diligenter caveat, ne in Sacramentorum adminiſtratione aliquid, quavis de cauſa, vel occaſione, directe, vel indirecte exigat, aut petat; ſed ea gratis miniſtret; & ab omni ſimoniæ, atque avaritiæ ſuſpicione, nedum crimine longiſſime abſit. Si quid vero nomine eleemoſynæ, aut devotionis ſtudio, peracto jam Sacramento, ſponte a fidelibus offeratur, id licite pro conſuetudine locorum accipere poterit, niſi aliter Epiſcopo videatur.

74 Et ſi nihil ſperandum ſit, nihil exigendum, nihilque petendum pro adminiſtratione Sacramentorum, *cap. cum in Eccleſia, de Simon. cap. baptizandis, cum ſeqq. 1. q. 1.* niſi voluntarie quid offeratur, *cap. placuit 1. qu. 2.* nec pro benedictionibus nubentium, *d. cap. cum in Eccleſia, & d. c. cap. ſuam, de Simon.* Azor. *p. 3. inſt. moral. l. 12. cap. 4. q. 2.* neque pro loco ſepulturæ per Parochum aſſignando, neque pro exequiis mortuorum, *c. dict. 1. q. 1. c. quæſt. & c. poſtquam, & ſeqq. 13. qu. 2. d. cap. ad Apoſtolicam, d. cap. cum in Eccleſia, & d. c. ſuam, de Simon. c. abolendæ, de ſepultur.* Nihilominus quando ſponte quid offertur ab hæredibus, ſive conjunctis defuncti, potuit accipi, *d. c. quæſt. c. in Eccleſiaſticis* 13. *qu.* 2. aut ubi adſit conſuetudo, quod aliquid detur in exequiis mortuorum, & conſimilibus, aut legitima appareat de quaſi poſſeſſione exigendi, puta, ut dentur candelæ, prandia, &c. nec non in adminiſtratione Sacramentorum, licet Clerico non detur actio ad petendum, *gloſſ. fin. in d. cap. abolen. & in cap. ſuam, verb. pro exequiis*, ubi etiam Hoſtien. *num.* 4. *de Simon.* Dec. *conſ.* 214. *per tot.* Ugolin. *tract. de Simon. in genere, tab.* 1. §. 10. *num.* 1. 2. 7. Gratian. *diſcept. for. cap.* 1. 10. *num.* 9. & 1. 2. 20. *num.* 11. 12. 28. Ricc. *Prax. Reſol. p. 1. reſ.* 566. 2. 4. & *ſeqq.*

75 Cum tamen conſuetudo attendatur in recipiendis muneribus, ut loquitur in noſtro caſu Textus circa ſpiritualia pro ſepulturis, benedictionibus nubentium, exequiis mortuorum, pulſatione campanæ, & ſimilibus adnexis, *c. quæſitum, 1. c. 3. q. 3. c. Agathe. 63. dict. gloſſ. 1. in d. cap. ſuam*, poteſt cogi Populus ſi non jure actionis, ſaltem officio Judicis ad obſervandam honeſtam & laudabilem conſuetudinem, ſi quæ ſuper his fuit, *c. ad Apoſtolicam, & ibi gloſſ. fin.* & Abb. *num.* 3. quia multa non honeſte petuntur, quæ honeſte recipi poſſunt, *c. de Eccl.* 18. cum prohibitus petere, poſſit ſponte oblatum eleemoſynæ cauſa recipere, *cap. de Eccl. 18. diſt. cap. placuit, cap. quæſt. 16. quæſt. 1. cap. dilectus, in fin. de Simon.* Sylv. *verb. decima, num.* 9. & eſt conſervandæ talis conſuetudo, etiam ſi Clerici ſint divites. Hæc & alia quamplurima habebis apud Bellett. *diſq.*

diſq. Clericè PP. de Bonis Cleric. §. 3. *num.* 20. 21. *& ſeqq.*
76 Poteſt tamen Epiſcopus per conſtitutionem Synodalem huic conſuetudini derogare, quando videat, ob abundantiam oblationum, & munerum, foveri avaritiam alicujus miniſtri Eccleſiaſtici, & in malum uſum, munera converti, Jannen. *Poen. c.* 25.

§. XIV. Fidelibus alienæ Parochiæ Sacramenta non miniſtrabit, niſi neceſſitatis cauſa, vel de licentia Parochi, ſeu Ordinarii.

77 Juris Parochialis eſt miniſtrare Sacramenta Plebanis ſuis. Clericat. *de extrem. unct. dec.* 71, *n.* 10. & certum eſt ad illum ſpectare ex officio talem adminiſtrationem: ideo illicitum eſt cuique alii Sacerdoti, (licet Parocho, ſed non illius loci, in quo tamquam pro non Parocho habetur,) abſque licentia, aut tacita, aut expreſſa proprii Parochi
78 miniſtrare (excepto caſu gravis neceſſitatis, abſente, vel nolente Parocho proprio abſque cauſa miniſtrare) Propterea cum Parochus extra ſuam Parochiam juriſdictionem non habeat, non poteſt ſe extendere ad faciendos illos actus juriſdictionales in aliena Parochia, & ita intelligendos eſt iſta Textus, non vero quod non poſſit Parochus miniſtrare Sacramenta ſubdito alienæ Parochiæ ſe offerenti ad illud ſuſcipiendum, non loquendo tamen de adimplemento præcepti Paſchalis. Quod de Euchariſtia dico, confirmo, & amplio etiam de Baptiſmo; nam hoc Sacramentum, de conſuetudine, in quacumque Parochia, & a quocumque poteſt miniſtrari in Civitatibus; ſecus vero in Parœciis Ruralibus. Conc. *Prov. Med.* 5. circa quod vide plura apud Barboſ. & Poſſev. DD. nec non apud Corſatt. *Prax. de Bapt.* 1. 2. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 12. Hoc inſuper firmum ſit, quod juriſdictio Parochi non extenditur extra propriam Parochiam; ſed hoc non obſtante alienus Parochianus poteſt ſe conferre ad ſuſcipienda nonnulla Sacramenta ad alienum Parochum ſine peccato, quando non ſit in odium, & contemptum proprii Parochi, quia tunc graviter peccaret.
Præterquam quod poteſt Epiſcopus, rationabilibus de 79 cauſis diſpenſare, ut Parochus in loco non ſibi ſubdito miniſtret aliquod Sacramentum, vel ut aliquis fidelis accedat ad Parochum non proprium ad ſuſcipienda Sacramenta. Paſqualig. *T.* 1. *Q.* 21.

§. XV. Omnes autem, qui Sacramenta ſuſcipiunt, loco, & tempore opportuno monebit, ut remoto inani colloquio, & habitu, actuque indecenti, pie, ac devote Sacramentis interſint, & ea, qua par eſt, reverentia ſuſcipiant.

80 Iſtæ monitiones per Parochum prudentem non fiant in ſpecie tali, & tali Perſonæ, ſed ſemper loquatur in genere, & publice, ad fugiendum populi odium; qui ſingulariter, & nominatim correptus, ægre fert admonitionem. Ad Altare dum celebrat, & dum eſt miniſtraturus SS. Viaticum ſunt faciendæ iſtæ monitiones intereſſentibus in genere.
81 *Habitu, actuque decenti, &c.* in omnibus Sacramentis ſuſcipiendis convenit decentia acceſſus, & habitus, ſed præcipue in Sacramentis pœnitentiæ, & Euchariſtiæ: nam diſſonum, & horrendum viſu eſt acceſſus ad Tribunal pœnitentiæ erecta fronte, greſſu præcipiti, & habitu fucato. Sic in ſuſcipienda Euchariſtia Parochus ſpe- 82 cialiter moneat fœminas, ut velatæ, & veſte ad collum uſque ducta, & modeſte accedant.
Demum per illud verbum *interſint*, videtur quod Tex- 83 tus ducat, ſeu moneat Parochum ad explicandum valorem talis intereſſentiæ Populo ſeu quæ intereſſentia ſi cum devotione, pietate & religione fiat, maximæ utilitatis eſt ob Orationum multiplicitatem, quæ in communione fidelium fiunt, & ſunt Deo gratiores.

§. XVI. Librum hunc Ritualem (ubi opus fuerit) ſemper cum miniſtrabit, ſecum habebit, rituſque, & cæremonias in eo præſcriptas diligenter ſervabit.

84 Nonnulla in principio horum Commentariorum diximus de hoc libro Rituali, quoad ejus nomen, originem, & naturam, ſupereſt, ut de ejus uſu aliquid dicamus. Ad hunc finem compacti fuere inſimul iſti omnes ritus, & ex his unum Volumen compoſitum, ut Eccleſiaſtici, & præcipue Parochi uniformiter Sacramenta miniſtrarent. Hæc uniformitas non ex alio provenire poteſt, niſi ex uſu univerſali talis libri: quare cum nihil ſidendum ſit memoriæ, ut alibi diximus, quicumque Sacramenta miniſtrans, ſecum habere debet illum, quia attendere debent Parochi, ut Sacramenta miniſtrent iis Ritibus, & Cæremoniis, quæ in Rituali Romano Pauli V. juſſu edito continentur, ſicut in conſtitutione eidem Rituali adnexa, quæ eſt 85. in Bullario. Barboſ. *d. c.* 17. §. 2.
85 Eliminandi ſunt igitur quicumque alii libri ad uſum Ritualium elaborati, nempe *Sacramentales*, *Sacerdotales*, & præcipue *Circulus aureus* ille, qui huc uſque a manibus Parochorum pertritus fuit, ob pluralitatem Benedictionum, & Rituum ab Eccleſia non approbatorum.
86 Quare dudum, nempe die 4. Decembris 1725. decreto S. C. Indicis prohibitus fuit ille *Circulus aureus*, *Authore Fr. Franciſco de Capellis a Bonnaia Ord. Cappucinorum; quocumque loco, & tempore impreſſus*. Caveant igitur Parochi, ne ob commoditatem utantur hoc libro, cujus uſus pene fere per totum orbem Chriſtianum invaluerat annis elapſis.
87 Advertant inſuper, ut Rituali Romano, quo utuntur, demptæ ſint omnes additiones factæ, & forſan faciendæ poſt reformationem S. Memoriæ Pauli V. ſine approbatione S. Rit. Cong. & maxime *Conjurationes* potentiſſimæ, & efficaces ad expellendas, & fugandas aereas tempeſtates, a dæmonibus per ſe, ſive ad nutum cujuſvis diabolici miniſtri excitatas, ex diverſis, & probatis Authoribus collectæ a Presb. Petro Lucatello, Tit. S. Calliani Bergomi, & ſimilis naturæ alia Volumina, Latino, Italico, & Gallico ſermone conſcripta, ſcilicet *Rituale, ſeu* 88 *Cæremoniale Eccleſiaſticum juxta Ritum S. Matris Eccleſiæ Romanæ, uſumque Fratrum Diſcalceatorum S. P. Auguſtini per Galliam, donec corrigatur*. Item *Rituario per quelli, che avendo cura d' anime, deſiderano come buoni Paſtori, &c. del R. M. Vicenzo Auticcio*. Item *Rituel Romain du Pape Paul V. à l'uſage du diocèſe d' Alet, avec les inſtructions, & les Rubriques en François*, denique *Liber continens doctrinam adminiſtrationum Sacramentorum, Ritus Eccleſiaſticos, formam ordinationis conſiſtorii, Viſitationis ſcholarum in ditione Principum, & Dominorum, D. Jo. Alberti, & D. Ulderici Fratrum, &c.* quorum omnium, ſit enumeratio in indice librorum Prohibitorum Romæ coſ. 1751.
Ad uniformitatem itaque habendam in adminiſtratione 89 Sacramentorum, & rerum ſacrarum, compactum fuit hoc Rituale, quod ſemper apud Parochos eſſe debet, ut præſcriptas cæremonias planiſſime ſervent, & uniformiter Sacramenta adminiſtrent. Eccleſia enim Dei una eſt, nec patitur ſciſſuras.

§. XVII. Cæterum illorum tantum Sacramentorum, quorum adminiſtratio ad Parochos pertinet, ritus hoc opere præſcribuntur, cujuſmodi ſunt Baptiſinus, Pœnitentia, Euchariſtia, Extrema Unctio, & Matrimonium. Reliqua vero duo Sacramenta, Confirmationis, & Ordinis, cum propria ſint Epiſcoporum, ritus ſuos habent in Pontificali præſcriptos. Et ea, quæ de iis, atque aliis Sacramentis ſcire, ſervare, & docere Parochi debent, cum ex aliis libris, tum præcipue ex Catechiſmo Romano ſumi poſſunt. Siquidem hic de iis fere tantum agere inſtituti operis ratio poſtulat, quæ ad ipſorum quinque Sacramentorum Ritus pertinent.

90 *Ne confundantur jura, & adminiſtrationes, hoc Rituale tantummodo tractat de Sacramentis, quæ ſunt in manu Parochi, & ab eo poſſunt miniſtrari. Alia vero duo, nempe Confirmatio, & Ordo, cum ad ſolos Epiſcopos pertineat illorum adminiſtratio, habent particulare Volumen, in quo de eorum ritibus tractatur, & hoc vocatur *Pontificale Romanum*, ubi Rubricæ particulares circa eorumdem Sacramentorum Ritus exponuntur, qui Ritus tantummodo ab Epiſcopis obſervandi ſunt, & ſuper illos particularem indaginem habere debent Magiſtri Cæremoniarum, & il omnes, qui Epiſcopo miniſtranti aſſiſtunt. Igitur cum Rituale Romanum hoc ad ſolos Parochos,

chos, & Magiſtros Eccleſiaſticos pertineat, fruſtranea eſ-
91 ſet explicatio Rituum ad eos non pertinentium. Verum datur caſus in quo ſpectent ad Parochos iſti Ritus, quia, licet horum duorum Sacramentorum ipſi non ſint miniſtri, tamen tenentur ſcire eorum virtutes, & effectus ad hoc ut de iis poſſint habere ſermonem populo ſuo, & illum doctum facere in illis duobus Sacramentis, ut ea poſſit, quando occurrat, ſuſcipere cum ſufficienti eorumdem notitia. Catechiſmus Rom. præſtabit omnia abunde, quæ ad doctrinam horum Sacramentorum pertinent.

§. XVIII. Poſtremo quiſquis Sacramenta adminiſtrare tenetur, habeat libros neceſſarios ad officium ſuum pertinentes, eoſque præſertim, in quibus variarum Parochialium functionum notæ ad futuram rei memoriam deſcribuntur, ut ad finem hujus Ritualis habetur.

Libri neceſſarii Parocho, præter Rituale Romanum,
92 ad officium ſuum pertinentes, multi ſunt. Textus vero noſter principaliter intelligit de libris, in quibus notentur functiones Parochiales, quæ particulari teſtimonio indigent, & ad perpetuam memoriam remanere debent. Quamvis tres tantummodo debere eſſe hujuſmodi libros ſtatuerit Eccleſia Bergomen. in ſua prima Synodo ſub Federico Cornelio Epiſcopo *anno* 1564. *c.* 26. nempe *Matrimonii*, *Baptizatorum*, *& ſtatus animarum*; attamen, ex nova conſtitutione Pauli V. quinque eſſe debere demonſtrarunt, ſcilicet *Baptizatorum*, *Confirmatorum*, *Ma-* 93
trimoniorum, *ſtatus animarum*, *& defunctorum*; de quibus diffuſe tractabimus in fine horum commentariorum, & eos Parochi cuſtodire religioſe debent pro indemnitate Parochianorum, qui, quandocumque occurrat, poſſint ad eos recurſum habere pro authentica atteſtatione. Ideo libris hujuſmodi eſſe ſtandum pronunciavit Rota cum multis Doctor. allegat. a Beller. *diſqu. par.* 1. *§.* 1. *num.* 9. & Monacell. *formul. legal. practic. Tom.* 1. *Tit.* 10.

D E

SACRAMENTO BAPTISMI

RITE ADMINISTRANDO,

TITULUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

1 *Sacramentum Baptiſmi a Chriſto inſtitutum.*
2 *Baptiſmus triplex, fluminis, flaminis, & ſanguinis.*
3 *Baptiſmus quid ſit phyſice conſideratur.*
4 *Baptiſmus quid ſit metaphyſice conſideratur.*
5 *Sacramentalia neceſſaria ſunt ad conficiendum Baptiſmum.*
6 *Cæremoniæ Sacræ variæ ſunt: aliæ præcedunt, aliæ comitantur, aliæ ſequuntur Baptiſmum.*
7 *Cæremoniæ omitti non poſſunt niſi in caſu neceſſitatis.*
8 *De Sacramentalibus varia.*

RUBRICA hæc, quoad rite miniſtrandum Sacramentum Baptiſmi, non eſt neque præceptiva, neque directiva, ſed tantum pro ornamento poſita eſt, ad explicandam naturam illius, nempe quod a principio ſit a Chriſto inſtitutum; quod inter Sacramenta primum teneat locum, immo ſit janua Sacramentorum, Gulielm. Paris *de Sacr. c.* 2. & cunctis ad ſalutem neceſſarium, juxta illa verba Joannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* 1

§. I. Sacrum Baptiſma, Chriſtianæ Religionis, & æternæ vitæ janua, quod inter alia novæ legis Sacramenta a Chriſto inſtituta primum tenet locum, cunctis ad ſalutem neceſſarium eſſe, ipſa Veritas teſtatur illis verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Itaque ſumma ad illud opportune, riteque adminiſtrandum, ac ſuſcipiendum diligentia adhibenda eſt.

2 Notandum venit hic, quod Textus loquitur de Baptiſmo Aquæ: cum enim Baptiſmus ſit triplex, nempe fluminis, flaminis, & ſanguinis, de primo hic tantum ſermo habetur, & de eo datur inſtructio illud miniſtrare volentibus; non ſunt enim aliæ ſpecies Baptiſmi in manu Sacerdotis, nec pro illis Ritus ullus aſſignari poteſt pro obtinendo Baptiſmo flaminis, & ſanguinis.

3 Sacramentum Baptiſmi phyſice conſideratum, eſt exterior corporis ablutio facta ſub præſcripta verborum forma; quibus verbis indicatur Baptiſmum eſſe compoſitum quoddam veluti phyſicum conſtans ex ablutione externa, tamquam ex materia proxima, & ex verbis, tamquam ex forma, Fulien. *Idea Theol. libr.* 1. *capit.* 9.

Conſideratum vero metaphyſice, & Theologice definitur Sacramentum novæ legis ad regenerationem ſpiritualem hominum inſtitutum. Nobilitati itaque hujus Sacramenti convenit, ut tum in illo miniſtrando, tum in illo ſuſcipiendo maxima adhibeatur diligentia: ſi enim male miniſtraretur, ſeu ſuſciperetur hoc Sacramentum, quod eſt janua cæterorum Sacramentorum, fruſtranea, & inutilis eſſet miniſtratio, & ſuſceptio cæterorum, quia error in radice, & in fundamento eſſet; ex quo fieret Homo incapax aliorum Sacramentorum. 4

§. II. Cum autem ad hoc Sacramentum conferendum alia ſint de jure divino abſolute neceſſaria, ut materia, forma, miniſter; alia ad illius ſolemnitatem pertineant, ut ritus, ac cæremoniæ, quas ex Apoſtolica, & antiquiſſima traditione acceptas, & approbatas, niſi neceſſitatis cauſa omittere non licet; de iis aliqua præmonenda ſunt, ut ſacrum hoc miniſterium rite ac ſancte peragatur.

5 Non tantum neceſſariæ ſunt ad conferendum Baptiſmum res, quæ vere conficiunt Sacramentum, nempe Materia, Forma, & Miniſter; ſed etiam Sacramentalia, ut Ritus, & Cæremoniæ. Materia, & Forma ſunt de jure divino: Sacramentalia ex traditione Apoſtolica inſtituta fuere ab Eccleſia.

6 Iſtæ Cæremoniæ variæ ſunt, quarum aliæ præcedunt, aliæ comitantur; aliæ vero ſequuntur Baptiſmum. Sunt vero: Impoſitio nominis; abrenunciationes; inſufflationes; ſigna Crucis; manuum impoſitio; exorciſmi; ſaliatio; ſalivatio; unctio, & alia enumerata a Fulien. *dict. cap.* 13.

7 Quæ Sacramentalia omitti non poſſunt niſi neceſſitatis caſu, puta imminentia mortis, quæ prudenter timeatur, ſi functio ad longum tempus cum pleniis cæremoniis produceretur. Tunc ſufficit, ut Miniſter expedite materiam, & formam applicet, & ſe expediat, modo non relinquat neceſſaria, Clericat. *de Baptiſma, Deciſ.* 37. *n.* 9. Quod ſi Baptizatus poſt Baptiſmum dicto modo collatum adhuc ſupraviveret, eſſent ſupplenda Sacramentalia, ut ſuo loco dicemus.

Et generaliter loquendo de Sacramentalibus, dicam Sacramentalia eſſe Actiones Sacras, vel Cæremonias Eccleſiaſticas, quibus veluti circumſtantiis religioſis in Sacramentorum potiſſimum adminiſtratione utitur Eccleſia, & quidem multa, & diverſa ſunt prout illa enumerat Cabrin. *cap.* 9.

Habent vim impetrandi a Deo auxilia gratiæ prævenientis, & excitandi pios motus in peccatore ad juſtificationem, & operandi ſanitatem, & beneficia corporalia, ex Coninck. *quæſt.* 71. *art.* 3. Layman. *lib.* 5. *tr.* 6. *c.* 4. *n.* 17. Et juxta Doctrinam Div. Thom. quæ habetur 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 3. *in* O. operantur ad remiſſionem venialium peccatorum: ad remiſſionem quippe peccati venialis, ut ait idem Angelicus Doctor, non requiritur novæ gratiæ infuſio.

D E

DE
MATERIA BAPTISMI,
TITULUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

1 *Quando primum vice uſurpati fuerint termini Materia, & forma in Eccleſia?*
2 *Aqua communis unica eſt materia Baptiſmi.*
3 *Quare Baptiſmus inſtitutus fuerit in Aqua, & non in alia re elementari.*
4 *Aqua compoſita, medicata, & artefacta non eſt materia Baptiſmi.*
5 *Accidentia ſupervenientia in Aquam non perturbant Baptiſmum.*
6 *Glacies, Grando, Nix non ſunt materia apta ad Baptiſmum.*
7 *Aqua ſolemniter conſecrata propria eſt materia Baptiſmi.*
8 *Fons Baptiſmalis debet renovari quolibet anno in Sabbato Sancto.*
9 *Poteſt etiam renovari extra illud tempus.*
10 *Aqua antecedentis anni debet projici in Sacrarium.*
11 *Aquæ minima gutta non ſufficit ad baptizandum.*
12 *Aqua benedicta poteſt admiſceri cum non benedicta.*
13 *Aqua facile corrumpitur.*
14 *Quomodo dari poſſit effluxio Aquæ.*
15 *Unicum remedium eſt nova Aquæ benedictio.*
16 *Rationes propter quas non eſt adhibenda Aqua corrupta.*
17 *Si Aqua eſſet conglaciata, quomodo liquefacienda ſit?*

TERMINI Materiæ & formæ, in materia Sacramentorum, prima vice uſurpati fuere anno 1215. in Eccleſia Dei a Guillelmo Altiſiodorenſi, quem deinceps omnes pene Theologi ſequuti ſunt, ut ex Morin. *Exercit. 1. de Sacr. Ordin.* obſervet Duhamel *in Theol. Speculat. & pract. T. 7. tract. de Matrim. lib. 1. diſſert. 3. cap. 5. per tot.* 1

§. I. Ac primum intelligat Parochus, cum hujus Sacramenti Materia ſit Aqua vera, ac naturalis nullum alium liquorem ad id adhiberi poſſe.

2 Aqua communis unica eſt materia adhibenda in conficiendo Sacramentum Baptiſmi, ſcilicet, Aqua elementaris, ſive marina, ſive fluvialis, ſive pluvialis; ſive fontium, ſive putei, quia illa tantum eſt naturalis Aqua. Ita definitum fuit in Concil. Lateran. *In c. firmiter, de ſumma Trinit.* Conc. Florent. *in Decreto Fidei*, & in Concil. Trid. *ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſmo*. Ratio hujus inſtitutionis
3 duplex eſt. Prima a priori ſumitur ex voluntate Chriſti, qui Sacramenta inſtituit eo modo, quo voluit: altera congruentiæ, quia cum Baptiſmus ſit omnibus ad ſalutem ſimpliciter neceſſarius, debuit inſtitui in re communiſſima, quæ ab omnibus facile haberi poſſet. Quid enim communius Aqua; quid facilius inventu? Altera ratio etiam eſt, quia per Aquam qua lavantur corporis maculæ, apte repræſentatur ablatio peccatorum, quæ fit per Baptiſmum.
4 E contra Aqua ex floribus, vel herbis, arte ſtillata, Vinum, Jus, Cerviſia, & hujuſmodi liquores non ſunt materia apta ad Baptiſmum. Immo ſi corpus aliquod Aquæ elementari in tanta quantitate admiſceatur, ut pereat primæ Aquæ denominatio, ea non eſt Aqua ad Baptiſmum. Non tamen nocet ad valorem Baptiſmi, quod Aqua ſit 5
paululum immutata ſecundum accidentia: vel quod ſit calida, aut ſulphureo, vel alio odore imbuta juxta venas minerales, per quas tranſeunt Aquæ, præcipue illæ, quæ e fontibus ſcaturiunt. Ulterius notandum, Aquam debere eſſe uſualem, ſeu talem, ut ex ea corpus ablui poſſit, quia aliàs falſa eſſet forma illa: *Ego te Baptizo, &c.* cum *Baptizo* idem ſit ac *Abluo*. Hinc Glacies, 6
Grando, Nix, & ſimilia non ſufficiunt ad Baptiſmum, etiamſi demus ea ſubſtantialiter ab Aqua non diſtingui, eo quia non valent corpus abluere, etſi utcumque illud poſſint madefacere, Ita Fulgen. *l. c. n. 59.*
Quæſtiones non inutiles ſcitu promovet, & reſolvit circa hanc materiam Clerie. *de Sacr. Baptiſm. Dec. 20.* & Coninck. *de Sacrament.* Layman. Tamburin. & alii Theologi morales, qui omnes in hoc coaleſcunt; Materiam remotam Baptiſmi Aquam eſſe naturalem, & non aliam, vel ſimilis naturæ, vel aliter apparentem quaſi Aquam.

§. II. Aqua vero ſolemnis Baptiſmi ſit eo anno benedicta, in Sabbato Paſchatis, vel Sabbato Pentecoſtes, quæ in fonte mundo nitida, & pura diligenter conſervetur: & hæc quando nova benedicenda eſt, in Eccleſiæ, vel potius Baptiſterii Sacrarium effundatur.

7 Quamvis quælibet Aqua naturalis ſit ſufficiens materia ad Sacramentum Baptiſmi, attamen adeſt Aqua ab Eccleſia ad hoc inſtituta, & ſolemni ritu conſecrata. Communis Aqua adhibetur, ſeu adhiberi permittitur in caſu neceſſitatis, & in Baptiſmo non ſolemniter miniſtrato, ob cauſas, de quibus ſuo loco dicemus in Titulo *de Tempore Baptiſmi*: Aqua vero conſecrata adhibenda eſt in ſolemni Baptiſmo cum cæteris cæremoniis & Ritibus, Sarnell. *Ep. T. 1. ep. 31.*
8 Quolibet anno in Sabbato Sancto Paſchatis, vel in Sabbato Pentecoſtes, renovari debet fons Baptiſmalis, ſeu Aqua fontis ſolemni benedictione præſcripta in Miſſali, & Rituali, Gavant. *P. 4. T. 19.* & hanc eſſe functionem Parochialem, & ad Parochum ſpectantem docet Barboſ. *de Offic. & pot. Paroch. cap. 12. n. 2.* cum aliis DD. ibi allegat.
Poteſt etiam renovari extra hæc tempora, quando ſcilicet defecerit in fonte Aqua infra annum, ne deſit materia tanti Sacramenti in ſubſidium Animarum: Vetitum enim eſt, ne Aqua conſecrata anno antecedenti quis utatur, *c. duo, de conſecr. diſt. 4.* 9
De Fonte apto ad incorruptam conſervandam Aquam, necnon puram, & nitidam; necnon de perpoliendo hujuſmodi fonte, riteque tuendo ab immunditiis, & putredine: Vide Cavallier. *Tit. 27. num 13.*
Interea Aquæ, quæ remanet antecedentis anni, vel ſit corrupta, vel non, nequaquam projici debet extra Eccleſiam, ſed in Sacrarium ejuſdem Baptiſterii, ut veſtigia Sacramentorum non conculcentur, Cavellier. *ibid.* 10

§. III. Si aqua benedicta tam imminuta ſit, ut minus ſufficere videatur, alia non benedicta admiſceri poteſt, in minori tamen quantitate.

11 Aquæ minima gutta non ſufficit ad baptizandum, ſed opus eſt, ut ſit in tanta quantitate, ut ejus infuſione corpus hominis, vel ejus pars moraliter ablui dicatur. Valent. *t. 4. punct. 2. col. 4.* & alii apud Barboſ. *de Off. & pot. Par. p. 1. c. 18. n. 45.* Ideoque cum major pars cujuſcumque humoris aquei trahat ad ſe minorem, & minor convertatur in majorem, cavendum eſt ne Aqua
12 non benedicta ſuperet in quantitate Aquam benedictam. Illud tamen Aquæ augmentum cum periculoſum ſit, fieri debet cum magna advertentia; nam ſi Aqua benedicta uſque ad extremam guttam ita imminuta ſit, ut minus ſufficere videatur ad Baptiſmum, pauciſſima etiam pars Aquæ ſimplicis poteſt illi immiſceri, ne alia ſuperet quantitatem alterius tam exiguam. In hoc caſu, ſi poſſet differri, & procraſtinari Baptiſmus, locum habet nova benedictio Aquæ, eo magis quia quocumque tempore benedici poteſt: Si vero non poſſet hoc fieri, tunc calus neceſſitatis hunc poſcit, & communi Aqua baptizatur.

§. IV. Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum, ac nitidum, recentem Aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præſcribitur.

13 Tres caſus ponit hic Textus. Corruptionem, effluxio-
nem, & defitientiam Aquæ. Corruptio faciliter dari po-
eſt, quia Aqua eſt ſtagnans, & clauſa, juxta illud: *Et*
14 *vitium capiunt ni moveantur Aquæ*. Unde Ariſtoteles ait:
Putreſcit facile Aqua. Effluxio contingere poteſt in caſu
quo Vas, ſeu fons, rimulas, ſeu fixuras licet exiguas ha-
beat, vel marmor impolitus, aut porroſæ naturæ ſit:
quod prudenter cavendum eſſe ab illis, qui de novo æ-
dificant illos fontes, monet Cavallier. *T.8. n. 9. & ſeqq.*
Cui periculo occurrere volentes nonnulli, totum Vas mar-
moreum, ex ære incoctili, ſeu ſtanno illito ad inſtar cal-
darii impleut, & faciunt Vas ſubſutum ære. Act. Med.
IV. p. 11. Deficientia vero vel ex hac effluxione oriri pot-
eſt, vel ex magno uſu facto in adminiſtrando hoc Sacra-
mento, vel denique ob exſiccatione ejuſdem Aquæ. In 15
his tribus caſibus unicum remedium docet ipſa Textus,
& eſt Benedictio novæ Aquæ, ut ſuo loco dicemus.
Quod demum Aqua corrupta, & putrida non ſit adhiben- 16
da, multiplex ratio eſt: prima, quia corrupta, ita altera-
ta dicitur, ut ſuam formam immutatam habeat: ſecunda,
quia nocere poteſt Infantibus: projecta enim ſupra capus
adhuc tenellum, introducere poteſt in porroſitates illius
partis molleculas vitiatas, & neceſſariam tranſpirationem
impedire, & ita patientem alterare, ut mixtis ſupradictis
particulis Aquæ putridæ cum fluidis, febres, & alii graviſ-
ſimi morbi oriantur, in grave damnum Infantis baptizati.

§. V. Sed ſi Aqua conglaciata ſit, curet ut liquefiat: ſin autem ex parte congelata ſit, aut nimium frigida, poterit parum Aquæ naturalis non benedictæ calefacere, & admiſcere Aquæ baptiſmali in vaſculo ad id parato, & ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat Infantulo.

17 Jam diximus Glaciem, Grandinem, Nivem, & ſimi-
lia non ſufficere ad Baptiſmum. Hic docet Textus mo-
dum Glaciei liquefaciendi. Hoc fiat in Vaſculo diſtin-
cto, & ad id parato, portionem Aquæ conſecratæ, li-
cet conglaciatæ in illud reponendo, cui adjungatur par-
va portio Aquæ calidæ quantum ſit, ut ſufficiat ad li-
quefaciendam materiam conglaciatam. Hoc docuit pia
Mater Eccleſia pro indemnitate Infantulorum tenello-
rum, quibus unice calor favet, cum ex loco calidiſſimo
nuper exierint, qualis eſt maternus Uterus. Beeett. *ad*
Baſtarin. Canon. 12. cum Etmullero, & Gobat. *tract.* 2.

DE FORMA BAPTISMI.

TITULUS QUINTUS.

SUMMARIUM.

1 *Forma Baptiſmi innititur verbis Evangelii.*
2 *Errores antiqui circa formam Baptiſmi.*
3 *Exceptiones dandæ formæ Baptiſmi.*
4 *Vox* Ego, *ſufficit, ut indirecte exprimatur.*
5 *Formula Græcorum ſine pronomine* Ego.
6 *Requiritur, ut actus baptizandi exprimatur.*
7 *Presbyter Græcus non debet uti forma Latina.*
8 *Nec Presbyter Latinus debet uti forma Græca.*
9 *Baptiſmus ſic collatus eſſet validus, ſed illicitus.*
10 Ephpheta *verbum Chaldaicum non componit formam Sacramenti.*
11 *Caſus in quibus Baptiſmus iterari poteſt, ſed ſemper conditionate.*
12 *Forma adhibenda in baptizando ſub conditione.*
13 *Baptiſmus triplex. Per infuſionem: per Immerſionem: per Aſperſionem.*
14 *Debet ſervari Ritus Eccleſiæ Diœceſanæ in Baptiſmo.*
15 *Inſuſio quid ſit?*
16 *Immerſio quid ſit?*
17 *Aſperſio quid ſit?*
18 *D. Laurentius baptizavit ſola aſperſione.*
19 *Baptiſmus per ſtillicidium an valeat?*
20 *Modus baptizandi per Infuſionem, & per Emerſionem.*
21 *Ablutio quæ occiditur quænam ſit?*
22 *Aqua qua unus baptizatus eſt, non eſt adhibenda amplius.*
23 *Effuſa Aqua non eſt facienda ſupra Fontem.*

PRÆSCRIPTA fuit hæc Forma a Catholica Eccleſia 1
innixa verbis Matthæi 28. *Euntes docete omnes Gen-*
tes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spi-
ritus Sancti. C. *Firmiter de ſumm. Trinit.* Catechiſ. Ro-
man. *de Baptiſmo.* A latinis Miniſtris adhibenda eſt, nec
prætermitti, nec mutari poteſt, juxta Textum.

§.I. Quoniam Baptiſmi forma his verbis expreſſa: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti*, omnino neceſſaria eſt; ideo eam nullo modo licet mutare, ſed eadem verba uno, & eodem tempore, quo fit ablutio, pronuncianda ſunt, &c.

6 Olim varii fuere errores circa formam Baptiſmi, quos
diffuſe referunt Bellarmin. *l. 1. de Baptiſm. c.* 3. Suarez
diſp. 23. *ſect.* 3. Vaſquez *diſp.* 142. & alii apud Co-
nink. *de Sacr. q. 66. art. 6.* Verum nonnullæ exceptio-
nes in hac forma dari poſſunt: nempe, quod ſi reticetur
3 vox illa *Ego*, adhuc valeret Baptiſmus, ſic colliſeos; non
enim opus eſt ad valorem Baptiſmi, perſonam Miniſtri
directe exprimere, cum hæc vox ſit implicita etiam ſi di-
catur: *Te baptizo in nomine, &c.* Sufficit ergo quod hoc
4 pronomen indirecte exprimatur, aliter non valeret neque
5 forma Græcorum, quæ miniſtrum non exprimit neque per
pronomen *Ego*, dum dicit: *Baptizetur ſervus Chriſti in*
nomine Patris, &c. Coninck. *de Sacr. q.66. art. 6.* Actio
enim procedit a Miniſtro, & Miniſter adeſt.
Præterea ad eſſentiam Baptiſmi requiritur, ut actus 6
baptizandi exprimatur *uno, & eodem tempore*. Ita habe-
mus ex Conc. Florent. *in decreto de Armenis*, & ratio
ſuadet, quia ablutio externa ob varios fines haberi pot-
eſt; quare ut ſignificet ablutionem internam a pecca-
tis, non ſatis eſt adhibere lotionem externam cum ver-
bis illis *In nomine Patris, &c.* ſed præterea adhiberi de-
bent illa verba *Ego te baptizo, &c.* quæ ex uſu Eccle-
ſiæ ablutionem internam a peccatis ſignificant. Fulten.
de Sacr. 1. 9. reſol. 4.

§. II. Latinus Presbyter latina forma ſemper utatur.

Convenientia verba cuique ritui adhibenda ſunt, etiam
7 ob evitandam deformitatem: unde ſicuti Presbyter Græcus
8 non deberet uti forma latina, ita latino Presbytero pro-
hibetur uſus formulæ Græcæ, quia diſconveniret, ſi for-
9 mæ pares non eſſent cæteræ formalitates. Baptiſmus vero
ſic collatus validus eſſet, ſed illicitus, & contra præce-
ptum Rubricæ; unde qui ita miniſtraret, graviter peccaret.
Objicere poſſet aliquis, quod in miniſtratione Baptiſmi
utitur Sacerdos latinus vocabulo non latino, tunc cum
digito accipiens ſalivam oris ſui, tangit aures, & nares
infantis dicens *Ephpheta* (*quod eſt adaperire*,) *Ord. bapt.*
parvul. Illud verbum *Ephpheta* eſt Chaldaicum, & ta-
men ſic loquendo Sacerdos latinus, rite, & recte, imo
licite adminiſtrat Baptiſmum: Quare ergo non licet ei-
dem latino Presbytero uti forma Græcorum? Reſpondeo:
Illud verbum *Ephpheta* eſſe ita pronunciatum, & ab Ec- 10
cleſia ſtatutum, ut ad D. Marci *Evang. c.* 7. relatio ha-
beretur, ubi dicitur, Chriſtum Dominum adhibuiſſe tale
vocabulum Chaldaicum ad ſanandum mutum. Inſuper
hoc verbum non componit formam Sacramenti, ſed tan-
tum eſt in Cæremoniis, & Sacramentalibus, ad Sacra-
mentum eſſentialiter non ſpectantibus.

§. III. Cum Baptiſmum iterare nullo modo liceat, ſi quis ſub conditione, de quo infra, ſit baptizandus, ea conditio explicanda eſt, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Hac tamen conditionali forma non paſſim, aut leviter uti licet, ſed prudenter, & ubi re diligenter perveſtigata, probabilis ſubeſt dubitatio, Infantem non fuiſſe baptizatum.

Multi

11 Multi ſunt caſus, in quibus Baptiſmus iterari poteſt, licet per ſe, & radicaliter ſit Sacramentum non iterabile: ſemper vero hoc faciendum eſt conditionate. Pro regula generali ſit: Quotieſcumque rationabiliter dubitatur, Creaturam humanam, vel nullo modo, vel invalide
12 fuiſſe baptizatam. Tunc iterari licite poteſt cum formula præſcripta: *Si non es baptizatus*, *&c.* Ipſe baptizandus, ſi eſt adultus, poteſt de ſe rationabiliter dubitare, ſi nullo modo ſibi conſtet, neque per teſtes, neque per ſcripturam, neque per Miniſtrum. In Infantibus vero ſi expoſiti ſint, ſi incerti, ſi derelicti, ſi Patrini non exſtent, qui id affirment, ſi Parochia ſit incerta, ſi libri deperditi ſint, vel in illis non reperiatur memoria; ſi Parentes ignorent; ſi a Regionibus longinquis, & multo magis Infidelium, proveniant; ſi ad littus projecti per naufragium, & in ſimilibus caſibus Baptiſmus licite iterari poteſt, ſed ſemper ſub conditione juxta formulam ſuperius deſcriptam.

§. IV. Baptiſmus licet fieri poſſit aut per infuſionem Aquæ, aut per Immerſionem, aut per aſperſionem: primus tamen, vel ſecundus modus, qui magis ſunt in uſu, pro Eccleſiarum conſuetudine retineantur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum Crucis uno, & eodem tempore, quo verba proferuntur, & idem ſit aquam adhibens, & verba pronuntians.

13 Tripliciter conferri poteſt Baptiſmus, Per Infuſionem: per Immerſionem: & per Aſperſionem. Quilibet tamen
14 Miniſter debet ſervare Ritum Eccleſiæ Diœceſis, in qua degit, quia his tribus modis ſemper ablutio fieri poteſt,
15 Fulgen. *cap.* 9. Infuſio idem eſt ac effuſio, & fit per Aquæ effuſionem, verſando, ſeu effundendo illam ſupra caput Baptizandi, qui mos fere communis eſt in Italia,
16 Clericat. *de Bapt. deciſ.* 39. *nn.* 2. 3. Immerſio fit quando immergitur, vel Caput, vel totum Corpus Baptizandi in Aquam; mos eſt tamen laudabilis immergendi tantum caput, ut alibi dicemus. In adultis, certe, & præcipue fœminis, conſuetudo hæc non eſt amplexanda, loquendo de immerſione totius corporis, ubi etiam vigeat Ritus immerſionis.
17 Aſperſio denique eſt guttarum Aquæ projectio in caput Baptizandi, & licite fit, ac valide ubi vigeat talis mos; de facto id docuit D. Cyprianus *l.* 4. *ep.* 7. ut notat Coninck. *de Sacramentis*, *art.* 7. *dub.* 1. *q.* 66. ubi nota-
18 tur quod D. Laurentius, inſtante martyrio, olim baptizavit ſola aſperſione Aquæ. Nec credibile eſt, Apoſtolos, cum (ut habetur *Actorum* 2.) tria millia, & c. 4. quinque millia hominum, una die baptizarunt, ſingulos immerſiſſe, ob raritatem Aquæ, niſi in publica piſcina id feciſſent, quod non videtur credibile. Clericatus loco 19 citato proponit caſum fictum de Curato baptizante per ſtillicidium, a tecto: & concludit, per iſtam aſperſionem validum fuiſſe, ſed illicitum Baptiſmum.

Duo priores modi magis ab Eccleſia approbantur. Si 20 primus in uſu ſit, ter caput Baptizandi perfundatur Aqua: ſi ſecundus, ter immergatur, dummodo ſemper in actu effuſionis, vel immerſionis pronuncietur forma Eccleſiæ.

Eſt altera Ablutio ab Ægidio Coninck deſcripta *Q.* 66. 21 *art.* 7. *dub.* 1. & vocatur *Ablutio*, *qua occiditur*, quam ipſe probat validam eſſe, ſed illicitam multis argumentis, & rationibus. Et fit hæc Ablutio (quam potius Immerſionem vocarem) quando quis projicitur in Aquas Putei, vel Fluminis, aut Maris. Communior opinio DD aſſerit, tale Baptiſma nullum eſſe, ac peccare mortaliter ſic baptizantem.

§. V. Ubi vero Baptiſma fit per Infuſionem Aquæ, cavendum eſt, ne Aqua ex Infantis capite in Fontem, ſed vel in Sacrarium Baptiſterii prope ipſum Fontem extructum defluat, aut in aliquo vaſe ad hunc uſum parato recepta, in ipſius Baptiſterii, vel in Eccleſiæ ſacrarium effundatur.

22 Non decet, quod Aqua, qua unus baptizatus ſit, alter baptizetur, quia hoc pacto Aqua poteſt fieri immunda per contactum; & immiſceri cum aliqua re non convenienti. Ideoque effuſio, ſeu infuſio facienda eſt non ſupra Fontem conſecratum, ſed ſupra catinum, ſeu aliud vas ad id paratum, quæ Aqua, ut ſupra dictum eſt, reponatur in Sacrarium prope fontem conſtructum. 23

D E

MINISTRO BAPTISMI

TITULUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopus ipſo jure habet poteſtatem baptizandi.*
2 *Sacerdos ſimplex, nec Diaconus habent ſimilem poteſtatem.*
3 *In caſu neceſſitatis quilibet poteſt baptizare.*
4 *Epiſcopo ſuccedit Parochus, qui gerit vices Epiſcopi.*
5 *Parochus habet tantam poteſtatem in ſua Parochia, quantam habet in ſua diœceſi Epiſcopus.*
6 *Parochiani omnes a proprio Parocho baptizari debent.*
7 *Parochus peccat baptizans non ſibi ſubditum.*
8 *Poſt Parochum quilibet Sacerdos poteſt baptizare de ejus licentia.*
9 *Licentia debet eſſe expreſſa, vel præſumpta.*
10 *Quod tamen intelligitur de Baptiſmo ſolemni.*
11 *Poſt Sacerdotem ſuccedit qualibet creatura humana.*
12 *Ex vi conſuetudinis poteſt quis a non ſuo Parocho baptizari.*
13 *In caſu neceſſitatis omnes baptizare poſſunt.*
14 *Sed inter illos ſervandus eſt ordo tam naturæ, tam gradus.*
15 *Qui ordo non poteſt præverti ſine juſta cauſa.*
16 *In Partu difficili mulier debet baptizare honeſtatis gratia.*
17 *Obſtetrices inſtrui debent, & examinari circa Baptiſmum.*
18 *Inſtruere obſtetrices eſt munus Parochiale.*
19 *Doctrina D. Caroli circa inſtructionem obſtetricum.*
20 *Parentes filios baptizare non debent niſi in caſu neceſſitatis.*
21 *Tunc nullam contrahunt affinitatem.*
22 *Cognatio ſpiritualis non impedit uſum Matrimonii ſi filius ſit legitimus.*
23 *Si filius ſit illegitimus, tunc Pater baptizans non poteſt Matrimonium contrahere cum illius Matre.*

EPISCOPUS ipſo jure habet ordinariam poteſtatem 1 quoslibet, in ſua Diœceſi, baptizandi; Sacerdos ſim- 2 plex, minime, & multo minus Diaconus. Quilibet ta- 3 men in caſu neceſſitatis baptizandi poteſtatem habet. Fulgen. *de Sacram. c.* 11. quod intelligitur etiam per Barboſam *de Offic. & pot. Par. c.* 18. *n.* 1. quando dicit: *Miniſter Baptiſmi ſolemniter, & ex paſtorali officio celebrandi eſt proprius Sacerdos.* Epiſcopus enim eſt ſummus Sacerdos in propria diœceſi; & clarius hoc explicat dum ſequitur: *Officium baptizandi, per ſe primo convenit Epiſcopo*, c. 9. n. 1.

§. I. Legitimus quidem Miniſter Baptiſmi eſt Parochus, vel alius Sacerdos, a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus; ſed quoties Infans, vel Adultus verſatur in vitæ periculo, poteſt ſine ſolemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, ſive Clerico, ſive Laico, etiam excommunicato, ſive fideli, ſive infideli, ſive Catholico, ſive Hæretico, ſive Viro, ſive Fœmina, ſervata tamen forma, & intentione Eccleſiæ.

4 Epiſcopo ſuccedit Parochus, qui in actu curæ Anima-
5 rum gerit vices Epiſcopi, Barboſ. *dict. c.* 9. *n.* 1. & in propria Eccleſia habet tantam poteſtatem, quantam Epiſcopus in propria Diœceſi, Abb. *cap.* 1. *n.* 28. *de dolo & contum.* per Barboſ. *ibid. n.* 3. Unde regulariter jure communi attento Parochiani omnes e proprio Parocho baptizari 6 de-

debent juxta theoricam Innoc. *in cap. dilectis*, n. 4. *de capell. Monach.* quam uno ore ſequuntur adducti a Card. de Albic. apud de Luca *de Juriſd. d.* 2. *q.* 6. Quando enim Parochiæ ſunt diſtinctæ (& fontem habent baptiſmalem) non eſt permiſſum uni Parocho ponere falcem in meſſem
7 alienam, Rota coram Pentinger. *dec.* 102. *n.* 7. Imo quod mortaliter peccet Parochus baptizans eum qui ſibi ſubditus non eſt, ſuis rationibus probat Gobat. *Theol. experim. tr.* 2. *de Bapt. n.* 132. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 7. *concl.* 2. & præcipue illa, quia Baptizans ſibi non ſubditum uſurpat alterius juriſdictionem.
8 Poſt Parochum quilibet Sacerdos, ſed de ejus licentia, baptizare poteſt, quæ licentia debet eſſe expreſſa,
9 vel rationabiliter præſumpta, Barboſ. ibid. *c.* 18. *num.* 9.
10 Atque hoc intelligitur ſemper in Baptiſmo ſolemni, non autem in privato, neceſſitatis cauſa collato.

Ratio autem cur non poſſit ſimplex Sacerdos ſolemniter adminiſtrare Baptiſmum ſine licentia Parochi, eſt, quia cum ſimplex Sacerdos non præſit alicui Eccleſiæ, de jure non competit illi Sacramentum conferre, ſed tantum ex commiſſione, Fulien. *d. de Sacr. XI.*

Poſt Sacerdotem quilibet, qui Creatura humana ſit, 11
& uſum rationis habeat, in caſu neceſſitatis poteſt miniſtrare Baptiſmum, dummodo materiam, & formam debitam ſervet, & intentionem habeat faciendi id quod intendit Eccleſia.

Regula generalis eſt, ut unuſquiſque baptizetur a pro- 12
prio Parocho, hoc vero non obſtante, ex vi conſuetudinis, poteſt Parochianus ab alio, quam a proprio Parocho baptizari. Ita Dominicus Urſaya *diſc. Eccleſ. T.* 4. *p.* 2. *diſc.* 2. *num.* 38. qui affert decretum S. C. R.

§. II. Sed ſi adſit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, & Vir Fœminæ, niſi pudoris gratia deceat Fœminam potius, quam Virum baptizare infantem non omnino editum, vel niſi melius fœmina ſciret formam, & modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, præſertim obſtetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant, & ſervent.

13 Advertit circa hoc Fulien. *l. c.* quod etſi in caſu extremæ neceſſitatis poſſit Laicus, Hæreticus, Fœmina,
14 &c. Baptiſmum conferre, ut tamen hoc licite fiat, debitus ordo ſervandus ſit, ita ut præſente Sacerdote Diaconus non baptizet, præſente Diacono Subdiaconus, aliique inferiores Clerici, præſente Clerico Laicus, præſente Fideli Infidelis, & præſente Viro Fœmina; dummodo cætera ſint paria; Et ratio eſt, quia prædicti ſunt unice miniſtri neceſſitatis, quæ neceſſitas non habet locum reſpectu Diaconi quando adſit Sacerdos, nec reſpectu Subdiaconi quando Diaconus præſens ſit, atque ita de cæteris. Verba illa: *Modo cætera ſint paria*, explicantur ſic ab eodem Doctore: Si Sacerdos *præſens*, aut non poſſet rite Baptiſmum miniſtrare, aut nollet, niſi accepta in pretium pecunia, quicumque alius inferior deberet baptizare. In his enim, & ſimilibus caſibus juſta cauſa ſuppeteret, dictum ordinem invertendi. Quando autem juſta cauſa deeſt, non poteſt ordo ille mutari ſine peccato, aut veniali, ut ſi Mulier baptizet, præſente Viro Laico, aut mortali, ut ſi Laicus, aut etiam Clericus præ-
15 ſente, & renuente Sacerdote baptizet. Quando Diaconus poſſit ſolemniter baptizare, videri poteſt apud Clericat. de Bapt. *dec.* 28. & 35. *c. firmiter, de ſumma Trinitate*.
16 Dari poteſt caſus, in quo ſuper omnes adſtantes, conveniat tantum Fœminæ baptizare Infantem. Et caſus eſt ſi Partus difficilis eſſet, & eum intra uterum baptizare expediret, vel ſi totaliter extra uterum Matris haberi non poſſet, & pars unica Infantis apparens aqua ablui deberetur; clarum enim eſt quod in iſtis, & ſimilibus caſibus, ob honeſtatem, & pudorem, non niſi Fœminæ competeret hoc officium baptizandi.

Inſuper dari poteſt, quod Fœmina unice calleat formam Baptiſmi, præcipue in locis ruralibus, ubi ſæpe ſæpius maxima ruditas perſonarum eſt: Tunc, licet adſit Vir, ſed ignorans formam, & e converſo Fœmina in forma ſit inſtructa, ut ſolent eſſe ex officio obſtetrices, Fœmina habere debet ſupra Virum præeminentiam.
17 Et quoniam de obſtetricibus ſermo incidit: maxima cura eſt, in Civitatibus præcipue, apud Medicos, ut Fœminæ, quæ obſtetricum artem exercent, bene, & rationabiliter inſtruantur, & examini ſubjaceant ad munus ſuum exercendum, ut puerperia bene ac feliciter ſuccedant, licet quandoque periculoſa, & difficillima; ad hoc ut in promptu habeant remedia auxiliaria & conſilia ad feliciter extrahendos infantes ab utero Matrum. Hoc pro bono Reipublicæ regimine, laudabiliter fit, ne in ortu ſuo, homo corporaliter periclitetur; nam manus, & oculi obſtetricum ſæpe falluntur, Text. *in cap. cauſam* 24. *de probat.* Verum iſta diligentia raro (proh pudor!) adhibetur ad ſuccurrendum periculo ſpirituali Infantium naſcentium, obſtetrices nec inſtruendo, nec examine approbando circa illa omnia, quæ non modica ſunt, & ad rite conferendum Sacramentum Baptiſmi in caſu neceſſitatis inſerviunt. Per Vicarios cogi poſſunt obſtetrices ad recognoſcendum puellas ſtupratas, Peregrin. *Prax. Vicar. p.* 4. *ſect.* 1. *n.* 46. & illis creditur an mulier ſit prægnans, *l.* 1. *ff. de inſpic. ventr.* Unice in re tanti momenti quanti eſt adminiſtratio Baptiſmi, nempe Sacramenti ſummæ neceſſitatis, nullum fit experimentum, nullum examen præſertim in locis ruralibus, ubi maxima ignorantia plerumque viget.

Inter munera parochialia hoc unum enumerat Mona- 18
cell. *Form. Tom.* 1. *tit.* 10. *form.* 5. & 6. *n.* 5. ut obſtetrices bene inſtruantur per eum circa formam, & materiam hujus Sacramenti, & ab Epiſcopis approbentur, ut monet D. Carol. *in Conc. prov.* 5. relat. a Gavant. *Manual. Epiſc. Verb. Baptiſm.* n. 26. & tradunt communiter DD. quos refert Romaguer *ad Synod. Gerund. lib.* 3. *tit.* 18. *c.* 2. *num.* 18. Sed doctrina hæc de obſtetricibus nimis compendioſa eſt, nec par neceſſitati, ut a Parochis clare, & diſtincte habeatur.

Igitur quæ in Actis Mediolanenſis Eccleſiæ deſcripta
ſunt, fideliter hic ad omnium notitiam reportabo: *Ob-* 19
ſtetrices, pœna arbitraria Epiſcopi propoſita, officium non præſtent niſi per Vicarium foraneum, ſi in Diœceſi ſunt, ſi vero in Urbe, per eum, cui Epiſcopus id curæ dederit ſcripto, probatæ ſint idoneæ ad Sacramentum Baptiſmi, cum neceſſe erit, miniſtrandum. Quæ autem probata eſt, cum baptizabit, curet, quoad ejus fieri poteſt, ut duæ ſaltem Mulieres, ac Mater præſertim, ſi poteſt, teſtes præſentes adſint, quæ in baptizando, verba ab ea prolata audiant. Parochus vero, cum perquiret, an Infans baptizatus ſit, diligenter obſtetricem, & teſtes etiam de verbis prolatis interroget, ut ſibi conſtet, an Baptiſmi forma recte adhibita ſit, an vero ſecus, quamobrem oporteat Infantem a ſe baptizari. Conc. Prov. 5. P. 1. Inſuper. *Parochus baptizandi formulam non ſolum populo generatim, ſed etiam privatim, ac præcipue Obſtetricibus, in Eccleſia tamen, plane oſtendat ac tradat, quam etiam an illæ recte teneant, aliquando eodem loco accurate videat, ac diligenter quærat.* Conc. Prov. 4. p. 2. *Obſtetricibus autem, quæ baptizare conſueverunt, formamque Baptiſmi tenent, Baptizare quidem neceſſitate urgente permittitur, etiam præſente Laico, hujus Sacramenti conficiendi plane ignaro rudiſque ſit.* Act. part. 4. Inſtruct. Bapt. *Verum graviſſime Parochus monebit quam graviter illæ peccent, ſi quando mortis neceſſitate non cogente, Baptiſmum miniſtrare audent. Obſtetricum, quæ intra Parochiæ ſuæ fines habitant, nomina certo libro deſcripta habebit, ut illas interdum inſtruat, non ſolum Baptiſmi quæ materia ſit, ſed quæ etiam forma, & quæ intentio baptizantis.* ibid. *Iſtæ Obſtetrices perquirendæ ſunt peſte imminente, quæ mulierum in eo morbo, ſuſpicioneve verſantium partum adiuvent:* Conc. Prov. 5. p. 2. Sed de Obſtetricibus modo ſatis.

§. III. Pater, aut Mater propriam Prolem baptizare non debet, præterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur qui baptizet; neque tunc ullam contrahunt cognationem, quæ Matrimonii uſum impediat.

20 Cum cognatio ſpiritualis uſum impediat Matrimonii, ut ſtatuit Concil. Trid. *Seſſ.* 24. *de Ref. Matr. cap.* 2. ideo D. Carolus *Act.* 4. monuit Populum ſuum, Parenter debere omnino cavere, ne liberos ſuos baptizarent. Quæ admonitio innititur *cap. ad limina*, & *cap. de eo* 30. *quæſt.* 1. *cap. ſi vir de cognat. ſpirit.* Dec. *in d. cap.* 2. *num.* 159. *de Judic.* Navar. *Man. cap.* 16. *num.* 34. & 22. *num.* 40. *in fin.* Bellett. *diſp. part.* 1. §. 1. *num.* 15. Verum quia neceſſitas cuicumque derogat legi, Textus limitat hanc regulam, ſi hoc non fiat abſque manifeſta neceſſitate, cum ſcilicet, alii quoquomodo apti non adinveniantur, & periculi urgeat neceſſitas. Barboſa vero anguſtiorem ſententiam tenet, quam poſtea, & ipſa limitat, quaſi eum pœniteat nimis dixiſſe, *de Off. & pot. Paroch. c.* 18. *num.* 35. dicit Doctor, cognationem ſpiritualem contrahere omnes baptizantes in neceſſitate, quamvis ſit Pater, in tantum ut privetur jure petendi debitum a ſua conjuge, niſi quando (& hæc eſt etiam limitatio Rubricæ, quæ eſt ſupra omnes doctores) alius ibi non reperiatur, qui poſſit Infantem baptizare, Sanctarel. *Var. reſol. quæſt.* 72. Notandum porro quod hæc cognatio ſpiritualis non impedit uſum Matrimonii tunc quando

filius

filius eſt legitimus. Si vero ex fornicatione talis filius ſuſceptus ſit, tunc Pater non poteſt Matrimonium contrahere cum ipſius Matre, Naver. *l. c. verſ. Interrogares*, Bellett. *l. cit.* & ratio in promptu eſt, quia illegitimus filius natus eſt, nondum contracto Matrimonio, ideo cum ante Matrimonium adeſſet hoc impedimentum, neceſſitas Baptizandi non excuſat, cum jam Pater, & Mater inter ſe ſolati ſint tunc temporis.

DE BAPTIZANDIS PARVULIS

TITULUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Parentes non videntur obligari ad baptizandos filios infantes.*
2 *Poſſunt tamen obligari ex conſuetudine.*
3 *Quare qui ſine juſta cauſa differunt, peccant.*
4 *Infantibus recenter natis facile imminet periculum mortis.*
5 *S. Carolus ſtatuit ante nonum diem miniſtrandum Baptiſmum.*
6 *Infantes debent duci ad Eccleſiam pro Baptiſma ſine ornatu.*
7 *Tacita tolerantia permittit pompam in infantibus Principum.*
8 *Uſus Ferrarienſis Civitatis in deferendis pueris ad Baptiſmum.*
9 *Infans Baptizatus privatim in caſu neceſſitatis, ceſſante neceſſitate, debet deferri ad Eccleſiam, ut ſuppleantur Ritus.*
10 *Ritus, & Cæremoniæ influunt in bonum Creaturæ.*
11 *Ablutio facta in utero matris clauſo non valet.*
12 *Variæ opiniones circa Baptiſmum in utero.*
13 *Non Baptizatur quis in utero clauſus.*
14 *Baptiſmus ſic collatus ſaltem eſt dubius, atque ideo repetendus.*
15 *Poteſt quis Baptizari in utero clauſus ſub conditione.*
16 *Caput eſt nobilior pars hominis.*
17 *Per caput demonſtratur forma eſſentialis hominis.*
18 *Quæcumque partes corporis humani capaces ſunt Baptiſmi.*
19 *Umbilicus baptizari poteſt, quia eſt pars hominis; ſimiliter & capilli.*
20 *Caput abſolute baptizatur, cætera membra ſub conditione.*
21 *Baptizatus ſub conditione eſt ſepeliendus in loco ſacro.*
22 *Partus Cæſareus cauta tentandus eſt.*
23 *Nunquam vero a Clerico.*
24 *Fœtus extractus repertus mortuus non baptizatur.*
25 *Si fœtus una cum matre moriatur in utero, & non extrahatur, ſepeliri debet una cum matre.*
26 *Fœtus mortuus ſequitur ventrem quoad ſepulturam.*
27 *Cum expoſitis tutius agitur ſi adminiſtretur Baptiſmus.*
28 *Schedis colla expoſitorum appenſis non ſemper credendum eſt.*
29 *Magna cautio adhibenda in baptizandis monſtris.*
30 *Sermo eſt de monſtris, at perſona humana natis.*
31 *Ordinario loci ſpectat pronunciare quid agendum de monſtris.*
32 *Humana ſpecies debet apparere in capite.*
33 *Hiſtoria Mulieris Ferrarien. habentis medietatem capitis Vituli.*
34 *Si monſtra ſint dubia, poſſunt baptizari conditionate.*
35 *Multifaria eſt natura monſtrorum.*
36 *Si monſtra, plura capita, & plura pectora habeant, monſtrum baptizandum eſt ſub forma* Ego vos Baptizo.
37 *Monſtra bifaria de vero vitalia.*
38 *In bifariis monſtris incertis, unum intentione certa, alterum baptizandum eſt conditionate.*

1 Advertit Barboſa *de Offic. & pot. Paroc. cap. 18. num. 14.* quod extra caſum neceſſitatis, & ſtando ſolum Juri Divino, non videntur obligari Parentes ad baptizandos filios tempore infantiæ, quod videtur olim fuiſſe in conſuetudine aliquibus in locis: et vero ex con-
2 ſuetudine Eccleſiæ, & præcepto ejus, recte poſſunt Parentes ad baptizandos Infantes ſuos ante adultam ætatem obligari, cum res ſit juſta, & bono communi expediens, & ipſi ſubditi juriſdictioni Eccleſiæ: unde ſecluſa magna cauſa, non poteſt hæc conſuetudo violari. Ita Suar. *T. 3. de Sacr. quæſt. 71. diſp. 32. ſect. 1. verſ. 3.* Nihilominus Textus noſter ſatis diſcrete loquitur dum non præcipit, ſed hortatur, prout ſequitur.

§. I. Opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, ſive baptizandos, ſive baptizatos quamprimum fieri poterit, & qua decet Chriſtiana modeſtia, ſine pompæ vanitate deferant ad Eccleſiam, ne illis Sacramentum tantopere neceſſarium nimium differatur, cum periculo ſalutis, & ut iis, qui ex neceſſitate, privatim baptizati ſunt, conſuetæ cæremoniæ, rituſque ſuppleantur, omiſſa forma, & ablutione.

3 Parentes igitur Chriſtiani, qui ſine gravi cauſa Filiorum infantium Baptiſmum diu differunt, peccant mortaliter, Fulien. *d. c. 10. reſol. 3.* Ex vi enim præcepti divini poſitivi tenentur dare operam, ut Infantes bapti-
4 zentur ſaltem quando inſtet periculum mortis. Sed in Infantulis recenter natis, hoc periculum de facili imminere poteſt ex doctrina Phyſicorum communi, ergo dan-
5 da eſt opera, ut cito baptizentur. Quapropter S. Carolus, *Conc. prov. 1.* ſtatuit, ante nonum diem ad ſuſcipiendum Baptiſmum, Infantes ad Eccleſiam deferendos eſſe. Vide plura apud Coninck *q. 68. art. 3.*
6 Idem ſanctus Mediolanenſis Antiſtes in *Act. 4.* monet quod Infantes, ſine ullo pompæ ornatu, ſed ſimplici amictu involuti ad Eccleſiam, ſeu ad oſtium Eccleſiæ deferantur. Vanitas pompæ auferenda eſt, quia cum omni humilitate accedere debemus ad primum, & maximum divinæ Miſericordiæ tribunal. Si verificari debet, quod infans *Abrenuntiet Satanæ, & pompis ejus*, opus eſt ut incedat, & ſe Templo offerat in humilitate, & modeſtia.
7 Verum quomodo reprimenda, & frænanda ſit hæc pompa in Viris principibus, & nobilibus præcipue tunc, quando expectatam diu maſculinam prolem ſibi a Deo elargitam videant, penitus ignoro. Certe tacitam approbationem hujuſmodi pompis dari, & concedi ab Epiſcopis ſeu Cardinalibus videmus, cum & ipſi quandoque Miniſtri, & ſuſceptores ſint. Intelligendus igitur videtur hic Textus, quod loquatur de pompis illicitis, nempe choreis, ſaltationibus, & ſimilibus, quæ ethnicum morem ſapiunt.
8 Modeſtiſſimus uſus eſt in hac Civitate Ferrariæ quem reticere nequeo. Infans Rheda ad Eccleſiam defertur, obſtetrice, & nonnullis fœminis de familia puerperæ concomitantibus, & præcipue virginibus. Si vero Rheda de facili haberi non poſſit: Infans inter ulnas Puellæ Virginis defertur, velo ſerico, vel lineo varicolori coopertus juxta conſuetudinem, vel facultates parentum Infantis. In quo caſu obſtetrices æmulatione pugnant: propria enim, & ditiori, ſeu pretioſiori ſupellectile utuntur in cooperiendis Infantibus Pauperum, tempore quo ad Eccleſiam deferuntur.
9 *Conſuetæ cæremoniæ.* Licet, qui privatim baptizatus eſt in caſu neceſſitatis, valide, & vere baptizatus ſit, attamen ceſſante hac neceſſitate deferendus eſt Infans ad Eccleſiam, ut ſuppleantur Ritus, ac Cæremoniis ab Eccleſia ſtatutis, quæ quamvis de neceſſitate Sacramenti non ſint, nihilominus cum tempus id permittat, impleri debent: habent enim propriam, & peculiarem ſignificatio-
10 nem, & influunt in bonum Creaturæ baptizatæ: Nam etſi Sacramenta non ſint, ſunt tamen Sacramentalia, & ſuos habent effectus, circa quos vide Coninck *de Sacr. q. 71. art. 1. dub. 7.* & operantur in Baptizandis tanquam effectus a cauſa. Eoſdem effectus enumerat D. Carolus *Act. p. 4. Inſtruct. Bapt.* & Clericat. *de Bapt. dec. 45.* Sed de his fuſius dicemus ſuo loco, quando explicabimus ordinem ſupplendi omiſſa ſuper Baptizatum.

§. II. Nemo in utero Matris clauſus baptizari debet. Sed ſi Infans caput emiſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec poſtea, ſi vivus evaſerit, erit iterum baptizandus. At ſi aliud membrum emiſerit, quod vitalem

indicet motum, in illo, ſi periculum pendeat, baptizetur: & tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus, eo modo quo ſupra dictum eſt: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Si vero ita baptizatus, deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco ſacro ſepeliri.

11 Cum Uterus Matris clauſus ſit, ablutio non poteſt ha-
beri niſi mediate; ſed mediata ablutio, non eſt ablutio
corporis Infantis; ergo ablutio hoc pacto facta, ad nihi-
lum valet. Itaque Textus præſens clare dicit: *Nemo in
utero Matris clauſus baptizari debet.*
12 Cum Rituale præſcribat Infantem in Utero Matris clau-
ſum baptizandum non eſſe, dubium inſurrexit non ſolum
apud recentes, ſed etiam antiquos, utrum infans in Utero
exiſtens baptizari queat quando aliquo modo, etiam ar-
tificiali, aqua immediate ablui, vel aſpergi poteſt. De-
ciſione affirmative reſolvunt hanc quæſtionem nonnulli
etiam perantiqui Doctores, quos congerit & ſequitur Ja-
cobus Pignatellus *Tom. 1. Conſult.* 152. aſſerens Romæ au-
thoritate Eminentiſs. Cardinalis Vicarii, hanc ſententiam
ad praxim deductam fuiſſe, quia perſonæ in hac re peritiſ-
ſimæ aſſevarabant, poſſe infantem, etiam in utero exi
ſtentem, aliquando immediate aqua aſpergi. Noviſſime P.
Gualdus C. R. in ſuo Opuſculo Patavii impreſſo 1710. &
inſcripto: *Baptiſma puerorum in utero exiſtentium*; eandem
ſententiam ſoliſſime, & erudite diſcuſſit, propugnavit-
13 que. Verum contra eam inſurrexit P. Martinus Orelli
C. R. S. Pauli, & Doctiſſimus Jatrophyſicus Jo. Domini-
cus Benetti Ferrarienſis, quem honoris cauſa nomino,
qui unice valere dixit baptiſmum, tunc quando uterus
ſit apertus; non enim ait, eſt baptiſmus ſi veſte, vel
corio, ſeu utre incluſus quis baptizetur, ita ut aqua ni-
hil corporis tangat, ſed veſtem, aut ferream arcam, vel
matris ventrem, intra quem eſſet infans incluſus. Sed
cum recenſitæ ſententiæ Authores ſuſtineant, tunc poſſe
valere baptiſmum, quando Infans poteſt aqua immedia-
te tangi; hinc rejici nequit illa ſententia, admiſſa tali
hypotheſi; quia ita expoſita non opponitur Rituali. Hic
præterire non debeo, Averſam *quæſt. 64. ſect.* 2. velle
Baptiſmum eſſe validum, dum baptizatur infans incluſus
in ſecundina, dummodo membrana illa ita ſubtilis, &
poroſa ſit, ut aqua ad ipſum corpus poſſit permeare,
& circa illud fluere, quod approbat Gobat *d. tr. 2. nu.*
58. *&* 64. extendens hoc etiam ad umbilici ablutionem:
14 nihilominus communis eſt opinio, Baptiſmum eſſe du-
bium, & ſic ſub conditione repetendum, ſi infans vi-
vus naſcatur. Inſuper dicit, non eſſe capacem Baptiſmi
hominem non natum, & adhuc in utero exiſtentem,
15 ex doctrina variorum DD. ibi relatorum. Sed cum Em.
Lautea concludit, poſſe baptizari ſub conditione. De
facto hæc conditio non niſi prodeſſe poteſt Infantulo in-
nocenti, quare ergo deneganda eſt, cum nocere non
poſſit? Videatur Opuſculum meum Italice inſcriptum
La Mammana Iſtruita a battezare gli Infanti cap. 12.
16 *Caput emiſerit, &c.* Caput hominis nobilior pars eſt, eaque
exceptionem non patitur in hoc Sacramento; atque ideo
Baptiſmus ſuper hanc partem fit abſolute, & ſine hæſi-
tatione, non ſub conditione; nec iterari debet eo pacto 17
quo iterandus eſt, ſi abluat alia membra. Dignitas ca-
pitis humani talis eſt, ut per illud demonſtretur forma
eſſentialis hominis: poteſt enim dari, & vivere homo
ſine aliquo aliorum membrorum, nuſquam vero ſine ca-
pite. Rationabiliter ergo habet hæc pars prælationem ſu-
per alias, cum facies ſit pars hominis præcipua. Templum
rationis, ſimulacrum Animæ, gloria corporis, ſedes ho-
noris, & pudoris. Totus homo in vultu eſt, Ariſt. *relat.
a Sarnell. T. 10. ep.* 59. Hentic. Bohic. *in c. majores, de Bapt.*
Boer. *tr. de auth. magni conſ.* qui ait, membra e capite
fomentum, decorem, & formam recipere. Plura ad lau-
dem capitis humani videri poſſunt apud Angel. Aretin.
& Ludov. Bolognet. *in addit. in ſuo tract. malef. verſ. in
faciem*: Pulchre & de facie tractavit Felin. poſt Panorm.
in c. cum non liceat, in princ. de præſcript. Fagnan. *t. de
cret. a. pernicioſam, de off. ordinarii*, Maſtrius *in 4. ſent.
diſp. 2. q. 2. art. 5. n.* 45. in terminis terminantibus.
Nihilominus quæcumque aliæ partes corporis humani 18
capaces ſunt Baptiſmi, dummodo ſint partes vivæ, & 19
continuæ, non contiguæ. Umbilicus, & placenta poſſunt
ablui, quia ſunt partes infanti continuæ juxta Philoſo-
phicam definitionem continui, quam optime explicat Jo.
a S. Thoma eſſe unum, & idem: quod non valet de
utero, qui præſtat dumtaxat locum, ſcilicet ſarcinam,
in qua continetur infans. Umbilicus autem continuat
cum ipſo fœtu, & ſimiliter placenta, ut notat Benett.
d. n. 25. Inſuper capilli poſſunt ablui ſicut & pes, aut
pars pedis, aut manus, quia ſunt fœtui uniti, Felic.
Poteſt. *t. 1. p. 4. num.* 2975. Clericat. *de Bapt. decif.* 29. *n.* 9.
addens, quod capilli nutriuntur per ſubtiliſſimas venas. 20
Unicum caput Hominis abſolute baptizatur: cætera
membra baptizanda ſunt ſub conditione, quia in illis ca-
ſibus, Baptiſmum fuiſſe dubium, omnes DD. affirmant,
inter quos Em. de Lugo, *in Reſp. Moral. l. 5. t. 3. verſ.
eademque ratio*, & noviſſime Maſtrius *in 4. Sent. d. 2.
num.* 47. & alii allegat. a Clericat. *d. dec. 9. in fine.* 21
Dicit inſuper Textus, Baptizatos ſub conditione, eſſe
in loco Sacro ſepeliendos, eo quia in dubio, favorabilior
pars eſt amplectenda, ſeu dubia in benigniorem partem
reſolvenda, ut docent communiter DD. allegati a Cle-
ricat. *dec. 75. num. 22. de Extrem. Unct.* In noſtro caſu, licet
Baptiſmus fuerit dubius, tamquam collatus in membro,
quod non ſit caput, attamen ratio ſtat pro Baptizato, qui
non debet defraudari bono ſpirituali e ſepultura ſibi prove-
niente; ad quam Sacram ſepulturam jus cœpit habere tunc
quando dignus factus fuit, ut ablueretur Aqua Baptiſmali:
aliter ad nihilum valeret illa ablutio, & fuiſſet fruſtra-
nea: immo clare declararent, Hominem nullo modo
baptizatum fuiſſe, ſi poſt talem Baptiſmum moriens non
fieret dignus Eccleſiaſtica ſepultura.

§. III. Si Mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimum caute extrahatur, ac ſi vivus fuerit, baptizetur; ſi fuerit mortuus, & baptizari non potuerit, in loco ſacro ſepeliri non debet. Infantes expoſiti, & inventi, ſi, re diligenter inveſtigata, de eorum baptiſmo non conſtat, ſub conditione baptizentur.

22 Partus Cæſareus caute tentandus eſt, nec niſi cum
conſilio peritiſſimi Phyſici faciendus, qui Phyſicus aliquod
temporis ſpatium præſtolabitur, & alia experimenta ten-
tabit, ad ſe certiorandum de matris morte. Iſta mora
quæ aliquantula eſſe debet, facit, ut fœtus in utero in-
cluſus, vel ſigna præbeat vitæ, vel (ut ſæpe accidit)
moriatur; deficiente enim matris vita, vita filii nondum
nati maxime periclitatur.
23 Advertendum eſt hic non eſſe Sacerdotis, nec Clerici
inciſionem uteri præcipere: facile enim evenire poteſt,
ut viva mater interficiatur (quod olim eveniſſe Andreæ
Veſſalio Anatomico peritiſſimo narrat M. de Thou, &
Antonius Teiſſier: *Eloq. Hom. Sçavan. T. 5.*) & ſic in ir-
regularitatem cadant. Munus hoc a Laicis in arte peritis
exequendum eſt, non minus quam imponendum. Dato
itaque caſu, quod fœtus in utero inveniatur vivus, tunc
baptizandus eſt. Hæc vero Vita non eſt manifeſtanda
niſi per aliquem, etſi levem motum, vel palpitationem,
licet nullus audiatur vagitus.
24 *In loco Sacro ſepeliri, &c.* Locus iſte intelligi debet hoc
pacto. Si fœtus extractus ab utero repertus ſit mortuus,
tunc non baptizandus eſt, ideoque neque ſepeliendus in
25 loco Sacro. Sed ſi fœtus una cum Matre moriatur in ute-
ro, nec extrahatus ab utero, tunc ſepeliri poteſt una cum
Matre in loco Sacro, Bordon. *Var. reſol. p. 2. reſol.* 89.
num. 33. Paſſerin. *de Pollut. Eccleſiæ, diſp. 8. cap.* 21.
quia in tali caſu Eccleſiaſtica ſepultura conceditur non
principaliter ipſi fœtui non baptizato, ſed Matri, & conſe-
quenter ei tanquam membro ipſius Matris, in cujus vi-
ſceribus adhuc retineretur, Clericat. *de Sacr. in gener. dec.
9. num.* 3. Quod ſi de facto Puer extractus, & non ba-
ptizatus, ſeu repertus mortuus, ſepeliretur in Eccleſia
cum Matre, multi volunt eandem Eccleſiam remanere
pollutam: attamen contrarium tenent graviſſimi Autho-
res; eo quia iſta prohibitio cadit in pueris non baptiza-
tis, ortis ex Patre, & Matre infidelibus. Quæ regula 26
militat etiam de fœtu mortuo non extracto, quia tunc
fœtus ſequitur ventrem ſuum, cui adhuc adhæret. Sed
venter eſt fidelis, ergo more Fidelium ſepeliendus eſt
etiam Fœtus, Clericat. *Ibidem.*
Modo de expoſitis loquendo: tutius agitur ſi cuicum- 27
que expoſito, licet ſchedæ, ſeu teſtimonio in ſcriptis de
baptiſmo ei collato, adminiſtretur Baptiſmus, quia hujuſ-
modi Schedis, niſi ſint omni exceptione ſupereminentes,
fides de rero præſtatur. Mos iſte, & quidem laudabilis,
in Eccleſia Ferrarienſi ſervatur, ad quam quicumque ex-
poſitus defertur, Sacro Baptiſmo munitur a Parocho, ſed
ſub conditione; atque ita vere dicitur baptizatus Infans.

§. IV. In Monſtris vero baptizandis, ſi caſus eveniat, magna cautio adhibenda eſt, de quo, ſi opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti conſulantur, niſi mortis periculum immineat.

Am-

28 Ampliſſime doctrinam hanc de monſtris baptizandis, vel non baptizandis tractat Clericat. *de Bapt. dec.* 46. ad quam Doctorem Parochos meos erudiendos remitto. Nonnulla tamen ad hujus Textus explicationem facientia ſu-
29 peraddam. Magna cautio itaque in iſtis caſibus adhibenda eſt, & quæ Textus circa monſtra ait, intelligenda
30 ſunt de monſtris a Mulieribus puerperis editis, non a Beſtiis, licet aliquid habeant humani.
In hoc caſu, Epiſcopus, ſeu Vicarius ſi adeſt in loco, conſulendus eſt: ſi vero non adſit, & periculum ſit in 31
mora, dignior loci perſona adeatur, vel peritior: Horum cura erit, cujuſnam naturæ monſtrum ſit dignoſcere, & ſuper hoc pronunciare, an illi Baptiſmus conferri poſſit, quando tempus id ferat: nam ſi periculum mortis immineret, tunc Baptiſmus ſub conditione: *Si Homo es*, laudabiliter illi conferri poteſt: tutior enim pars eſt amplexanda, & conditio nihil ponit in eſſe.

§. V. Monſtrum, quod humanam ſpeciem non præſeferat, baptizari non debet: de quo ſi dubium fuerit, baptizetur ſub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo, &c.*

32 Iſta humana ſpecies præcipue apparere debet in capite. Verum ſi totum corpus humanum eſſet, & caput Belluinum, tunc rationabiliter denegandus eſt Baptiſmus, quia cum caput ſit ſedes rationis, & Intellectus, cenſendum eſt accidentaliter cætera membra humana eſſe; & quamvis numero potiora ſint, tamen non ſunt nobiliora: nec valet in hoc caſu Regula Juris: minor pars ſequitur majorem. Si vero per medietatem tantum, caput ſit Belluinum, & medietatem alteram habeat humanam, quæ reſpondeat cæteris membris pariter humanis, tunc in gratiam hujus medietatis humanæ conferri illi poteſt baptiſmus, quia, ut dicimus cum Ariſtotele: *Totus homo in vultu eſt*.
33 De facto, annis elapſis, a quadam nobili Matrona Ferrarienſi ortum habuit Puella quædam, quæ medium os habebat Vitulinum, & ita ſucerevit uſque ad perfectam ætatem, habens Bovinam ſpeciem in oculo, in nare, in pilis (quid plura?) in cornu, in lingua, & voce boatu ſimili. Quæ omnia (cum velo involvenda prudenter ſtatutum fuiſſet, & Puella inter ſanctimoniales, uſque ad mortem permanſerit) paucis nota fuere. Hæc baptizata fuit, quia partem humani capitis habebat; & cum in capite potior Animæ pars vivat, corpuſque juxta ſententiam Platonis in gratiam capitis conſtructum ſit, judicatum fuit, illam humani capitis medietatem ſufficientem fore ad ſuſcipiendum Baptiſmum.
Si vero alia membra habeat partim humana, partim 34
monſtruoſa, & natura non humana ſuperet naturam humanam, ut videre eſt in frequentiſſimis monſtris ab Ulyſſe Aldrovando, & Fortunio Liceto *lib. de Monſtris* allatis, tunc tutior pars eſt eligenda, & ne Creatura, licet monſtruoſa, detrimentum patiatur, ſi Animal rationale ſit, poteſt baptizari, adhibita forma conditionata: *Si tu es Homo, ego te Baptizo, &c.*

§. VI. Illud vero, de quo dubium eſt, una ne, aut plures ſint perſonæ, non baptizetur, donec id diſcernatur: diſcerni autem poteſt, ſi habeat unum, vel plura capita, unum, vel plura pectora; tunc enim totidem erunt corda, & animæ, homineſque diſtincti, & eo caſu ſinguli ſeorſum ſunt baptizandi, unicuique dicendo: *Ego te baptizo, &c.* Si vero periculum mortis immineat, tempuſque non ſuppetat, ut ſinguli ſeparatim baptizentur, poterit Miniſter ſingulorum capitibus Aquam infundens, omnes ſimul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quam tamen formam in iis ſolum, & in aliis ſimilibus mortis periculis, ad plures ſimul baptizandos, & ubi tempus non patitur, ut ſinguli ſeparatim baptizentur, alias nunquam, licet adhibere.

Ocularis inſpectio diligenter facta, una illa eſt, quæ in hoc caſu judex eſſe valeat; nec circa id aſſignari pot-
35 eſt regula univerſalis, firma, & inconcuſſa: Multifaria eſt enim natura monſtrorum. Plura capita indicant plures Animas; plura pectora ſignant plura corda: ſed cum hæc perfecta dici nequeant, ita nec perfectus in ulla parte homo dici poteſt, In hoc caſu monſtruoſa quoque forma, (ut ita dicam) utendum eſt, dicendo: *Ego vos* 36
baptizo, &c.
Quod juvat in ſimilibus caſibus eſt, ut ſæpe vitalia 37
eſſe hujuſmodi monſtra bifaria, vel trifaria, atque ideo tutiſſime poſſe Miniſtros, vel quoſcumque baptizantes, uti præſcripta forma, limitata in periculo mortis.

§. VII. Quando vero non eſt certum, in Monſtro eſſe duas perſonas, vel quia duo capita, & duo pectora non habet bene diſtincta, tunc debet primum unus abſolute baptizari, & poſtea alter ſub conditione, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Si re bene, & diligenter perſpecta, adhuc dubium ſit an unum, vel duo ſint corpora in uno ſubjecto, utpote quia duo capita non habeat, nec pectora duo bene diſtin-
38 cta, illud monſtrum de quo agitur: Unum corpus intentione certa, neque vaga ſimpliciter baptizetur, alterum vero, ſeu altera baptizentur ſub conditione: *Si non es baptizatus, &c.* Ita docuit S. Carolus *in Inſtruct. Baptiſmi, Actorum Parte* 4. T. 1. *pag. mihi* 411. Alia plura de monſtris baptizandis habebit a Clericat. *de Baptiſmo, dec.* 51. *n.* 4. *&* 5. quibus nihil habeo, quod addam.

D E P A T R I N I S.

T I T U L U S O C T A V U S.

S U M M A R I U M.

1 *Antequam Parochus adminiſtret Baptiſmum, debet informari de Patrinis.*
2 *Patrini vocantur ſuſceptores, ſponſores, fidejuſſores, Patroni, Compatres.*
3 *Soli Patrini deſignati a Parocho contrahunt affinitatem ſpiritualem, ſi plures Patrini adhibeantur.*
4 *Si Parochi culpa, plures Patrini adhibeantur, poteſt Parochus puniri, & peccat mortaliter.*
5 *Mos invaluit duos Patrinos adhibendi.*
6 *Non eſt de eſſentia Sacramenti adhibere ſuſceptores.*
7 *Peccat tamen qui eos amittit ſine cauſa.*
8 *Congruentia ſuſceptionis explicatur.*
9 *Cur non duo Viri, neque duæ Fœminæ adhibeantur?*
10 *Pater, aut Mater non poſſunt ſuſcipere filium abſque neceſſitate.*
11 *Nullus datur caſus in quo Parentes poſſint eſſe Patrini proprii filii.*
12 *A Conjugatis fugienda eſt occaſio cognationis ſpiritualis.*
13 *Infans eſſe non poteſt Patrinus.*
14 *Pueri habentes uſum rationis poſſunt eſſe Patrini.*
15 *Uſus rationis poſt ſeptimum annum præſcribitur.*
16 *Patrini debent eſſe confirmati.*
17 *Cui prohibeat Eccleſia officium Patrinatus?*
18 *Infideles non poſſunt eſſe Patrini.*
19 *Heretici in Patrinos eligi non poſſunt.*
20 *Neque publice excommunicati.*
21 *Neque publice criminoſi.*
22 *Neque Infames, ſed in iſtis datur exceptio.*
23 *Neque qui ſanæ mente non ſunt.*
24 *Neque ignorantes rudimenta Fidei.*
25 *Quando Patrini teneantur ſuſceptos inſtruere?*

26 *Qui in Paſchate Communionem non ſuſceperint, Patrini eſſe nequeunt.*
27 *Non confirmati.*
28 *Qui ignorant Symb. Fidei.*
29 *Muti.*
30 *Publice pœnitentes.*
31 *Clerici Sæculares, juxta aliquas Synodos, non vero vi Legis communis.*
32 *Monachi, Religioſi clauſtrales, & Sanctimoniales.*
(27–32: *interdicuntur a ſuſceptione.*)
33 *Epiſcopi, & Cardinales diſpenſantur.*
34 *An ſit peccatum recuſare officium Patrini?*
35 *Patrini ſuſcepti ex voto.*

MULTUM indiget de recenti Baptizatus, ut ſpirituali pabulo nutriatur ad fidem alendam, atque augendam, ne tractu temporis, deficiat in ea fide, quam profeſſus eſt; ideoque pia mater Eccleſia inſtituit, ut nemo ſolemniter baptizaretur, niſi ſecum haberet fidei ſponſorem, qui non tantum Teſtis ſuſcepti Baptiſmi eſſet, ſed fidejuſſor.

§. I. Parochus antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos ſpectat, exquirat diligenter, quem, vel quos ſuſceptores, ſeu Patrinos elegerint, qui Infantem de ſacro Fonte ſuſcipiant, ne plures quam liceat, aut indignos, vel ineptos admittat.

1 Iſta prævisio, ſeu iſta antecedens notitia prudentem Parochum demonſtrat, ne poſtea cum ad fontem pervenerit ad Baptizandum, diſputandum ſit de Patrinorum idoneitate, vel exſpectandum cum magno incommodo.
2 Ex quo Patrini ſuſcipiunt infantes in ulnas ſua, vocantur ſuſceptores: quia vero tamquam Patres habentur in regeneratione Fontis, *Patrini* nuncupantur: præbent enim ſe ipſos loco Patris naturalis. Vocantur etiam *Patroni & Compatres*; necnon *Fidejuſſores* Coninck *de Sacr. q. 67. a. 7. n. 55.*

§. II. Patrinus unus tantum, ſive Vir, ſive Mulier, vel ad ſummum unus, & una adhibeantur ex Decreto Concilii Tridentini: ſed ſimul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres, neque ipſius baptizandi Pater, aut Mater.

3 Concilium Trident. *ſeſſ. 24. cap. 2. de Ref.* hoc præcipit: Si plures adhibeantur Patrini, vult, ſolos deſignatos a Parocho contrahere affinitatem ſpiritualem. Quod
4 ſi Parochi culpa, plures adhibiti ſint, aut deſignati, Concilium jubet, eum puniri arbitrio Ordinarii. Quare notandum venit, Parochum contra hoc Decretum facientem peccare mortaliter, primo, quia videtur Concilium id graviter præcipere, cum jubeat puniri contrafacientes; ſecundo, quia grave incommodum poteſt naſci ex prævaricatione hujus præcepti, ſcilicet multiplicatio, & incertitudo cognationis ſpiritualis, cui Concilium vult obſtare, Coninck *d. l. n. 59.*

5 Mos tamen invaluit, duos tantum adhibendi Patrinos, & ſi unum, maſculum ſemper, non vero fœminam, quæ laudabilis conſuetudo commendatur in Synodo Faventina Eminent. Roſſetti juxta priſcorum Canonum ſtatuta.

6 Doctores tamen, inter quos Laym. T. 2. *l.* 5. *tr.* 2. *cap.* 9. *n.* 4. opinantur quod Patrinus unus eſſe debeat, iſque Mas, ſi puer baptizandus, & Fœmina una ſi Puella baptizanda ſit, cui concordat per modum exhortationis Synodus Ferrarien. ſub Card. de Varma 1711. *P.* 1. *de Sacr. Bapt.* ubi hæc habentur: *Enixe hortamur, & valde laudamus, quod unus tantum, idest maſculus maſculum, & fœmina fœminam a Sacro Fonte recipiat.* De eſſentia hujus Sacramenti non eſſe ſuſceptores aſſerunt Sot. *in 4. diſt. 7. q. unica, art. 10.* Sylveſt. *in ſumma, verb. confirmatio.* Peccare tamen omittentem dicit Chamerot. *tr. 3. de confirm. cap. 7. dub. 2.* quod intelligendum eſt ſi abſque neceſſitate id fiat; quia in hoc caſu poteſt quis baptizari ſine Patrino, Clericat. *de Bapt. dec. 37. num. 9.*

8 Congruentia hujus ſuſceptionis eſt, quia ſicut in carnali generatione Puer natus indiget Nutrice, quæ eum lacte nutriat, ita æquum eſt, ut in regeneratione ſpirituali, quæ fit per Baptiſmum, aliquis Infantem recens in Chriſto natum, e fonte ſuſcipiat, ut illi lac ſpirituale doctrinæ Chriſtianæ inſtillet, Fulien. *Theol. Sacram. cap. 11.*

Cur vero non duo Viri, neque duæ Fœminæ admitti 9
poſſint ad ſuſcipiendum infantem, nemo adhuc, quod ſciam, rationem aſſignavit; poteſt tamen deſumi ex S. Thoma 3. *p. q. 67. art. 7.* ubi ait: *Spiritualis regeneratio, quæ fit per Baptiſmum, aſſimilatur quodammodo generationi carnali. In generatione autem carnali Parvulus nuper natus indiget nutrice, & pædagogo; unde & in ſpirituali regeneratione Baptiſmi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, & pædagogi, informando, & inſtruendo eum quaſi novitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam chriſtianam.* In duobus Viris, vel in duabus Fœminis non poteſt verificari duplex iſta conditio nutricis, & pædagogi, ergo in ſuſcipiendo ſimul ſtare non poſſunt duo ejuſdem naturæ.

Aliqui volunt quod in caſu neceſſitatis diſpenſari poſ- 10
ſint Pater, & Mater, ut valeant ſuſcipere proprium Filium; ſed iſti non adverterunt, quod in tali caſu poteſt quiſque baptizari ſine Patrino, ergo fruſtra Parentes ſu- 11
ſciperent talem Infantem. Nullus igitur datur caſus, in quo Parentes Infantis baptizandi poſſint eſſe illius Patrini, & ſuſceptores propriæ prolis, r. dictum eſt 30. qu. 1. Si ullus daretur caſus, eſſet ſi nullus alius homo capax inveniretur, qui valeret ad ſuſcipiendum talem baptizandum in Baptiſmo ſolemniter miniſtrando; ſed tunc Baptiſmus ſolemnis evaderet privatus; & ſuſceptio prolis ſolum inducta eſt in ſolemnizatione Baptiſmi, ergo in Baptiſmo hoc non eſſet neceſſaria ſuſceptio per Parentes facta: Perſona enim Patrini non eſt de neceſſitate Sacramenti: Megal. *Prompt. Theol. verb. Baptiſm. Patrin. num. 3.* Inſuper addo, quod a Conjugatis fugienda eſt 12
totis viribus occaſio cognationis ſpiritualis, quæ importat impedimentum uſus Matrimonii; Clericat. *de Baptiſm. deciſ. 37. numer. 9.*

§. III. Hos autem Patrinos ſaltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis conſignatos eſſe maxime convenit.

13 Etſi certa ætas non definiatur per nomen illud *Pubertatis*, attamen Infans, & qui non pervenit ad diſcretionis annos, Patrinus eſſe non poteſt Clericat. *de Bapt. dec. 37. num. 4.* Si enim clare non diſtinguit Patrinus myſteria, & articulos fidei, quomodo inſtruere poterit ſuſceptum in Baptiſmo? Quare omnino falſa eſt opinio Barboſæ, & DD. ab eo allegatorum *de off. & pot. Par. p. 2. cap. 17. n. 28. 29.* qui dicunt, non nocere ſi Patrini ſint minores Infante baptizato; nam nullo jure ſtatuitur, aut requiritur, ut ſint majores: nec referre an ſint majores,
14 quia pueri cujuſcumque ætatis poſſunt eſſe ſuſceptores legitimi, modo habeant uſum rationis.

Hæc vero opinio eſt immediate contra noſtrum Textum, qui quamvis per modum convenientiæ loquatur, dicens: *convenit*: attamen pleniſſime eſt attendendus, & implendus in re tam gravi. Præterquamquod uſus rationis eſt aliquid minus quam ætas pubertatis, quæ juxta Juſtinian. §. 1. *Inſtit. tit. quib. mod. tut. fin.* eſt poſt decimum quartum annum completum in maſculis: & ſi plena ætas dici voluerit, erit poſt annum 18. in maſculis; in fœminis vero 14. *l. arrogator. 49.* §. 1. *de adopt.* §. 4. 15
Uſus vero rationis a Theologis poſt ſeptimum annum communiter præſcribitur.

Quo vero ad Confirmationem; quamvis DD. communi- 16
ter loquantur de neceſſitate Baptiſmi in Patrino, & nihil de charactere Confirmationis: nihilominus hoc maxime decet: quia ſi Patrinus inſtruere debet ſuſceptum in fide, magis ad hoc obtinendum valebit, ſi & ipſe erit confirmatus in fide, juxta illud: *Propter quod unumquodque tale eſt, & illud magis.*

§. IV. Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non eſſe admittendos Infideles, aut Hæreticos: non publice excommunicatos, aut interdictos: non publice criminoſos, aut infames: nec præterea qui ſana mente non ſunt, nec qui ignorant rudimenta fidei. Hæc enim Patrini ſpirituales filios ſuos, quos de Baptiſmi fonte ſuſceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur.

Multi

17 Multi ſunt, quibus prohibetus ab Eccleſie Patrini mi-
niſterium, ſeu officium in Sacramento Baptiſmi, adeo ut
licet valide hoc munus obire poſſint, tamen illicite hoc
faciunt, Layman *de Bapt. cap. 9. num. 2. verſ. pratorea.*
Primo igitur ſunt expellendi a munere Patrinatus
18 *Infideles*, nempe non baptizati, *c. in Bapt. de conſecr.*
& ratio eſt, quia quicumque ſpirituales filios de ſacro Fon-
te ſuſcipiunt, ſe pro ipſis fidejuſſores apud Deum conſti-
tuunt; & quia qui non eſt baptizatus, & prædicta igno-
rat, vel præſumi poteſt illa non credere, vel vere illa non
credit, cujuſmodi non ſolum ſunt Infideles, ſed etiam
19 *Hæretici*, qui in primis ab hoc munere prohibendi ſunt,
ut habetur in Catechiſ. Rom. *c. 2. ſect. 9.* ideoque merito
ab hoc officio arcentur: Nec admittendus eſt, ut ſit hu-
jus regenerationis Pater, qui illius adhuc filius factus non
eſt, quia rerum ordo invertetur. Hæc omnia invenies
apud Megal. *Prompt. Theol. verb. Bapt. Patrin. n. 3.*
20 *Publice excommunicati*, pariter arcentur, quia privatim
excommunicati notorie non ſunt ſeparati a communione
fidelium, ut illi, qui publice denunciati ſunt, & omnino
vitandi. Hæc eadem regula currit pro *Interdictis*, ſi enim
interdictus eſt eidem ingreſſus in Eccleſiam, vel uſus
Sacramentorum, conſequenter venit, quod eidem etiam
interdictum ſit fidejubere de aliquo Sacramento.
21 Similiter *Publice Criminoſis* vetitum eſt Patrinatus offi-
cium: Ita dicuntur illi, qui per plura enormia, & gra-
via delicta pluries proceſſati fuere. Sicut enim criminoſi
propter malam præſumptionem, & infamiam ex crimini-
bus reſultantem, repelluntur, & fidem non faciunt in fo-
ro externo, Farinacc. *q. 43. n. 178. q. 44. num. 35.* Raynald.
Obſ. Crim. t. 3. c. 33. §. 1. 2. num. 130. ita cum teſtes, &
ſponſores eſſe debeant collationis hujus Sacramenti, pa-
riter a munere Patrini prohibentur.
22 Sic & *Infames*. Sed Textus non diſtinguit, an infa-
mia juris, an infamia facti, ex quo nec nos diſtinguere
debemus, *l. non diſtinguemus, ff. de recept. arbitr.* atque
ideo quacumque infamia Infames ſint, Patrini in Baptiſ-
mo eſſe non poſſunt.
Verum cum aliqua exceptione intelligi debet iſte Tex-
tus, & aliqua limitatio illi danda eſt: Poteſt enim dari
caſus quod Satelles a Satellite, Carnifex a Carnifice vo-
cetur ad ſuſcipiendam ejus prolem, cum iis non liceat
tranſilire fines miniſterii ſui. In hoc caſu infamia hæc
poſſet tolerari ob difficultatem inveniendi Patrinum me-
lioris notæ, & non infamem infamia juris. Ad ſummum
pro caſu neceſſitatis eſſet conſiderandus. Quocirca, illud
notatu dignum eſt quod narret P. Foreſti *Mapam, Iſtor. de
Reg. Bohem.* Venceslaum Regem ſemper incedere conſue-
viſſe cum Carnifice ad latus, quem *Compatris* ſui chariſ-
ſimi nomine appellare ſolebat. Non tamen eo quia inter
ſe ullo vinculo, ſeu fœdere Sacramentali conjungerentur,
ſed ut demonſtraretur, magnam neceſſitudinem inter eos
uſurpari. Hoc enim vocabulum *Compater*, aliquando ſi-
gnificare amicitiæ excellentiam monet Ducangius, epiſto-
lam adducens Stephani Papæ III. Pipino Regi inſcriptam
his verbis: *Pipino Regi, & noſtro ſpirituali Compatri*,
ob amicitiæ fœdus, & compaternitatis neceſſitudinem,
ut explicat D. Petrus Damiani *lib. 2. epiſt.* 17. Hæc ha-
beo ex doctiſſimi Bacchinii *Obſervationibus ad Agnellum,
qui & Andreas, in vita S. Neonis, obſerv. 3. pag.* 252.
part. 1. Cæterum, omnes, & ſingulos qui ſecundum Ca-
nones cenſeantur infames enumerat Aoeclet. T. 2. *l. 2.
decretal. tit. 20. §. 2. a num.* 37.
Ulterius *qui ſana mente non ſunt*, amentes & furioſi
ab uſu Sacramentorum arcentur, Clericat. *dict. decif.* 80. 23
qui nonnulla tamen illis concedit, & præcipue Extremam
Unctionem: Sed cum in hoc ſuſcipiendo Sacramento
non requiratur, plena advertentia (ſæpe enim confertur
Infirmis in agone poſitis) ideo poteſt & illis conferri.
Ad exercendum tamen munus Patrini in Baptiſmo non
ſunt admittendi, quia cum debeant *Renuntiare, Promit-
tere, Poſtulare*, & ſimilia facere pro baptizando, ſi men-
tem ſanam non habent, id præſtare non poſſunt. Poteſt
tamen dari caſus, quod non ſit amentia continua, ſed
aliquod lucidum intervallum admittat: tunc durante lu-
cido intervallo poſſet talis æger ſuſcipere baptizandum:
laudabilius tamen eſſet ſi ſe abſtineret.
Eodem modo excluduntur ab hoc miniſterio *qui igno- 24
rant rudimenta fidei*. Vetus adagium eſt: *Nemo dat quod
non habet*. Quomodo igitur lac fidei præbere poterunt
noviter baptizato, ſi penitus de illa ignari ſint? Quo-
modo iſti diſcent ſine Doctore? *ad Rom.* 10.
Tenentur Patrini ſuſceptos ſuos inſtruere tunc quando 25
hoc faciendi neceſſitas immineat, nempe ſi baptizati In-
ter Infideles nutrirentur: ſed ubi nutriuntur inter Ca-
tholicos Chriſtianos, ſatis poſſunt ab hac cura excuſari,
præſumendo parentes curaturos, ſive Parochos diligenter
hoc facere. Si tamen quocumque modo ſentirent con-
trarium, tenerentur pro viribus, ſaluti ſpirituali hujuſmo-
di filiorum curam impendere, ut docet D. Th. *in 3. p.
q. 76. art.* 8. nec verum exiſtimo id quod dicit Em. Sà,
in verbo Bapt. num. 7. & approbat Coninck *in d. art.* 8.
num. 60. nempe hanc obligationem ob deſuetudinem eſ-
ſe quaſi extinctam: nam in tantum non viget, inquan-
tum inter Fideles regulariter ceſſat neceſſitas: ex quibus
deducitur, ignorantes rudimenta fidei Patrinos eſſe non
poſſe, ut ex textu ſuper explicatu.
Iſtis a noſtro Textu interdictis Patrinis, addit nonnul- 26
los alios etiam D. Carolus, *Act. p.* 4. ſcilicet eos, qui
in Paſchate communionem non ſumpſerint; Clericos
ſæculares, de quibus infra; non confirmatos ſacro Chriſ- 27
mate, & eos qui ignorant Symbolum fidei, Orationem 28
Dominicam, Salutationem Angelicam, &c.
Alios item ſuperaddit Barboſa, *de off. & pot. Par.* 29
par. 2. cap. 17. num. 30. nempe mutos, publicos pœniten-
tes, & alios ibi relatos, *cap. parvuli, de conſecr. diſt.* 4. 30
Anchar. *in rub. de cognat. ſpir. l. 6. n.* 4.

§. V. Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujuſvis Ordinis Regulares a ſæculo ſegregati.

31 In hac exceptione non annumerantur Clerici ſæcula-
res, & ratio ex ipſa Rubrica habetur, nempe quia iſti
non ſunt a ſæculo ſegregati: dicuntur enim ſæculares
quia in ſæculo, & cum ſæcularibus degunt: propterea
vigore hujus textus non poſſunt excludi: poſſunt tamen
impediri ab Ordinariis vigore conſtitutionum Synodalium.
De facto D. Carolus *Act. p.* 4. illos expreſſe excludit,
& ad illius normam multæ aliæ Synodi, & præcipue
Ferrerien. ſub Cardin. de Verme, *anno* 1721. *part.* 2.
pag. 33. Cum tamen in aliquo caſu ab iſta prohibitione
diſpenſatum ſit, concludi poteſt, hanc eſſe reſtrictionem
ad evitanda commercia inter Parentes Baptizatorum, &
Patrinos Clericos.
32 Advertat demum Parochus ne ſuſceptores ſint Abba-
tes, Monachi, aut Religioſi ſaltem clauſtrales, ut &
Sanctimoniales, quia prohibitum eſt eos in Patrinos Ba-
ptiſmi adhiberi, *cap. non licet Abbati, de conſecr. diſt.* 4.
& alii apud Barboſ. *p. 2. cap. 17. num.* 31. niſi hujuſmodi
Religioſi Epiſcopali dignitate præfulgeant, exemplo Gre- 33
gorii, qui ex Religione promotus in Cardinalem, factus
eſt Mauritii Imperatoris Compater, Barboſa *d. l.* qui
affert plures alios Doctores.
Hoc ultimum pro Corollar. quæram: An peccatum ſit 34
recuſare officium Patrini? Negative reſpondet Clericat.
de Bapt. dec. 37. num. 7. niſi hoc fiat ob contemptum,
vel niſi in magna neceſſitate eſſet requirens Patrinum.
Ideoque Perſonam nobilem inceſſam fuiſſe a Diabolo,
quia ex ſuperbia detrectaverit hoc officium reſpectu Ruſti-
ci, narrat Gobat *d. tract. 2. num.* 571. Cum ſane pie, &
laudabilis conſuetudo ſit nonnullorum, qui Patrinum ex 35
voto ſuſcipiunt, nempe Virum, ſeu Perſonam illam,
in quam primo incidunt; & quæ primo ſe illis offert,
a domo exeundo, etiamſi vilis, & miſerrimæ conditionis
eſſet: quod maximæ humilitatis exemplum denotat.

DE
TEMPORE ET LOCO
ADMINISTRANDI BAPTISMI,
TITULUS NONUS:

SUMMARIUM.

1 *Concilium Romanum reſtituit uſum baptizandi in Paſchate, & Pentecoſten.*
2 *Benedictio fontis Sabbato Paſchæ, & Pentecoſtes facienda eſt.*
3 *Et ſimul ſolemnis adminiſtratio Baptiſmi.*
4 *Solemnis adminiſtratio Baptiſmi facienda eſt in Eccleſiis majoribus.*
5 *Baptizati Albas veſtes a die Baptiſmi ad octavam Paſchæ deferebant.*
6 *Dominica in Albis cur ſic appellata?*
7 *Eccleſia providere debet de aliquo Baptizando in duobus dictis Sabbatis.*
8 *Cæremoniale Epiſcoporum præcipit per octo dies ante Paſcha, & Pentecoſt. neminem debere baptizari.*
9 *Nullus locus eſt, in quo non poſſit adminiſtrari Baptiſmus.*
10 *Eccleſia eſt proprius locus Baptiſmi.*
11 *Dummodo in ea ſit fons Baptiſmalis.*
12 *Eccleſiæ cum Fonte Baptiſmali in Civitatibus ſunt raræ.*
13 *In qualibet Eccleſia Parochiali debet eſſe Fons baptiſmalis.*
14 *Baptiſteria deberent eſſe extra Eccleſiam.*
15 *Catecheſis Baptizandi debet fieri extra Eccleſiam.*
16 *Nemo baptizari debet in locis, ſeu Capellis privatis.*
17 *Excipiuntur Reges, & Principes qui diſpenſantur.*
18 *Sed debent eſſe magni Principes, & Duces.*
19 *Facultas impetrari debet ab Ordinario pro Baptiſmo privato.*
20 *In privato Baptiſmo non diſpenſantur Principes ab uſu Aquæ ſolemniter benedictæ.*
21 *Parochus in Baptiſmo privato debet ſecum deferre Aquam benedictam.*
22 *Forma, nitor, & cuſtodia Baptiſterii.*
23 *Imago S. Joannis Baptiſtæ picta eſſe debet in Baptiſterio.*
24 *S. Joannes Baptiſta Protector Neophytorum.*
25 *Fons Baptiſmalis aliquo Sancto dicandus.*
26 *Baptiſmus noſter figuratus in Baptiſmo Chriſti per Joannem.*

TOTUM hunc Textum quaſi obſoletum renovavit 1
nopes in ſuo Romano Concilio SS. Benedictus XIII. *Tit.* 26. *c.* 1. dum inquit: *Non eſt Parochorum tantum, quod juxta Sacra Canonum ſtatuta a Rituali Romano præſcribitur, ut ſolemnis ſcilicet per eos, bis in anno, utroque Sabbato ante Sacratiſſimum Paſcha, & Pentecoſten Baptiſmalis fontis benedictio perſolvatur, ſacrumque Baptiſma tunc ſolemnius miniſtretur. Speciali id etiam ratione ab Epiſcopis exigit Cæremoniale Epiſcoporum, & nos ipſi, præcipuas velut inter Pontificales Ordinis actiones, non minori ſollicitudine commendamus.*

§. I. Quamvis Baptiſmus quovis tempore, etiam interdicti, & ceſſationis a divinis, præſertim ſi urgeat neceſſitas, conferri poſſit; tamen duo potiſſimum ex antiquiſſimo Eccleſiæ ritu, ſacri ſunt dies, in quibus ſolemni cæremonia, hoc Sacramentum adminiſtrari maxime convenit: nempe Sabbatum Sanctum Paſchæ, & Sabbatum Pentecoſtes; quibus diebus baptiſmalis Fontis Aqua rite conſecratur. Quem ritum, quantum fieri commode poteſt, in adultis baptizandis, niſi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certe non omnino prætermitti, præcipue in Metropolitanis, aut Cathedralibus Eccleſiis.

2 Non tantum igitur hiſce duobus temporibus ſtatuta
eſt benedictio fontis, ſed etiam ſolemnis adminiſtratio
3 Baptiſmi, unde gravari non debent Epiſcopi etiam per
ſe aliquando habere hanc adminiſtrationem: ſolemnis
4 enim, Pontificaliſque adminiſtratio Sacramenti decet,
ut fiat in Eccleſiis majoribus, non autem minoribus Pa-
rochialibus, in quibus extra dies præſcriptos Baptiſmus
nonniſi in gravi neceſſitate conferri poterat. Quamvis
autem hæc conſuetudo ſit antiquata, illius tamen non-
nulla veſtigia remanent, & hanc, ut ſupra diximus,
ad priſtinum faſtigium remittere conatus eſt SS. Ponti-
5 fex Benedictus XIII. feliciter regnans. Ultra quam
quod a die Baptiſmatis uſque ad octavam Paſchæ, Ba-
ptizati, veſtibus Albis induti incedebant: hinc factum
eſt, ut Dominica prima poſt Paſcha, Dominica in
Albis appellata fuerit. Deinde mos ille etiam ſervatur
nunc in vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes benedicendi fon-
tem, in quo Baptiſmus miniſtratur. Ac tandem in
iiſdem ſolemnitatibus quædam verba inſeruntur in Ca-
none Miſſæ ad Baptizatos ſpectantia. Quare ſi in Ca-
none mentio ſit Baptizatorum, videtur conſonum, ut
aliquo modo verificentur illa verba, & Epiſcopi, vel
dignitates Eccleſiarum majorum advertant, ut de ali- 7
quo ſive Infanti, ſive Adulto baptizando provideatur
in illis diebus Eccleſia, juxta præſcriptionem Cæremo-
nialis Epiſcoporum, *lib.* 2. *cap.* 27. quod vetat ne per 8
octo dies antea, niſi periculum immineat, Infantes ba-
ptizentur in ipſa Eccleſia.

§. II. Ac licet, urgente neceſſitate, ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius Baptiſmi adminiſtrandi locus eſt Eccleſia, in qua ſit Fons baptiſmalis, vel certe Baptiſterium prope Eccleſiam.

Nullus locus in Orbe terrarum eſt, in quo adminiſtra-
9 ri poſſit Baptiſmus, in caſu neceſſitatis, quia manus Do-
mini non eſt adeo abbreviata, ut ubique gratiam ſuam
non diffundat. Verum ad dignitatem tanti Sacramenti
demonſtrandam, ſtatutum fuit, ut proprius locus eſſet Ec-
10 cleſia quam vocat *Sacramentorum confugium* D. Laurentius
Juſtinianus, *ſer.* 9. Non omnis vero Eccleſia ad hoc va-
let: requiritur, ut in ea ſit Fons Baptiſmalis; aliter
11 contra Textum ageret qui extra caſus neceſſitatis, ba-
ptizaret aliquem in Eccleſia, in qua non eſſet fons Ba-
12 ptiſmalis: Quæ Eccleſiæ in Civitatibus Italiæ non ita
obviæ ſunt, immo raræ eſſe ſolent, Franc. *de Eccleſ.
Cath. cap.* 19. *num.* 25. non obſtante reſolutione C. C.
13 demandantis, ut in qualibet Eccleſia Parochiali eſſe de-
beat fons baptiſmalis, ut notat Fagnan. *in c. cum con-
tingat*, *n.* 59. *de decim.* Certe hic Ferrariæ, non obſtante
tanta vaſtitate Civitatis, & numero Eccleſiarum, duabus
tantum in Eccleſiis patet iſte Fons, nempe in Cathe-
drali, & in Templo Parochiali S. Mariæ in Vado Can.
Reg. S. Salvatoris; ex antiquiſſima poſſeſſione. Non ita
vero in Eccleſiis Diœceſis, in quibus pene ſingulis ineſt
iſte Fons Sacramentalis.

Quoniam vero de bino Fonte Baptiſmali in Civitate
Ferrariæ exiſtente, uno nempe in Eccleſia Cathedrali,
altero in Eccleſia Canonicali S. Mariæ in Vado, verba
fecimus, operæ pretium duco, vanam illam obſervan-
tiam objurgare nonnullarum Obſtetricum, quæ (quo fine
ductæ penitus ignoro: utinam vero non ab avaritia, ſeu

a præ-

e præmio ſibi propoſito) decantant, Infantes baptizatos ad fontem Eccleſiæ S. Mariæ in Vado exiſtentem, morbo epileptico, ſive apopletico, vulgo nuncupatur, *il male della materia*, impoſterum eſſe minime obnoxios. Quæ vana opinio innititur verbis Marci Antonii Guarini, *Com. hiſtor. Rerum Eccleſ. Ferrarien. lib. 5. pag. 303.* qui ait, hoc privilegium (& ſane gratis) haberi ex antiqua obſervantia: quæ utique vana eſt, & nullius momenti, nec a peccato veniali immunis, cum unum Sacrum Fontem ſupra alium utiliorem, & magis privilegiatum ſuſtineat, ac ſi Sacramentum Baptiſmi idem non ſit in utroque loco, nec par ſit virtus in utriſque. Igitur cum nimis materialis ſit hæc obſervantia, tanquam vana, & peccaminoſa abjicienda eſt, nec toleranda a fidelibus: cadit enim ſub regulis allatis per Toled. *Inſtruct. Sacerd. l. 4. c. 16. n. 1.* Experientia inſuper fallacem illam demonſtravit, cum Teſtes adhuc ſuperſtites habeam, qui Infantes ſuos in eadem Eccleſia ad hunc finem baptizatos, morbo Epileptico correptos periiſſe collacrymeverint.

Inſertur ex noſtro textu antiqua inſtitutio fontium baptiſmalium, qui extra Eccleſiam erant, & adhuc in aliquibus Civitatibus, & Eccleſiis extant; ut ita verificentur verba illa adhibita in cæremoniis Baptiſmi: *Ingredere in Templum Dei, &c.* Verum in hoc caſu iſtud Baptiſterium extra Eccleſiam gerit vices Eccleſiæ, & Templi Dei. Ad quod verificandum requiritur, ut Catechiſmus Baptizandorum (juxta præſcriptionem Rubricæ a regnante Summo Pont. *in Conc. Roman. tit. 26. cap. 3.* renovatæ) extra omnino, non intra Eccleſiam, ſive Baptiſterium fiat. 14 15

16 §. III. Itaque, neceſſitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, niſi forte ſint Regum, aut magnorum Principum Filii, id ipſis ita depoſcentibus; dummodo id fiat in eorum Capellis, ſive Oratoriis, & in Aqua baptiſmali de more benedicta.

Filii Regum, & Principum, loci privilegio gaudent,
17 & diſpenſantur ab obſervatione hujus Textus, Barboſ. *de Off. & pot. Par. p. 1. c. 17. n. 39. ad 40.* qui affert text. *in clem. unica, de Bapt.* ubi Vitalin. *n. 43.* intelligit loqui de magnis dominis, Ugolin. *de Offic. & pot. Ep. l. 2. c. 55. §. 6. n. 2.* & ideo non comprehendere Ducem Venetiarum, & Januenſem, ſed Duces Regales, Aloyſ. Ricc. *in Prax. aur. reſol. 427.* tenet Principes Regni Neapolitani includi ſub diſpoſitione illius Textus.
18 Certe ly *Magnorum Principum*, indicat, non omnes Principes in hac diſpenſatione, ſeu tolerantia includi. Verum meum non eſt hic diſputare de præeminentia Principum, quos omnes in ſuis Regionibus magnos judico, & humillime veneror. Unice dico ad explicationem noſtri Textus, & præcipue illorum verborum: *id*
19 *ipſis ita depoſcentibus*: teneri hujuſmodi Principes, hanc facultatem ab Ordinario loci petere, & non ſibi tribuere hanc deſpoticam licentiam contraveniendi ſtylo ab Eccleſia præſcripto: quod magis comprobatur per decretum *S. C. Rituum*: in qua propoſito per Card. Scotum dubio *die 13. Maji 1719. An liceat erigere Altare particulare pro explendo Baptiſmate Infantis Baronis?* Reſponſum fuit: *licere permittente Epiſcopo, & ad mentem, qua fuit, ut permitteret.*

Sed cum ſemper ſit extra neceſſitatem hæc adminiſtratio Baptiſmi in Oratoriis, ſeu Capellis Principum, non diſpenſantur Miniſtri ab uſu Aquæ baptiſmalis ſolemniter benedictæ, quia, licet privata id habeatur, 20
adhuc eſt ſolemnis adminiſtratio. Sed in ſolemni Baptiſmo debet adhiberi Aqua Fontis Baptiſmalis; ergo etiam in hoc uſu in quo Parochus debet quantam Aquam ſufficere judicat ad hoc miniſterium e ſacro Fonte exhaurire, & illam in vaſculo mundo decenter ad 21
locum Baptiſmi faciendi deferre, nec non quidquid ex ea ſupereſt, ad Fontem iterum, ſeu ad ſacrarium reportare.

§. IV. Baptiſterium ſit in decenti loco, & forma, materiaque ſolida, & quæ Aquam bene contineat, decenter ornatum, & cancellis circumſeptum, ſera, & clave munitum, atque ita obſeratum, ut pulvis, vel aliæ ſordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri poteſt, depingatur Imago Sancti Joannis Chriſtum baptizantis.

22 De forma, & nitore, nec non de cuſtodia, & cura Baptiſterii, ſatis clare, & perſpicue loquitur, & regulas præſtat Marcell. Cavallier. ſæpius a me in hoc opere enunciatus, *Reſt. Eccl. tit. 8. pag. 17. & ſeqq.* a cujus documentis recedere non diligentis eccleſiaſtici eſſet.
23 Imago S. Joannis Baptiſtæ præcipitur e textu noſtro, ut ex illa diſtinguatur Fons baptiſmalis a quocumque alio ædificio ſimiliter facto vel intus, vel extra Eccle-
24 ſiam. In aliquibus Civitatibus S. Joannes Baptiſta aſſumitur in Neophytorum protectorem.

Addo etiam: cum quiſque locus ſacer alicui Sancto dicandus ſit, Fontem baptiſmalem in honorem Præcurſoris Domini, qui in Jordane Chriſtum baptizavit, conſecrari debere; & hoc ad denotandum pertranſeuntibus myſterium, de quo in illo loco agitur; nam Baptiſmus noſter fuit figuratus in Baptiſmo 25
Chriſti, in quo Chriſtus, non a ſe, ſed a Joanne voluit baptizari, Clericat. *de Bapt. dec. 38. num. 2. §. His tamen, &c.* 26

DE SACRIS OLEIS
ET ALIIS REQUISITIS.
TITULUS DECIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Duo Olea præſcripta ſunt ad uſum Baptiſmi.*
2 *Chriſma idem eſt ac unctio.*
3 *Ejus definitio.*
4 *Quid ſit Oleum Catechumenorum?*
5 *Catechumenus quid ſignificet?*
6 *Oleum Sanctum debet benedici illo anno, quo adhibetur.*
7 *Sacerdos adhibens vetus Oleum peccat.*
8 *Vetus Oleum comburendum.*
9 *In caſu neceſſitatis adhiberi poteſt vetus Oleum.*
10 *Ratio Phyſica propter quam non debet adhiberi vetus Oleum.*
11 *Oleum Sacrum debet benedici ab Epiſcopo.*
12 *Simplex Sacerdos ex ſola commiſſione Papæ poteſt benedicere Oleum.*
13 *Sed intelligi debet de Oleo Extremæ Unctionis.*
14 *Parochus eligere debet Perſonam dignam, quæ deferat Olea Sacra de loco ad locum.*
15 *Oleum non benedictum poteſt immiſceri benedicto.*
16 *Vaſa pro Oleis quænam eſſe debeant.*
Comment. ad Rituale.
17 *Excluduntur ænea, vitrea, lignea, marmorea, &c.*
18 *Inſcriptio Vaſculorum debet eſſe bene efformata.*
19 *An peccet adhibens unum Oleum pro alio?*
20 *In Extrema Unctione errans in Oleo, Unctionem repetat.*
21 *Multi Doctores tamen ſuſtinent opinionem contrariam.*
22 *Bombacium, ſeu alia materia ſimilis adhibenda.*
23 *Digitus pollex adhibendus in Unctione.*
24 *Vaſculi Oleorum cuſtodiri debent in Fonte Baptiſmi.*
25 *Non omnis tactus Sacrorum Vaſculorum ſacrilegus eſt.*
26 *Sortilegia multa fiunt cum Oleo Sancto.*
27 *Per Oleum Sanctum multa mala tolluntur.*
28 *Sacra Olea debent deferri per Miniſtrum Eccleſiaſticum.*
29 *An Campanarius deferre poſſit Olea Sacra?*
30 *Salis benedictio duplex.*
31 *Sal benedictum pro uno miniſterio, non adhibeatur pro alio.*
32 *Sal benedicendum imminutum eſſe debet.*

33 *Sal debet eſſe naturale, non artefuctam.*
34 *Sortilegia multa poſſunt fieri cum ſale benedicto.*
35 *Pro Aqua benedicenda non eſt adhibendum ſal Baptiſmi.*
36 *Baptiſmus ſolemnis nec interrumpi, nec imperfectus remanere debet.*
37 *Deficientia alicujus rei neceſſariæ in collatione Baptiſmi facie, at ſuſpendatur Baptiſmus ſi ſit ante ablutionem.*
38 *Vas pro ſale cujus materiæ eſſe debeat?*
39 *Cochleare pro Baptiſmo quale eſſe debeat?*
40 *Pelvis, ſeu bacile pro Baptiſmo cujus materiæ eſſe debeat?*
41 *Stola duplex debet eſſe parata pro Baptiſmo.*
42 *Panis medulla, ſeu farina ex Amygdalis, abſterſiva digitorum.*
43 *Alba Veſtis imponenda Baptizato debet eſſe parata.*
44 *Sudariolum, ſeu ſtrophiolum inſervit pro Alba veſte.*
45 *Infanti pauperi veſtis Alba debet praſtari a Parocho.*
46 *Parochus de jure non poteſt linteolum petere.*
47 *Pretium pro ſudariolo, & candela exigere non eſt laudabile.*
48 *Sudariolum pro tergendo capite Infantis paratum eſſe debet.*
49 *Candela accenſa, quæ datur Infanti, quid ſignificet?*
50 *Rituale liber debet eſſe promptus in Baptiſterio.*
51 *Hortamus prolatum a Papa habet vim legis, & præcepti.*
52 *Liber Baptiſmalis pro deſcribendis Baptizatis debet eſſe paratus.*
53 *Vacchetta manualis aptior eſt ad hoc.*
54 *Cotta, & ſtola laudabilius induitur in Baptiſterio.*
55 *Catecheſis debet fieri extra fores Eccleſiæ.*
56 *Interrogare debet Parochus an infans ſit ſua Parochiæ.*
57 *Peregrini, & Zingari poſſunt ubique baptizari.*
58 *Baptizans Infantem alienæ Parochiæ ſine licentia peccat mortaliter.*
59 *Intentio Baptizantis debet ſuadere, & inniti veritati.*
60 *Debet patere an Baptizandus ſit maſculus, vel fœmina.*
61 *Baptizans maſculum pro fœmina, & e contra, an valide conferat.*
62 *Parochus debet inquirere an Infans fuerit domi baptizatus.*
63 *Item quinam ſint Patrini.*
64 *Nomina imponenda baptizandis debent eſſe Sanctorum.*
65 *Cur mutetur Nomen baptizandis?*
66 *Poſſunt tamen imponi nomina hæreditaria.*
67 *Nomina in contemptum fidei ſunt rejicienda.*
68 *Nomen Baptiſmi poteſt mutari in Confirmatione.*
69 *Nomen idiomate latino pronunciandum eſt.*
70 *Brachium dextrum nobilius eſt ſiniſtro.*

DUO Olea ad uſum Baptiſmi præſcripta ſunt ab Eccleſia: nempe Sacrum Chriſma, & Oleum Catechumenorum, cum quibus ſejunctim, & ſuis loco, & tempore, ante, & poſt Baptiſmum inungitur humana Creatura per Sacerdotem miniſtrantem hoc Sacramentum. Ideo dicit Textus:

§. I. Sacrum Chriſma, & Sanctum Oleum, quod & Catechumenorum dicitur, quorum uſus eſt in Baptiſmo, eodem anno ſint ab Epiſcopo de more benedicta feria quinta in Cœna Domini.

2 *Chriſma* idem eſt ac Unctio. Chriſtus enim a Chriſ-
mate dicitur, vel potius a Chriſto dicitur Chriſma, non
ſecundum nominis formam, ſed ſecundum fidei rationem,
c. cum veniſſet de Sacr. Unct. §. quia vero. Verum cum
hic ſignificet Oleum, debet potius definiri cum Macrio.
3 Chriſma eſt Oleum balſamo mixtum, & ab Epiſcopo,
aſſiſtentibus Sacerdotibus duodecim, Diaconis ſeptem, ſe-
ptemque Subdiaconis in feria v. majoris hebdomadæ con-
4 ſecratum: *Oleum Catechumenorum*, ſeu Sanctum, voca-
tur a Davantria in ſuo *Cæremoniali M. S.* relat. a Macrio
verb. Oleum Sanctum. Oleum exorcizatum ad reddendum
illo inunctum verum Athletam Chriſti, ut in conflictu,
5 & adverſitate tolerantes ſuſtinere valeat: *Catechumenus*
vox Græca eſt, & ſignificat qui Baptiſmum poſtulat,
quia quaſi Auditor eſt Verbi Dei, & ideo Audientes,
ſeu Auditores eos vocat Iſidor. *lib. 2. de Offic. Eccl. cap.* 21.
6 Hæc Oleæ debent eſſe eo ipſo anno benedicta: nam ſi-
cuti præſcribitur in Textu antecedenti, quod ſingulis an-
nis fiat renovatio Fontis, & quod Aqua ſolemnis Baptiſ-
mi ſit eo anno benedicta, ita in hunc locum præcipitur,
ut Oleum Sanctum ſit benedictum hoc anno, *c. ſi quis de alia, de conſecr. diſt. 4. apud* Coninck *de Sacr. q.* 71. *art.* 2. Pignatel. *T. 6. c.* 41.
7 Si Sacerdos uteretur veteri Oleo, peccaret graviter, &
graviter quoque puniri deberet, *c. litteris, de conſecr. diſt.*
3. Barboſ. *de pot. Epiſc. p. 2. alleg.* 31. Hoc tamen intelli-
gi debet, ſi procul a neceſſitate hoc fieret: quia quam-
vis ſingulis annis vetus Oleum Sacrum ſit comburendum,
8 & novum conſecrandum feria 5. in Cœna Domini ex
conſuetudine, & præcepto Eccleſiæ, Barboſ. *d. num.* 17.
urgente tamen neceſſitate, deficiente novo, poterit ad-
9 hiberi Oleum benedictum vetus: *Ex reſponſ. S. Congreg.*
Ep. 20. Maji 1590. apud Gavant. *Manual. Ep. verb.*
Extr. Unctio, & docet Diana *Coord. dict. t. 3. tr. 4.*
reſol. 8. §. 1. ubi DD. cumulat, quibus adhærent Sal-
manticenſes, *d. tr. 7. cap.* 2. *n.* 10. 11. Nemo tamen 10
quod ſciam, adducit rationem, ob quam adſit hæc tam
rigoroſa prohibitio, quam oriri credo ex hoc, quod A-
qua ſtagnans, nec motum ullum habens, immixta O-
leis, diu durare incorrupte non valet, & ſi ad annum
durat, ſatis eſt; ne miniſter Baptiſmi exponatur pericu-
lo, aquam corruptam, & exauguratam ipſo jure adhi-
bendi. Igitur neceſſitatis caſu hoc fieri nequit, & ſi fie-
ret, valide quidam fieret, ſed illicite, per allegat. a
Clericat. *de Extrem. Unctione, dec. 65. num.* 16.
Circa quod quærit Clericat. *d. q. 65. num. 9.* An hu- 11
jus Olei neceſſaris Benedictio adeo propria ſit Epiſcopo-
rum, ut nequat ex diſpenſatione, & commiſſione Summi
Pontificis fieri poſſit a Sacerdote ſimplici? Et pro re-
ſponſione ad hoc dubium, varias DD. ſententias, & do-
ctrinas hinc inde affert, quas hic tranſcribere nimis pro-
lixum negotium eſſet. Concludit tamen ſimplicem Sa-
cerdotem, nonniſi ex ſola commiſſione Papæ poſſe hu- 12
juſmodi Oleum benedicere, non vero ex commiſſione
Epiſcopi. Sed advertendum eſt, quod DD. qui affirmant
poſſe Sacerdotem ſimplicem ex commiſſione Papæ bene-
dicere Oleum, intelligunt de Oleo Extremæ Unctionis,
non autem de *Chriſmate*, & Oleo *Catechumenorum*, eo 13
quia fundatur hæc diſpenſatio in Ritu Græcorum, apud
quos Oleum Extremæ Unctionis conficitur toties quoties
adeſt neceſſitas illud adminiſtrandi: non ita vero Sacrum
Chriſma, quod etiam apud Græcos a ſolis Epiſcopis con-
ſecratur. Quare tutiſſima opinio eſt, munus conſecran-
di Olea ad ſolos Epiſcopos ſpectare, nec dari ſuper hoc
diſpenſationem, nec commiſſionem.

§. II. Curet Parochus, ut ea ſuo tempore quamprimum habeat, & tunc vetera in Eccleſia comburat.

14 In Diœceſi multæ vaſtitatis debet Parochus fidam Perſonam adinvenire, quæ a loco conſecrationis expedite Olea deferat ad ſuam Eccleſiam, ut in tempore prompta ſint pro fonte benedicendo in Sabbato Sancto. Quare omni ſedulitate curabit, nec expenſis parcet, pro hac felici Oleorum translatione. Expenſæ vero, quæ in tali caſu occurrent, ad Parochum pertinent, ſcil. pro cibaria, & viatico Clerici, ſeu Sacerdotis illius (talem enim decet eſſe translatorem) qui Olea portabit: quæ expenſæ dividi poterunt pro virili inter Parochos, quibus Olea diſtribuuntur, cum beneficium hoc ſit commune. De renovatione, & combuſtione Oleorum jam ſatis diximus in explic. antec. §. *n.* 6.

§. III.

§. III. Veteribus Oleis, niſi neceſſitas cogat, ultra annum non utatur: ac ſi deficere videantur, & Chriſma, aut Oleum benedictum haberi non poſſit, aliud Oleum de Olivis non benedictum adjiciatur, ſed in minori quantitate.

15 In explicatione Tituli IV. *de materia Baptiſmi*, §. 3. n. 11. 12. quæ diximus de materia Aquæ, noſtro huic caſui applicari poſſunt circa Oleum: & ſi ulteriores doctrinæ deſiderentur ſuper hoc, videatur Clericat. *de Extr. Unct. deciſ.* 65. n. 12. *uſque ad* 15. *excluſive*; ubi luculenter hæc materia pertractatur, & afferuntur decreta Sac. Cong.

Similiter de neceſſitate adhibendi vetus Oleum diximus in hoc Titulo, §. 1. *num.* 6. quare ad illum locum Lectores remittendi ſunt.

§. IV. Chriſma, & Oleum ſacrum ſint in ſuis vaſculis argenteis, aut ſaltem ſtanneis bene obturatis; quæ vaſcula ſint inter ſe diſtincta, & propriam unumquodque inſcriptionem habeat, majuſculis litteris inciſam, ne quis error committatur.

16 Per hoc quod Textus aſſignet Vaſcula argentea, aut ſtannea, non excluduntur aurea, ſi Eccleſiæ opulentia id conſenſerit: quamvis Budæus *l.* 3. *de Aſſe*, & Covarruvias *Vet. collect. numiſm. c.* 3. §. 1. *num.* 4. ſcribant: Vaſa ram ex Auro puriſſimo fieri, ex eo quod illud Aurum uſuram non ferat. Tantum excluduntur ænea, quia æs nimiam æruginem viridem producit, quæ corrumpit Olea, & amarorem gignit. Neque lateritia, ne- [17] que vitrea, neque fictilia eſſe debent hujuſmodi Vaſa, ob nimiam eorum fragilitatem; imo neque lignea, neque marmorea, ſed tantum ea præſcriptis metallis, dempto ære, ſeu aurichalcho; in quibus inſcriptio bene ef- [18] formata eminere debet, ut ita facile diſtinguantur inter ſe. Litteræ ſint more Romano majuſculæ, non ad inſtar charecteris nuncupati *Cancellareſco*, quod ab omnibus non intelligitur ita facile.

§. V. Ad uſum vero quotidianum minora habeantur Vaſcula ex Argento ſi fieri poteſt, aut ſtanno, ſive ſeparata, ſive etiam conjuncta: apte tamen diſtincta, & bene cooperta, & cum ſuis inſcriptionibus, ut ſupra, ne Parochus aberret, & unum pro altero ſumat: quod cavere debet diligenter.

Quæcumque diximus de Vaſculis majoribus, repetenda ſunt hic in minoribus, & manualibus: illa ad ſervanda [19] Olea ſunt, iſta ad uſum quotidianum. In quo uſu quotidiano quærendum eſt an peccet Sacerdos, qui adminiſtrans Baptiſmum, unum pro altero Oleo accipiat, & utatur, exempli gratia, Oleo Chriſmatis pro Oleo Catechumenorum? Cui reſpondeo, quod ſecluſa inadvertentia, quæ nonniſi peccatum veniale inducit, peccaret graviter ſi hoc negligenter faceret: Primo quia Textus in hoc loco præcipit ut *debeat* cavere diligenter, & Rubrica obligat ſub præcepto, Loter. *l.* 1. *q.* 16. *num.* 123. & notandum eſt Verbum illud *debet*, quod de jure importat neceſſitatem, & eſt præceptivum, *l. ſæpe*, *ff. de offic. Præſid.* Fagnan. in *c. qualiter*, *num.* 37. *de Cleric. non reſid.* Secundo quia ad effectum diſtinctum applicantur iſta Olea, & in adminiſtratione falſa non concordarent verba cum affectu Olei, ideoque illuderetur ſignificatio: ſi enim mutare verbum in adminiſtratione peccatum eſt, Clericat. *de Extr. Unction. dec.* 68. *num.* 19. 20. & Sacramentum repetendum eſt, multo magis hoc erit faciendum in mutatione materiæ. In hoc tamen caſu Theologi in varias ſententias diſtrahuntur. Vide Samell. *Ep. Eccl. T.* 6. *ep.* 20. *per tot.* Anacletus vero *T.* 1. *l.* 1. *tit.* 16. *n.* 28. validum tenet Sacramentum, tali pacto miniſtratum.

Dicet quis: Oleum non eſt materia Baptiſmi neque proxima, neque remota, ſed tantum quid Sacramentale. Reſpondeo, repetendam eſſe Unctionem cum Oleo, non ablutionem cum Aqua. Sed ſi hic error in adminiſtra- [20] tione extremæ Unctionis eveniret, quia Oleum eſt materia illius, deberet noviter cum vero Oleo adminiſtrari, & conferri Sacramentum. Multi tamen DD. ſuſti- [21] nent non eſſe reiterandam hanc Unctionem, quia non ſine magno ſcandalo fieret, & Sacramentum hoc non eſt tantæ neceſſitatis, ut morientes abſque illo Sacramento non poſſint ſalutem æternam conſequi, Div. Thom. 3. *part. quæſt.* 29. *art.* 3.

§. VI. In ea igitur ex majoribus vaſculis Chriſmatis, & Olei, quod ſufficiat, infundatur, atque ut effuſionis periculum caveatur, commodum erit in his vaſculis bombacium, ſeu quid ſimile habere, Oleo ſacro, & Chriſmate ſeparatim perſuſum, in quo pollex, cum opus eſt, ad inungendum immittatur.

Tota hæc Rubrica ad bonam cuſtodiam Oleorum habendam inſervit, ut ita effuſiones caveantur.

22 Quid ſimile Bombacio erit Linum, ſericum diſſolutum, vel parva ſpongia; tota enim materia hæc eſt apta ad ebibendum Oleum, & ad illud reddendum, ſeu [23] exprimendum ad omnem levem compreſſionem digiti pollicis, qui digitus in unctionibus ſemper adhibendus eſt ex præcepto Rubricæ; eſt enim commodior, & fortior digitus cæteris, & ejus uſus in rebus ſacris frequens eſt, Clericat. *de Confirm. dec.* 56. *n.* 5. *& ſeqq.*

§. VII. Hæc Vaſcula ita parata, in loco proprio, honeſto, ac mundo, ſub clave, ac tuta cuſtodia decenter aſſerventur, ne ab aliquo, niſi a Sacerdote temere tangantur, aut eis ſacrilege quiſpiam abuti poſſit.

24 Expeditior modus ad bonam habendam cuſtodiam horum Vaſculorum eſt ut aſſerventur in Fonte baptiſmali, nempe in ejus propyleo ad inſtar Tumuli confecto, ut docet Cavalier. *dict. tit.* 8. *num.* 22. ſeu in armario ſejuncto in Capella Baptiſterii conſtructo *d. num.* 23. 24. cujus clavis cuſtos ſit Parochus, ne vaſa tangantur a Laicis, Canc. *prov.* 4. Injungitur hæc obligatio rite cuſtodiendi Olea ſacra a Pontificali Romano his verbis: *Epiſcopus jubet Presbyteros attente, ut juxta canonum traditionem Chriſma, & Olea fideliter cuſtodiant, & nulli ſub prætextu medicinæ, vel maleficii tradere præſumant, alioquin honore priventur.*

25 Non omnis vero tactus Sacrorum Vaſorum ſacrilegus eſt, ſed ille tantum qui temere fit a perſonis laicis, quibus non niſi in gravi periculo, & in caſu neceſſitatis permittitur tactus Sacrorum Vaſorum. *Temere* ſignificat hic ſine cauſa, Terent. *Phorm.* 5. 9. *Non pol. Temere eſt quod tu tam times*, hoc eſt, *non abs re eſt*, Auct. ad Her. *l.* 2. *c.* 8. *Non temere fama naſci ſolet*. Sine cauſa igitur, & extra neceſſitatem tangere iſta Vaſa licitum non eſt, & graviter peccant qui hoc faciunt. Unde ſi Laicus vellet ſibi acquirere, & tractare ſine cauſa Vaſa Sacra integra, & non confracta, non eſſent illi concedenda per allegata a Redoan. *de rebus Eccleſ. non alienand. quæſt.* 21. *num.* 32.

Sacrilegia enim multa fiunt cum Oleo baptiſmali, & [26] eo abutuntur malefici, ut notat Martin. del Rio *diſq. mag.* Verum Oleum Sanctum eſt quoque remedium di- [27] vinum, quo maleficia tolluntur, & Dæmones fugantur, juxta illud D. Marci *cap.* 6. *Dæmonia multa ejiciebant, & ungentes ægros Oleo ſanabant*. Torreblanc. *de Mag. c.* 53. *n.* 16. §. 5.

§. VIII. Parochus quantum fieri poteſt, curet, ne per laicos, ſed per ſe, vel per alium Sacerdotem, vel ſaltem per alium Eccleſiæ miniſtrum hæc Olea deferantur: caveat item ne de iis quidquam ulli unquam tribuat, cujuſvis rei prætextu.

28 Præceptum hujus octavi Paragraphi renovatum fuit de recenti per diverſas Conſtitutiones Synodales nonnullarum Eccleſiarum, quia illarum Epiſcopi adverterunt magnum ſcandalum oriri a traditione Sacrorum Oleorum facta perſonis laicis plerumque ruſticis, & nullius conditionis, ad ea aſportanda de loco ubi diſpenſantur, ad Eccleſias Parochiales. Quare quærendum eſt hic, an per verba illa:
29 *Alium Eccleſiæ Miniſtrum* poſſit intelligi Campanarius Eccleſiæ. Et Reſpondeo: Si Campanarius eſt Clericus, ut mos eſt in Cathedralibus, quæ nonniſi Clericum in Oſtiariatus ordinem conſtitutum in Campanarium eligunt, poſſunt Olea, alio Miniſtro digniore deficiente, illi tradi: Si vero non ſit Clericus, ſed omnino Laicus, & vilis, ut eſſe ſolent Campanarii Eccleſiarum ruralium, tunc Olea hujuſmodi non ſunt illi tradenda. In hoc caſu Parochi advertant commodiorem modum, ubi penuria adeſt miniſtrorum, & manus ſibi invicem porrigant, charitate ducti, non turpis lucri gratia.

§. IX. Sal, quod in os baptizandi immittendum eſt, ſit benedictum ſua peculiari benedictione, quæ infra præſcribitur; neque utatur Sale exorcizato ad benedicendum Aquam: ſitque prius bene confractum, & attritum, ſiccum, ac mundum. Sal ita benedictum nemini tradatur, neque etiam iis, qui benedicendum attulerint, reddatur, ſed ad alios baptizandos ſervetur, aut in Sacrarium abjiciatur.

30 Duplex Salis benedictio in Sacris Ritibus reperitur: Una eſt ſalis ad Baptiſmum inſervientis, de quo dicemus
31 infra: alia Salis pro aliis Benedictionibus. Advertit hic Textus noſter, ne in Baptiſmo adminiſtrando Sacerdos utatur Sale benedicto ad faciendam Aquam benedictam, ſed benedicto pro Baptiſmo, juxta illa verba, quæ in formula benedictionis hujus leguntur: *Populo venienti ad credulitatem*, ut aliquo modo concordet ſignificatio cum ſignificato, & littera cum myſterio.
32 Sal multipliciter habetur; fortaſſe quando Textus inquit: *bene confractum*, de Sale petra loquitur, qui eſt Sal quaſi lapideus nuncupatus *di Barletta*, qui difficile confringi poteſt, & difficillime liqueſcit: Quicumque vero Sal ſit, imminutus eſſe debet ad inſtar pulveris.
33 Advertendum inſuper eſt, quod iſte Sal debet eſſe naturalis, non artefactus, ut Sal Saturni, Sal Martis, & hujuſmodi a Chymicis confecti, & extracti artificioſe per artem chymicam. Si vero, ut in aliquibus regionibus, eſſet Sal albus, ex Sale nigro artefactus, nempe cum decoctione, ut moris eſt, adhuc valet, quia vere ſal naturalis eſt, & illa decoctio nihil aliud operatur quam depurationem veri ſalis a terreis particulis, adeo ut vere, quod remanet, ſit ſal. Iſte ſal candidus in pulverem redactus, & in vaſculo teſtaceo albo reconditus approbatur a Synodo Ferrarien. Card. de Verme, *P. 2. de Sacram. Bapt.* §. *Salis virtus*.
Cum vero ex iſto ſale benedicto multa fieri poſſint 34
ſortilegia, præcipit Textus, ut nemini tradatur. Inſu- 35
per cum Benedictio illi impertita, ſit ad hoc ut ſal hoc pacto benedictus ad nihil aliud inſerviat, quam ad functionem baptiſmalem, non debet exponi periculo, ut non tantum in maleficiis, ſed etiam ad faciendam Aquam benedictam adhibeatur: quia ſal pro Aqua benedicta habet propriam benedictionem, & poteſt dari cuique ad hunc tantummodo uſum.

§. X. Cum igitur Baptiſmi Sacramentum jam adminiſtrandum eſt, hæc in promptu eſſe debent.

36 Quia adminiſtratio Baptiſmi ſolemnis non interrumpi, nec imperfecta remanere debet, ſed perduci continuate ad ſuum finem ſine mora: Omnia, quæ in tali adminiſtratione occurrere poſſunt, debent eſſe parata. Si dare-
37 tur caſus, quod aliquid deeſſet, advertendum eſt, (quando commode & cito parari, & acquiri non poſſit) ſi eveniret ante ablutionem, debere differri collationem Baptiſmi ad aliud tempus, & donec proviſum ſit. Si vero hæc deficientia occurreret poſt ablutionem, functio proſequenda eſt uſque ad extremum, nec in ſuſpenſo tenenda. Proviſo poſtea quod deficiebat, ſuppleri poteſt alio tempore quamvis interrupte, & per ſaltum fiat, quia melius eſt aliquo modo complere, quam imperfectam adminiſtrationem relinquere, ut docent communit. DD.

§. XI. Vaſcula Sacri Olei Catechumenorum, & Chriſmatis.

38 Hæc, ut jam diximus, debent eſſe vel argentea, vel ſtannea, non autem ex ære, vel aurichalco, vitro, aut argilla, &c. vide §. 4. *num.* 26. 27. hujus T.

§. XII. Vaſculum cum Sale benedicendo, vel jam, ut dictum eſt, benedicto.

Similiter pro hoc Vaſculo valet quodcumque dictum eſt ſupra, & indiget, ut ſæpe in eo ſal renovetur, quia facile in Aquam diſſolvitur.

§. XIII. Vaſculum, ſeu cochleare ex argento, vel alio metallo nitidum, ad aquam Baptiſmi fundendam ſuper caput baptizandi; quod nulli præterea alii uſui deſerviat.

39 De Cochleare multa dixi in meo *Schediaſmate de Armis convivalibus* impreſſ. ann. 1715. Quia ex cochleis a nobilioribus antiquitus fiebant, cochlearia nuncupabantur. Hodie quoque nihil impedit quin ex Nacrilo, vel concha margaritifera elaborentur. Tutior materia tamen eſt Argentum, vel ſtannum. Vaſculum hoc ſimile debet eſſe Radiculæ parvæ, ut Aquæ ſufficientem quantitatem in ſe contineat ad miniſterium implendum, nec opus ſit eam denuo implere, hauriendo a ſacro Fonte dum Baptiſmus miniſtratur. Melius eſt, ut abundet in cavitate, quam in manubrio.

§. XIV. Pelvis, ſeu Bacile ad excipiendam Aquam ex capite defluentem, niſi ſtatim in Sacrarium defluat.

40 Pelvis, ſeu Pelluis, quaſi pelluvium a pedibus lavandis, catinus eſt ad hoc officium deſtinatus, & poteſt eſſe ex coctili materia. Diximus jam alio loco, non iterum eſſe adhibendam Aquam, quæ uni miniſterio inſervivit, ad aliud, ob indecentiam, ſed etiam ob periculum, ut cum Aqua conſecrata aliud quoque commiſceatur, veluti capilli, &c. Pro Catino aliqui habent immediatum canaliculum, e quo Aqua defluens perducitur ad Sacrarium Baptiſterii.

§. XV. Goſſipium, alio nomine Bombacium, ſeu quid ſimile, ad abſtergenda loca Sacris Oleis inuncta.

De hoc Bombacio ſatis diximus §. 6. *Hujus Tituli*, *num.* 22. ideoque nihil ſuperaddam.

§. XVI.

§. XVI. Stolæ duæ, ubi commode haberi poſſunt, una violacea, & altera alba, ut infra notatur, mutanda, ſin minus, una ſaltem adhibeatur.

41 Occurrit in hoc loco noſter Textus penuriæ Eccleſia-
rum non habentium duas Stolas varii coloris. Verum
cum nimis ſcandaloſa ſit hæc penuria, de raro tolerari
debet; eam potius ex nimio Parochorum commodo pro-
venire credo, qui nimium tempus inſumere credunt,
dum unam Stolam deponunt, & aliam aſſumunt.

§. XVII. Medulla Panis, qua inuncti Sacerdotis digiti, cum manus lavat, abſtergantur, & vas pro manuum lotione poſt Baptiſmum, quod huic tantum uſui deſervire decet.

42 Materia abſterſiva eſt medulla panis, & multum de-
cens ad hoc miniſterium. In aliquibus Eccleſiis in uſu
vidi farinam ex Amygdalis tritis, quæ & ipſa faculta-
tem abſtergendi habet. Meminerit Parochus hanc ma-
nuum lotionem neceſſariam eſſe poſt Baptiſmum, quia
multa, & diverſa tractavit, nempe Salem, Salivam,
Oleum, Aquam, &c. quæ omnia alicujus vel ſaporis,
vel odoris veſtigia imprimunt.

§. XVIII. Alba Veſtis in modum pallioli, ſeu linteolum candidum Infantis capiti imponendum.

43 Veſtis Albi coloris baptiſmali innocentiæ convenit,
ideoque rationabiliter de novo baptizatis præſcribitur. Ut
plurimum hæc Veſtis ab iis, qui Infantem, ſeu bapti-
44 zandum perducunt ad Eccleſiam, defertur; Et eſt ſtro-
phiolum, ſeu ſudariolum album, & novum, & quando-
que reticulo textili redimitum juxta conſuetudinem lo-
ci, & commoditatem Parentum. Sed dari poteſt caſus,
& plerumque datur, ob pauperiem dictorum parentum,
quod ſudariolum hoc non deferetur, & in Infantibus ex-
45 poſitis hoc videmus paſſim. Tunc Parochus promptum,
& paratum habere debet linteolum, ſeu veſtem albam
ad hoc officium, & hoc eſt id quod intelligit Textus,
qui non præcipit rigoroſe, ita ut ſemper debeat Paro-
chus adhibere proprium linteolum, ſed quando alia veſtis
non adſit.
46 An teneantur qui Infantem detulerunt, ſecum portare
linteolum, & oblationem illius facere Parocho, nemo
eſt, quod ſciam, qui id affirmative aſſerat, adeo ut Pa-
rochus poſſit de jure illud petere. De conſuetudine ta-
men eſt ut quiſque illud deferat, exceptis caſibus ſum-
mæ inopiæ, & Infantium expoſitorum.
Solent nonnulli Parochi pro ſudariolo, & candela pre- 47
tium æquivalens in pecunia accipere ab iis, qui bapti-
zandum deferunt: Meo videri, non bene ſapit hæc per-
mutatio, quæ licet ſpontaneæ oblationi æquiparetur,
tamen avaritiam aliqualem redolet: cum ipſe, de jure,
& ex præcepto Rubricæ, teneatur præſtare hoc ſudario-
lum. *In ſancto* enim, *quid facit Aurum?* ut Poeta ait.
Veruntamen eſt, quod oblatum ſtrophiolum a deferenti-
bus baptizandum non debet illis reſtitui, eo quia rei
tam ſacroſanctæ inſervivit, ſicuti neque candela, ut in-
fra dicemus.
Sudariolum quoque, ſeu linteolum paratum habere de- 48
bet Parochus ad tergendum caput Infantis poſt ablutio-
nem, quod a Textu in hoc loco non aſſignatur.

§. XIX. Cereus, ſeu Candela cerea, baptizato ardens tradenda.

49 Id quod ſupra diximus de linteolo, ſeu ſudariolo,
mutatis mutandis, & reſpective, dici poteſt de cereo,
qui nec immutandus eſt in alium exiguiorem, nec in
jam pene conſumptum, ſeu alias accenſum; ſed debet
omnino adhiberi cereus ille, qui per deferentes bapti-
zandum offertur, ne Parochus avaritiæ nota imputetur:
nec extinctus ſit, ſed ardens, cùm id præcipiat, non
ſine ſignificatione Rubrica, ut explicabimus in ordine
baptiſmi Parvulorum ſuo loco.

§. XX. Hic denique Ritualis liber ſit paratus, & idem liber baptiſmalis, in quo Baptizati deſcribuntur.

50 De hoc libro multa diximus in præliminaribus horum
Commentariorum. Addo hic, debere eſſe promptum,
& paratum talem librum, ut illum poſſit Parochus ad-
hibere, & illum legere, non autem memoriter recitare,
(quod vetuit ſuo loco Textus) ob facilitatem errandi.
Rituale eſt liber habens vim legis, & ejus Rubricæ
obligant ſub præcepto, Loter. *l.* 1. *q.* 16. *n.* 123. Me-
noch. *conſ.* 52. *n.* 145. Gratian. *diſcept. for. c.* 111. *n.* 7.
Sperell. *deciſ.* 179. *n.* 32. Cleriset. *de extr. unct. dec.* 66.
num. 19. In Bulla enim, quam Paulus V. antepoſuit ei-
dem Rituali, conteſtatur in eo eſſe comprehenſos ſacros,
& ſinceros Eccleſiæ Catholicæ Ritus, qui in Sacramentorum
adminiſtratione, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus ſervari
debent ab iis, qui curam Animarum gerunt. Ubi notan-
dum eſt cum Clericat. *l. c.* Verbum illud *debent*; quod
de jure importat neceſſitatem, & eſt præceptivum, *l. ſa-
pe, ff. de off. Pref.* Fagan. *in cap. qualiter*, *num.* 37. *de
Cleric. non reſid.* Non obſtante quod in eadem conſtitu-
tione Summus Pontifex dicat: *Hortamur in Domino*, *ut
eodem Rituali in ſacris functionibus utantur*: nam ly *Hor-*
51 *tamur* prolatum a Papa in re gravi, habet vim præce-
pti, Fagnan. *ubi ſupra*, *num.* 38. potiſſimum quia con-
ſtat de ſolxa ejus voluntate, dum ibidem in fine ſubdit:
*Ut in re tanti momenti, quæ Catholica Eccleſia, & ab ea
probatus uſus antiquitatis ſtatuit, inviolate obſervent.*
Alter liber qui debet eſſe promptus, & paratus, eſt 52
liber baptiſmalis, in quo Baptizati deſcribuntur. De hoc
cum aliis libris, qui penes Parochum adeſſe debent, erit
ſermo in fine horum commentariorum: Hoc tantum ſu-
pereſt, ut dicamus, quod cum iſto Libro parata eſſe de-
bent Atramentarium, & Calamus aptus ad ſcribendum.
Pro conſilio addo, rem ſatis laudabilem eſſe, habere in
fonte Baptiſmali paratum libellum parvum, & manua-
lem, vulgo *Vacchetta*, in quo adnotentur Nomen, Co- 53
gnomen, Parentes, Patrini, Parochia, atque alia neceſ-
ſaria, quæ poſtmodum, tamquam a libro parvo Epheme-
ridum Parochus tranſcribit in libro magno ad hoc elabo-
rato, qui cum aliis libris cuſtodiatur in Archivo Paro-
chiali, tamquam ſi codex, & tabula magiſtralis eſſet,
neque amoveatur, ſeu conteratur, aut inungatur a nimio
uſu quotidiano, cujuſmodi fiet de libello in fonte parato
ad hoc, ut facile reminiſcatur Parochus, ſeu Miniſter
poſt collatum Baptiſmum regiſtrare nomina, & cognomi-
na, priuſquam Infans, & Patrini ab Eccleſia diſcedant.

§. XXI. Omnibus igitur opportune præparatis Sacerdos ad tanti Sacramenti adminiſtrationem, lotis manibus, ſuperpelliceo, & ſtola violacea indutus accedat: Clericum unum, ſeu plures, ſi poteſt, ſecum adhibeat, ſuperpelliceo pariter indutos, qui ſibi miniſtrent.

Hæc omnia fiunt ob decorem Miniſtri, & Miniſterii.
Si ſtolam, & ſuperpelliceum induat in Sacriſtia, in Sa-
54 criſtia etiam iis ſpoliabitur: laudo tamen, ut ad fontem
accedat veſtitus ſine cotta, & ſtola; & illo aperto, ſe
induat ſuperpelliceo & ſtola, ibique in fine, poſt admi-
niſtratum Sacramentum, ſe exuat. De Clericis ſibi mi-
niſtrantib. jam diximus in explicat. Tituli 1. §. *Adhi-
bebit*.

§. XXII. Ita paratus accedat ad limen Eccleſiæ, ubi foris expectant qui infantem detulerunt.

55 Ex hoc ſemper infertur quod extra fores Eccleſiæ fie-
ri debeat Catechiſmus, ut alibi diximus. Si Templa
vero habeant Atrium, ut nuper ædificatum fuit in Cathe-
drali Ferrariæ, de mandato, & expenſis munificentiſſi-
mi Antiſtitis ſui Thomæ S. Rom. Eccl. Cardin. Ruffi;
ibi expectare debent qui infantem detulerunt: nec lau-
do

do ingreſſum in Eccleſiam ad expectandum Parochum, quia cum Infans nondum ſit baptizatus, eſt extra Eccleſiam, & communionem fidelium, atque ideo indigne ad locum non ſibi convenientem delatur.

§. XXIII. Interroget (niſi de his bene ſibi conſtet) an ſit ſuæ Parochiæ; maſculus, an fœmina: an ſit domi baptizatus, & a quo, & quam rite; & qui ſint compatres, qui Infantem teneant, pro eoque reſpondeant, quos pie ac decenter aſſiſtere, ac, prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogationes reſpondere admoneat.

56 Pro Parochis Eccleſiarum Diœceſis dicitur, ut quærant, an Infantes ſint ſuæ Parochiæ, quia in iis Eccleſiis fontes parati ſunt ad baptizandos ſuos Parochianos tantum: Non vero pro Eccleſiis Civitatum hoc dicitur, quæ fontem habere ſolent univerſalem pro baptizandis infantibus totius Civitatis, & Diœceſis, ut mos eſt hic Ferrariæ. Parochia enim dicitur locus, in quo degit Populus alicui Eccleſiæ deputatus, certis finibus limitatus, & habet ſuum Territorium ſeparatum, & diviſum, Barboſa *de Offic. & pot. Paroc. cap.* 1. *n.* 19. 21. & Bellamer. *Conſ.* 38. *num.* 8. ex quo infertur, quod quiſque ba-
57 ptizandus ſit in ſua, cui ſubeſt, Eccleſia, niſi ſit Peregrinus, vel, certum non habeat domicilium, ut Zingari, & qui ſunt vagi, Barboſ. *ibid. c.* 18. *n.* 7.
58 Quare ſi alienus Sacerdos Infantem alienæ Parochiæ ſolemniter baptizaret ſine licentia proprii Parochi, peccaret mortaliter, alienam ſibi uſurpans juriſdictionem; non tamen incurreret excommunicationem, vel irregularitatem. Barboſ. *d. cap.* 18. *num.* 11. 12. Atque hoc facile fit, ne confundantur jura Parochorum, & ne error oriatur circa originem perſonarum, cum maximo earumdem detrimento.
59 Oportet item, ut interroget Parochus, an baptizandus ſit Maſculus, vel Fœmina, ut intentio Baptizantis fundetur ſuper vero, *cap. quamvis*, *c. ſolent*, *de conſecrat. diſt.* 4. Hoſtien. *de Bapt.* §. *quæ ſit*, *&c.* Neceſſe
60 eſt igitur, ut Baptizans notitiam certam habeat naturæ baptizandi, ut formula apta utatur, & illi accommodet verba propria.
61 Si per errorem quis baptizaret Fœminam credens eſſe Maſculum, & e contra dubitant DD. an Baptiſmus eſſet validus? Affirmative reſpondet Panimoll. *dec.* 4. *n.* 7. cum Clericat. *de Bapt. dec.* 30. *num.* 7. Contrariam vero opinionem tenet Zachias *in q. q. med. leg. t.* 1. *l.* 7. *t.* 1. *qu.* 8. *num.* 9. cum Petro Gerando a Petra Sancti antiquo Juriſconſulto, *ſingul.* 90. Ego vero pro affirmativa parte ſum, & ratio eſt: Vel Maſculus, vel Fœmina ſit, ſemper eſt hic, & hæc Homo; & Homo eſt ſubjectum Baptiſmi juxta definitionem allatam a Fulien. *de Sacr. c.* 9. *Baptiſmus eſt Sacramentum novæ legis, ad regenerationem ſpiritualem hominum inſtitutum.* Et licet miniſter erret, errat ſpeculative, non vero practice, dirigendo actionem ſuam in illam perſonam.
62 Inquirendum inſuper eſt, an Infans domi fuerit baptizatus? & hoc ne Parochus Infantem rebaptizet, vel ut ſub conditione iterum baptizet, vel ut ſuppleat ad ea, quæ in Baptiſmo defuerunt.
63 Quinam ſint Compatres etiam advertere debet Parochus, ut ſciat an ſint capaces ſuſcipiendi Infantem, atque ut eos inſtruat de onere, cui ſubjacent poſt præſtitum miniſterium. Alia diximus in titulo de Patrinis.

§. XXIV. Et quoniam iis, qui baptizantur, tamquam Dei Filiis in Chriſto regenerandis, & in ejus militiam adſcribendis, nomen imponitur, curet, ne obſcœna, fabuloſa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur; ſed potius, quatenus fieri poteſt, Sanctorum; quorum exempla fideles ad pie vivendum excitentur, & patrociniis protegantur.

64 Ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine eſt, ut in Sacramento Baptiſmi nomen imponatur, quod olim, vigente circumciſione, in veteri Teſtamento, uſitatum fuit, nempe, ut mutata religione, mutetur & nomen, juxta illud Pſal. 15. *Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Ideſt, juxta explicationem Card. Valerii Epiſc. Veron. in ejus *Theſauro piar. inſtit. pag.* 209. Sicuti in Eccleſia Chriſtianorum mutabitur ritus Sacrificiorum, ut jam non
65 offeratur aliquid cum ſanguinis effuſione: ita erit & mutatio nominum; ut qui prius nomina ſortiebantur conſentanea Religioni ſuæ, ſive Gentiliſmo, ſive Judaiſmo, nunc habeant nomina Sanctorum, qui in Eccleſia virtutibus præcelluerunt. Bene igitur, & ſapienter per noſtrum Textum ſtatuitur Regula pro imponendis nominibus iis qui baptizantur. Rationabiliter utitur Rubrica illo verbo; *Curet*; Quod rigoroſe non præcipit, Clericat. *deciſ.* 44. *num.* 5. Nam difficiliter in aliquibus caſibus attendi poteſt. Omnes Doctores hoc inculcant, ut nomina honeſta, atque ſancta imponantur fidelibus, ſed non per hoc tollitur, ne quotidie audiamus fideles per nomina extravagantiſſima nuncupari. Accidit enim quandoque, ut nomina ſint hæreditaria, & neceſſaria ad adipiſcendam
66 Bonorum hæreditatem, juxta Teſtatorum diſpoſitiones; atque ideo evitari non poſſit impoſitio talium nominum, v.gr. Canis Maſtinus, Butironus, Brutus, Floridaurus, Ulivus, Lucidaurus, Polixena, Marfiſa, & ſimilia quæ in Catalogo Sanctorum non numerantur. Ideo juxta Sacrorum Canonum, & Conciliorum præſcriptum, ſi Parochus advertat nomen Baptizandi non eſſe alicujus Sancti, benigne moneat illum deferentes, ut eo dimiſſo, aliud nomen proponant, quod ſit alicujus Sancti, vel Sanctæ, Bellat. *diſq. Cler. p.* 2. *de pan. Cler.* §. 32. *n.* 11. Verum ratio ab hoc Doctore allata eſt ſatis frigida: affert enim ex Sacra Scriptura, præmium non eſſe modicum, bonum Nomen; ſed Sacra Scriptura bono nomine intelligit famam, non nomen proprium perſonarum, dum dicit: *Melius eſt bonum nomen, quam divitiæ multæ*, Prov. 22.

Cum igitur Rubrica hæc ſit hortatoria, non præceptiva, Clericat. *l. c.* obſervari debet pro loci conſuetudine. Plura habebis diffuſe ſcripta in hac quæſtione a d. Clericat. *de Bapt. dec.* 44. *per tot.* & a Barboſa *de Offic. & poteſt. Paroc. cap.* 18. *num.* 17. Unicum hoc addam pro Corollario in hac materia: Mundum Univerſum maximæ amplitudinis eſſe; innumerabiles in eo fuiſſe, & adhuc extare Chriſti fideles: plurimos ex iis in Domino obiiſſe; quorum nomina in libro vitæ ſcripta ſunt, quamvis non nobis nota: ideoque difficillime dari poſſe, quod cujuſcumque cogitabilis nominis Fidelis aliquis non inveniatur, qui cum Sanctis in Cœlo non habeat habitaculum ſuum: quare nulla eſſe rejicienda nomina a baptizante judicarem, niſi vere ea, quæ in contemptum
67 Fidei Chriſtianæ ſunt, & odioſa Eccleſiæ, quæ ſi vere impoſita eſſent fidelis alicui ob inadvertentiam, vel etiam
68 ob malitiam, in actu ſuſcipiendi Sacramenti confirmationis, quæ complementum, & perfectio eſt Baptiſmi, Samell. *ep. Eccl. t.* 4. *ep.* 38. *num.* 4. poſſet in nomen Sancti immutari. Ita D. Gregor. Turonen. *lib.* 5. *cap.* 38. ait Sanctum Ermenegildum Leovigildi Gothorum Regis Filium, dum Chriſmaretur, aſſumpſiſſe nomen Joannis: Hoc quoque vidi in praxi adimpletum a claræ memoriæ Cardinal. de Verma, dum Sacram Confirmationem miniſtraret, nomen cujuſdam puellæ, quæ *Venus* appellabatur in illud *Magdalena* permutaſſe.

§. XXV. His igitur expeditis, & accepto nomine baptizandi, poſiti, ſi infans fuerit, ſuper brachium dextrum illius, qui eum defert, Parochus ad Baptiſmum procedat, in hunc modum nominatim interrogans.

69 Accipitur a Parocho nomen, ut nominatim interroget illum, ut infra, & ſciat quomodo latino idiomate pronuncietur (latino enim ſermone interrogari debet) in proprio caſu vocativo.
70 Ad commodiorem uſum præcipitur ut ſuſcipiatur Infans ſuper brachium dextrum, quia hoc modo miniſtrans Baptiſmum facilius operatur. Inſuper pars dextra eſt nobilior ſiniſtra, & res ſacræ omni nobilitate, & decentia pertractandæ ſunt; unde Sponſa ait: *Dextera illius amplexabitur me.* Cant. 2.

ORDO

ORDO BAPTISMI PARVULORUM,

TITULUS UNDECIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Nomen Baptizandi in caſu vocativo pronunciari debet.*
2 *Patrini reſpondere debent verbo, ſeu voce, non nutu, aut ſcriptis, & latine.*
3 *Exſufflatio fieri debet ore lato.*
4 *Inſufflatio quid ſignificet?*
5 *Signum Crucis cum pollice quid ſibi velit?*
6 *Pollex digitus unde dictus?*
7 *Crux integra facienda in fronte, & pectore Baptizandi.*
8 *Crucis Cæremonia antiquiſſima ab Apoſtolis inventa.*
9 *Manus impoſitio ſufficit ut fiat moraliter.*
10 *Ad diverſos effectus Crux antiquitus fiebat.*
11 *Baptizandorum capita olim lavabantur.*
12 *Capiti-lavium quid eſſet antiquitus?*
13 *Manus impoſitio quid ſignificet?*
14 *Benedicere eſt officium ſolius Sacerdotis.*
15 *Sal duplici modo, & ad duplicem finem benedicitur.*
16 *Sal quare priuſquam Aqua benedicitur?*
17 *Sal debet eſſe candidus, mundus, & ſiccus.*
18 *Sal erat in uſu apud Gentiles in Sacrificiis.*
19 *Sal cur immittatur in os Infantis?*
20 *Non multum Salis immittendum eſt in os Baptizandi.*
21 *Tempus limitatum imponendi ſalem in os.*
22 *Stola pars prabetur Baptizando cum introducitur in Eccleſiam.*
23 *Symbolum Fidei recitatur a Baptizando, & pro eo, a Patrino.*
24 *Fidei profeſſio præcedit Baptiſmum.*
25 *Symbolum Apoſtolicum, non Nicænum recitatur a Baptizando.*
26 *Oratio Dominicalis quare recitetur a Baptizando?*
27 *Oratio Dominicalis an ſit unum Sacramentale?*
28 *Exorciſtæ munus permittitur unicuique Sacerdoti in Baptizando.*
29 *Exorciſmi in Baptiſmo ad quid inſerviant?*
30 *Energumeni an ſint Baptizandi?*
31 *Nares quare ſaliva tangantur?*
32 *Saliva quare adhibeatur in Baptiſmo?*
33 *Ephpheta quid ſignificet?*
34 *Adaperire recitari debet, non recitari a baptizante.*
35 *Abrenunciationes faciendæ a Baptizando.*
36 *Res conſecrata a ſolis conſecratis pertractari debent.*
37 *Stola violacea quare in albam convertatur?*
38 *Baptizandus debet interrogari nomine expreſſe?*
39 *Interrogatio triplex eſſe debet.*
40 *Tactus phyſicus requiritur in Patrinis dum ſuſcipiunt.*
41 *Cognatio ſpiritualis contrahitur a mandante, non vero a Procuratore.*
42 *Infans tenendus eſt a Patrinis cum facie prona in Vas.*
43 *Verba formæ in Baptizando ſemel pronuntianda ſunt.*
44 *Abſterſio Infantis poſt ablutionem facienda.*
45 *Immerſio approbata eſt ab Eccleſia, ſed non ubique locorum.*
46 *Acta Mediolanenſis Eccleſiæ ſunt fontes Sacrorum Rituum.*
47 *Matrina quænam vere ſit?*
48 *Baptiſmus ſub conditione quando vere miniſtretur?*
49 *Cur Infans inungatur in ſummitate capitis?*
50 *Digiti intingendi, non immergendi in Oleum.*
51 *Sudariolum Album imponitur loco veſtis.*
52 *Veſtis Alba quid ſignificet?*
53 *Candela quæ defertur, debet omnino accendi, non alia.*
54 *Candela accenſa quid ſignificet?*
55 *Salutatio ultima danda Baptizato.*
56 *Plures Infantes baptizare unico actu quando liceat?*
57 *In tali caſu quænam dicenda ſint in plurali numero?*
58 *Maſculi ad dexteram collocandi ſunt.*
59 *Cæremoniæ Baptiſmi diſpenſantur in caſu mortis.*
60 *Morienti unica infuſio ſufficit, nec ſupplendum ſi vivat.*
61 *Aqua baptiſmali deficiente ſuppleri poteſt Aqua ſimplici.*
62 *Suſceptores admonendi ſunt de cognatione ſpirituali.*
63 *Cognatio ſpiritualis impedit, ac dirimit Matrimonium.*
64 *Cognatio ſpiritualis quid ſit?*
65 *Infantes tenere in lecto ſine repagulo prohibitum.*
66 *Parentes commonendi de educatione filiorum.*
67 *Filii illegitimi non ſunt lactandi ab infidelibus.*
68 *Niſi de conſenſu Ordinarii in caſu neceſſitatis.*
69 *Baptizatorum nomina immediate ſcribenda ſunt in libro.*
70 *Liber Baptizatorum haberi debet a Parocho.*

NE in praxi deficiat Parochus, ad ea quæ pro theorica, in antecedentibus Titulis, expoſita ſunt, deſcendit Rituale noſtrum ad manualem inſtructionem, & ut ita dicam, manuductionem Parochi, ut rite, & recta in miniſtrando Baptiſmi Sacramento, munus ſuum impleat, hoc pacto.

§. I. N. Quid petis ab Eccleſia Dei?

Non a miniſtro Eccleſiaſtico poſtulatur Fides per baptizandum, ſed ab univerſali communione fidelium, qui Eccleſiam componunt. Miniſter poteſt errare, Eccleſia vero Dei per Spiritum Sanctum infallibilis eſt, atque in credendo non poteſt errare; nam Spiritus Veritatis eſt hujus corporis Anima, Melch. Can. *locor. Theol. l.* 4. *cap.* 4. Imo eſt columna, & firmamentum Veritatis, Beccan. *Manual. l.* 1. *cap.* 3. *concl.* 2. *num.* 17. Nomen itaque baptizandi nomine Eccleſiæ totius petitur, & pronunciatur in caſu vocando, ſive maſculini, ſive fœminini generis ſit, verb. grat. Hieronyme, Carole, Flavia, Clara, &c. 1

§. II. Patrinus reſpondet: Fidem.

2 Reſpondere debet Patrinus verbo expreſſo, & clara, non nutu, unde prout ſupra diximus, qui muti ſunt, arcentur a miniſterio Patrini. Inſuper latina reſpondeat; & præciſa verba præſcripta in Rituali, *c. Parvuli, de conſecrat.* Clericat. *d. dec.* 40. *n.* 5.

§. III. Deinde ter exſufflet leniter in faciem Infantis, & dicat ſemel: Exi ab eo, &c.

3 Iſta exſufflatio fieri debet ore lato, non ſtricto, ut exſpiratio ſit tepida, non frigida, ne noceat Infanti, Gobat. *tr.* 2.

Sed ut ſenſus, & myſteria harum cæremoniarum apud fideles innoteſcant, & in veneratione ſint, addam hic ſignificationem quarumcumque cæremoniarum, quæ in ſolemni Baptiſmo occurrunt, prout ex optimis, & probatis Authoribus collegi; & ex *decret.* 3. *p. d.* 4. *c.* 73. & *ſeqq.*

Igitur inſufflatio ter facta in faciem infantis eſt juxta illud, Marci 16. *in nomine meo dæmonia ejicient*, Clericat. *d. dec.* 45. *n.* 1. Chriſtus quoque inſufflavit, & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, Jo. 20. 4

§. IV. Poſtea pollice faciat ſignum Crucis in fronte, & in pectore Infantis dicens, &c.

5 Signum hoc faciendum eſt pollice rationibus, & cau-
6 ſis jam ſupra in antecedenti titulo explicatis. *Pollex* dicitur a *polleo*, ſive a *pollendo*, quia ipſe digitus eſt, qui toti manui vim præſtat, robur dat, & eo ſtringente, multa fieri poſſunt. Durand. *rational. l.* 6. *cap.* 48. *num.* 5. Clericat. *de confirm. deciſ.* 56. *num.* 7. & *ſeqq.*

Crux

7 Crux tota integra facienda aſt in fronte, & in pectore
baptizandi, ut dæmones de cætem vereantur pugnare
8 cum Catechumenis, Tertull. *l. de Reſ. carnis*. Antiquiſ-
ſima cæremonia eſt formatio Sanctæ Crucis ab Apoſtolis
tradita, & in Veteri etiam Teſtamento præſignata, &
figurata a manuum elevatione Moyſis contra Amalech,
ut ait D. Cyprianus *lib. de exhort. martyr. cap.* 8. Serpen-
te æneo, ut teſtis eſt ipſemet Chriſtus, & ſigno *Thau*
in frontibus dolentium, atque gementium. Propterea in-
digne plerique rem tam antiquam, & ab univerſa Eccle-
ſia uſurpatam, tamquam inimici Crucis Chriſti repre-
hendere conati ſunt, & rejicere, aperte ſe miniſtros de-
clarantes ejus, qui hoc ſemper per omnes Hæreticos mo-
litur, ut Crucis Dominicæ memoria aboleatur. In hoc
ſigno Crucis Apoſtoli nobis breviter comprehenderent
præcipua Religionis noſtræ capita, ad quæ credende, &
aperte cognoſcende Chriſtiani omnes obligantur: ut ſunt
Sanctiſſima Trinitas, Incarnatio, & paſſio Chriſti, re-
miſſio peccatorum, & denique gloria cæleſtis. Quæ o-
mnia, tametſi diſerte in Symbolo ſuo explicuiſſent:
voluerunt tamen, eadem ſub compendio, in hoc ſigno
Crucis comprehendi. Hæc & alia plura de Crucis ſigno
affert Card. Valer. *in Theſaur. piar. inſtit. p.* 3. *v.* 2.
& 3.

§. V. Deinde imponat manum ſuper caput Infantis, & dicat, Oremus, Omnipotens, &c.

9 Iſta manus impoſitio ſufficit ſi fiet moraliter, & ſit
10 quaſi impoſitio, nec tangatur caput baptizandi. In Sa-
cra Scriptura iſta impoſitio manus fiebat ad diverſos effe-
ctus, ut videre eſt apud Clericat. *de Confirm. dec.* 53.
n. 2. In noſtro caſu Sacerdos imponit manum, quia olim
11 lavabantur capite Infantium, ſeu baptizandorum in Domi-
nica Palmarum, & dicebant *Capitilavium* ob reverentiam
futuri Sacramenti, Iſid. *l.* 1. *Eccl. offic. cap.* 27. *de Dom.* 12
Palm. Clericat, *ibid.* Fuit poſtea illud capitilavium
prohibitum anno 813. in *Conc. Mogunt.* quia aliqui cre-
debant eam ablutionem eſſe Sacramentum. Ego vero pu- 13
to in hoc caſu, hanc manus impoſitionem (concordan-
do cum prece, & oratione quæ tunc dicitur) ſignificare
invocationem S. Spiritus ad illius cor illuminandum.

§. VI. Deinde Sacerdos benedicat ſalem, qui ſemel benedictus alias ad eumdem uſum deſervire poteſt,

14 Benedicere eſt officium ſolius Sacerdotis, Gavant.
Theſ. Sac. Rit. p. 4. t. 9. Sal duplici modo benedicitur,
nempe, ut ad Baptiſmum inſerviat, & ad faciendam
Aquam benedictam, & habet ſuas formas diverſes. Hic
15 loquimur de prima, Salis multæ ſignificationes ſunt apud
myſticos, & morales, de quibus in ſequenti paragrapho
16 dicemus. Modo dicendum eſt, quod ille Sal debet eſſe
candidus ſi fieri poteſt, mundus, & ſiccus; debet enim
rei Sacræ inſervire. Inſuper in vaſe eſſe debet, ſeu pa-
tella ſtannea, vel etiam fictili, dummodo ab aeris in-
commodis tueatur, ne liqueſiat; quod facile evenire pot-
eſt. Apud antiquos in Sacrificiis Sal quoque erat in uſu, 17
Cic. *de divin. Plin. lib.* 32. *cap.* 18. apud Caſal. *de vet.*
Sac. Chriſt. rit. cap. 36. §. *Sal additur*. Quod clarius
præcepit Deus in Lege Moyſis, Lev. 2. *In omni oblatio-
ne tua offeres Sal*.
Sal prius benedicitur quam Aqua, quia benedicenda 18
eſt Aqua cum ejus mixtione; & quia præcedere debet
cordis compunctio, ideſt amaritudo pœnitentiæ per ſa-
lem ſignificata, Gavant. *p.* 4. *t.* 19. Rubeus *de Bene-
dict.*

§. VII. Deinde immittat modicum ſalis benedicti in os Infantis, dicens, &c.

19 In noſtro caſu, inquit Clericat. *l. d.* immittitur Sal
benedictum in os baptizandi, ut ejus guſtu condimentum
ſapientiæ percipiat, Iſidorus Hiſpal. *l.* 2. *de Off. cap.* 20.
ut lingua Chriſtiani quaſi ſacra efficiatur, & Deum bene-
dicere, nunquam autem maledicere, pejerare, vel blaſ-
phemare audeat. Eliſeus quoque Proph. Sale fugavit ſte-
rilitatem Aquæ, 4. *Reg.* 2. Alias etiam myſticas cauſa-
les exponit Card. Valerius *in Theſauro piar. inſtitutio-
num*, *pag.* 238. Advertat Sacerdos ne multum Salis in 20
os Infantis immittat, quia valde nocivum eſſet. Ideo
dicit Textus *modicum Salis*, & ſufficit parvum granum
impalpabile.

§. VIII. Hic pollice in fronte ſignat Infantem dicens; Et hoc &c.

Valent hic quæ nuper diximus *ad* §. 4. *n.* 5. hujus Ti-
tuli. Notandum tantummodo ly *Hic* quo ſtatuitur tem-
21 pus limitatum ſignandi novitat Infantem in fronte, quod
nec prius, nec poſtea faciendum eſt; ſed dum dicit, &
pronuntiat verbe; *Hoc ſignum Crucis*; *&c.*

§. IX. Mox imponit manum ſuper caput Infantis, & dicit, &c.

Similiter in hoc loco valent quæ paulo ante diximus ad §. 5. hujus Tituli *de impoſitione manus*.

§. X. Poſtea Sacerdos imponit extremam partem Stolæ ſuper Infantem, & introducit eum in Eccleſiam, dicens N.

Huc uſque Infans, ſive Baptizandus ſtat extra Eccle-
ſiam, ſeu extra Baptiſterium: tempus advenit, ut intro-
22 ducatur: ideo Sacerdos præbet illi partem propriæ ſtolæ
quaſi eum ducens, & trahens ad Templum Dei. Iſta
impoſitio extremæ partis ſtolæ aſt quædam aſſecuratio ab
omni Dæmonum inſultu, & aliqua participatio fidelita-
tis. Quid ſit ſtola Sacerdotalis, ejus vis, & myſterium,
vide apud Clericat. *de Euchariſt. deciſ.* 30. *num.* 12.

§. XI. Cum fuerint Eccleſiam ingreſſi, Sacerdos procedens ad fontem cum ſuſceptoribus conjunctim, clara voce dicit, Credo, &c.

23 *Ore confeſſio fit ad ſalutem*, inquit Div. Paulus. Ita in
hoc recitant Symbolum Fidei Adulti Baptizandi, vel Pa-
24 trini pro Infantibus, quia ſemper in Catechumenis fidei
profeſſio præcedere debet Baptiſmo. Eunucho petenti Ba-
ptiſmum, dixit Philippus; *Si credis, ex toto corde, licet,
& reſpondens*, ait: *Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chri-*
25 *ſtum*, Actorum 8. Hic recitatur Symbolum Apoſtolicum,
non Nicænum, quia hoc eodem utebantur Apoſtoli in
ſolemni Baptiſmo ab iis miniſtrato per Orbem.
26 Recitatur quoque Oratio Dominicalis a Chriſto iiſdem
Apoſtolis dictata, ut ſic Baptizandus cito anticipet peti-
tiones pro acquirenda gratia baptiſmali; & præcipue ad
repellendas tentationes ſi eſt adultus: ſi vero Infans,
orant pro eo Patrini, ut Deus dimittat Baptizando debi-
ta, nempe originale peccatum.
Quæri poteſt, cur Oratio Dominicalis a Chriſto com- 27
poſita, ut habemus ex *Matth.* 6. inter Sacramentalia
adnumeretur, quæ ab Eccleſia inſtituta ſunt? Cui reſ-
pondeo cum Sotell. *T.* 4. *ep.* 36. *n.* 5. Eccleſiam hoc loco
non enumerare inter Sacramentalia hanc Orationem, ſed
illius virtutem tantummodo demonſtrare. Sacramentalia
enim ex Sacra Scriptura quandocumque deſumpta ſunt,
vel ad impetrandam remiſſionem peccatorum, vel ad
inquirendum adimplementum alicujus promiſſionis. Hic
igitur utimur hac Oratione, ut eo facilius impetremus,
cum ipſamet Chriſti verba adhibeamus.

§. XII. Ac deinde, antequam accedat ad Baptiſterium, dicat. Exorciſmus.

28 Quamvis Sacerdos, nonniſi habita facultate ab Or-
dinario, nequeat exercere munus Exorciſtæ, tamen in
adminiſtrando Baptiſmo hæc reſtrictio non habet locum.
Quilibet igitur Sacerdos baptizans velet fugare Diabolum,
qui videns baptizandum jam proximum ſacro Fonti, o-
mnibus viribus conatur, ut eum invadat. Sed ſunt ne
proprie energumeni, ſeu e Dæmone vexati Infantes ba-
ptizandi? Dicendum eſt, quod non. Ad quid igitur iſti
exorciſmi? Inſerviunt ad omnino deſtruendum jus, quod 29
habet Diabolus in Anima Infantis ob peccatum origina-
le: In Adultis vero ad eliminanda peccata; & quandoque
ad ipſum diabolum fugandum, qui in aliquibus caſibus, 30
ut narrat Menochius *Strom. l.* 4. viſibiliter fugere viſus
eſt,

§. XIII.

§. XIII. Poſtea Sacerdos digito accipiat de ſaliva oris ſui, & tangat aures, & nares Infantis: tangendo vero aurem dexteram, & ſiniſtram, dicat, Ephpheta (quod eſt adaperire) deinde tangat nares dicens, &c.

30 Explicatio moralis hujus textus datur a S. Ambroſio *l. de Sacram. c. 1.* his verbis: *Nares tanguntur, quia ſtatim divinæ cognitionis odor percipitur: quod autem ex ſputo eutec; quia nos ad Dei Verbum percipiendum paracæ illæc offerimus.*
32 Nos vero ad litteram alia dicemus: Sputo, & Saliva uſus eſt Chriſtus Redemptor in ſanandis variis infirmitatibus, & languoribus. Fecit lutum ex ſputo tunc, cum ſanavit cæcum a nativitate, *Joann. 9.* Similiter apprehendens ſurdum, & mutum, miſit digitos ſuos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus, & ſanus ſactus eſt illico, *Marc. 7.* ex quo loco præcipue Sancta Eccleſia deſumpſit hanc cæremoniam, & verbum illud *Ephphete*, ſeu *Ephphethe;* quod, ut alibi diximus
33 eſt verbum Chaldaicum, & ſignificat *adaperire*, ut ipſe Textus docet.
34 Circa quod verbum, advertendum eſt, Miniſtrum Baptiſmi non teneri ad dicendum (*quod eſt adaperire*) hoc enim ibi ſignatum eſt charactere diverſo, ad explicationem ſignificationis verbi illius jam alieni atque inuſitati, & non facilis intelligentiæ. Quare baptizans ſufficit ſi dicat tantum *Ephpheta*: cætera enim ibi poſita ſunt eo modo quo ſcribuntur in Evangelio *Marci 7.* ſicuti ſimiliter legitur in Evangelio *Abba Pater: Rabboni, quod interpretatur Magiſter*, & alia hujuſmodi ad majorem legentium notitiam; de dicto verbo *Ephpheta* clariſſimam explicationem dat Rabanus, *Inſt. Cleric. l. 1. cap. 27.* relat. *in c. poſtea tanguntur 68. de conſecrat. diſt. 4.*

Sed ut redeamus ad Salivam, de illa diſertiſſime tractat clariſſimus meus Lanzonus in ſuo peculiari Tractatu *de Saliva humana, pag. 56. & 124.* ubi virtutes naturales Salivæ demonſtrans, probat ſanationes a Chriſto factas, fuiſſe vere miraculoſas.

§. XIV. Poſtea interrogat nominatim Baptizandum, dicens: N. Abrenuntias Satanæ?

35 Interrogatur nominatim baptizandus, quia ſuper certam perſonam cadere debent iſtæ abrenuntiationes, ne redarguatur Judex in die judicii. Fuerunt hujuſmodi abrenuntiationes ab Apoſtolis inſtitutæ, *l. 3. conſt. Apoſtol. cap. 18.* Ubi qui baptizatur, ſit ab omni impietate alienus, hæres Dei Patris, cohæres Filii ſui, qui non renuntiaverit Satanæ, & Dæmonibus, & fraudibus ſuis, idem Rabanus, *lib. 7. cap. 40. 41.* Quoad Abrenuntiationes vide Lectionem tertiam ſecundi Nocturni in Vigilia Pentecoſtes, in qua plura de Renunciatione, ſeu Abrenuntiatione.

§. XV. Deinde Sacerdos intingit Pollicem in Oleo Catechumenorum, & Infantem ungit in pectore, & inter ſcapulas in modum Crucis, dicens, &c.

Cum aliæ Cæremoniæ injungantur baptizanti, quæro hic cur Rubrica tam expreſſe, in hoc loco, imponat Sacerdoti tantum hanc inunctionem? Et reſpondeo cum *cap. deinde 70. de conſecr. diſt. 4.* ubi quæritur, quare a
36 Sacerdote inungantur? Res conſecratæ a ſolis conſecratis, & ſanctificatis pertractari debent. Hoc ſit etiam ea inſtitutione Apoſtolorum, Card. Baron. *Ann. 35.* & ibi Spondan. *num. 11.* & ſignificat *interiorem unctionem Spiritus S. lib. 3. conſt. Apoſt. c. 17.* ungit enim utrumque latus, nempe pectus, & humeros, quæ tamquam receptaculum cordis habentur. Iſtam vero Unctionem cum oleo catechumenorum, & aliam poſt Baptiſmum cum chriſmate ex Sacerdotali Semarini P. 1. f. mihi 29. b. habemus eſſe potius uſu introductam, quam per aliquam ſcripturam, & de facto in libris baptiſmalibus hujus meæ Eccleſiæ collegiatæ S. Blaſii, qui in hoc Archivio meo aſſerventur, habeo adnotationem ab Archipresbytero Sebaſtiano Novio, ab anno 1576. die 22. Julii fol. 34. factam per hæc verba præciſa, *Hodie Pueros Oleo Catechumenorum ungere cœpi de mandato Illuſtriſſimi Epiſcopi.* Signum evidens hujuſmodi unctionem temporibus anteactis in uſu non fuiſſe.

Ratio moralis & myſtica hujus unctionis eſt: ut per Spiritus Sancti dona abjiciat errorem & ignorantiam, & ſuſcipiat fidem rectam.

§. XVI. Hic deponit ſtolam violaceam, & ſumit aliam albi coloris, &c.

37 Huc uſque Sacerdos Stola violacei coloris uſus eſt: modo ſumit aliam coloris albi. Nota verbum *ſumit:* non dicit, *vertit ſtolam*, & eam in alio colore transmutat. Ex quo infertur laudabilis uſus adhibendi ſtolas diverſas, & omnino ſeparatas, non unicam tantum verſicolorem ex utraque parte, ut alibi dictum eſt, cum Corſett. *Prax. Ind. Rational.* qui rationem reddit hujus mutationis, & eſt quia primæ cæremoniæ ſpectant ad Catechumenum, in quo nondum deleta eſt culpa originalis, cui debetur miſeria, fletus, & dolor.

§. XVII. Subinde pollicem, & inuncta loca abſtergit bombacio, vel re ſimili, & interrogat expreſſo nomine Baptizandum, Patrino reſpondente, N. &c.

Olei inunctio nullo modo melius abſtergitur quam re villoſa, ideoque bombacium, ſeu linum, ſeu ſpongia, ſeu aliquid ſimile eſt in uſu, quia vere tergunt, & abſorbent illam Oleoſitatem.
38 Interrogationes debent fieri expreſſo nomine, ne oriatur
39 dubium, cui vere fiant. Moraliter ſignificat hæc triplex interrogatio, ut triplicem maculam cordis, oris, & actionis trina confeſſio eboleat, S. Ambroſ. *l. de Spiritu Sanct. cap. 11.* & eſt deſumpta a triplici confeſſione Petri de Chriſti dilectione, *dict. l. 2. de Sacram. cap. 7.*

Iſtæ tres interrogationes continent in ſe ſubſtantiale compendium fidei, & Symboli Apoſtolorum: prima enim loquitur de Deo Creatore: altera de Redemptore: tertia de Eccleſia Dei.

§. XVIII. Subinde expreſſo nomine Baptizandi Sacerdos dicit, N. Vis, &c.

Expreſſo nomine hoc fit, ut Baptiſmus cadat in certam, & deliberatam perſonam, non vero in univerſalem, ut diximus.

§. XIX. Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque (ſi ambo admittantur) Infantem tenente, Sacerdos vaſculo, ſeu urceolo accipit Aquam baptiſmalem, & de ea ter ſundit ſuper caput Infantis in modum Crucis, & ſimul verba proferens, ſemel tantum diſtincte, & attente dicit: N. Ego te Baptizo, In nomine Patris ✠, fundat primo, & Filii ✠, fundat ſecundo, & Spiritus Sancti, ✠, fundat tertio.

40 Diximus ſuo loco, unum, vel unam, aut unum, & unam poſſe eſſe Patrinos. In quocumque caſu ſuſceptio Infantis debet eſſe non tantum intentionalis, ſed materialis: uterque enim, ex præſcriptione Ritualis tangere debet Infantem, quia iſte tactus phyſicus requiritur ad contrahendam cognationem ſpiritualem, in ſuſcipiendo Infante de loco Sacro, *cap. de his, & cap. ad limina,* excepto caſu Baptiſmi, in quo Patrinus fiet per Procu-
41 ratorem: quia tunc S. C. Concilii cenſuit cognationem contrahi a mandante, non vero a Procuratore, *in una Veronen. 29. Martii 1582.* Rot. coram Verall. *dec. 147. p. 3.* Nicol. *T. 1. Inſt. Civil. l. 1. t. 10. n. 37.* Pignateil. *Tom. 7. conſ. 93. num. 3.*
42 Advertant Patrini in ſuſcipiendo Infante, ut illum teneant, faciem habentem pronam ſupra Vas, in quo labi debet Aqua, e capite decidens, dum Sacerdos eam verſat; non enim ſupra faciem verſanda eſt, ſed ſupra verticem capitis.

Forma, *Ego te baptizo*, dicenda eſt ſemel, ne Sacer- 43
dos videatur reiterare Baptiſmum. Prima fuſio per ſe Crucem formabit: ſecunda, & tertia ſimiliter, & unicuique inhærebit una Perſona Sanctiſſimæ Trinitatis, adeo ut antequam dicatur *Sancti*, ſit jam completa tertia crux, & tertia effuſio. Tota forma pronuntianda uſque ad ly *Sancti* incluſive: & hoc ſit ex inſtitutione hujus Sacramenti tunc cum Jeſus Chriſtus dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Matth. 28. Aliter Baptiſmus abſque tota hac forma collatus non valeret. Quod in adminiſtratione aliorum Sacramentorum non eſt de ſubſtantia Sacramenti.

Nihil loquitur textus de abſterſione Infantis poſt lava- 44
crum in parte, qua madefactus eſt: Hanc debet facere Sacerdos, qui baptizavit, linteolum candidum ad hunc uſum tantummodo deſtinatum adhibendo, leniter, & ſuaviter tergens caput Infantis Aqua humefactum.

§. XX.

§. XX. Ubi autem eſt conſuetudo baptizandi per immerſionem, Sacerdos accipit Infantem, & advertens ne lædatur, caute caput ejus immergit, & trina merſione baptizat, & ſemel tantum dicit N. &c.

45 Conſuetudo hæc baptizandi per immerſionem approbata eſt ab Eccleſia, ſed non ubique locorum fidelium eſt in uſu. In Eccleſia Ambroſiana perpetuo retenta eſt, & ab ea recedere non licet. De modo tenendo in adminiſtrando Baptiſmo hoc ritu, exponunt quæ neceſſario obſervari debent *Acta Mediol. Eccleſiæ P. 4. inſtruct. Bapt. ad Sacramentale Ambroſianum*, *pag. mihi* 411. quæ hic repetere non juvat: quare ad illud vere aureum Opus remitto lectores meos, non tantum in hoc §. ſed in toto 46 Operis hujuſmodi decurſu. In illo enim tamquam in theſauro multa, & quamplurima invenient Sacerdotes, & miniſtri Altaris, quæ ad miniſterium ſuum perfecte implendum juvabunt; nec illis opus erit ad alios Doctores accedere.

§. XXI. Mox Patrinus, vel Matrina, vel uterque ſimul Infantem de ſacro Fonte levant, ſuſcipientes illum de manu Sacerdotis,

47 Matrina ſignificat idem ac Mater ſpiritualis, ſeu Fœmina, quæ ſuſcipit Infantem in Sacramento Baptiſmi, vel Confirmationis, eo modo, quo Patrinus dicitur de Maſculo. Item Novercam ſignificat, *l. nulli liceat*, *de Succeſſ.* Macri *Hierolex.* Totus iſte §. ſpectat ad ritum Ambroſianum, baptizandi per immerſionem.

§. XXII. Si vero dubitatur an Infans fuerit baptizatus, utatur hac forma; N, ſi non es, &c.

48 Iſte modus baptizandi vocatur Baptiſmus ſub conditione, & fit tunc quando clare, & evidenter non conſtat, Infantem, ſeu quemcumque baptizandum non eſſe baptizatum valide; & in omnibus caſibus jam ſupra in his Commentariis explicatis, & a textu aſſignatis, & præcipue ad titulum, ubi de Monſtris ſermo habetur, & de partu Cæſareo.

§. XXIII. Deinde intingit pollicem in ſacro Chriſmate, & ungit Infantem in ſummitate capitis, in modum Crucis dicens, &c.

49 Intingit, non immergit, quia ſufficit, ut digitus pollex ſit in ſummitate tantummodo intinctus Oleo, non inundatus, aut ſtillans, ob periculum effuſionis. Hoc fit ex inſtitutione S. Silveſtri Papæ propter occaſionem tranſitus mortis. Non ungitur frons, quia hoc tantummodo
50 Epiſcopo licet, ſed vertex, aut ſummitas capitis, Macri verbo *Chriſma*. Sed non per hoc quod illa unctio facta ſit cum Chriſmate dici poteſt quod ſit confirmatio; ſeu Sacramentum. Confirmationis enim miniſter eſt ſolus epiſcopus: Igitur eſt unctio facta ad corroborandum Baptizatum in fide ſuſcepta, nec iſta de ſe imprimit characterem, quia non eſt ſacramentum, ſed tantum complementum ſacramenti ordinarium in concilio Arauſicano relato e Coninck de ſacr. qu. 71. de cærem. Baptiſmi art. 2. dub. uolc. n. 17. *Nullus* (inquit Con.) *miniſtrorum qui Baptizandi recipit officium ſine Chriſmate nuſquam debet progredi &c.*
Epiſcopi olim ſoli Baptizabant, & unico contextu confirmabant, & remanſit in ritu iſta cæremonia.

§. XXIV. Tum bombacio, aut re ſimili abſtergit pollicem ſuum, & locum inunctum; & imponit capiti ejus linteolum candidum loco veſtis albæ, dicens, &c.

51 De hac abſterſione vide ea, quæ ſupra diximus ad §. 17. hujus Tituli. Quoad vero ad linteolum, ſeu ſudariolum album, hoc imponitur loco veſtimenti, & debet eſſe in Baptiſterio paratum, nec cogi poſſunt ad illud deferendum, & præſtandum, qui Infantem ad Baptiſmum ducunt. Mos antiquiſſimus fuit baptizatos ſtatim induere veſtibus albis, de quibus Lactantius *de Reſ. Dom. Fulgentes animos veſtis quoque candida ſignat: & Grege de niveo gaudia Paſtor habet.*
Signat veſtis alba innocentiam, quæ in Baptiſmo confertur: item ſpiritualem nativitatem, & Reſurrectionem 52 futuram. Portabatur ſeptem diebus, & deponebatur octave die Paſchæ, quæ idea vocatur Dominica in Albis. Sacrum etiam velamen imponebatur in capite baptizatorum, ob reverentiam chriſmatis, & duravit iſte ritus uſque ad annum 1090. poſt quem introduxit Eccleſia abſterſionem cum bombacio, Vicecom. *de antiq. Baptiſm. rit. lib.* 5. *capit.* 17.

§. XXV. Poſtea dat ei, vel Patrino candelam accenſam, dicens, &c.

53 Pariter iſta candela debet eſſe parata in Baptiſterio: ſi vero ab iis qui baptizandum deferunt, offeratur, hæc eadem debet omnino accendi, non vero alia jam alias accenſa. Inſuper debet eſſe ex cera alba, niſi conſuetudo ſit offerendi candelam ex cera virgine. Quæcumque vero ſit, ad uſum Parochi remanet, nec eſt reſtituenda, niſi conſuetudo ſit in contrarium; prout in Eccleſia Cathed. Bergomenſi, ubi oblatio cereorum facta pro baptizato, ſpectat ad Capitulum illius Eccleſiæ. *Ceremon. Eccl. Bergom. impreſſ.* 1568. *de cap. Fonte Bapt. pag.* 23.
Dat Sacerdos iſtam candelam accenſam baptizato, vel 54 Patrino ad ſignificandum, quod ab Eccleſia venit lumen Dei, nec Patrinus accendit illam, neque baptizatus ſi eſſet Adultus, quia ex ſe nihil poteſt homo, & omne bonum deſurſum eſt deſcendens e Patre luminum.

§. XXVI. Poſtremo dicit: N. vade in pace, & Dominus ſit tecum, &c.

55 Datur hæc ſalutatio noviter baptizato, loco oſculi, quod olim eidem infigebat Miniſter, S. Cyprian. *ep.* 59. *ad Fid. Epiſc.* Tum ad innuendam pacem, gratiam, & charitatem Chriſti, tum ad ſignificandam parentelam, & cognationem ſpiritualem initam in Sacramento, Tertullian. *de veland. Virg.* Baron. *Ann.* 294. Et omnes adſtantes congratulabantur ei, Nicephor. *l.* 3. *hiſt. Eccl. cap.* 37. Hæc eſt ultima pars miniſterii adhibendi a Sacerdote in baptizandis præcipue parvulis. Nonnullæ obſervationes veniunt faciendæ in aliquibus caſibus particularibus prout ſequitur in proximo paragrapho.

§. XXVII. Si vero fuerint plures baptizandi, ſive maſculi, ſive fœminæ, in Catechiſmo maſculi ſtatuantur ad dexteram: Fœminæ vero ad ſiniſtram, & omnia pariter dicantur ut ſupra in proprio genere, & numero plurali. Verum prima nominis interrogatio, exſufflatio, Crucis impreſſio, ſeu ſignatio, tactus aurium, & narium cum ſaliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio Olei Catechumenorum, interrogatio de fide, ſeu ſymbolo, & ipſe Baptiſmus, inunctio chriſmatis, candidæ veſtis impoſitio, atque accenſæ candelæ traditio, ſingulariter ſingulis, & primum maſculis, deinde fœminis fieri debent.

56 Nonniſi abſque urgentiſſima cauſa, hæc Rubrica, & ejus Regulæ ſunt adhibendæ, nempe in caſu converſionis ad fidem multarum familiarum Infidelium, & pene innumerabilium perſonarum, tempore alicujus ſuſpicionis, invaſionis, incendii, vel alicujus magni periculi. Extra hos, vel ſimiles caſus, Sacerdos ſi baptizaret plures Infantes, unico actu, valide faceret, ſed illicite; imo peccaret ſi hoc ſolummodo faceret, ut citius ſe expediret, Clericat. *de Bapt. dec.* 34. *num.* 1. *uſque ad* 3.
Dato itaque hoc caſu, ad nihilum pene reducitur ſin- 57 gularitas formæ, ſeu adminiſtrationis; nam in textu aſſignantur loca præciſa, in quibus actio debet fieri per modum ſingularis perſonæ, & ſunt pene omnia, quæ componunt ordinariam regulam baptizandi, adeo ut in plu-

reli

tali numero pauca, imo pauciſſima fieri poſſint; unde dici poteſt, quod hic exceptio regulam firmat.

58 Ideo Maſculi ſtatuuntur ad dexteram, quia hoc eſt privilegium naturæ, quod habuit Maſculus in prima ejus origine: Plaſmatus enim fuit priuſquam Fœmina efformaretur: ideoque hæc præeminentia illi danda eſt. Igitur in caſu a Textu deſcripto plureli modo poteſt fieri ſolos Catechiſmus, & nihil aliud prorſus.

§. XXVIII. Si Infans, vel Adultus ægrotus, adeo graviter laboret, ut periculum immineat, ne pereat antequam Baptiſmus perficiatur, Sacerdos omiſſis quæ Baptiſmum præcedunt, eum baptizet; ter, vel etiam ſemel infundens Aquam ſuper caput ejus in modum Crucis, dicens, &c.

59 In caſu periculi proximæ mortis diſpenſatur Baptiſmus a cæremoniis, & actus ad eſſentiale lavacrum reducitur, omiſſis acceſſoriis, quæ Baptiſmum antecedunt: nam quæ ſubſequuntur, fieri, & ſuppleri poſſunt juxta tempus ſupervivantiæ.

Sufficit in hoc caſu ſi ſemel Aqua effundatur ſuper 60 ægrotum in modum Crucis, nec in caſu ſupervivantiæ repetendæ ſunt omiſſæ duæ Infuſiones, & Cruces, quia per unicum actum fit Baptiſmus, & in una ſola Cruce totum continetur Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis.

§. XXIX. Si non habeatur Aqua baptiſmalis, & periculum impendeat, Sacerdos utatur Aqua ſimplici.

61 Aqua Baptiſmalis illa eſt, quæ conſecrata, & benedicta eſt ſolemniter in fonte, ut alibi diximus: ſed non ſemper, neque in omni loco, ſeu occaſione haberi poteſt hæc Aqua: ideo ſuppleri poteſt per Aquam ſimplicem in caſu neceſſitatis, quia Chriſtus contactu ſuæ carnis mundiſſimæ omnem Aquam conſecravit in uſum Baptiſmi, Clericat. *de Confirm. dec.* 54. *num.* 9. Clare enim ſonant illa verba: *Niſi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*: Non dicitur *Aqua conſecrata*, ſed *Aqua* ſimpliciter, qua etiam uſus fuit Apoſtolus in baptizando Eunucho Reginæ Candacis, *Act.* 8.

§. XXX. Deinde ſi habeat Chriſma, liniat eum in vertice dicens, &c. Poſtea dat ei linteolum candidum, dicens &c. Ac demum det ei ceream candelam accenſam dicens, &c. Si ſupervixerit, ſuppleantur alii Ritus omiſſi.

Optime advertit in hoc loco Textus: *Si habeat Chriſma, &c.* quia in caſu neceſſitatis procul a Sacro fonte, non ſolent haberi vaſa Sacrorum Oleorum: ſed poteſt dari quod providus Sacerdos vocatus ad baptizandum in caſu neceſſitatis, vaſa illa ſecum deferat. Si igitur habet, liniat: ſi ſecus abſtineat.

Cætera in hac rubrica præſcripta ſatis fuere explicata in §. 23. & ſeqq. hujus Tituli, ideoque hic repetenda non ſunt.

Supereſt ut dicamus aliquid de ſupplemento cæterarum cæremoniarum, & Sacramentalium: ſed de his dicemus in particulari titulo, *de Ordine ſupplendi omiſſa ſuper Baptizatum*, ſuo loco.

§. XXXI. Admonendi ſunt ſuſceptores de ſpirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique Patre, & Matre, quæ cognatio impedit Matrimonium, ac dirimit.

62 Non inutiliter quandoque iſta admonitio facienda eſſet antequam Patrini ſuſciperent baptizandum, præcipue Perſonis ruſticis, quia ſæpe datur caſus, in quo nemo illorum notitiam habeat hujus ſpiritualis cognationis, quam ſi ſcirent, ſe a ſuſcipiendo Infante abſtinerent, ob ſpem aliquam futuri conjugii cum Patre, vel Matre baptizandi, ſi Viduitatis caſus daretur. Atque hoc in praxi nimis verum eſt.

63 Cognatio illa eſt quædam parentela ſpiritualis, quæ inducit vinculum tale, ut matrimonium contrahi nequeat inter Patrinum, ſeu inter Matrinam & Patrem, ſeu Matrem ſuſcepti, Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de Ref. matrim. c.* 2. quæ cognatio ſpiritualis non contrahitur inter ipſos Patrinos, neque a Viro contracta transfertur in Uxorem, vel e contra, Barboſa *de Off. & poteſt. Par. cap.* 18. *num.* 33. 34. Advertit tamen Laym. *tr.* 2. *cap.* 29. *num.* 3. *verſ.* 4. minus decens eſſe, ut duo Conjuges ſimul alienam prolem ſuſcipiant, quamvis id conſuetudine honeſtari poſſit, Barboſ. *d. ibid.*

Impedit igitur, & dirimit Matrimonium hæc cognatio ſpiritualis: impedit ne contrahatur ſine diſpenſatione: 64 dirimit contractum, & inducit, ut non poſſit peti debitum matrimoniale, dempto caſu neceſſitatis, in quo Infans eſſet morti proximus, & nullum haberet ſuſceptorem: ſed in hoc caſu Eccleſia non præcipit, quod ſit adhibendus Patrinus ullus.

Hæc oportet, ut innoteſcant quibuſcumque Patrinis, ſeu Matrinis, ne illos ſero pœniteat ſuſcepiſſe Infantem in Baptiſmo, & ideo contraxiſſe hujuſmodi impedimentum, a quo ſolus Pontifex poteſt diſpenſare, Cortad. *Prax. diſpenſ. l.* 8. Quod ſi hoc impedimentum ſit occultum diſpenſatur per Sacram Pœnitentiariam.

§. XXXII. Curet Parochus parentes Infantis admoneri, ne in lecto ſecum ipſi, vel nutrices parvulum habeant propter oppreſſionis periculum: ſed eum diligenter cuſtodiant, & opportune ad Chriſtianam diſciplinam inſtruant.

65 Origo hujus Rubricæ provenit *a cap. de Infant. de his, qui filios occidunt.* Et optime cautum eſt, ob periculum ſuffocandi parvulos in eodem lecto cum Genitoribus, ſeu Nutrice cubantes. In aliquibus diœceſibus, inter caſus reſervatos adnumeratur hæc detentio Infantium, qui nondum Annum expleverint, in lecto, ſine repagulo, *Synod. Fanen. a Verme, cap.* 6. *n.* 7. Quare recentioribus annis repertus eſt quidam lectulus ſejunctus, & poſitus apud lectum Matris, vel Nutricis, in quo reponitur Parvulus, & de illo ſuſcipitur ad lactandum tempore noctis.

De cuſtodia, & inſtitutione filiorum nunquam ſatis 66 obſtrepunt Dei præcones ſacri, & Theologi morales: quare optimum erit, ſi Parochus in actu Baptiſmi, Parentes de hac obligatione monitos faciat.

§. XXXIII. Commonendi ſunt etiam parentes, & alii, ſi opus fuerit, ne filios Hebræis, aliiſve Infidelibus, vel Hæreticis mulieribus ullo modo lactandos, aut nutriendos tradant.

67 Mores cum lacte ebibuntur, ut notat Ramazzin. *de morb. artif. cap.* 20. Nam Nutrices in ſuos Alumnos, corporis, & animi vitia transferunt. Igitur quærendæ ſunt Nutrices bene moratæ, & in fide ſatis inſtructæ: horret enim animus in ſola cogitatione mulierem infidelem nutrire Infantem fidelem. E contra prohibitum eſt dare Infantes Hebræos nutriendos, ſeu lactandos nutricibus Chriſtianis. Et hoc clare habetur ex Conſtitutione Innocentii IV. Conſtit. 2. quæ incipit: *Impia*, &c. §. 5. & ex Conſtitutione Pauli IV. Conſtit. 3. quæ incipit: *Cum nimis, &c.* Paſſerin. *in c. contra Chriſtian. de hæret. in* 6. *n* 49. admittit, quod in caſu neceſſitatis 68 poſſint eorum arbitrio, Epiſcopi permittere, ut nutrices Chriſtianæ valeant lactare filios Judæorum.

§. XXXIV. Antequam Infans ex Eccleſia aſportetur, aut ſuſceptores diſcedant, eorum nomina, & alia de adminiſtrato Baptiſmo, ad præſcriptam formam in baptiſmali libro Parochus accurate deſcribat.

69 In explicatione §. 19. antecedentis Tituli diximus rationes, propter quas promptus eſſe debet liber baptizatorum, qui unus eſt e quinque libris a Rituali Romano præ-
70 ſcriptis apud Parochum: Tempus hoc eſt, quo utatur ipſomet libro, nempe immediate poſt collationem Baptiſmi, ne aliquis diſcedat illorum, qui neceſſarii fuere in miniſtrando hoc Sacramento, & ne memoriam deperdat Parochus illius diei, ac aliarum rerum neceſſariarum, ut in libro notentur. Cætera circa hunc librum dicenda ſunt in fine horum Commentariorum ad proprium ſuum Titulum.

D E B A P T I S M O
A D U L T O R U M,
T I T. U L U S D U O D E C I M U S.

S U M M A R I U M.

1 *Adultorum Baptiſmus non ita frequens ac ille Infantium.*
2 *Miniſtrandus eſt majori ſolemnitate.*
3 *Adulti qui baptizantur, proveniunt e gremio Infidelium.*
4 *Adultus dicitur qui crevit ad juſtam ſtaturam.*
5 *Juvenes dicuntur Adulti.*
6 *Adulti in Baptiſmo dicuntur ad diſtinctionem Infantium.*
7 *Cæremoniæ Baptiſmi Adultorum diverſæ a cæremoniis Bapt. Infantium.*
8 *Adulta ætas dicitur ſeptennio completo.*
9 *In Maſculis proprie eſt poſt decimum quartum annum.*
10 *In Fœminis poſt duodecimum.*
11 *Hebræi majores ſeptennio poſſunt baptizari invitis parentibus.*
12 *Infantia durat per totum ſeptennium.*
13 *Adulti de jure Divino tenentur ſuſcipere baptiſmum.*
14 *Baptiſmus eſt exordium Chriſtianæ Religionis.*
15 *Apoſtoli prius inſtruebant baptizandos, & deinde baptizabant.*
16 *Eunuchus Reginæ Candacis inſtructus a Philippo.*
17 *Domus Catechumenorum eſt domus probationis.*
18 *Epiſcopus poteſt prorogare tempus probationis Catechumenorum.*
19 *Catechiſmus debet præcedere Baptiſmum.*
20 *Domus Catechumenorum neceſſaria in Civitatibus ubi ſunt Hebræi.*
21 *Catechumeni Adulti non ſemper ſinceri.*
22 *Catechumenæ Fœminæ ſæpius explorari debent.*
23 *Fœmininum genus inconſtantis naturæ.*
24 *Baptizare non licet quemquam per vim.*
25 *Adulti baptizandi debent habere liberam voluntatem.*
26 *Eccleſia non recipit Adultos niſi ſponte comparentes.*
27 *Hebræorum filii non poſſunt invitis parentibus baptizari. Valide tamen baptizantur.*
28 *Filii Apoſtatarum poſſunt invitis parentibus baptizari.*
29 *Baptizati nunquam poſſunt ſe ſubtrahere a juriſdictione Eccleſiæ.*
30 *Baptizatus per vim an valide baptizetur?*
31 *Vis diſtinguitur in abſolutam, præciſam, & conditionalem.*
32 *Baptizandus debet eſſe ſciens ſe baptizari.*
33 *Intentio ſuſcipiendi Baptiſmum requiritur in Adulto.*
34 *Adulti ante Baptiſmum debent eſſe plene inſtructi.*
35 *Adulti in mortis periculo baptizari poſſunt ſine inſtructione.*
36 *Epiſcopis reſervatur Baptiſmus Adultorum.*
37 *Sacerdotes id facere poſſunt de licentia Epiſcopi.*
38 *Catechumeni denunciandi ſunt Epiſcopo.*
39 *Adultorum Baptiſmus in Sabbato Paſchæ, vel Pentecoſtes miniſtrandus.*
40 *Rubrica debet concordare nigrum.*
41 *Magiſtris Cæremoniarum incumbit inquirere an adſint Catechumeni baptizandi prope Paſcha, & Pentecoſt.*
42 *Catechumeni nolentes expectare tale tempus poſſunt baptizari præventive.*
43 *Amor non patitur moras pro baptizandis Catechumenis.*
44 *Eccleſia eſt locus pro baptizandis Adultis.*
45 *Adultus publice baptizari debet.*
46 *Adultus tenetur reſpondere per ſe, non per Patrinum.*
47 *Catechumenus quid ſignificet?*
48 *Adultus ſi non reſpondet, præſumitur ficte ſe velle baptizari.*
49 *Niſi mutus fuerit, aut ſurdus.*
50 *Vel Catechumenus linguæ ignotæ.*
51 *Reſponſio eſt indicium voluntatis, & animi.*
52 *Catechumenus linguæ ignotæ omni labore debet inſtrui etiam nutu, & habeat recurſus ad S. C. de Propaganda.*
53 *Catechumeni antiquitus poſt Baptiſmum communicabantur.*
54 *Catechumeni, ſi ſint ſani, debent eſſe jejuni.*
55 *Catechumeni baptizandi ſunt de mane.*
56 *In hoc caſu nimis indulgetur commoditati Patrinorum.*
57 *Catechumeni uſque ad nonam jejunabant in die Baptiſmi.*
58 *Epulæ fiebant poſt Baptiſmum cum ſuſceptoribus.*
59 *Signa lætitiæ dantur poſt Baptiſmum.*
60 *Adultus debet pœnitere peccatorum ante ſuſceptionem Baptiſmi.*
61 *Si non pœniteat, obtinet Sacramentum, ſed non gratiam.*
62 *Peccata non poſſunt eſſe materia pœnitentiæ ante baptiſmum.*
63 *Baptizandi antiquitus variis pœnitentiis onerabantur.*
64 *Pœnitentia antecedens eſt deteſtatio peccatorum.*
65 *Adulti amentes, & furioſi quando baptizandi?*
66 *Amentes ſi habeant lucida intervalla an baptizandi?*
67 *Amentes in periculo vitæ poſſunt baptizari.*
68 *Adulti lethargo, & phreneſi laborantes an baptizandi?*
69 *Cavenda a Parochis in exploratione Adultorum.*
70 *Adulti quandoque ad quæſtum baptizantur.*
71 *Adultus joci, vel lucri cauſa accedens ad baptiſmum non baptizatur.*
72 *Caſus circa hoc a Bollando allatus.*
73 *Qui de Baptiſmo ſibi collato nullum teſtimonium habent, poſſunt baptizari ſub conditione.*
74 *Hæretici qui in forma, vel materia baptiſmi defecerunt, ſunt baptizandi.*
75 *Hæretici multi contra Baptiſmum errantes.*
76 *Hæretici qui rite baptizati ſunt, non debent rebaptizari, ſed ſupplendæ ſunt cæremoniæ.*
77 *Hæretici ante Baptiſmum pœnitere debent de peccatis.*
78 *Epiſcopus poteſt diſpenſare circa cæremonias ſupplendas.*
79 *In Baptiſmo Adultorum omnia ſervanda ſunt quæ in Bapt. Infantium.*

EXPEDITIS, quæ de ordine baptizandi Parvulos Rituale præſcribit, ſequuntur quæ præſignata ſunt circa Baptiſmum Adultorum. Iſte Baptiſmus non ita frequenter occurrit, quemadmodum ille Parvulorum, ſed quando occurrit miniſtrandus, fit plerumque majori ſolemnitate quam alter. Iſta raritas ex eo non provenit, quod imminutus ſit numerus fidelium, ſed quod ſit auctus, dum pene omnes baptizantur Infantes. Qui vero Adulti baptizantur, ex alio gremio proveniunt, nempe ſeu ab Infidelibus, ſeu ab Hæreticis, aut aliis extra Catholicam Eccleſiam degentibus, qui ſponte ad Chriſtianam, Catholicamque Religionem accedere velint, & fidelium communioni aggregari.

§. I. Si quis Adultus ſit baptizandus, debet prius ſecundum Apoſtolicam regulam in Chriſtiana fide, ac ſanctis moribus diligenter inſtitui, & per aliquot dies, in operibus pietatis exerceri, ejuſque voluntas, & propoſitum ſæpius explorari, & non niſi ſciens, & volens, probeque inſtructus baptizari.

4 Adultus itaque dicitur ille, qui crevit ad juſtam ſtaturæ ſuæ altitudinem, Calep. *in verb. Adultus*: unde Juve- 5
nes

nes dicuntur Adulti, quia in flore ætatis ſunt poſiti. In
noſtro caſo vero non tam late ſumenda aſt hæc ſignifi-
6 catio. Adultus hic ponitur ad diſtinctionem Infantium,
ut ſinguli habeant ritum Baptiſmi ſui, quia cæremoniæ
7 Adultorum, in multis, diverſæ ſunt a cæremoniis Infan-
tium. Catech. Rom. *de Bapt.* §. *Sed cum*, *&c.* Et ratio
eſt, quia alia peccata purgare debent, ſatis a rato ori-
ginali diſtantia, unice ab Infantibus contracto, & illis
Chriſtiana fides proponenda eſt, atque omni ſtudio ad eam
ſuſcipiendam cohortandi, alliciendi, & invitandi ſunt.
8 Ideoque Infantili ætate tranſacta ſuccedit per nos ætas
Adulta ab *Adoleo*, quod eſt *Augere*: quæ ætas nuncupa-
tur ætas diſcretionis, & intelligitur ſeptennio ex pleto; *ut
in c. 1. 30. q. 2. & in c. cum aetate attaſq. Inf. de Pœnit. & re-*
9 *miſſ.* licet proprie dicatur poſt decimum quartum annum
10 in maſculis, & duodecimum in fœminis; *Cap. cum Vi-
rum*, *& cap. cum ſimus*, Fagnan, *in V. decr. de Cleric.
per ſalt. c. 1. n. 14.*
Immediate igitur ac homo uſu rationis gaudet, & ca-
pax eſt percipiendi, intelligendi, & reſpondendi, dicitur
Adultus, & hic eſt, de quo intelligit noſter Textus, ut
docet Monacell *ſuppl. ad T. 2. for. 15. ad tit. 15. num. 258.*
11 259. *XI. XII.* ubi loquens de Hebræorum filiis dicit, quod
ſi eorum filii non ſunt Infantes: ſed majores ſeptennio,
12 & conſenſum præſtent, poſſunt etiam invitis parentibus
baptizari: & allegat Sperell. *dec. 1. num. 30. 31. 32.* ergo
per totum annum ſeptimum incluſive durat in homine in-
fantia; & immediate eo completo initium habet adoleſcen-
tia; & homo dicitur Adultus, non vero amplius Infans.
Notandum hic pro explicatione hujus textus cum Fu-
13 lien. *de Sacr. l. 1. Reſol.* 3. Adultos teneri, ex jure divino,
Baptiſmum ſuſcipere quamprimum id commode fieri poſ-
14 ſit: Baptiſmus enim eſt exordium, & profeſſio Chriſtia-
næ Religionis; & non poteſt Adultus diu ſine Religione
manere, & ſine profeſſione Religionis, ergo nec ſine Ba-
ptiſmo: Nam ſicuti quilibet Adultus tenetur credere in
Chriſtum ſtatim ac fides Chriſti ſufficienter illi proponi-
tur, ita & talem fidem profiteri tenetur per ſignum ex-
ternum ad hoc deputatum, quando commode uſurpari
poteſt: quia alioqui, & fidem, & ipſum fidei Authorem
contemnere, vel erubeſcere cenſetur.
15 Sed ut ad Textum deveniamus. Apoſtoli, ut habemus
in Actis, prius inſtruebant in fide baptizandum, poſtea
baptizabant. Ita Eunuchus Reginæ Candacis inſtructus
16 fuit a Philippo circa adventum, mortem, & Reſurrectio-
nem veri Meſſiæ, & ſubito baptizatus fuit, *Act.* 8. nec
deſunt alia exempla in ſacra Hiſtoria.
Hodie iſta inſtructio eſt ſatis famoſa, cum non fiat,
ut dici ſolet, in confidentiam, ſed per deputatos mini-
ſtros, qui per ſpatium quadraginta dierum propagandum
17 arbitrio Ordinarii in Domo probationis, quæ vocatur Do-
18 mus Catechumenorum, vel apud aliquos pios, & bene
moratos fideles, prout expediens quandoque Ordinario
videtur, inſtruunt Infidelem in iis, quæ ad ſuſcipiendum
Baptiſmum neceſſaria ſunt, nempe in articulis, & my-
ſteriis eſſentialibus fidei Chriſtianæ: Fatentur enim o-
19 mnes DD. quod Catechiſmus convenienter debet præcedere
Baptiſmum, *ex tex. in cap. ante bapt. de conſecr. diſt.* 4.
20 Quæ Domus Catechumenorum maxime neceſſaria eſt
in quibuſcumque Civitatibus, in quibus Hebræorum con-
ventus, ſeu *Ghetto* toleratur: ſæpe enim fit, ut aliquis
a Chriſtianorum bonis moribus invitatus ob frequentem
familiaritatem, vel ob publicas ſolemnitates, ad ample-
xandam veram fidem moveatur cum tota familia; quod
maximæ utilitatis eſt Reipubl. Chriſtianæ: quamvis enim
qui in ætate provecta convertuntur, non ſemper ſincere
21 id faciant: attamen Prolis, & Familiæ numerus, maxi-
me in infantili ætate, optimum fructum gignit.
22 Frequens exploratio maxime in fœminis habenda eſt,
quæ inconſtantis naturæ ſunt, & quod mane petunt, 23
veſpere recuſant: ideoque frequenter explorandæ ſunt,
an in voluntate perſiſtant ſuſcipiendi Baptiſmum, nec ſo-
lers Catechiſta ita facile credere debet, nec ſatiari in hac
frequenti petitione, quia nonnulli caſus dati ſunt, in
quibus mutatio maxima facta eſt, & ſpe decepti, Cate-
chiſtæ oleum, & operam perdere inventi ſunt.
Per viro inſuper, non licet aliquem baptizare, qui ba- 24
ptizari nolit, quia baptizandus debet habere liberam, &
plenam voluntatem, & neceſſe eſt, ut ſciat quid ſit Ba- 25
ptiſmus: immo in actu Baptiſmi debet ſcire, ſe tunc
baptizari. De facto Eccleſia non recipit Adultos ad Ba- 26
ptiſmum ſua ſponte venientes, antequam eorum volun-
tatem perpendat, & probat, *cap. Judæi*, *cap. plerique*,
de conſecrat. diſt. 4. Riccioll. *de jure perſon. l. 2. c. 32.*
non ſemper enim eorum petitio eſt fidelis.
Hebræorum filii non poſſunt invitis parentibus baptiza- 27
ri, D. Th. 2. 2. *art. ult. q.* 10. & alii plurimi apud Ric-
cioll. *d. l. 2. c.* 32. Si tamen de facto baptizentur, valet
Baptiſmus, & apud Chriſtianos alendi ſunt. Immo ſi hu-
juſmodi filii (ut ſupra dixi) non ſunt Infantes, ſed
majores ſeptennio, & conſenſum præſtent, tunc poſſunt,
etiam invitis parentibus baptizari per allegat. a Sperell.
dec. 1. num. 30. 31. 32.
De filiis Apoſtatarum, ideſt a fide recedentium, an 28
poſſint, invitis Parentibus baptizari, dicendum quod ſic,
ut per gloſſ. in c. ſi baptizat. in verbo qui, *de conſecr.
diſt.* 4. allegat. a Marquard. *de Judæis*, *p. 3. cap.* 2 *num.*
8. Et ratio eſſe putatur, quia licet Patres apoſtataverint,
tamen non poſſunt dici Infideles origine, cum vere ba-
ptizati ſint: eorum infidelitas eſt ſucceſſiva, non radica-
lis, & filius a radice provenit, non a voluntate ſecun-
daria: Et baptizati nunquam poſſunt ſe ſubtrahere a ju- 29
riſdictione Eccleſiæ propter characterem indelebilitar illis
in Anima impreſſum, Fulien. *de Sacr. c. 11. Reſ. 5.*
Si vero aliquis per vim baptizaretur: quærit Riccioll. 30
allegat. ſupra, *cap.* 35. an ſuſcipiat characterem, & di-
cit, quod ſi hæc vis ſit abſoluta, & præciſa, non recipit 31
neque gratiam, neque characterem: ſi vero vis eſſet con-
ditionalis, utique reciperet; & ſubdit, quod baptizatus
per vim abſolutam, & præciſam, ſi non reclamet, coge-
tur ad obſervantiam. Eſt autem vis præciſa, & abſolu-
ta quando quis nunquam conſenſit, ſed penitus contra-
dixit, veluti ſi ligatis manibus, & pedibus invitus ba-
ptizetur.
Ulterius Baptizandus debet eſſe ſciens, hoc eſt, ad- 32
vertere debet ſe baptizari; unde ſi quis Infidelis dormi-
ſat, vel per viam tranſiret, & ſupra illum effunderetur
Aqua cum pronunciatione formæ: *Ego te baptizo*, *&c.*
non eſſet baptizatus, quia neſciret ſe baptizari: ex parte
enim baptizati Adulti requiritur intentio ſuſcipiendi Ba- 33
ptiſmum: quia nemo utens libero arbitrio, niſi volun-
taria ad ſtatum gratiæ, & Filiorum Dei transfertur, Co-
ninck *de Sacr. q. 68. art. 7. n.* 30.
Præterea, ad hoc ut Sacramentum plenum affectum 34
ſuum in Adulto baptizato ſortiatur, debet ille eſſe plene
inſtructus de eſſentia, & quidditate Baptiſmi, necnon de
lege Chriſtianorum, ad hoc ut advertat obligationes, &
onera quibus ſe ſubmittit, ne poſtea eum pœniteat, dum
onera non ſibi prius explicata advertit: V. grat. Jejunium,
Confeſſionem auricolarem, Matrimonium cum unica U-
xore, & alia, quæ in legibus Hebræorum, ſeu Pagano-
rum non ſervantur. Quare optimi Inſtructoris erit, poſt
explicatam naturam, & effectus Baptiſmi, in lege, &
in mandatis tum decalogi, tum Eccleſiæ, bene inſtruere
Catechumenum, ut omnia illi innoteſcant antequam ſu-
ſcipiat Baptiſmum, ne poſtea Chriſtianus factus nova ad-
inveniat, quæ ſibi intolerabilia videantur, ideoque ſe pœ-
niteat de ſuſcepto Baptiſmo, vel illius nauſeam habeat.

§. II. At ſi vero quis, dum inſtruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi, vel neceſſitatis, baptizetur.

35 Neceſſitas in hoc loco æquiparatur periculo: ſed in ca-
ſu neceſſitatis Baptiſmus miniſtrari poteſt ſine ſolemnita-
tibus, ergo etiam in periculo. Si vero æger convaluerit, ſupplenda ſunt omiſſa ſuper baptizatum, nempe Catecheſis, & aliæ cæremoniæ a Rituali præſcriptæ.

§. III. Adultorum Baptiſmus, ubi commode fieri poteſt, ad Epiſcopum deferatur, ut ſi illi placuerit, ab eo ſolemnius conferatur, alioquin Parochus ipſe baptizet, ſtata cæremonia.

36 Cum ſit munus Epiſcopi baptizare, ut alibi diximus,
& antiquitus ab Epiſcopis tantum Catechumeni ſacro fon-
te abluerentur, Mart. *Lex. Etym. verbo Annus Ritualis*;
Unde Patres regeneratorum fuerunt appellati Epiſcopi a
S. Proſpero Aq uit. *lib. 3. de Vita contempl.* adeo ut S. Ca-
rolus *Act.* 4. inhibuerit, ut omnes Eccleſiaſtici, cujuſ-
cumque dignitatis eſſent, ſe abſtinerent ab hujuſmodi ſo-
lemnitate; ſtatutum fuit in hoc Titulo ut ſolemnis Baptiſ-
mus Epiſcopo deferretur. Verum cum quandoque infra
annum iſtæ ſolemnitates plures occurrant, factum eſt ut
Baptiſmus Adultorum diſtinguatur a cæteris ob miniſterium
Epiſcopale. Regula generalis eſt, *cap. cunctis 16. q.* 1. quod
nonniſi de licentia Epiſcopi poſſunt Presbyteri baptizare:
quæ licentia cum tacite, & permiſſive concedatur tunc,
quando quis eligitur Parochus, tacite etiam Epiſcopus
reſervat ſibi ſolemnem Baptiſmum Adultorum. Pro cu-
jus regulæ, & ritus obſervatione dicendum eſt, debere
Parochos, vel Miniſtros, & Rectores Domus Catechume-
norum ſignificare Epiſcopo loci, in prompto eſſe ali- 38
quem Catechumenum baptizandum, ut ſi ei placuerit, il-

tum ad Sabbatum Sanctum, vel Pentecoſtes ſervare, cuſtodiatur uſque ad definitum tempus: ſi ſecus, facultatem impertiatur Parocho, illum cum debitis ſolemnitatibus 39 baptizandi,

§. IV. Decet autem hujuſmodi Baptiſmum, ex Apoſtolico inſtituto, in Sabbato Sancto Paſchatis, vel Pentecoſtes ſolemniter celebrari,

40 Cum Benedictio Fontis Baptiſmalis, habeatur in Eccleſia duobus ſtatutis diebus, nempe in Sabbato Sancto, & in Sabbato Pentecoſtes, atque in illa ſolemni benedictione, necnon in Canone Miſſarum illorum dierum, multa dicantur de noviter renatis fidelibus ad fontem gretiæ, congruum videtur, ut ſi fieri poteſt, iſtæ cæremoniæ, Orationes, & preces inutiliter non fundantur: decet enim, ut aliquo modo verificentur, & concordent cum re ſignificata, Valafr. *de reb. Eccl. c. 26.* nam Rubricæ debet concordare nigrum, ex Monacell. *Prax. for. Eccl. ſuppl. ad T. 2. tit. 16. for. 1. n. aſſ.* de Benedictione Fontis, & de ſolemnitate horum dierum multa habentur in Gavant. *P. 4. t. 10.* quæ hic non afferam; & ſi qua erunt noviter dicenda, tunc dicam quando de benedictione fontis infra annum verba habenda erunt.

§. V. Quare, ſi circa hæc tempora Catechumeni ſint baptizandi, in iſtos dies, ſi nihil impediat, Baptiſmum differri convenit,

Circa verba ſuperenunciatæ Rubricæ valent, quæ in explicatione antecedentis paragraphi nuper diximus, Curæ erit diligentis Parochi, vel Inſtructoris Catechumenorum ad tempus in Rituali præſcriptum, Baptiſmum differre: Immo Magiſtris cæremoniarum incumbit onus 41 inveſtigandi an adſint Catechumeni, ut ita quæcumque neceſſaria ſunt ad ſolemnem Baptiſmum, in tempore parata ſint, ſi ab Epiſcopo ſit functio hæc habenda.

§. VI. Verum ſi circa, vel poſt tempus Pentecoſtes aliqui converſi fuerint, qui ægre ferant ſuum Baptiſmum in longum tempus differri, & ad illud feſtinent, inſtructique, ac rite parati eſſe noſcantur, citius baptizari poſſunt.

42 Advertant inſtructores Catechumenorum, ne nimium feſtinent ſeu accelerent inſtructiones cum Catechumenis, ad hoc ut ſint parati in duobus Sabbatis ſtatutis. Præceps inſtructio confundit potius mentes, quam inſtruat: Si res cadat ſnapte natura, fiat: ſi vero ſecus, differatur ad tempus opportunius, nec animas ſuas onerare velint mi. niſtri hac gravi culpa, nempe adhibendi Baptiſmum Catechumenum non ſufficienter inſtructum.

43 Si vere Catechumenus fidei amore flagret, omnes moras rumpere conabitur, & cupiet citius quam fieri poterit, ſolvere catenas Diaboli, & intrare Eccleſiam Dei. Audiendi ſunt igitur Catechumeni ſi exardeſcant, & an ægre ferant dilationem tantæ ſolemnitatis. In hoc caſu, ſi ſatis inſtructi ſint, baptizari poſſunt: verba enim textus ſatis clara loquuntur, & diſpenſant ab obligatione dierum præſcriptorum, Catech. Rom. *de Sacr. Bapt.* Riccinll. *lib. 3. c. 2.* nam Princeps Apoſtolorum, nulla interpoſita mora Cornelium baptizavit, ſtatim ac fidem ampleсti profeſſus fuit, & myſteria fidei plene percepit, *Act. 10.*

§. VII. Catechumenus inſtructus baptizetur in Eccleſia, ſeu in Baptiſterio. Patrinus ei aſſiſtat, & ipſe Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes reſpondeat; niſi mutus fuerit, aut omnino ſurdus, vel ignotæ linguæ: quo caſu vel per Patrinum ſi illum intelligat, aut alium interpretem, nutu conſenſum explicet ſuum,

44 Eodem modo, quo in Baptiſmo Infantium, locus talis miniſterii ſtatutus eſt, & præſcriptus, ita & in Baptiſmo Adultorum optimum cenſuit Eccleſia. Loquitur textus hic de Baptiſmo, & dicit locum talis Sacramenti pro Adultis, eſſe Eccleſiam, ſeu Baptiſterium; non loquitur de Catecheſi: Hæc ex præcepto Rubricæ, ut dicemus, fit ad fores Eccleſiæ, & extra limen, qua peracta, completur baptiſmalis actio cum ablutione in Eccleſia, vel Baptiſterio. Inſuper ex hac præſcriptione inferre debemus, non licere baptizare Adultum privatim, & ſine ſolemnitatibus, (niſi in periculo mortis, & in caſu neceſſitatis) neque in Domibus, neque in Aulis, neque in Capellis, aut Oratoriis privatis, ſed in publica Eccleſia, ſeu publico Baptiſterio. Neque Catechumeni in hoc caſu diſpenſantur ob ſanguinis claritatem, aut gradus, ſeu dignitatis eminentiam, ut in Baptiſmo Parvulorum; quia, quamvis dari poſſit, quod & Principes, & Magnates Infideles, & Pagani ad veram fidem convertantur, tamen de inſtitutione Eccleſiæ eſt, ut Adultorum Baptiſmus ſolemniter 45 miniſtretur; neque hujuſmodi Catechumenus erubeſcere debet ſe tantæ ſolemnitatis cauſam præſtare; Evangelium enim non eſt erubeſcendum. Quod totum dictum ſit, quando Baptiſmus Adultorum habeatur in Terris Fidelium: ſi enim vel in civitatibus Paganorum, aut Hæreticorum fieret converſio alicujus ad Catholicam Fidem, tunc ſi privatim miniſtretur Baptiſmus, optimum conſilium erit.

46 Modo de Patrinis dicendum. Quamvis baptizandus cum ſit Adultus, & de ſe valeat, teneatur reſpondere per ſe, attamen neceſſe eſt ut Patrinus illi aſſiſtat, quia Patrinus non tantum ad reſpondendum pro eo, ſed ad fidejubendum aſſumptus eſt, atque ad illum edocendum opportuna ubi opus fuerit, *cap. vos ante de conſecr. diſt. 4.* & in hoc caſu non refert, quod Patrinus ſit minor baptizato, quia nullo jure ſtatuitur, aut requiritur, ut ſit major; Lezana *in Summ. p. 1. de Sacr. Matrim. cap. 17. conc. 7. dub. 2.* Barboſ. *de Off. & pot. Par. c. 18. n. 29.*

47 Iſte Adultus baptizandus vocatur Catechumenus: hæc vox græca eſt, & ſignificat qui baptiſmum poſtulat, quia quaſi Auditor eſt Verbi Dei: Ita Macri *Hierolex.* ASS. PP. dicitur cui Myſteria Fidei, vivæ vocis miniſterio credebantur, Caſal. *p. 2. cap. 5. de Bapt.* & etiam Infantes inter Catechumenos referebantur, ut habemus ex Dionyſ. Areop. *de Eccl. Hierar. c. ult.*

48 Iſte Adultus igitur, ſeu iſte Catechumenus, cum baptizatur, ipſemet reſpondere debet, & ſi non reſpondeat, præſumitur ficte ad baptiſmum accedere, *ut in cap. tua fraternitati, de ſponſ. & Matrim.* Fagnan. *t. 4. cap. 25. num. 33.* 49 de facto, Reſponſio eſt indicium voluntatis, & animi: Si 50 enim lingua taces, ſignum eſt quod animus reſiſtit.

Tunc ſolum a reſpondendo diſpenſatur, ſi fuerit mutus, aut omnino ſurdus. In hoc caſu magna diligentia adhibenda eſt ab Inſtructoribus, quia ſi mutus eſt ob ſurditatem, difficiliter inſtrui poteſt, ſi vero ob infirmitatem 51 ſolummodo, & impotentiam linguæ, tunc cum per aures poſſit percipere voces, facile per nutus reſpondebit. In hoc eventu, cum ſufficienter inſtructus videatur, ſuppleat Patrinus ad ea quæ baptizandus præſtare non valet.

52 Adeſt etiam alia excuſatio, & eſt *ignota lingua*. Sed adeo ignota nequit eſſe illa lingua, ut aliquis inveniri non poſſit, qui eam percipiat. Circa quod labori indulgendum non eſt, ut aliquis, qui linguam illam ita extraneam intelligat, reperiatur, qui ſit fidelis. In hoc caſu puto, quod poſſit differri ſolemnitas Baptiſmi, donec, magno etiam diſpendio, quis a longinqua regione avecetur. Ad ſummum in Urbe, & in Collegio Propagandæ Fidei, habentur ex providentia ſummorum Pontificum Interpretes quarumcumque Nationum, & linguarum, quæ ſub Cœlo ſunt. Quod ſi pro magno incommodo haberetur acceſſus Interpretis ad locum, in quo degit Catechumenus, poſſet idem Catechumenus Romam petere, & ibi commode inſtrui, & baptizari. Quando vero, pro impoſſibili, non haberetur interpres, extremum remedium illud eſſet reſpondendi per nutus, in quo caſu opus eſſet, ut Catechumenus quoque per nutus exprimeret voluntatem ſuam, ſe nempe velle baptizari, & cum fidelibus per Religionem uniri. Quod item ſervari deberet in muto, & ſurdo; quibus in omnibus ſuppleret conſenſus Patrini explicitus, & fides Eccleſiæ.

§. VIII. Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem qui Adultos baptizabit, quam ipſos Adultos qui ſani ſunt, convenit eſſe jejunos.

53 Antiquitus Catechumeni, immediate ac baptizati fuerant, Sacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento reficiebantur, ideoque neceſſe erat, ut eſſent jejuni. Similiter ſi Miniſter Baptiſmi intra Miſſarum ſolemnia hoc Sacramentum miniſtrabat, opus erat, ut jejunus eſſet: ideoque cenſendum eſt Textum loqui de Baptiſmo Adultis miniſtrato in diebus præſcriptis Paſchatis, & Pentecoſtes. Quare

S. Ca-

D. Carolus *Act. p. 4. Inſtruct. Bapt.* de Baptiſmi Miniſtro loquens, ait: *Jejunus, & mane miniſtrabis, niſi neceſſitas aliter poſtulet*. Verum generaliter hic loqui videtur ex D. Clemente *in Conſt. Apoſt. l. 7. c. 23.* ubi ſcripſit: *Ante Baptiſmum jejunet qui eſt baptizandus*. Ex quo apparet Jejunium ſervandum eſſe a baptizando, non a baptizante. Cæterum, Jejunium, ut docet Eccleſia, mentem elevat, virtutem largitur, & præmia.

54 Jejunium itaque ſervandum eſt ab iis, qui ſani ſunt: hæc exceptio ad medicinam refertur, quia ægroti poſſunt per modum medicamenti aliquid ſumere abſque peccato, & abſque irreverentia; neque in hoc caſu Catechumenos, ſeu Miniſter dici poteſt, quod peccent contra obedientiam, Coninck *de Sacr. dub. 5. de Integr. Conf.*

§. IX. Quare non poſt epulas, aut prandia, ſed ante meridiem (niſi ex rationabili cauſa aliter faciendum eſſet) eorum Baptiſma celebretur.

55 Supponit Textus, baptiſmum ſolemnem Adulti fieri diebus præſcriptis Sabbati Sancti, & Pentecoſtes, quia tunc, cum fiat inter Miſſarum ſolemnia, de mane evenit. Sed intra annum, quando in diebus, ad libitum fieri occurrerit, regula eſt in contrarium, & ut plurimum (præcipue hic Ferrariæ) poſt prandium fieri hanc celebritatem vidi, neſcio vero, an rationabili de cauſa, quæ alioquin debet innoteſcere, ut ſic Populo ſcandalum auferetur, ubi maxime adſit Populus in Rubricis, & Ritibus inſtructus, qui uni cæremoniarum Magiſtro tribuit quidquid ab omnibus incongrue, & improſpere geritur, Craſſ. *Prax. cærem. l. 1. c. 2. in fine*. Et eoſdem Magiſtros cæremoniarum ſæpe ſæpius in plures labi errores ſatis probat idem *Vol. 8. num. 52. apud Rambold.* Duplat. *apud Farinell. de Signat. Juſt. f. 174.*

56 Potius puto, hoc fieri ob commoditatem Miniſtrorum, & Patrinorum, qui mane non tam diluculo ad ſacra duci ſolent. Sed an hoc ſine peccato fieri poſſit, graviter dubito, cum non liceat a lege ſcripta diſcedere, niſi concurrant alii actus, qui ex charitatis, vel officii obligatione prius adimplendi ſint, Monacell. *Prax. ſuppl. ad Tom. 2. Tit. 16. form. 1. num. 282. §. 7.*

57 Quouſque vero protrahebatur iſtud jejunium? Qui baptizabantur, uſque ad horam veſpertinam jejunabant: ita B. Linus de Paſſione S. Petri. *Sicque procurrente jejunio uſque ad veſperam, baptizati ſunt*, atque hac jejunii lege etiam Infantes obſtrictos fuiſſe, notat Caſal. *c. 5. §. qui baptizabantur*. Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii ait: *Paſchalis ſuperveniente dies, & dum ſacratiſſimo Sabbato, in quo omnes, etiam parvuli baptizandi jejunant, ipſe jejunare non poſſet, cœpit prius mœrore, quam infirmitate deficere*. Et hoc ſervatum eſt donec imbecilla puerorum ætate diuturno jejunio nimis afflicta, matutinum tempus ſuffectum fuit, de quo *Synod. Colonien. cap. 15.* Vicecom. *l. 4. c. 4.*

58 Epulæ fiebant poſt Baptiſmum; notat enim Caſal. *d.* quod baptizati excipiebant Convivio Miniſtros, & ſuſceptores: ſucceſſu vero temporis prohibita, aut ſaltem moderata fuere prædicta convivia ex *Moguntina Synodo* 11. *c. 16.* ita definiente: *Comeſſationes vero, & parum ſobria convivia, quæ quibuſdam in locis poſt Baptiſmum fiunt, per civiles Magiſtratus inhiberi, aut ſaltem ad moderationem Chriſtiano dignam reduci volumus.*

Si igitur prohibebantur iſtæ epulæ, & quidem rigoroſe poſt ſuſceptum Baptiſmum, quando jam omnia ſacra completa erant: multo magis inhiberi debent ante adminiſtrationem, ſeu ſuſceptionem Baptiſmi. Addo inſuper in fine *Ordinis Baptiſmi Adultorum*; ineſſe mandatum de ſuſcipiendo SS. Euchariſtiæ Sacramento per baptizatos, ut ſuo loco dicemus; quare, ſi non ob alium finem, ſaltem propter hunc, abſtinendum eſſe ab epulis, & prandiis ſtatutum fuit per noſtrum Textum.

59 Lætitiæ ſigna utique conveniunt propter baptizatos, de antiqua conſuetudine, ſed non comeſſationes, epulæ, & ebrietates, Caſal. *d. §. lætitia*. Remanet adhuc veſtigium gaudii pro baptizatis in octiduo Paſchæ per verbum illud *Alleluja*, quia baptizati e ſacro Fonte conſurrexerunt cum Chriſto.

§. X. Admonendus eſt Catechumenus, ut peccatorum ſuorum pœniteat.

60 D. Auguſtinus *Ser. 12. ad Fratres in Eremo*, inquit: O *compunctio ſancta, ſine qua Adultis non prodeſt Baptiſmus!* Ex quo deducitur, quod ſi Adultus habens peccata mortalia, illorum non pœniteat ante ſuſceptionem Baptiſmi, quamvis credat, & intendat recipere Sacramentum,
61 non obtinet gratiam, licet obtineat Sacramentum, & characterem. Gratia ſolummodo recedente peccato obtinebitur poſt Baptiſmum, mediante tamen attritione cum Sacramento pœnitentiæ, vel mediante contritione, cum propoſito peccata confitendi, ut optime concludit Card. de Laurea *de Sacr. in gener. diſp. 11. art. 4. & 5. & de Baptiſm. diſp. 14. art. 6.* Sed ſi in Baptiſmo non habuit attritionem peccatorum, ex oblivione, vel ignorantia, docet Maſtrius *de Sacram. diſp. 17. num. 56. 57.* per attritionem ſolam poſt Baptiſmum, obtineri poſſe gratiam, & deletionem peccatorum. Sed ſi ſcienter in peccato gravi ſuſceperit Baptiſmum, tunc non ſufficit ſola attritio, ſed requiritur Sacramentum Pœnitentiæ cum actuali confeſſione peccatorum, vel contritio cum voto confitendi. Ideo non fruſtra Textus noſter præcipit, ut ſi Adultus ſe peccaſſe cognoſcat, peccatorum ſuorum pœniteat ante ſuſceptionem Sacramenti: Poſt hanc pœnitentiam cuncta peccata delentur. Dixi ante ſuſceptionem Sacramenti, quia pec-
62 cata non poſſunt eſſe materia Sacramenti Pœnitentiæ ante Baptiſmum; nam non poſſunt eſſe ſubjecta clavibus Eccleſiæ, Trident. *Seſſ. 14. cap. 2.* Coninck *art. 6. de Bapt.* Et quamvis Cabaſſut. *diſſert. 4.* per allegata a Sarnello *Lett. Eccl. T. 2. lett. 32.* de Adultorum confeſſione loquens, dicat: *Præmittebatur Adultorum Baptiſmo, Peccatorum omnium ſecundum diſtinctas ſpecies, ad autem Sacerdotis confeſſio, quæ Græcis Exomologeſis dicitur*. Attamen male ab eo præcipitur, quod Exomologeſis ſit Confeſſio auricularis ad modum noſtrarum Confeſſionum: late iſte vox explicatur a doctiſſimo Albaſpina *de Vet. Eccl. Rit. l. 2. obſ. 26.* & concluditur, nihil aliud eſſe hanc Exomologeſim niſi actus illos, quibus palam quis teſtatur ſe peccaſſe. Nihilominus D. Thomas, *p. 3. qu. 68. art. 6.* ait: *Si qui tamen baptizandi, ex devotione ſua, peccata confiteri vellent, eſſet eorum confeſſio audienda, non ad hoc quod eis ſatisfactio imponeretur, ſed ad hoc, quod contra peccata conſueta eis ſpiritualis informatio traderetur.* Quæ verba ſatis clare explicat Sarnellus *d. l.*

63 In primitiva Eccleſia baptizandi variis pœnitentiæ generibus onerabantur, de quibus videndus diffuſe Albaſpina *d. l. 2. obſ. 1. & 2.* Sic D. Petrus *Act. Apoſt. 2.* *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*. Quæ verba, memini, me uſque de anno 1723. dum Sacræ Scripturæ Lectiones haberem in Eccleſia Cathedrali Ferrariæ, ſic interpretatum fuiſſe, cum Card. Cajetano *in Act. 2.*

64 Nomine Pœnitentiæ antecedentis neceſſario in Adultis ſola deteſtatio peccatorum præteritorum intelligitur. Baptiſmus enim ſupplet reliqua neceſſaria ad remiſſionem peccatorum. *Lect.* XLII.

§. XI. Amentes & furioſi, non baptizentur, niſi tales a nativitate fuerint: tunc enim de iis idem judicium faciendum eſt, quod de Infantibus: atque in fide Eccleſiæ baptizari poſſunt.

65 Amentes, & furioſi æquiparantur Infantibus, qui perfecto uſu rationis non gaudent. Dicuntur Amentes quaſi ſine mente, quia ratio mentis læditur, Clericat. *de Extrem. Unct. dec. 80. num. 15.* ubi docte tractat hanc materiem. Diſtinctio Textus eſt ſatis clara: ſi hæc Amentia ſuperveniat in Adulto, cum hic ante talem infirmitatem, uſum rationis habuerit, & non petierit baptizari; judicium Dei adorari debet, & nihil amplius: quaſi in pœnam ſuæ pertinaciæ, & tarditatis permiſerit eum alienari a mente, nec poſſe amplius petere quod in tempore poſtulare debuerat.

Si vero a prima infantia impos mentis fuerit, continua infantia in eo conſideranda eſt, & præmio Infantium donari, nempe Baptiſmo ſaltem ſub conditione, ſi capax ſit. Eccleſia enim piiſſima in multis ſupplet.

§. XII. Sed ſi dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes ſunt, baptizentur, ſi velint. Si vero antequam inſanirent, ſuſcipiendi Baptiſmi deſiderium oſtenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamſi non ſint compotes mentis, baptizentur.

66 Furioſi, & inſani, quandoque perpetui, & immutabiles ſunt, quandoque ad tempus: de primis jam dictum *Comment. ad Rituale.*

eſt in antecedenti §. modo de illis, qui dicuntur habere lucida intervalla. Hæc lucida intervalla ſunt ſpatia temporis, in quibus lux mentis in ſuo eſſe eſt, & intellectum illuminat. Tunc qui iſtis lucidis intervallis gaudet, in perfecta libertate eſt, & bona, & mala aptus eſt diſtinguere. Hoc tempus igitur ita lucidum, in ſuo meridie ſumi debet, & ſi poſtulet baptizari, Baptiſmus petenti conferendus eſt; quia cum ab actu voluntario ſuſcipiat robur Baptiſmus, nec beneficium conferatur in invitum, ut Regula Juris eſt, adimplenda eſt talis poſtulatio, licet non ſemper lux mentis clareſcat.

Hoc totum dictum ſit extra periculum vitæ, quia imminente tali periculo, omnia jura clamant favore Animæ illius, quæ jam poſtulaverat ſolvi a vinculis Diaboli: & ideo quamvis non ſit compos mentis, baptizandus eſt homo in furore, & amentia non perpetua. 67

§. XIII. Idemque dicendum eſt de eo, qui lethargo, aut phreneſi laborat; ut tantum vigilans, & intelligens baptizetur; niſi periculum mortis impendeat, ſi in eo prius apparuerit Baptiſmi deſiderium.

68 Lethargus, ſeu pene inexpugnabilis ſomni neceſſitas, & Phreneſis ſunt infirmitates, quæ patientem alienant a mente, vel ita ejus mentem ligant, ut nihil operari valeant. Durante in homine una, vel altera harum infirmitatum, libere agere non poteſt; ideo non eſt capax Baptiſmi, eo quia voluntarie petenti datur, & vigilanti: requiritur enim intentio ſuſcipiendi Baptiſmum, Coninck d. q. 68, art. 7. n. 50.

Pro explicatione hujus Rubricæ inſervit quidquid in antecedenti dictum eſt de amente, & furioſo habente lucida intervalla.

§. XIV. Sacerdos diligenter curet, ut certior fiat de ſtatu, & conditione eorum, qui baptizari petunt, præſertim exterorum, de quibus facta diligenti inquiſitione, num alias, ac rite baptizati, caveat ne quis jam baptizatus, imperitia, vel errore, aut ad quæſtum, vel ob aliam cauſam, fraude, dolove iterum baptizari velit.

69 Ad fraudes evitandas loquitur noſter Textus, quia doloſi homines non deſunt, & ſunt plerumque Vagi,
70 qui Baptiſmo ad quæſtum, & pro lucro utuntur in diverſis civitatibus, adeo ut bis, & ter, & quarter Baptiſmo quandoque abluantur in diverſis Regionibus.

71 Si quis Adultus accederet ad Baptiſmum cum fictione, nihil credens eſſe Baptiſmum, ſed joci cauſa, vel ſpecie turpis lucri, iſte nullum recipit effectum Sacramenti, ne-
72 que characterem, Clericat. *de Bapt. deciſ.* 33. *n.* 6. Mirabile eſt exemplum quod legitur apud Bollandum, relat. a Clericat. *d. l.* Quidam Infidelis ficte Baptiſmum ſuſcepit, & vix completa miniſtratione Sacramenti, irruit ventus validus, & veſtem candidam, qua falſus Neophytus erat indutus, violenter arripuit, ac eo illum ſpoliavit, indicans nullum effectum Baptiſmi recepiſſe, Bolland. 13. *Januar.* ex *Act. S. Hilar. Epiſcopi Pict.* Hinc eſt quod Eccleſia non recipit Adultos ſua ſponte venientes antequam eorum voluntatem perpendat, & probet, *c. Judæ*, *c. plerique*, *de conſec. diſt.* 4. *c. ſicut extra*, *de Judæis*, Ricciull. *de Jure perſ. l.* 2. *c.* 32. *num.* 25.

§. XV. Omnes autem, de quibus re diligenter inveſtigata, probabilis dubitatio eſt, an baptizati fuerint, ſi nihil aliud impediat, ſub conditione baptizentur.

73 Axioma eſt, In dubio, tutior pars eſt eligenda. Ita in hoc caſu cum clare non conſtet de Baptiſmo collato, & probabiliter, ſive cum aliquo fundamento rationabili dubitetur, melius eſt baptizare ſub conditione, quia cum conditio nihil ponat in eſſe, non renovat baptiſmum, quando jam collatum ſit. Ita reſponſum fuit per S. C. Concilii in una *Neapolit. Matrimonii*, *die* 1. *Septembris* 1714. Ubi dubio. An attenta difficultate inveniendi Fidem Baptiſmi, annuendum fuiſſe, ut quædam mulier Sacramento Matrimonii copularetur? Reſp. *Eſſe baptizandam ſub conditione, & ſecreto: ac deinde procedi poſſe ad contractum Matrimonii ſer. ſer.* ex Urſaya, *diſc. Eccl. t.* 1. *p. t. d.* 10. *n.* 68.

Per illa verba: *Si nihil aliud impediat*, intelligi debet: ſi ſit inſtructus, ſi petat baptizari, ſi voluntarie accedat, & ſi careat aliis quibuſcumque impedimentis, quæ obſtant Baptiſmo.

§. XVI. Hæretici vero ad catholicam Eccleſiam venientes, in quorum Baptiſmo debita forma, aut materia ſervata non eſt, rite baptizandi ſunt; ſed prius errorum ſuorum pravitatem agnoſcant, & deteſtentur; & in fide Catholica diligenter inſtruantur: ubi vero debita forma, & materia ſervata eſt, omiſſa tantum ſuppleantur, niſi rationabili de cauſa aliter Epiſcopo videatur.

74 Hæreticorum caterva, quæ tot capita habet, quot ſententias, in iis rebus inconſtans, & varia eſt. Multi ſunt qui circa Baptiſmum, ejus materiam, & formam, [illegible] errant. Flagellantes dicebant, materiam Baptiſmi eſſe ſanguinem tum flagellorum, tum circumciſionis, juxta illud Apoſtoli: *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*. Jacobitæ dicebant, materiam Baptiſmi eſſe quandam igneam adultionem faciendam in fronte, vel in genis Parvulorum, juxta illud: *In Spiritu Sancto, & igne*, Matth. 3. Ultimo Lutherus *cap.* 7. *colloq. ſymp.* docuit ſufficere ad materiam Baptiſmi quemlibet liquorem, ut Aquam, Vinum, cerviſiam, & quidquid poteſt madefacere, de quo vide Clericat. *de Bapt. deciſ.* 29. *n.* 1. 2. *&c.*

75 Quicumque vero ii ſint Hæretici, qui circa materiam, formam & intentionem Baptiſmi errent, & modo ſuo ſint baptizati, quando reſipiſcant, & ad Eccleſiam Catholicam veniant, illi omnes ſunt rite baptizandi, quia Baptiſmus illorum verus Baptiſmus non fuit.

76 Quando vero adſit talis Hæreticus, qui ſuſceperit Baptiſmum, ſervata debita materia, & forma, ut multi ſunt qui errant circa alia Sacramenta, vel circa alios articulos, tunc ſupplenda ſunt tantum omiſſa circa cæremonias.

Inſuper eodem modo, quo Infideles debent de peccatis ſuis pœnitentiam agere, ita & Hæretici de erroribus ſuis, quos ſi non deteſtati fuerint ante Baptiſmum, in eodem Baptiſmo non obtinent gratiam, ſed tantum characterem, dummodo accedant cum debita intentione ſuſcipiendi Baptiſmum: Sanctus quippe Auguſtinus *lib. de Bapt. cap.* 14. ait: Nec intereſt eam de Sacramenti integritate tractatur quid credat, & quali fide imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum: intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam; ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt: fieri enim poteſt, ut homo integrum habeat Sacramentum, ſed perverſam fidem. 77

Epiſcopi tamen, juxta ſenſum Textus præſentis, poſſunt diſpenſare a ſupplemento omiſſarum cæremoniarum, juſtis de cauſis animum illorum moventibus, ne forte oriantur inutiles diſputationes de validitate, ſeu de neceſſitate earumdem cæremoniarum, præcipue in Civitatibus, in quibus inhabitent multi Hæretici. Certe enim Baptiſmus ſine cæremoniis valet. 78

§. XVII. Cæterum legantur, & ſerventur ea, quæ ſupra de Baptiſmo in communi præſcripta ſunt.

Nempe quæ de materia, forma, miniſtro, Patrinis, tempore, loco, & aliis ad Baptiſmum neceſſariis præſcripta ſunt in hoc Rituali, quæ omitti non debent, & communia ſunt tum Parvulis, tum Adultis, & Catechumenis in Baptiſmo adminiſtrando, & ſuſcipiendo.

ORDO

ORDO BAPTISMI
ADULTORUM,
TITULUS DECIMUS TERTIUS:

SUMMARIUM.

1 *Baptizare convenit Sacerdoti ex officio.*
2 *Quæ parata ſunt pro Baptiſmo puerorum, debent eſſe parata etiam pro Baptiſmo Adultorum.*
3 *Pluviale eſt veſtis ſolemnis Eccleſiaſtica.*
4 *Pluviale unde dictum?*
5 *Pabinitus color quinam ſit?*
6 *Clerici multi adhibendi in ſolemni Baptiſmo Adultorum.*
7 *Preces in Baptiſmo facienda ſunt aperto capite.*
8 *Crucis ſignum eſt armatura fidei.*
9 *Preces ante Baptiſmum Adultorum poſſunt omitti.*
10 *Pſalmorum 8. 28. 41. ſignificatio.*
11 *Electi cur dicantur qui baptizantur Adulti?*
12 *Competentes vocabantur Catechumeni electi.*
13 *Electi ultimum gradum habent inter baptizandos.*
14 *Scrutinium olim fiebat circa electos.*
15 *Catechiſmus præcedere debet Baptiſmo.*
16 *Catecheſis facienda eſt ad fores Eccleſiæ.*
17 *Conſtitutio Benedicti XIII. ſuper hoc.*
18 *Maſculi, & Fœminæ invicem ſeparandi ante Baptiſmum.*
19 *Maſculi ad dexteram collocandi ſunt.*
20 *Nomen novum imponitur Catechumenis.*
21 *Catechumeni non ſemper tenentur mutare nomen.*
22 *Judæ nomen male ſonat apud fideles.*
23 *Nomina impiorum antiquiſſimum non debent tolerari.*
24 *Nominis dandi in Baptiſmo mos antiquiſſimus.*
25 *Ex nominis mutatione, vitæ mutandæ argumentum deſumitur.*
26 *Abrenuntiationes Catechumenorum ſimiles illis Infantium.*
27 *Symboli compendium recitatur a Catechumeno.*
28 *Inſufflatio in Catechum. fit graviter.*
29 *Halitus ſic quia Spiritum Sanctum deſignat.*
30 *Verba quæ mutantur juxta qualitatem Sectæ Adulti baptizandi.*
31 *Errores diverſorum Infidelium enumerantur.*
32 *Hæretici ante Baptiſmum examinandi.*
33 *Magiſter Cæremoniarum debet eſſe informatus de errore Catechumeni.*
34 *Secta exprimenda eſt proprio nomine.*
35 *Exorciſmi fieri debent ſuper ſingulis.*
36 *Oratio univerſalis pro Catechumenis.*
37 *Quare Crux imprimatur in toto corpore Catechumeni?*
38 *Infantes lavant ſolummodo Peccatum Originale.*
39 *Adulti multa peccata habent purganda.*
40 *Crux ſine tactu facienda ſuper Adultis.*
41 *Salis benedictio pro Catechumeno Idololatra.*
42 *Signa humilitatis danda a Catechumeno.*
43 *Genuflectio propriam peccatoris eſt.*
44 *Catechumenus an flecti debeat utroque genu?*
45 Amen *quid ſignificat, & an ſit complementum orationis?*
46 *Oratio Dominicalis recitatur a Catechumenis alta voce.*
47 *Patrinus ſignat frontem Catechumeni.*
48 *Miniſtrans Baptiſmum ſignat quoque Catechumenum.*
49 *Exorciſmi repetiti vim augent in Catechumeno.*
50 *Fœminæ Catechumenæ exorcizantur ſimul cum Maſculis.*
51 *Manus Catechumeni cur apprehenditur a Baptizante?*
52 *Stola porrigenda Catechumeno.*
53 *A ſiniſtra parte porrigenda eſt manus, & ſtola.*
54 *Proſternere ſe, & procumbere eſt pœnitentis.*
55 *Adorare quid ſignificet circa Catechumenum?*
56 *Symbolum, & Orationem Dominicalem memoriter tenebant Catechum.*
57 *Et ſi memoriter ea non tenebant, non baptizabantur.*
58 *Catechumeni nudis pedibus accedebant ad Baptiſmum.*
59 *Peccatum aliquod particulare poteſt eſſe in ſingulis Catechumenis.*
60 *Exorciſmi non finiuntur more aliarum Orationum.*
61 *Dæmones valde pertimeſcunt Dei Judicium.*
62 Ephpheta, Ephatah, Effata *diverſimode ſcribitur.*
63 *Electi nomen ſæpe repetendum, ut videatur an perſiſtat.*
64 *Interrogationes de nomine, & de poſtulatione repetenda.*
65 *Catechumeni ſtare debent aperto capite.*
66 *Coma ficta, ſeu Perucha deponenda eſt a Catechumeno.*
67 *Ornamenta vana ab eodem deponenda.*
68 *Veſtes Catechumenorum debent eſſe laxatæ a collo.*
69 *Mulieres Catechumenæ ſine ornatu eſſe debent.*
70 *Catechumenus debet ſtare prona facie ſupra fontem.*
71 *Chriſmale quid ſit?*
72 *Linteolum quo tegitur frons Baptizandi.*
73 *Veſtis candida imponenda Catechumeno.*
74 *Decretum de hac veſte habitum in Concilio Romano.*
75 *Præbenda eſt a Sacerdote.*
76 *Veſtes priores deponenda omnino a Neophyto.*
77 *Pallium non eſt Veſtis.*
78 *Fœminis in hoc caſu indulgendum ob modeſtiam.*
79 *Fœminæ non fucatæ accedere debent ad Baptiſmum.*
80 *Adulti tenent candelam manibus propriis.*
81 *Neophytus quid ſignificet?*
82 *Neophyti non dicuntur qui a multo tempore ſuſceperunt Bapt.*
83 *Candela debet ſeponi in actu Confirmationis.*
84 *Immerſionis Ritus.*
85 *Cum magno incommodo miniſtratur in Adultis.*
86 *Corpus totum Adulti tergi debet poſt Immerſionem.*
87 *Adulti baptizati per Immerſionem indui, & expoliari debent in loco remoto a Baptiſterio.*
88 *Cereus præſtandus eſt expenſis Adulti, ſeu Domus Catechumenorum.*
89 *Pariter Linteolum.*
90 *Salutatio ultima danda Neophytis.*
91 *Neophyti poſt Baptiſmum confirmabantur ab Epiſcopo.*
92 *Epiſcopus loci poteſt miniſtrare Confirmationem.*
93 *Miſſa audienda a Neophytis poſt Baptiſmum.*
94 *Euchariſtia ſuſcipienda a Neophytis poſt Baptiſmum.*
95 *Neophyti nomina diligenter ſcribenda in libro Parochiali:*
96 *An uno actu multi poſſint baptizari?*
97 *In gravi periculo poſſunt baptizari multi.*
98 *Cæremoniæ in hoc caſu omitti poſſunt.*
99 *Eſſentia ſola Baptiſmi ſervanda in magno periculo.*
100 *Enumerantur varia pericula.*

QUONIAM uſque modo quæcumque de Baptiſmo Adultorum dicta ſunt, ad theoricam unice reſpexerunt, ut Miniſter hoc pacto edoctus fieret circa ea, de quibus quandoque rationem reddituros eſt: modo præſtat ut ad praxim totius enunciatæ Doctrinæ deveniatur, atque adeo Rituale ad ordinem tenendum in Baptiſmo Adultorum deſcendit.

§. I. In primis Sacerdos, paratis his, quæ ſupra de obſervandis in adminiſtratione Sacramenti Baptiſmi Parvulorum dicuntur, indutus ſuperpelliceo, & ſtola, vel etiam pluviali violacei coloris, cum ſuis Clericis, accedit ad gradus Altaris, & genibus flexis, pias mente ad Deum preces effundit, ut tantum Sacramentum digne valeat miniſtrare, & ad implorandum divinum auxilium, ſurgens ſe ſignat; & ſi temporis ratio ferat, dicit: Deus in adjutorium, &c. Poſt ea incipiat, proſequentibus Clericis, Antiphonam: Effundam &c.

1 Rituale tribuit facultatem baptizandi ſolis Sacerdotibus, quia ut alibi diximus, miniſterium hoc proprie Sacerdotis eſt, licet in caſu neceſſitatis cunctis hominibus ſit commune, D. Thom. 3. *p. q. 67. art.* 2. & hoc innititur verbis Concilii Florentini ſub Eugenio IV. in quo pronunciatum fuit: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

2 Aqua, Vaſa, Olea, & pene quæcumque alia, quæ inſerviunt Baptiſmo Parvulorum, valent etiam in Baptiſmo Adultorum: quare debent eſſe parata eo modo, quo ſupra. Unice additur Pluviale, & hoc fit ad majorem ſolemnitatem indicandam, dum Sacerdos induit Veſtem, quæ nonniſi in ſolemnioribus feſtis adhiberi ſolet. 3.

Pluviale dicitur hæc Veſtis, quia a pluvia defendit, & ideo ex poſteriori parte Capucium habet pendulum. In longis proceſſionibus adhibebatur antiquitus ex Inſtitutione Apoſtolorum, ut ita promptum haberent modum ſe defendendi ab imbribus, Caſal. *Vet. Rit. cap.* 9. Hæc Veſtis 4.

non benedicitur cum ſit paramentum omnibus Eccleſia-
ſticis commune, nec ad Sacrificium Altaris ordinatum,
Mac. *Hierolex. Cappa*; ſed tantum ad modum viatorii ſu-
perindumenti. In noſtro caſu eſt violacei coloris, eo quia
iſte color eſt pœnitentiæ, afflictionis, mœroris, & lu-
ctus, Corſett. *Ind. Rational.*
5 Alio modo hic color nuncupatus *Pabinitus*, ſeu itali-
ce *Pavonazzo* a Pabo, Pabonis, qui eſt Pavo, Pavonis,
Nonnullas veteres tabulas legi extractas ab Archivo Ec-
cleſiæ Tremulorum, mihi tranſmiſſas ab Illuſt. D. Domi-
nico Catelani, olim illius Civitatis Epiſcopo, Amico,
& Domino meo peculiari, ab eo uſque tempore, quo Vi-
carii Generalis munere decorabatur hic Ferrariæ ſub el.
m. Card. de Verme Epiſcopi. In his Tabulis erant in-
ſcripta hæc verba *Pabiniti coloris*, quæ pro violaceo, ſeu
Pavonazzo per me interpretata fuere.
6 Ratio ſolemnitatis poſtulat, ut cum primario Bapti-
zante miniſtro adſint multi Clerici: ſi enim in Baptiſmo
privato, ſaltem unus a Rituali præſcribitur Clericus, in
publico, & ſolemni multi erunt adhibendi, & præcipue
illi qui tali Eccleſiæ adſcripti fuerint juxta conſtitutio-
nem noviſſimam Benedicti XIII. *in Conc. Rom. tit. 6.
cap. 2.* ubi nota illa verba: *Feſtis diebus ſingulis, præ-
ſertim ſolemnioribus, ne abſint.*
Initium hujus operis eſt, ut Sacerdos ſurgat, & ſe ſi-
gnet. In Baptiſmo Adultorum requiritur gratia Divina
ſpecialiter ad movenda eorum corda: quod non requiritur
in Baptiſmo Parvulorum; ideo preces effundendæ ſunt ad
impetrandum Divinum auxilium, quæ preces capite 7
aperto faciendæ ſunt, juxta monitum Apoſtoli. 1. *Cor.* 11.
Vir quidem non debet velare caput ſuum. Poſt quas pre- 8
ces ſequitur ſignum Crucis, quæ eſt Armatura Fidei.
Corſett. *Ind. rat.* Inſuper ſtando recitantur Pſalmi, quia
poſt preces cenſetur Anima juſtificata; & ſtare in Ora-
tione, juſtorum eſt: genua flectere, peccatorum, Juſtin.
Martyr. *qu.* 115. ex Gavant. *p.* 2. *t.* 5. *l.* 3.
Sed iſtæ preces non tam rigoroſe præcipiuntur, ut 9
omitti nequeant: unde Textus rationem temporis admit-
tit ſi aliter ferat, nempe quando v. grat. numerus Ba-
ptizandorum exigat longum tempus, vel quando Eccle-
ſiaſticæ functiones protrahantur diu.
Tres Pſalmi præſcripti optime faciunt ad rem, quæ
pertractanda eſt in illa functione: & Eccleſia illos ſta-
tuit recitandos ad hunc finem. Primus enim, nempe
Domine Deus noſter &c. juxta interpretationem Incogni- 10
ti, ſeu Ayguani *in Pſ.* 8. monſtrat intentionem Pſalmi-
ſtæ fuiſſe, errorem Judæorum aperire, qui dicebant Deum
notum eſſe tantum in Judæa, & Donatiſtarum qui di-
cunt tantum in Africa veram Eccleſiam eſſe.
Secundus Pſal. *Afferte Domino, &c.* eodem Interpre-
te, *Pſalm.* 28. invitat omnes nationes, ut immolent
Victimas, & Holocauſta Deo cum laudibus in Taberna-
culo ſuo, Tertius tandem, nempe *Quemadmodum deſi-
derat Cervus*, qui eſt *Pſalm.* 41. Secundum interpreta-
tionem dicti Incogniti oſtendit myſtica anxietatem fide-
lis Populi deſiderantis liberari a captivitate.

§. II. Si plures fuerint baptizandi, hæc tertia Oratio dicatur in numero plurali. *Da quæſumus, Domine, electo noſtro, &c.*

Vox mutanda cadit in illa *Electo noſtro*; & ſecum con-
cordare debent verba quæ in Oratione ſequuntur, &
regunt nomen illud.
11 Quid ſignificet *Electus*, in hoc ſolemni Baptiſmo mo-
do dicendum eſt, cum nondum explicata fuerit in toto
hoc opere hæc vox, ſed tantummodo per æquipollentem
Adultus, Catechumenus: Adulti baptizandi, multiplici-
ter nuncupantur ab Eccleſia: aliquando dicuntur *Cate-
chumeni*, aliquando *Competentes*, aliquando *Electi*. De
Catechumenis jam dictum fuit in antecedenti *Titulo*,
12 §. 5. de Competentibus modo dicam cum Ricciull. *d. l.*
3. *c.* 1. *n.* 2. Competentes, ut docet Iſidorus *l.* 2. *de
Orig. c.* 21. dicebantur, qui jam per doctrinam Fidei,
ad gratiam Chriſti percipiendam feſtinabant; ideoque
appellabantur competentes, ideſt Gratiam Chriſti ſimul
petentes, unde apparet, quod iſtud nomen applicari non
poteſt uni baptizando tantum, ſed pluribus. In quo dif-
ferunt a Catechumenis: Vide Ricciull. *d. l. n.* 3.
Electi vero ultimum gradum occupabant inter illos, 13
qui baptizandi erant, & differebant a Catechumenis, &
competentibus, quoniam electi non dicebantur niſi eo
die, quo baptizabantur, ut ſcripſit Siricius PP. *Ep.* 1. *ad
Himerium. Tarracon. c.* 2. Item ex *Ordine Romano* ha-
betur, quod die Sabbati Sancti quo baptizabantur, Ele-
ctorum nomina ita nuncupabantur, *Orate Electi*. Origo
horum Electorum pendebat ex ſcrutiniis, eo quod in eis 14
de fide, & moribus inquireretur, Rupert. Abb. *de div.
Off. c.* 18. Caſal. *d. c.* 5. Et iſta ſcrutinia omnibus bapti-
zari volentibus erant neceſſaria, Strab. *de Reb. Eccl. c.* 26.
Illi igitur qui approbabantur digni, ut ad Baptiſmum ac-
cederent, vocabantur *Electi*: & hoc nomine utitur Eccle-
ſia in Baptiſmo Adultorum, promiſcue cum nomine Ca-
techumeni, quia ceſſavit ſcrutinium antedictum tunc,
quando pene totus Orbis ad Fidem converſus eſt, & Ca-
techumeni non adeo frequentes, & numeroſi facti ſunt.

§. III. Deinde Sacerdos procedit ad fores Eccleſiæ, & ſtat in limine: catechizandus vero extra limen: Et ſi ſunt plures, mares, & fœminæ, illi ad dexteram Sacerdotis, hæ vero ad ſiniſtram ſtatuantur, & Sacerdos interrogat: *Quo nomine vocaris?* Catechumenus reſpondet, N. &c.

15 Modo ad Catecheſim faciendam accedit Sacerdos ſuper
Catechumenum: convenienter enim Catechiſmus debet
præcedere Baptiſmum. Ita docemur *ex tex. in c. ante ba-
ptiſm. de conſecr. diſt.* 4. & docet D. Thomas, & alii
apud Ricciul. *d. l.* 3. *c.* 2. *n.* 1. & ratio eſt, quia per Ba-
ptiſmum contrahitur obligatio ad ſervanda omnia quæ
ſunt fidei, *c.* 3. §. *inter cætera, de bapt. c. de Judæis* 45.
Obligatio autem contrahi non debet niſi præcedat ejus
ſcientia, *l. de his, ff. de tranſact.* talis autem ſcientia ha-
beri non poteſt niſi per inſtructionem, & Catechiſmum:
ergo neceſſe eſt, quod Catechiſmus præcedat Baptiſmum.
16 Quare vero miniſter procedat ad fores Eccleſiæ, eſt,
quia Infidelis, ſeu non baptizatus, eſt extra fores Eccle-
ſiæ, adeoque illam ingredi non debet, donec dignus fiat
per Baptiſmum. Ad illum igitur ſuſcipiendum debet Sa-
cerdos accedere ad fores Eccleſiæ, ſed non accedere limen,
quia tunc ſpectat ad Baptizandum accedere ad Sacerdotem,
ſed non tranſilire limites præfixos, ut ſic demonſtret hu-
milem, & promptam voluntatem ſuam ad Baptiſmum po-
17 ſtulandum. Præceptum hoc noviſſima Conſtitutione reſtau-
ratum fuit nuper a SS. Benedicto XIII. feliciter regnante
in Concilio Romano, *tit.* 26. *c.* 3. his verbis: *Quia Baptiſ-
mus janua eſt Sacramentorum, & Porta, per quam in Chri-
ſti Eccleſiam intramus, ſciant Parochi, non unde a Roma-
no Rituali præſcribi, ut Baptizandorum Catechiſmus ad
Eccleſiæ januam, his cum Patrinis extra exiſtentibus, per-
agatur. Ipſis itaque diſtricte præcipimus, ut ritum omni-
no ſervent eundem, nec unquam committant, ut contrarius
ultra procedat abuſus.* Et de Catechumenis, non vero
de Infantibus intelligendam eſſe hanc conſtitutionem ſa-
tis patet ex antecedenti conſtitutione ſecunda, quæ eſt
de Catechumenis non ante, ſed poſt Baptiſmum veſte
candida induendis.
18 *Illi ad dexteram &c.* Antiquiſſimus mos iſte eſt ſepa-
randi Maſculos a Fœminis, & prius illos baptizandi,
poſtea vero alias, Ordo Rom. *c. de Sabbato Sancto*, AL- 19
bin. *de div. Off. cap. eodem*, & congruentia maxima in
hoc ſervatur; nam partem digniorem occupare debet no-
bilior ſexus, & præeminentiam habere etiam in rebus
Sacris ſupra ignobiliorem.
His ita diſpoſitis, & locatis, de novo nomine Cate- 20
chumeni quærendum eſt a Sacerdote, non de antiquo,
ideoque ad Interrogationem: *Quo nomine vocaris?* Re-
ſpondere debet Catechumenus juxta impoſitionem novi
nominis ſibi faciendam, nam ex priſci nominis retentio-
ne arguitur retentio affectus. Aym. *conſ.* 73. *num.* 13.
& ſeqq. l. a nullo in fine, ff. de fer.
Non ſemper tamen tenetur Catechumenus ſibi mutare 21
nomen, unde Ricciull. *d. l.* 2. *c.* 4. 5. duos diſtinguit ca-
ſus. Primus, tunc quando nomen eſt in utraque Reli-
gione commune, ſecundus, quando eſt proprium tantum-
modo Hebræorum, & ſic quorumcumque Infidelium.
Quoad primum, permitti poteſt, ut retineatur; nam et-
iam per Chriſtianos venerantur illi Sancti qui tali nomi-
ni ſubjectum præſtiterunt: V. g. *Joſeph, Daniel, Zacha-
rias, Angelus, Jacob, Maria, Anna*: non autem Judas
(quia male ſonat apud Fideles tale nomen, quamvis Ju- 22
das Thaddæus inter Sanctos Apoſtolos adnumeretur.) Quoad 23
ſecundum, tolerari non debet, ut quis, v. g. nuncupetur
*Cain, Pharao, Aman, Dalida, Venus, Jupiter, Macometus,
&c.* quia apud Infideles tantum iſta nomina uſu veniunt,
& non ſunt nomina Juſtorum, ſeu ſaltem fidelium.
Mos iſte dandi nomina in Baptiſmo antiquiſſimus eſt. 24
Clemens PP. 1. *ep.* 3. *ad Epiſcopos*, ait, *Si quis fidelis
voluerit exiſtere, & deſideret baptizari, accedat ad Sacer-
dotem ſuum, & ipſi det nomen ſuum, & ab eo audiat
myſteria, &c.* & ratio eſt: ut Catechumeni ex nominis 25
mutatione, vitæ commutandæ argumenta deſumerent. Ca-
ſal. *d. ib.* Aliqui ſumebant nomina Apoſtolorum, quando A-
poſtoli baptizabant, in venerationem miniſtrorum: unde
in

in Synodo Nicæna *Can.* 30. Gentilium nomina filiis imponere fuit vetitum, quod & a S. Chryſoſtomo ſignificatum fuit. *Homil.* 22. *in cap.* 4. *epiſt.* 1. *ad Corinth.*

§. IV. Et rurſus interrogat, N. Abrenuntias Satanæ?

26 Similes Abrenuntiationes fiunt in Baptiſmo Parvulorum, ad quas lectores meos remitto.

§. V. Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo fidei, &c.

27 Non totum hic recitatur Symbolum, ſed illius compendium ſolummodo & ſubſtantia ut in Titulo *de Baptiſmo Infantium*.

§. VI. Tunc Sacerdos exſufflat ter in faciem ejus, ſemel dicens: Exi ab eo, &c.

28 Iſta inſufflatio non fit leniter, ut in Baptiſmo Parvulorum, ſed fit graviter, & ſtrictis labiis: Credo ad demonſtrandum actum imperioſum contra Satanam: juxta illud, Matth. 17. *Et increpuit in eum Jeſus, & exiit ab eo Dæmonium.*

§. VII. Hic in modum Crucis halet in faciem ipſius, & dicat: Accipe ſpiritum bonum, &c.

29 Hic fit halitus, non inſufflatio, quia Spiritus Sanctus eſt aura lenis, & ſuavis, juxta illud Hymni: *Conſolator optime, dulce refrigerium, in æſtu temperies, &c.* Fitque in modum Crucis, de qua Tertullian. *lib. de Reſurrect. Carn. Caro ſignatur, ut & Anima muniatur; Caro abluitur, ut & Anima emaculetur.*

§. VIII. Deinde facit Crucem cum pollice in ejus fronte & in pectore dicens, &c.

Hic advertendum eſt, quod dicta verba, Horreſce Idola, reſpue ſimulacra, dicantur Catechumeno qui venit de gentilitatis errore, ſeu de Ethnicis & Idololatris.

Catechumeno vero Judæo, ſive ex Hebræis venienti, loco horum verborum, dicatur: Horreſce Judaicam perfidiam, &c.

Saraceno autem, vel Turcæ, aut Perſæ, ſive alii ex Mahumetanis ad fidem venienti Catechumeno, loco eorumdem verborum dicatur: Horreſce Mahumeticam perfidiam.

At Hæretico ad Catholicam Eccleſiam venienti, qui ſi in ejus Baptiſmo debita forma ſervata non eſt, baptizari debet, dicatur: Horreſce hæreticam pravitatem, &c. vel exprimatur proprio nomine ſecta, de qua Catechumenus venit.

Cæremonia eſt eadem; quæ fit cum Infantibus, de qua ſuo loco diximus: Verba tamen non ſunt eadem;
30 & ratio eſt, quia non tantum de peccato originali eſt mundandus Adultus, ſed & de peccato actuali, puta Idololatriæ, vel falſæ Religionis: & ex hoc mutari debent verba juxta errorem, ſeu falſam Religionem Catechumeni: Gentiles, atque Ethnici adorant Idola, & ſi-
31 mulacra: Hebræi Adventum Chriſti Meſſiæ negant, ſuntque in erroribus ſuis perfidi, & ſuperſtitioſi, Ricciull. *d. l.* 2. 3. Turcæ, Perſæ, atque alii Aſiatici, ſeu Orientales, Mahumetum magnum prophetam adorant, & invocant; ſuntque Infideles in diverſitate ſectarum. Hæretici tandem plurimi ſunt, quos hic ſi enumerare proponerem, tempus mihi non valeret. Notandum tamen
32 eſt, optimum eſſe, ſi in caſu baptizandi Hæreticum, hic prius bene examinaretur circa errorem, & Sectam ſuam, ut tempore Baptiſmi notum foret Baptizanti, an Catechumeno adhibita ſit debita materia, & forma in baptizando.

Supra recenſuimus nonnullas Hæreticorum ſectas, quæ in Baptiſmo præciſe errant, de quibus neceſſe eſt, ut 33
ſaltem magiſter cæremoniarum ſit informatus ab inſtructore Catechumeni, ut Miniſtro baptizanti revelare poſſit, & aſſignare verba propria in facienda catecheſi, & in exorciſmis. Plura hujus argumenti habebit in Hiſtoria Hæreſum *Floremundi Remundi*, & italice in ſimili Hiſtoria a *Dominico Bernino* conſcripta, & Romæ typis edita. Certe hoc potiſſimum inſerviet pro adimplendo præcepto Textus, qui vult, ut nomen Sectæ de qua Ca- 34
techumenus provenit, exprimatur.

§. IX. Si plures ſunt Electi, omnia ſupradicta dicuntur ſingillatim ſuper ſingulos, &c.

35 Poteſt dari, quod ſi multi adſint Catechumeni baptizandi, omnes ſint ejuſdem Sectæ & Religionis: puta familia integra, & numeroſa Hebræorum, vel Calviniſtarum. Poteſt etiam dari, quod ſint diverſi generis: v. g. Unus Hebræus, unus Mahumetanus, unus Ethnicus. In quocumque caſu iſte exorciſmus fieri debet ſuper ſingulos, quia cum miniſter debeat ſignare frontem, & pectus Catechumeni, unus tantum præferendus non eſt, & cæteri prætereundi, ſed omnes æqua lance tractandi, & ſignandi, quia ſinguli ſunt Templum Dei, & ſinguli horreſcere debent pravitatem Religionis, ſeu legis, in qua degebant.

§. X. Si plures fuerint, præcedens Oratio dicatur in numero plurali, & in genere ſuo.

36 Hæc Oratio eſt communis, & pro cunctis imploratur Dei auxilium, ut demonſtret omnibus viam veritatis. Ideoque ſi plures ſint Catechumeni, dicenda eſt juxta numerum, & genus ſuum diſtincte, & attente applicando ſingula ſingulis.

§. XI. Deinde ſignet illum ſigno Crucis cum pollice in fronte. In auribus. In oculis. In naribus. In ore. In pectore. In ſcapulis. In toto corpore illud non tangens, manu producit ſignum Crucis, &c.

Si plures fuerint Electi, præcedentes Orationes, & exorciſmi dicantur in numero plurali, & in genere ſuo. Signationes autem fiant, & illarum verba dicantur ſingula ſingulis.

37 Ampliatur hoc ſignum Crucis, nec in ſola fronte, ut in ſolis parvulis imprimitur, & ratio eſt, quia Infantes non alia labe maculantur, niſi originali, quæ in fronte deſignatur, & in capite, quia ibi ſenſus omnes iau-

38 initium capiunt, Fagnan. 1. *decr. c. perniciofam*, *de off.*
ordinar. num. 41. ſcilicet originem habent. In Adultis
39 vero alia peccata remanent purganda, & eo pacto, quo
in extrema unctione innunguntur loca quinque ſenſuum
hominis, quia ſupponitur per illos ſenſus deliquiſſe: ita
& in Baptiſmo Adultorum, benedicenda, ſanctificanda,
& ſignanda occurrunt membra, & loca demonſtrativa hujuſ-
modi quinque ſenſuum.
40 In toto tandem corpore benedicitur per ſignum Crucis,
ut ita totus homo benedictus, & paratus remaneat ad recipiendam gratiam ſanctificantem Baptiſmi: ſed manu non tangit Miniſter Catechumeni corpus, non quia tactus hujuſmodi ſit incongruus, ſed quia hæc Crux debet fieri ante oculos baptizandi in tota ſua extenſione, ut eam quodammodo ante oculos habeat, & intueatur. Ultra quamquod magni incommodi eſſet, ſi manu tangere deberet Miniſter Catechumenum, a vertice capitis, uſque ad plantam pedis.

§. XII. Tunc imponit manum ſuper caput electi, &c.

Vide quæ in ſimili Rubrica diximus in Baptiſmo Parvulorum.

§. XIII. Deinde Sacerdos benedicat Sal.

Eadem eſt hæc benedictio, ac illa, de qua locuti ſumus in Baptiſmo Parvulorum, §. 6. Ad quam explicationem nihil addendum habeo.

§. XIV. Tunc pollice, & indice accipit de ipſo Sale, & immittit in os Catechumeni, dicens, &c.

Pariter circa hunc Paragraphum ſufficiunt quæ dicta ſunt in ſimili loco, ad Baptiſmum Parvulorum.

§. XV. Quod ſi Catechumenus fuerit Gentilis, ſeu ex Idololatris venerit ad fidem, benedicto Sale, priuſquam ejus medicinam guſtet, Sacerdos addat ſequentem Orationem dicens: Oremus, &c.

41 Superadditur hic iſta Oratio, quæ non habetur in benedictione Salis pro Infantibus: & poſt deprecatoria ad Deum, ut parcat Idololatræ. De facto Gentilium error pejor eſt cunctis, quia unitatem, & aſſentiam Dei lædit, tanta multiplicitate deorum, & tanta turpitudine, atque ideo indigent, ut peculiari Oratione Deo commendentur iſti Gentiles, & Idololatræ, ut Sal vere inſerviat illis ad incorruptibilitatem veræ Fidei, non ejus, quam tot Numinibus fallacibus præſtiterunt.

§. XVI. Deinde Sacerdos dicat ſuper maſculum tantum: Ora electe; flecte genua, & dic Pater noſter.

42 Quo magis Catechumenus ad Baptiſmum accedit, eo
magis ab illo eſt orandum, & danda ſunt humilitatis ſi-
gna: ideo hic dicit Sacerdos: *Ora Electe*. Sed iſta Ora-
tio debet eſſe cum ſigno exteriori: hoc ſignum eſt fle-
43 ctere genua, quod proprium peccatorum eſt, Gavant.
p. 2. *t.* 5. *lit.* Z. An duo flectenda ſint, affirmat Alcoc.
44 *in ſuo carem.* ex vi verborum *flecte genua*, quæ ratio a
Gavant. *p.* 2. *t.* 5. *lit. E.* reprobatur; ſed in noſtro caſu, in quo imponitur iſta genuflexio uni tantum baptizando, & non pluribus, opinio Alcocer. eſt attendenda. Super maſculum tantummodo dicitur hæc Oratio, quia alia formula ſequitur pro fœminis, diverſis, & aptis verbis compoſita.

§. XVII. Sacerdos ſubjungit: leva: comple Orationem tuam, & dic Amen; & iſte reſpondet: Amen.

45 Amen eſt confirmatio, & complementum Orationis. Meminit hujus ritus reſpondendi *Amen* D. Auguſt. *Ep.* 178. *& tr.* 4. *in Joann.* Eſt vox Hebræa, quæ ſignificat apud nos idem quod *Fiat*, Gavant. *p.* 1. *t.* 9. *nu.* 17. ubi plura addit de ſignificatione hujus verbi *Amen*.

De Oratione Dominica, & ejus valore multa notat 46
Aloyſ. Lippom. *In expoſit. Ital. hujus Orationis*, & Paulus Segneri Soc. J. Recitatur tum a Miniſtro, tum a Catechumeno, quia eſt Oratio communis, Gav. *d. p.* 2. *t.* 10. *lit. Q.* & alta voce, ut ab omnibus diſcatur. *Idem*.

§. XVIII. Et Sacerdos dicit Patrino: Signa eum, deinde electo: Accede: & Patrinus pollice ſignat eum in fronte, dicens: In nomine, &c.

47 Patrinus cum ſit jam fidelis, ignorare non debet ſignum Crucis, atque ideo ad oſtendendum quod fides, de qua ipſa præſtat fidejuſſionem, in ipſo quoque ineſt, ipſe ſignat frontem Catechumeni, & ſic quodammodo fidejuſſionem dat circa Unitatem, & Trinitatem Dei.

§. XIX. Tum quoque Sacerdos facit Crucem in fronte ejus ita dicendo: In nomine, &c. & imponit manum ſuper eum, & dicit: Oremus, &c.

48 Ad authenticandum ſignum Crucis factum a Patrino, ſubintrat ſignum factum a Miniſtro, & aliquo modo illud reimprimit, & calcat in fronte Catechumeni, addens impoſitionem manus, quæ continuat exorciſmum, & imploret opem Dei ad cuſtodiendum electum, & eum perducendum ad gratiam Baptiſmi.

§. XX. Sed ſi plures ſint Catechumeni, hic, & in ſequentibus Sacerdos dicat in numero plurali.

Unica hæc Rubrica ponitur pro advertendo Miniſtro, ut pluraliter dicat quod ſingulariter ſcriptum eſt: de cæ. tero omnino ſunt eædem cæremoniæ, quæ adhibentur pro uno maſculo.

§. XXI. Item ſuper unum ſecundo dicat: Ora electe, &c.

49 Iſti exorciſmi per tres vices fiunt electo, & ſemper æquali modo quoad cæremonias, ſed non eadem Oratione, & exorciſmo. Creſcit vis in orationibus magis ac magis ſemper, & fiunt per plures vices ad opem divinam fortius impetrandam, juxta illud, *Petite, & accipietis*, & iterum, *Petite, & dabitur vobis*, Luc. 11.

§. XXII. Super fœminam vero Sacerdos dicit *Ora Electa*, *&c.* Et ſequentes Rubricæ quæ omnino concordant cum antecedentibus pro maſculis, mutato numero, ac genere uſque ad ſequentem paragraphum.

50 Fœminæ Catechumenæ eodem modo exorcizantur ac Maſculi, ſed non iiſdem verbis, & Orationibus. Verba accommodantur generi illarum: Orationes præſcribuntur diverſæ, ſed non omnino, & accommodantur muliebri conditioni, per quam culpa originalis orta eſt.

§. XXIII.

§. XXIII. His peractis, Sacerdos ſiniſtra manu apprehendens dexteram electi prope brachium, vel ei porrigens extremam partem ſtolæ introducit eum in Eccleſiam, dicens, &c.

Si fuerint plures, dicat in numero plurali, & introducat eos ut ſupra.

In Baptiſmo Parvulorum præſcribit Rituale, ut porri- 51 gatur, ſeu imponatur extrema pars ſtolæ Infanti & ad Eccleſiam ducatur. Hic in Baptiſmo Adultorum latius loquitur, & primo proponit, ut Sacerdos apprehendat dexteram Catechumeni, deinde porrigat ſtolam. Iſtæ duæ actiones ad libitum miniſtri baptizantis ſunt: tutior, & magis amplexanda eſt, ut Fœminis porrigat ſtolam, Maſculis vero dexteram. Porrectio manus non debet fieri, ut manus manum ſtringat, ſed oportet, ut fiat ad pulſum, & prope manum, quod non omnino decens eſſet in Fœminis adultis.

52 Inſuper hæc introductio debet fieri in communi per vocem *ingredimini*, quando ſint plures baptizandi; & ſufficit, ut uni tantum, ſive Maſculo, ſive Fœminæ porrigas ſtolam, ſeu manum eo modo ſuper enunciato. Si omnes Fœminæ ſint, porrigatur ſtola primæ illarum: Si vero fuerint Maſculi, apprehendatur primus per dexteram: ſi vero & Maſculi, & Fœminæ accedant ad Baptiſmum, Maſculo danda eſt manus, vel ſtola. Iſti poſtea catervatim, manus ſibi invicem porrigendo, ſequantur ductorem ſuum, facientes unum ductum & comitatum cum eo.

Advertat Miniſter ultimo, quod porrigere debet ma- 53 num ſiniſtram, vel partem ſtolæ ad latus ſiniſtrum pendentis, non ob alium finem, niſi quia manus dextera ei liberior relinquitur ad operandum, vel quia pars dextera eſt nobilior, & eſt concedenda Miniſtro Sacerdoti, qui in illo caſu eſt perſona cæteris dignior.

§. XXIV. Et ingreſſus electus procumbit, ſeu proſternit ſe in pavimento, & adorat. Deinde ſurgit, & Sacerdos imponit manum ſuper caput ejus, & electus cum eo recitat Symbolum Apoſtolorum, & Orationem Dominicam. Ita etiam ſi plures fuerint, omnes ſurgunt, & ſimul recitant, *Credo*, *&c.*

Decet, ut vix ingreſſus electus in Templum procumbat, ac ſe proſternat; nam flectere genua, ut ſupra diximus, peccatoris eſt, ſe proſtare, & procumbere eſt pœ- 54 nitentis, & humiliati, cujuſmodi eſt Catechumenus jam exorcizatus, & prope Fontem, Amalar. *l. 3. cap. 37.* Quid vero adorare debeat, non exprimitur a textu, qui ſimpliciter dicit: *Adoret*. Dicerem, quod iſta adoratio ad Deum dirigenda eſſet, ſeu ad Templi Sanctitatem, in 55 quo humiliter locum habet. Verum cum certo ſciam, aliquando hoc verbum *Adorare* ſumptum fuiſſe pro *Orare* ſimpliciter, ut in Propertio *l. 1. Eleg. 4.* habemus: *Maneat ſic ſemper adoro*: cum neque in noſtro caſu nullum nomen regat illud verbum *Adoret*, credendum puto, hic quoque ſumendum eſſe pro *Oret*, ſeu deprecetur Deum pro felici exitu Baptiſmi ſui. Sed brevis hæc Oratio eſſe debet, nam Rubrica immediate ſequitur, & dicit, *Surgit*.

Poſtquam ſurrexerit Electus, recitat Symbolum Apo- 56 ſtolorum, pro quo ſciendum eſt, neminem, antiquitus baptizari ſolitum, qui Symbolum Apoſtolicum, & Ora- 57 tionem Dominicalem memoria non retineret, Concil. Conſt. *6. cap. 6. ap.* Calal. *d. c. 5. §. Catechumens*. Ideo hodie Inſtructores in hoc inſiſtunt magnopere, ut Catechumeni dictum Symbolum, & Orationem Dominicam addiſcant, ad hoc ut valeant dictas Orationes recitare prompte, & ſine interruptione tempore Baptiſmi,

§. XXV. Tunc rurſus Sacerdos imponat manum ſuper Caput Electi, & dicat Exorciſmus, &c.

Similiter ſi plures fuerint, imponit manum ſuper caput ſingulorum, & dicit eumdem Exorciſmum.

58 Sequuntur Exorciſmi, & hic eſt poſtremus, & vere terribilis, & validiſſimus. Olim accedentes ad Exorciſmos erant nudis pedibus, ut notat Chryſoſt. *homil. ad Baptiz. ibi.*

Vetat Rubrica, ne fiat Exorciſmus in generali ſuper omnes Catechumenos, ſed ſingillatim: & ratio eſt quia in ſingulis Catechumenis peccatum aliquod particulare 59 ineſſe poteſt, & facile eſt quod unus majorem, alter minorem diſpoſitionem habeat ad fidem ſuſcipiendam: propterea ad hoc ut omnes, & ſinguli gaudeant beneficio hoc expulſionis, dicitur Exorciſmus in particulari.

Notandum eſt, quod Exorciſmi non finiuntur more 60 aliarum Orationum verbis conſuetis: *Per eumdem Chriſtum Dominum Noſtrum*. Sed aliis: *Per eum qui venturus eſt judicare*, *&c.* Eo quia Dæmones diem extremi judicii valde pertimeſcunt, Fulienſ. *de Sacr. cap. 13. §. 9.* dt

§. XXVI. Poſtea Sacerdos accipit de ſaliva oris ſui, & tangit aures, & nares Electi: tangendo vero aurem dexteram, & ſiniſtram dicat: Ephpheta, quod eſt adaperire: deinde tangendo nares dicat, in odorem, &c.

Omnino hæc Rubrica eſt eadem quæ obſervatur in Baptiſmo Infantium, nullo verbo penitus immutato: atque ideo videnda ſunt quæ diximus in explicatione illis, tam de ſaliva, quam de voce *Ephpheta*, quæ ut diximus, diverſimode ſcribitur apud diverſos Authores,

§. XXVII. Deinde interroget Electum: Quis vocaris?

Hæc nova interrogatio in hoc loco ſatis animadvertenda eſt: Si enim tunc, quando Sacerdos dixit electo in principio Catecheſis: *Quo nomine vocaris?* Catechumenus reſponſum fecit de veritate nominis ſui, cur modo noviter eum interrogat: *Quid vocaris?* An tam cito ob- 63 litus eſt hujus nominis? Dubio huic, meo videri reſpondi poteſt dupliciter. Poteſt eſſe: quod iſta repetita inter- 64 rogatio præſcripta ſit a Rubrica, ut hoc pacto miniſter requirat, & iterum noſcat, an Catechumenus perſiſtat in electione nominis, in ſe primo præſentando ad Catechiſmum, aſſumpto, vel pœniteat, & reaſſumere uptet vetus nomen infidelitatis, vel aliud magis ſibi vilum. Secundo dico: In prima Interrogatione fortaſſe debere Catechumenum dare nomen ſuæ Infidelitatis, & poſtea hoc loco aſſumere illud, quod ſibi elegit adhibendum in gremio Eccleſiæ.

Ex iſtis duabus opinionibus prior mihi lubet: hæc enim frequens repetitio, tunc cum magis tempus urgat, eſt utilis ad confirmandum electum in ſuo propoſito. De facto videretur vana interrogatio, cum jam paulo ante in mox pronuntiato, & fulminato Exorciſmo dixerat Sacerdos: *Recedas ab hoc famulo Dei N.*

Ultimo ego credo hanc Rubricam melius inſervire Epiſcopo baptizanti tantum, non autem Catechizanti, ut notatur in fine Tituli, *de Ritu ſervando dum Epiſcopus baptizat*: Tunc enim de facto Epiſcopus ignorat nomen Baptizandi, & dicit cum veritate: *Quo nomine vocaris?*

Abrenuntiationes iſtæ ſimiles omnino ſunt iis, quæ fiunt in Baptiſmo Infantium, ideoque hic nihil de iſtis.

§. XXVIII. Tunc Sacerdos intingit pollicem dexteræ manus, &c.

Tota hæc Rubrica ſimilis eſt jam explicatæ in Baptiſmo Parvulorum, quare nihil amplius ſuperaddam.

§. XXIX. Et ducitur Electus ad Baptiſterium, ubi ſi ob aliquam cauſam non habeatur, ſive præparata non fuerit Aqua baptiſmalis, fiat benedictio Fontis, ut infra ponitur, & cum fuerit prope Fontem, Sacerdos interrogat: Quis vocaris?

In-

Infans portatur, Adultus ducitur ad Baptiſterium non longe paratum, in quo ſi deficiat Aqua baptiſmalis, de novo conſecranda eſt modo præſcripto a Rubrica in Baptiſmo Parvulorum. Verum in hoc caſu deficientiæ magna incuria notandus eſt miniſter Baptiſmi, ſive Parochus, ſive demum Cæremoniarum Magiſter, non prævidendo hanc deficientiam. Attamen ego credo quod Rubrica aſſignat benedictionem hujus Aquæ hoc loco, ut electus ſit præſens, & ſpectator rerum, & myſteriorum, necnon cæremoniarum, quæ Aquam hoc pacto, & ritu benedictam reddunt venerabilem.

Nota hic quod denuo Miniſter interrogat Electum de nomine, dicendo *Quis vocaris?* Ex quo confirmatur opinio mea, nempe hanc interrogationem per multas vices fieri debere, ut conſtantia Electi quodammodo tentetur, an perſiſtat in vocatione?

§. XXX. Iterum interrogat dicens: Quid petis? Reſp. Baptiſmum.

Et hæc quoque interrogatio ex induſtria facta eſt. Certe Miniſtro conſtat petitio Electi, quæ eſt, ut baptizetur. Dixit enim in principio Catechiſmi: *Quid petis ab Eccleſia Dei?* Et Electus reſpond. *Fidem*. Cur ergo hic num noviter interrogat, dicens: *Quid petis?* Si cuncta jam hucuſque facta ad Baptiſmum perducunt? Non alia de cauſa hoc fit, niſi, ut vere per reiteratos actus conſtet libera voluntas baptizandi: Ideo ad ſequentem interrogationem, Reſpond. *Volo*.

Poſſet etiam adduci alia ratio ex Evangelio deſumpta, nempe, ordinari has repetitas interrogationes ab Eccleſia, ut Catechumenus, per repetitionem ſui conſenſus meritum, & gratiam majorem adipiſcatur ex ingeminatis actibus deſiderii ſui. Ita Chriſtus ter interrogavit Petrum: *Petre, amas me? Joann.* 21. hoc eſt, inquit Div. Bernardus 1. *Timoth.* 1. 5. *habes Charitatem de corde puro, & de conſcientia bona, & fide non ficta?* Quod ad voluntatem, & deſiderium Catechumeni in re tanti momenti applicari poteſt. Quare Theophilact. ut *ex catena aurea* S. Thomæ in Joann. 21. ait: *Ex tunc etiam inolevit conſuetudo, ut ter confiteantur qui veniunt ad Baptiſmum*.

§. XXXI. Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque (ſi ambo admittantur) admota manu, tenente, ſeu tangente Electum, vel Electam, aperto capite, & laxatis a collo veſtibus, inclinatum, Sacerdos vaſculo, vel urceolo haurit Aquam baptiſmalem de Fonte, & cum ea, ſub trina ſupra caput, in modum Crucis infuſione, baptizet Electum, ſeu Electam in nomine Sanctæ Trinitatis, ſic dicens; *Ego te baptizo, &c.*

65 Notabilia in hoc textu, & non explicata in Baptiſmo
puerorum ſunt, quod electus debeat ſtare detecto capite, ſcilicet abſque pileo, ſeu aliquo quocumque tegumento; inter quæ tegumenta haberi debet etiam cæſaries
66 ficta, vulgo *Perrucca*, ſeu *Cerchietti*, quæ cum vana ornamenta ſint, deponi debent in hoc caſu, ne impe-
67 diatur aquæ infuſio ſupra caput: Idem quoque dicatur de mulieribus.

Inſuper veſtes eſſe debent laxatæ a collo, ut Aqua ef- 68
fuſa ſupra veſtes non cadat, ſed liberum habeat curſum
ad Baptiſterii Sacrarium, ſeu ad pelvim ſuppoſitam. Quod 69
ut facilius eveniat, debet Electus ſtare facie prona ſupra 70
Fontem.

§. XXXII. Si Aqua, quæ ex capite baptizati defluit, non dilabitur in Sacrarium Baptiſterii, recipiatur in ſubjecta aliqua pelvi, & in illud poſtmodum projiciatur.

Concordat hæc Rubrica cum alia generali *de Sacro Sacramento Baptiſmi recte adminiſtrando*, §. *Pelvis, ſeu Oleis, & aliis requiſitis*, a me explicata in Tit. *de Sacris Baſilic.*

§. XXXIII. Cum plures ſunt Electi, ſingillatim ſinguli interrogantur, & baptizantur, ut ſupra. Si ſunt mares, & fœminæ; primum mares, deinde fœminæ.

Pariter hanc Rubricam explicavimus in Baptiſmo Parvulorum, & loquuti fuimus de præeminentia maſculorum ſuper fœminas.

§. XXXIV. & §. XXXV. *Duæ Rubricæ eædem ſunt ac in Baptiſmo Infantium quare nihil ſuperaddendum duco.*

§. XXXVI. Tunc Bombacio, vel re ſimili pollicem tergit, & imponit capiti Electi chriſmale, ſeu candidum linteolum, & dat illi veſtem candidam, dicens, &c.

71 Linteolum eſt quo frons chriſmata liniti cingitur, &
etiam in Sacramento Confirmationis adhibetur. Licet in-
72 duendus ſit Electus veſte candida, attamen non prætermittendum eſt hoc chriſmale, ſeu linteolum, quod imponitur ſuper partes inunctas ſacro Chriſmate, ob venerationem.
73 Datur inſuper illi veſtis candida, ex quo innuitur non eſſe Catechumenos induendos ſimili veſte (ut nonnulli perperam faciunt) ante Baptiſmum, ſed poſt, hanc eſſe ſuſcipiendam de manu Sacerdotis: cui prævaricationi occurrere volens Summus Pontifex Benedictus XIII. in Concilio nuper Romæ habito, hanc conſtitutionem promul-
74 gavit, quæ eſt ſecunda, Tit. 26. *Non eſt in ſolemni Adultorum Baptiſmate ſine redargutione prætereunda illa ſacri Ritus inverſio, dum Catechumeni ad divinum permittuntur adire lavacrum candida induti Neophytorum veſte, quam tantummodo poſt Baptiſmum tradimus baptizatis* (*Can. poſt Bapt. & can. Accepiſti, eit. diſt. 4. de conſ.*) *in glorioſæ ſignum reſurrectionis, ad quam homines e ſacro Fonte regenerantur, novæque vitæ innocentiam ſignificandam, quam poſt veteres ablutas maculas ſervare debent immaculatam, ante Chriſti Tribunal perferendam. Hæc itaque, & ſimilia a Sacrarum Cæremoniarum Magiſtris advertantur, &c.* Igitur Sacerdos eſt, qui præbat 75
Neophyto veſtem candidam propriis manibus, quæ ideo debet eſſe parata, ut facile ad manus habeatur.

§. XXXVII. Et Electus deponit priores veſtes, & induitur novis albi coloris, vel ſaltem exteriore candida, quam a Sacerdote accepit.

76 Munus eſt Patrinorum, vel aſſiſtentium exuere Neophytum veſtibus antiquis uſque ad illud præfixum tempus indutis. Fœminæ exuere, & veſtire debent fœminas, maſculi maſculos.

Illa limitatio: *vel ſaltem exteriore*: videtur quod permittat Catechumenos poſſe externa ſaltem apparere indutos veſtibus albis ante Baptiſmum. Qua de cauſa, ut ſæpius vidi, maſculis permiſſum eſt pallium nigrum, ſeu coloratum externe gerere, quod ſtatim ac deventum eſt ad hunc locum, deponunt, & induti apparent veſte alba. Hæc mihi ſemper viſa eſt quædam metamorphoſis ſacra, o colorum illuſoria, quæ aliquanto facile vitari poteſt, ſi Neophytus veſtibus ſuis antiquis indutus accedat ad Baptiſmum; ad quem cum pervenerit, de præcepto Rubricæ,
indui debet novis, candidiſque indumentis; Pallium enim 77
propria non eſt veſtis, ſed ſuperindumentum ad tegendas, & defendendas veſtes a pluvia, ſeu a rigore frigoris. Clare utique loquitur noſter textus dicendo; *Electus deponit priores veſtes*. Cum ergo pallium, ut diximus, non ſit veſtis, non adimpletur præceptum Rubricæ, illud tantummodo deponendo. Sic & fœminæ per inverſionem Ritus, ſolent duci ad Baptiſmum cum velo nigro ſupra caput, quo depoſito, & ſuper inducto novo velo albo, creditur adimpletum præceptum noſtri Ritualis: ſed falluntur quicumque hoc faciunt, & tolerant: Veſtis antiqua ab utriſque eſt deponenda, non pallium, ſeu velum; eo enim modo, quo in do-

mo

mo Catechumenorum alba veſte induuntur, indui poſſunt in Eccleſia, cum hoc e Rituali præcipiatur, & cuicumque conſuetudini in contrarium derogct recens Conſtitutio Concilii Romani ſuper allata.

78 Fœminis tantummodo aliquantulum indulgendum, ſcilicet, ut non denudentur uſque ad ſubucula inclusive: ſed cum muliebris ſupellex varia, & multiplex ſit, pot-
79 eſt illi remanere induenda ſuperior veſtis tantum. Pro qua advertendum eſt, ne ſit ornamentis, & vanitatibus implicata, ſed tantum modeſtia, & honeſtas appareat, qualis decet in ſuſcipiendo Sacramento: Si enim in Parvulis præcipit Rubrica, ut qua decet chriſtiana modeſtia, ſine pompæ vanitate deferantur ad Eccleſiam: multo magis in Adultis hoc obſervandum eſſe videtur, & præcipue in fœminis, non calamiſtratis, non minio linitis, non pulvere cyprio, non cincinnis, non denique inſtrumentis diaboli munitis. Male etenim abrenuntiarent pompis ſatanæ, quæ pompis diabolicis indutæ, ad Sacramentum accederent.

§. XXXVIII. Poſtea dat ei Sacerdos cereum, ſeu candelam accenſam in manu dextera, dicens, Accipe, &c.

80 In Baptiſmo Infantium Candela traditur Patrino, quia Infantes ſupponuntur faſciis ligati, & circumvoluti. Adultis vero danda eſt Candela in manu, quia liberi, & apti ſunt ad eam portandam. Significatio hujus luminis habetur in explicatione *Bapt. Infant.*

§. XXXIX. Ipſe vero Neophytus eumdem cereum accenſum manibus teneat uſque in finem, præter quam dum confirmatur.

81 Nunc pro prima vice in hoc Rituali, noviter baptizatus vocatur *Neophytus*, quando huc uſque vel Catechumeni, vel electi nomine appellatus eſt. *Neophytus* vox Græca eſt, quæ ſignificat, *Novus in fide*, & dicitur de eo, qui a reprobata Religione converſus, de recenti
82 Chriſtianæ militiæ nomen dedit, *cap. Sicut* 48. Turrecrem. 48. *diſt. in ſumm. num.* 2. dicitur *de recenti*, nam qui a multo tempore ab Infidelitate ad Chriſtianiſmum ſunt converſi, Neophyti nuncupandi non ſunt, quamvis injurioſe ita appellentur ab aliquibus, quos gravibus verbis arguunt Turrecremat. *loc. cit. ſub.* n. 2. *verſ. ea quæ*, Navar. *in Manual. cap.* 27. *ſub num.* 205. *verſ. dixi*, apud Ricciull. *de Neoph. c.* 1. *n.* 1. *&* 2. Ideoque hic nominatur Neophytus, quia eſt immediate poſt ſuſceptum Baptiſmum.

Cereum itaque accenſum ipſe Neophytus, manibus ſuis, ſi valet, habere debet, & tenere, donec peracta ſit totaliter functio: imo laudandus erit ſi illum geſſet in Oratione habenda pro gratiarum actione, & tempore, quo Miſſam audit. Ipſe enim Neophytus eſt novum lumen Eccleſiæ additum; atque ideo Symbolum ſuæ fidei portare non erubeſcat. Deponenda tantum eſt Candela 83
ſi poſt baptiſmum, Confirmationis quoque Sacramentum, ab Epiſcopo accipit, ut ſæpe accidit.

§. XL. In Eccleſiis autem, ubi Baptiſmus fit per immerſionem ſive totius corporis, ſive capitis tantum, Sacerdos accipiat Electum per brachia prope humeros, & ſuperiore parte corporis nudatum, reliqua honeſte contectum, ter illum, vel caput ejus mergendo, & toties elevando, baptizet ſub trina merſione, Sanctam Trinitatem ſemel tantum ſic invocando: Ego te Baptizo in nomine Patris ✠, mergat ſemel; & Filii ✠, mergat iterum; & Spiritus Sancti ✠, mergat tertio; Patrino vel Matrina, vel utroque eum tenente, vel tangente.

84 De Baptiſmo Infantium per immerſionem jam diximus ſuo loco: *In ordine baptizandi Parvulos*. Modo de baptizandis Adultis eodem ritu, nempe per immerſionem aliqua dicenda eſſent, ſed cum pene nulla differentia interſit ab uno ad alium ſtatum Baptizandorum, ſuperfluum cenſeo hic jam dicta repetere, cum commode poſſit
85 Lector ad ſuperius enarrata ſe reportare. Id quod mihi videtur notandum in hoc caſu immerſionis Adultorum, eſt incommoditas, & difficultas bene, & rite exequendi hunc ritum cum Adultis jam ad perfectam ſtaturam perventis: magnæ enim difficultatis eſt illos per brachia elevare, & mergere. Pariter in Fœminis Adultis non ita facile evenire poteſt, ut ſe ſinant denudari in aliqua corporis parte, & pertractari a Sacerdote. Mihi videtur, quod S. Carolus innuere voluerit hanc difficultatem tunc, quando *in Act. p.* 4. Sacramentale Ambroſianum exponens, in quo viget uſus baptizandi per immerſionem, de Baptiſmo Adultorum pertractans, & docens quæ in eo ſervanda ſunt, diſpenſat Miniſtrum, & baptizandum ab hoc ritu immerſionis, aſſerens quod poſſit eſſe magni incommodi. Verba ſunt: *Baptizetur* (Adultus) *per immerſionem, ut ritus Ambroſianæ Eccleſiæ poſtulat, ſi quidem commode fieri poſſit: alioqui per infuſionem*: Ecce quomodo ſanctus Antiſtes incommodum prævidens, benigne annuit, & a præſcripto Ambroſiano ritu recedere permittit.

§. XLI. Et cum Electus ſurrexerit de Fonte, Patrinus, vel Matrina cum linteo in manibus ſuſcipit eum de manu Sacerdotis.

86 Magis magiſque creſcit difficultas ritus immerſionis in Adultis. Hic tergi debet totus a Patrino, vel Matrina, qui eum ſuſcipiunt de manu Sacerdotis, in qua terſione (præcipue totius corporis) multa incommoda pati poſſunt.

§. XLII. Et Sacerdos, intincto pollice dextro in ſacro Chriſmate, illum in vertice in modum Crucis perungit dicens, &c. Deinde Sacerdos imponit capiti ejus linteolum, ſeu Chriſmale, & dat ei veſtem candidam, dicens, &c.

Quæcumque in hoc §. a Rubrica enunciantur, jam a nobis expoſita, & adnotata fuerunt ſuperius in Baptiſmo Adultorum per infuſionem; atque ideo non reiteranda eſſe cenſeo.

§. XLIII. Et ſtatim prædicto linteo abſtergitur, & in loco ſemoto veſtitur novis, & albis veſtibus, & exteriore candida, quam accepit.

87 Ex hoc textu magis explicatur intentio Eccleſiæ, circa veſtem candidam deferendam a Neophytis: alibi non pauca diximus §. 27. modo nonnulla ſuperaddenda ſunt. Quando Rubrica hæc dicit: *In loco ſemoto*, jubet, ut hoc fiat ob decentiam: ſi enim Neophytus totus expoliari debet, decet, ut remote ab oculis adſtantium hoc fiat. Ubi vero addit: *Et exteriore candida, quam accepit, &c.* demonſtrat, quaſcumque veſtes tum exteriores, tum interiores, debere ibi eſſe paratas, ut Neophytus poſſit illis indui: ergo ſupponit, quod illis nondum indutus fuerit: ergo male ſe gerunt qui ducunt Catechumenum interioribus veſtibus albis indutum, & ſolo pallio, aut velo (ſi Fœmina fuerit) nigro, vel colorato ſuperextenſo. Nam exterior veſtis, quam Neophytus accipit a Sacerdote, non eſt tota veſtis, ſed tantum exterior pars. Rubrica in hoc loco ſatis clare loquitur, & ideo intelligere etiam facile deberent qui negotiis Catechumenorum præſunt, & & præſertim Sacrarum Cæremoniarum Magiſtri.

§. XLIV. Poſtea dat ei Sacerdos candelam accenſam in dextera manu, dicens, ut ſupra, &c.

Vide

Vide quæ diximus tam in ordine baptiſandi Parvulos,
88 quam in ordine baptizandi adultos; quibus addo, Ce-
reum, ſeu Candelam, una cum ſudariolo, ſeu linteolo,
de quo ſupra, præſtanda eſſe expenſis Adultis, ſeu illo-
89 rum, qui Catechumenorum curam habent, non vero ex-
penſis Eccleſiæ. Si vero in tanta paupertate conſtitutus
eſſet Catechumenus, ut non haberet quo induceretur, præ-
ſtandum adeſt illi a pia Matre Eccleſia quidquid in hoc
caſu opus eſſet.

§. XLV. Poſtea dicat, N. Vade in pace, & Dominus ſit tecum. Reſpond. Amen.

90 Hæc eſt ultima ſalutatio Eccleſiæ in conferendo Ba-
ptiſmo. In primitiva Eccleſia Catechumeni poſt Evan-
gelium, a Miſſæ Sacro licentiabantur, Diacono dicente;
Ite Catechumeni in pace, Caſal. *d. c.* 5. §. *Catechum.* Dio-
nyſ. Reop. *de Eccl. Hierar. c.* 5.

§. XLVI. Si adſit Epiſcopus, qui id legitime præſtare poſſit, ab eo Neophyti Sacramento Confirmationis initiantur,

91 Epiſcopus loci poteſt legitime miniſtrare Sacramentum
Confirmationis, & in hoc omnes Doctores concordant.
Antiquitus poſt ſuſceptum Baptiſmum immediate confir-
mabatur Neophytus, imo & infans baptizatus, Clem.
92 I. *epiſt.* 4. & alii multi SS. PP. & DD. per allegat. a
Caſal. *dict. c.* 5. *Baptizati*. Ceſſavit deinde tractu tem-
poris mos iſte, & ritus, ob auctum numerum fidelium,
& ob non ita frequentem adminiſtrationem Baptiſmi ab
Epiſcopis ſolemniter factam, Caſal *d. l.* Verum cum
hujus Sacramenti ritus a Rituali non præſcribatur, ſed
tantum *in Pontificali Romano* inſertus ſit, meum non eſt
hic de illo diſſerere.

§. XLVII. Deinde ſi hora congrua fuerit, celebratur Miſſa, cui Neophyti interſunt, & Sanctiſſimam Euchariſtiam devote ſuſcipiunt.

Ex hac Rubrica magis infertur neceſſitas adminiſtrandi
93 Baptiſmum in mane, & jejunii ſervandi a Catechume-
nis, cum debeant ſuſcipere Sanctiſſimam Euchariſtiam:
quare confirmanda ſunt quæcumque diximus §. 8. & 9.
Tituli *de Baptiſmo Adultorum*. Cæterum antiquiſſimus
mos eſt celebrandi Miſſam poſt Baptiſmum, Ord. Rom.
& Albin. *de Div. Offic. cap.* 19. Poſt Baptiſmum, pera-
cto Miſſæ Sacrificio, dabatur ſtatim Euchariſtia. Caſal.
94 *d. l.* cum pluribus.
Remanet aliquid dicendum de nomine Neophyti ſcri-
95 bendo in libro Baptizatorum, quod diligenter fieri de-
bet a Parocho, adnotando omnes circumſtantias, nempe
antiqui nominis Baptizati, Sectæ, ſeu Religionis falſæ,
in qua degebat, Ætatis, Patrinorum, Miniſtri Baptiſmi,
temporis, horæ, & alia neceſſaria pro teſtanda illius con-
verſione: de quibus nonnulla dicemus in fine hujus o-
peris: modo ſufficit dicere, optimum eſſe conſilium illo-
rum Parochorum, qui pro Neophytis, & expoſitis In-
fantibus libros habent diverſos, & a communi ſeparatos.
Vide quæ dicenda ſunt in fine ad Tit. *de forma deſcri-
bendi Baptizatos in primo libro*, §. 7.

§. XLVIII. Si vero ob Baptizandorum multitudinem (ut in India, & novo Orbe quandoque contingit) in ſingulorum Baptiſmo præſcripti ritus adhiberi non poſſunt, tunc vel pluribus ſimul adhibeantur, vel, ſi urget neceſſitas, omittantur.

96 Hæc Rubrica pro Miſſionariis Apoſtolicis facit, qui
ad Indos, ſive ad novum Orbem mittuntur, & a S. C.
Propagandæ Fidei Romæ inſtruuntur de omnibus iis, quæ
in tali diſtantia permitti, & tolerari poſſunt. Nihilomi-
nus cum etiam poſſit dari caſus, ut in gremio fidelium
detur aliqua neceſſitas baptizandi multitudinem infide-
97 lium in aliquo urgenti periculo, v. gr. Incendii, Ter-
ræmotus, Peſtilentiæ, vel fluviorum inundationis, & ſi-
milium, præcipue cum in Terris Chriſtianorum Hebræi
permittantur habitare palam, & abſque reſtrictione, ſcien- 98
dum eſt, in iſtis neceſſitatibus ſi urgeat periculum, vel
multitudo ſit innumerabilis, poſſe omitti cæremonias Sa- 99
cramentales, Exorciſmos, & Catechizationes, vel cum
pluribus adhiberi, & ſervari unicam, & ſolam eſſentiam
Baptiſmi, in baptizando per Aquam, adhibita forma ſoo 100
conſueta: *Ego te Baptizo, &c.*

ORDO
SUPPLENDI OMISSA
SUPER BAPTIZATUM.
TITULUS DECIMUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

1 *Sacramentalia prætermitti non debent in Baptiſmo.*
2 *Niſi in caſu graviſſimæ neceſſitatis.*
3 *Habent ſuam peculiarem ſignificationem.*
4 *Pericula, in quibus omitti poſſunt Sacramentalia.*
5 *Effectus Sacramentalium enumerantur.*
6 *Omittens Sacramentalia ſine cauſa, peccat graviter.*
7 *Exorciſmi locum habent inter Sacramentalia.*
8 *Exorciſmorum effectus.*
9 *Cæremoniæ infantibus non ſunt inutiles.*
10 *Cæremoniæ in Adultis utiliſſimæ.*
11 *Cæremoniæ omiſſæ ſupplendæ ſunt.*
12 *Poſſunt ſuppleri per ſaltum.*
13 *Nonnulla mutanda in ſupplendis Orationibus.*
14 Dudum *quid ſignificet?*
15 *Miniſter in ſupplendis omiſſis debet eſſe bene cautus.*

CUM Sacramentalia quæ intelliguntur per cæremo- 1
nias Sacras ab Eccleſia inſtitutas, ut Sacramenta
magis ſolemniter celebrentur, habeant ſuam peculiarem
vim in Baptiſmo, non ratione meriti operantis, neque
vi ſua immediate, ſed ex opere operato, & per ſignifi-
cationem, ideo prætermittenda non ſunt niſi in caſu
graviſſimæ neceſſitatis, vel in mortis periculo. Quapro- 2
pter Textus ait:

§. I. Cum urgente mortis periculo, vel alia cogente neceſſitate, ſive Parvulus, ſive Adultus, ſacris precibus, ac cæremoniis prætermiſſis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, vel ceſſaverit periculum, & ad Eccleſiam delatus fuerit, omiſſa omnia suppleantur.

3 Pericula iſta enumerantur a Ricciull. *dict. l.* 3. *de Ca-
tech cap.* 3. *n.* 2. & ſunt mortis, ægritudinis, obſidionis,
perſecutionis, naufragii, incendii, & ſimilium.
4 Quinque effectus habent iſta Sacramentalia, ſeu iſtæ
cæremoniæ, quos enumerat Coninck *de Sacr. qu.* 71. *de
5 cæremon. Bapt. art.* 3. *dub. unic. num.* 21. Primus eſt
remiſſio peccati venialis: ſecundus excitatio Gratiæ præ-
venientis: tertius remiſſio pœnæ temporalis: quartus
compreſſio Dæmonis: quintus operatio ſanitatis: & to-
tum hoc fit, quatenus aliqua ratione in nobis excitant
pium aliquem motum, & ſaltem virtualem peccatorum
diſplicentiam, D. Th. *quæſt.* 87. *art.* 3. *in Corp.*
Ab horum effectuum experimento non debent arceri
Baptizandi ad libitum, ſed ubi tantum ratio poſtulat, &
eſt, ut diximus, quando grave aliquod periculum immi-
net: & ideo qui extra periculum, ſeu neceſſitatem ba- 6
ptizaret ſeu Infantem, ſeu Adultum, & omitteret Sa-
cramentalia, ſeu cæremonias, graviter peccaret, & eſſet
puniendus, Diana *de Bapt. art.* 7.

In-

Inter has cæremonias, ſeu Sacramentalia locum ha-
8 bent Exorciſmi, qui duplicem effectum habent, eo quia tollunt duplicem gratiæ obicem: alterum nempe extrinſecum, qui a Dæmone poſſit provenire, qui ſuis tentationibus conatur effectum Baptiſmi impedire: Alterum intrinſecum, qui naſcitur ex noſtra hebetudine ad res divinas capiendas, Per dictas autem cæremonias, & divinas inſpirationes, quas Eccleſia ſuis precibus, nobis impetrat, excitamur, ut alacrius, & ferventius divina ſuſcipiamus myſteria, Conink. *l. c.*

9 Dubium eſt an iſtis cæremoniis indigeant Infantes, qui cum uſum rationis non habeant, neque mereri, neque demereri poſſant, nec ſunt capaces tentationis Dæmonum, nec divinarum inſpirationum, niſi Deus vellet inſueto miraculo judicium iis accelerare: ſed non per hoc Infantibus hujuſmodi cæremoniæ inutiles ſunt, quia impetrant a Deo, ut Dæmonum vis circa illos deprimatur, ne poſſint eos aggredi, & lædere in corpore.

In Adultis clare patet utilitas horum Sacramentalium, 10
quia undequaque infirmitatibus circumdati ſunt, & indigent valido ſcuto ad eas repellendas. Igitur non inutiles, imo neceſſariæ ſunt iſtæ cæremoniæ tam Adultis, quam Infantibus baptizatis, & baptizandis: ſi neceſſariæ, ergo non omittendæ; & ſi omittantur abſque juſta cauſa, peccat qui illas omittit, & ſupplendæ ſunt. Ad hoc igitur Eccleſia præſcripſit iſtam Rubricam, ut dato 11
caſu talis omiſſionis, poſſit Miniſter ſupplere rite, & recte, tunc quando ceſſet periculum, vel Baptizandus convaluerit.

§. II. Idemque ordo, ac ritus ſervetur qui in Baptiſmo parvulorum (ſi fuerit parvulus) ſeu Adultorum (ſi fuerit Adultus) præſcriptus eſt: excepto quod interrogatio, an velit baptizari? formaque Baptiſmi, & ablutio prætermittuntur, & quædam orationes, & exorciſmi, ſuo quique loco immutati, ut infra, dicuntur.

Non per hoc quod omiſſæ ſint cæremoniæ, debet immutari ordo: tantum debent fieri per ſaltum: nempe
12 quæ præcedunt Baptiſmum prius fieri debent: poſtea omittenda interrogatio: *an velit baptizari?* Si jam baptizatus eſt: & ſic omittenda forma: *Ego te baptizo*. Et una ſimul ablutio, deinde reaſſumi debent orationes, preces, unctiones, exorciſmi, & alia quæ ſequuntur, uſque ad finalem ſalutationem.

§. III. Sacerdos igitur antequam immittat ſalem in os baptizati, manum ſuper caput ejus imponens, dicit, &c.

13 In iſta oratione tria tantum verba addita ſunt, quæ in illa dicenda ſuper baptizando, deſunt, & ſunt *dudum:*
14 *frui: & quem ſuſcepit*, & prorſus verificantur. *Dudum* enim ſignificat *paulo ante, nuper, poco fa*: & licet non ſemper verificari poſſit illa propoſitio, cum quandoque detur longum ſpatium temporis inter Baptiſmum, & ſupplementum cæremoniarum (quando præcipue rationabiliter differendum venit) attamen figuratus modus loquendi poteſt appellari: & quamvis Grammatici velint, quod de exiguo tempore dicatur, Valla *elegant. l. 2. c. 34.* Nihilominus ſano modo intelligendum venit in hoc loco iſtud verbum: ſupponit enim Eccleſia, quod periculum mortis, ſeu alia neceſſitas non perduraverit longum temporis ſpatium; atque ideo dicit *dudum*, quando poterat dicere *jam*: & ita ſignificare quodcumque temporis ſpatium.

Inſuper dicit: *quem ſuſcepit*: quando in alia oratione hoc reticetur; diciturque: *ut idoneus accedere efficiatur ad gratiam Baptiſmi tui*, & modo: *ut idoneus ſit frui gratia Baptiſmi tui, quem ſuſcepit*, quia vere ſuſcepit Baptiſmum, nec indiget accedere ad Baptiſmum, ad quem jam antea acceſſerat in caſu neceſſitatis, & privatim.

§. IV. Deinde: Poſteaquam modicum ſalis immiſit in os baptizati dicens, Accipe Sal, &c. dicit: Oremus, &c.

Oratio ordinaria, & ſolemnis dicit: *Perduc eum, Domine, quæſumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur, &c.* Altera ſupplementi dicit: *Et quem ad novæ regenerationis lavacrum perduxiſti, quæſumus, Domine, &c.* Iſta diverſitas, ſive iſta mutatio, & varia lectio conſonans eſt, & demonſtrat, adimpletum jam eſſe id, pro quo deprecatur in alia oratione.

§. V. Manu ſuper caput ejus impoſita, dicit: Oremus: Æternam, ac juſtiſſimam, &c.

Similiter hæc oratio diverſificatur per illa verba: *Ut dignus ſit frui gratia Baptiſmi tui, quem ſuſcepit, &c.* quando in conſueta alia oratione dicebatur: *ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui, &c.*

§. VI. In Baptiſmo autem Adultorum, præter illa, quæ ſupra notata ſunt, quando ſupplentur omiſſa, hæc mutari debent. Primum in exorciſmo. Audi maledicte Satana, ubi dicitur habitaculum perficiat, dicatur; habitaculum perfecit: deinde in exorciſmo, Nec te latet, ubi dicitur: ut fiat, dicatur: ut fieret, &c.

15 Iſtæ mutationes quandocumque occurrant faciendæ, debent promptum habere Miniſtrum, ut poſſint libere pronuntiari, nec interrumpi extemporanea obſervatione. Ideo nonniſi laudandi ſunt, qui ſejunctas pro quocumque Baptiſmo habent formulas vel in ſcriptis, vel impreſſas in libellis, ſeu Tabellis a Rituali ſejunctis et poſſint ſe ad manus tunc, quando opus eſt. Parochi, & Magiſtri Cæremoniarum præcipua hoc curare deberent; eo quia in arena quandoque conſilium capere, periculoſum eſt, & deformitatem gignit, ex qua debita Sacramenti, & functionis veneratio imminuitur.

RITUS SERVANDUS
CUM EPISCOPUS BAPTIZAT,
TITULUS DECIMUS QUINTUS.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcopi proprium munus eſt baptizare.*
2 *Cardinalis etiam non Epiſcopus poteſt ſolemniter miniſtrare.*
3 *Omnes abſtinere debent ab hac ſolemnitate, ſi adſit Epiſcopus.*
4 *Cæremoniæ particulares pro Epiſcopis.*
5 *Ritus ſervandus ab Epiſcopis in unum volumen redactus.*
6 *Epiſcopus nunquam Pontificaliter agit ſine aſſiſtentia Capellanorum.*
7 *Miniſtri aſſiſtentes Epiſcopo quales, & quot?*
8 *Cardinali major numerus miniſtrorum neceſſarius*
9 *Miniſtri aſſiſtentes debent eſſe ſuperpelliceo induti.*
10 *Familiares habitu decenti indui debent.*
11 *Veſtes adhibendæ ab Epiſcopo in baptizando.*
12 *Rochetum quid ſit?*
13 *Quare Epiſcopi Regulares utantur ſuperpelliceo?*
14 *Tota differentia eſt in indumentis, & in Miniſtris aſſiſtentibus.*
15 *Baptiſmus non debet fieri extra fontem Baptiſmalem.*
16 *Abuſus tollendi circa hoc.*

EPI-

1 EPISCOPI proprium munus eſt baptizare, ut ex auctoritate Concilii Gerundenſis, & Gelaſii Papæ docet Grat. *in rep. de Catechum. & c. Venerabilis, & cap. Baptizandi, ubi gloſſ. & DD.* D. Thom. 3. *p. q.* 71. Igitur extranea, & inſolita res eſſe non videtur, ſi quandoque vel Epiſcopus, vel Cardinalis voluerit aliquem baptizare; & licet Cardinalis non eſſet Epiſcopus, tamen poſſet hoc
2 Sacramentum ſolemniter miniſtrare. Quare in *Act. Eccl. Med. P.* 4. in Sacramentali Ambroſiano præcipitur, ut Parochus ſervet baptizandos natos in hebdomada authentica pro Sabbato Sancto, ut offerantur Baptiſmo, quem ſolemni ritu miniſtrabit Archiepiſcopus illius Eccleſiæ: a qua ſolemnitate, quæ Archiepiſcopalis muneris eſt, quivis alius vel Archipresbyter, vel Præpoſitus, vel Parochus 3
tam Urbis, quam Diœceſis abſtinet, *D. de modo miniſtrandi, §. Si quando.*

§. I. Si Epiſcopus, vel S. R. Eccl. Cardinalis, Parvulos, vel Adultos baptizare voluerit, parantur, & ſervantur omnia ut ſuperius de ordine Baptiſmi dictum eſt; atque hæc præterea, quæ infra notantur.

4 Cum ratione itaque ſtatutum eſt in hoc Rituali, ut tali Miniſtro adminiſtrante, Eccleſia, quando occurrerit, adhibeat novas cæremonias gradui Epiſcopali, ſeu Cardinalitio convenientes. In quo caſu iſte Ritus ſervandus eſt, qui cum nimis compendioſe ſcriptus ſit, & adveniente caſu, non adeo commode exequendus, pro inſtructione quorumcumque aſſiſtentium, & præcipue illorum, qui Magiſtri cæremoniarum officio funguntur, amplietur fuit, & partibus ſuis rite, & recte compoſitis, per extenſum, & ad locum collocatis, in peculiare Volumen redactus fuit, necnon typis datus Cæſenæ 1683. ex Ty- 5
pographia Pauli Riceputi de Mandato Eminentiſſimi Card. Urſini tunc illius Eccleſiæ Epiſcopi, modo vero totius Eccleſiæ Catholicæ Summi Pontificis: qui Liber valde utilis, & manualis eſt cunctis Epiſcopis, qui talem ritum nonniſi compendioſe ſcriptum in hoc Rituali habebant.

Nos vero de Rubricis tantummodo in hoc Rituali inſertis explicationem faciendo, pauca adnotabimus, & primo

§. II. Adſint Capellani, vel alii Presbyteri, & Clerici ſuperpelliceis induti, qui ei aſſiſtant, ac miniſtrent.

6 Epiſcopus numquam Pontificaliter agit abſque aſſiſtentia Capellanorum, & Clericorum, quorum enumeratio-
7 nem facit Cæremoniale Epiſcoporum, *l.* 1. *c.* 11. *de numero, qualitate, & Officio Miniſtrorum ſervientium Epiſcopo*, & hoc fit, ut Epiſcopales functiones, præſertim in Eccleſiis, & in Divinis Officiis commodius, digniuſ-
8 que haberi queant. Multo magis augetur numerus Miniſtrorum, ſi celebrans, ſeu miniſtrans fuerit Cardinalis, ob Eminentiſſimam dignitatem, qua fulget in Eccleſia Dei. Et iſti omnes, qui ad functiones deſtinati ſunt, 9
debent eſſe ſuperpelliceo induti, ad diſtinctionem familiarum, & inſervientium vel Epiſcopo, vel Cardinali, 10
qui non ſunt Clerici: quorum tamen habitus ſit decens, & moderatus juxta conditionem ſuam, Paris Craſſ. *de Cærem. Cardin. & Epiſc.*

§. III. Ipſe vero ſuper Rochetum, ſive ſuperpelliceum, ſi eſt Regularis, accipiat albam, & cingulum & ſtolam, & pluviale violacei coloris, ac mitram.

Simplex Sacerdos in adminiſtrando Baptiſmo, niſi fiat
12 magna ſolemnitate, ſufficit, ut ſit Cotta, & Stola indutus. E converſo Epiſcopus, ſive Cardinalis, juxta dignitatem ſuam, primo induere debet *Rochetum*. Hæc eſt veſtis Sacra omnino ſimilis ſuperpelliceo, excepto
12 quod manicas habet anguſtas, & uſque ad manum productas ad denotandum, quod Prælatus (cui olim peculiaris erat hæc veſtis, ſed poſtea per privilegium aliis inferioribus Eccleſiaſticis conceſſa fuit) debeat habere manus promptas, & expeditas ad elargiendam Eleemoſynam, Macr. *Hier. Verbo Rochetum.*

Epiſcopi Regulares ex antiqua inſtitutione pro Rocheto utuntur ſuperpelliceo, quia Monachus factus Epiſco- 13
pus non penitus abſolvitur a regula Monachali, *can.* 16. *quæſt.* 1. *de Monach.* & plerumque Regulares habent manicas latas; ideo difficilis eſt apud illos uſus Rocheti. Sarnell. *l. Eccl. T.* 8. *epiſt.* 23. diſpenſantur tamen nonnulli, ut ipſemet Auctor demonſtrat. Qui vero manicas habent latas, ad hoc eas habent, ut dilatentur ſpatia charitatis, Durand. *l.* 3. *c.* 1.

§. IV. Atque ita paratus cum Miniſtris procedat ad Baptiſmi miniſterium. *Et ſeqq. Rubricæ uſque ad finem hujus Ritus.*

Cum in hoc Ritu ſerventur omnia, quæ præſcripta ſunt in Baptiſmo, tam Parvulorum, quam Adultorum, nihil a nobis eſt ſuperaddendum, cum ſingula ſuis locis hucuſque explicaverimus. Tota differentia Ritus ſer-
14 vandi Epiſcopo baptizante, conſiſtit in indumentis Epiſcopalibus, & in Miniſtris, de quibus nuper diximus, & in modo, & tempore ſedendi, & ſtandi, vel cum mitra, vel ſine mitra, circa quæ tota hæc Rubrica verſatur, quæ nulla indiget explicatione Parochis ſaltem neceſſaria.

Si vero de hoc pontificali Baptiſmo ordinem, & methodum aliquis per ſuas partes diſtributam deſideraret, facile ei occurret Volumen jam enunciatum, Cæſenæ impreſſum, & inſuper aliud ab Horatio Chriſtiano compoſitum, ſub titulo *Praxis pontificalis pro majori hebdomada, Bonon.* 1680. in quo per extenſum tota hæc functio pontificalis expoſita eſt, quæ cum magis pertineat ad Pontificale, ſeu cæremoniale Epiſcoporum, quam ad Rituale Romanum, ſtudioſe hic a me prætermittitur: nihil enim ad Parochos pertinet. Quod animadvertens Benedictus XIII. talem ſeu unctam formulam, & ritum ab Epiſcopis ſervandum, in Pontificali Romano inſerendum mandavit.

§. V. Si autem Pontifex quempiam a Presbytero jam catechizatum, tantum baptizare voluerit, ſic paratus veſtibus albis incipiat, poſtquam ad Baptiſterium deventum fuerit, dicens, Quo nomine, &c.

Unum tantummodo hic ſuperaddam, quod ad rem val-
15 de facere credidi, nempe incongruum eſſe, & inconveniens fieri hunc Baptiſmum extra locum Fontis Baptiſmalis. Vidi olim in quadam Eccleſia Cathedrali, omnia, & ſingula parata pro adminiſtrando Baptiſmo ab eminentiſſimo Cardinali: ſed quod contra ritum mihi viſum fuit, erat menſa quædam parata ante Altare majus, ſupra quam Pelvis erat cum Aqua baptiſmali a fonte extracta, qua baptizandus erat quidam Catechumenus a Presbytero jam catechizatus. Acceſſit debito tempore baptizandus, & illum Epiſcopus (factis debitis, & præſcriptis interrogationibus) abluit ſedens cum mitra, ad men-
16 ſam ut ſupra paratam ante Altare ſub Baldachino, Hujus Ritus inverſio nonnullis diſplicuit, quia licet Miniſter eſſet Cardinalis, tamen dignitati, & Eminentiæ ſuæ nulla irreverentia, ſeu nullum incommodum inferebatur, accedendo ad Fontem Baptiſmalem, ut a Rubrica præſcribitur, quæ clare loquitur his præcipuis verbis, *Poſtquam ad Baptiſterium deventum fuerit, &c.* Nec quod ſciam, Cæremoniale Epiſcoporum, ſeu Pontificale Romanum diſpenſet ab hujus Ritus obſervantia, quam optime callere deberent Sacrarum Cæremoniarum Magiſtri. Nec obſtat Reſolutio S. Congregat. Rit. a me allata ad Titulum: *De tempore, & loco miniſtrandi Baptiſmi*, §. 3. quia ibi ſermo eſt de baptizandis Filiis Baronum, non vero de Adultis, ut in præſenti caſu.

BENEDICTIO FONTIS BAPTISMI

extra Sabbatum Paſchæ, & Pentecoſtes, cum Aqua conſecrata non habetur.

TITULUS DECIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

1 *Fons Baptiſmi non eſt eſſentiale conſtitutivum Eccleſiæ Parochialis.*
2 *Fons Baptiſmi omni munditie debet nitere.*
3 *Si Aqua corrupta fuerit, renovatur.*
4 *Aqua ſemper fæces deponit, & majores ſi fuerit putrida.*
5 *Fons mundandus eſt ob venerationem.*
6 *Aqua Baptiſmi quare ſit conſecranda?*
7 *Aqua conſecrata ſordes peccatorum diluit.*
8 *Miniſtri neceſſarii in hac Benedictione.*
9 *Altare in Baptiſterio optime ædificatur.*
10 *Altare Baptiſterii Sancto Jo. Baptiſtæ dedicandum eſt.*
11 *Litania ordinaria, ſeu major quænam ſit.*
12 *Litania abbreviata dicitur in Sabbato Sancto.*
13 *Litaniarum myſterium, & ſignificatio.*
14 *Symbolum Fidei, & Oratio Dominica quare dicantur ſub ſilentio?*
15 *Cur dictæ Orationes recitentur palam in Benedictione Fontis.*
16 *Aqua dividitur tota manu, non digitis.*
17 *Aquæ Benedictæ modica effuſio fieri debet.*
18 *Partes Orbis Terrarum quænam ſint.*
19 *Inſufflatio in Aquam cur fiat?*
20 *Y litteræ quidnam vera ſit, & quodnam myſterium in ſe contineat?*
21 *Littera Pythagorica, & ejus Symbola.*
22 *Olei ſanctificatio facit Fontem ſanctificatum.*
23 *Olei immixtio facienda manu, non inſufflatione.*

QUAMVIS Fons Baptiſmalis non ſit eſſentiale conſtitutivum Eccleſiæ Parochialis, eo quia bene ſtare ſimul poſſunt, quod aliqua Eccleſia ſit vera, & propria Parochialis, & Fontem Baptiſmalem non habeat, ut obſervat in Urbe Pignatell. *conſ.* 3. *num.* 13. *in fine tom.* 4. poſito tamen quod in Eccleſia adſit Fons Baptiſmalis, indicium certum eſt, hanc eſſe Parochialem; & pro uſu quotidiano habere talem fontem qui debet eſſe interius, exteriuſque omni munditie nitens. Quare 1 2

§. I. Primum lavatur, & mundatur Vas Baptiſterii, deinde limpida Aqua repletur.

3 In Rubrica jam a nobis explicata ſuperius ad Tit. *de materia Baptiſmi*. §. 4. præſcribitur, quod ſi Aqua corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit: *Parochus in fontem bene mundatum, ac nitidum recentem Aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præſcribitur.* Hæc itaque eſt formula illic indicata, quæ ponitur ultima inter res ad Baptiſmum ſpectantes in Rituali noſtro. Sed cum de hac nonnulla, & quidem doctiſſime ſcripſerit eximius Gavantus, pauca a nobis dicenda remanent, quæ breviſſimis adnotationibus expedimus.

4 Lavatur igitur, & mundatur Vas: nam ſemper Aqua etiam puriſſima fæces deponit: ideo purificandus eſt Vas, ut Aqua pura, & nitido impleatur; & multo magis id fieri debet, quando Aqua antecedenter conſecrata corrupta fuerit, quia hujuſmodi corruptio multas fæces producit. Quæcumque cauſa ſit, ſemper mundari debet fons, ſaltem ob venerationem, & dignitatem novæ conſecrationis habendæ. 5

Aqua iſta debet eſſe naturalis, & cujuſcumque fontis, vel fluvii, vel putei ſit, vel ſimilis originis, ut diximus *in Rubric.* 2. *Titul. de mat. Bapt.* §. 1. quæ ideo conſecratur, ut intelligamus, Aquam non ex ſui natura, ſed ex Divina inſtitutione, & virtute, ſordes peccatorum abluere, ut eo pacto, quo ſordes corporum mundantur Aqua naturali, ita per Baptiſmum peccata Animæ purificentur. 6 7

§. II. Tum Sacerdos cum ſuis Clericis, vel etiam aliis Preſbyteris, cruce, & duobus cereis præcedentibus, ac thuribulo, & incenſo, & cum Vaſculis Chriſmatis, & Olei Catechumenorum deſcendit ad fontem, & ibi, vel ante Altare Baptiſterii dicit Litaniam ordinariam, &c.

8 Miniſtri ſunt neceſſarii; nam quamvis hæc Benedictio non ſit ſolemniſſima, attamen debet fieri cum omni decentia, & proprietate: ideoque eſſe debent diverſi, tum Clerici, tum Miniſtri, qui deferant res neceſſarias, & in functione adhibendas.

9 Supponit pro majori ornatu Rubrica, adeſſe Altare in Baptiſterio, quod, ut alibi diximus, extra Eccleſiam ædificatum ſit, per allegat. a Cavaler. *Ret. Eccl.* t. 8. *n.* 2. qui vult hujuſmodi Altare S. Jo. Baptiſtæ dicatum. 10

Litania ordinaria eſt illa, quæ vocatur major, ſeu omnium Sanctorum, ut dicemus ſuo loco, poſt Pſalmos Pœnitentiales, qua occaſione de ejus etymologia, & origine tractabimus. 11

§. III. Poteſt etiam dici Litania brevior ut in Miſſali in Sabbato Sancto.

12 Si Litania abbreviata præſcribitur in Sabbato Sancto, conſonum videtur, ut quoque in Fontis benedictione privata recitetur potius quam Litania major. Quæcumque ſit quæ recitetur, ſignificat conſortium Sanctorum cum baptizandis, ſeu nuper baptizatis, Gavant. t. 1. *p.* 4. *tit.* 10. *n.* 30. Chriſtian. *Prax. Pont. ſect.* 5. *cap.* 8. *myſt. ſup. lit. A.* 13

§. IV. Sacerdos dicat, *Pater noſter*, & *Credo in Deum*, omnia clara voce.

14 Quandoque tam Symbolum Apoſtolorum, quam Oratio Dominica recitantur ſub ſilentio in divinis Officiis; quandoque alta voce dicuntur. Ratio tacitæ recitationis affertur a Gavant. *tit.* 10. *p.* 2. *de Orat. Dom.* & a Corſett. *Ind. Rat.* Ratio vero cur hic recitetur clara voce 15 eſt, ut Infideles purgentur a vitio infidelitatis, Corſett. *ib.* cui addo aliam rationem, & eſt, quia cum recitentur ob conſecrandum Fontem Baptiſmi, neceſſe eſt ut palam, & publice innoteſcant articuli Fidei, & petitiones, ſeu ſupplicationes fidelium contentæ in Oratione Dominica.

§. V. Hic manu Aquam dividat, & deinde de ea effundat extra marginem fontis, verſus quatuor Orbis partes, proſequens.

16 Dividitur Aqua, tota manu, non digitis tantum, ita præſcribente Rubrica, quæ dicit *manu*, non *digitis*. Mo-
17 dica effuſio debet eſſe, & non ampla, adeo ut non fiat in terra magna lacuna. Diviſio facienda eſt per modum Crucis, & ſimili modo effuſio ad quatuor Orbis partes Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, ad ſignificandam univerſalitatem Baptiſmi per totius Orbis partes diffuſi, & per hoc recitatur *Credo*, & *Pater noſter* alta voce, tamquam ſi ad ſingulas Orbis partes vox iſta pervenire deberet. 18

Cœlis, Matth. 6. vel ſecundum alios, quando dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Jo. 20. & notandum hic quod pro pœnitentia intelligitur Confeſſio, quo nomine communiter appellatur Pœnitentia apud fideles: Pœnitentia enim, ſeu dolor male facti eſt antiquiſſimæ originis; ſed quatenus eſt Sacramentum, ex ſolo Chriſto originem habet.

4 Quod ſit diligentius miniſtrandum hoc Sacramentum, repetit Conſett. *d. Prax. de Pœn. c.* 5. Sed in genere omnia Sacramenta ſunt diligenter miniſtranda ob eorum ſanctitatem. Verum tamen eſt, quod plura requiruntur in adminiſtratione Sacramenti hujus, ut ipſa Rubrica docet illis verbis: *Quo plura requiruntur ad illud, &c.* Hoc tamen 5
dicitur non quia plura, & majora non requirantur in adminiſtratione aliorum Sacramentorum, puta Baptiſmi, in quo tot, & talia ſunt obſervanda, ut rite, & recte adminiſtretur, ſed eo quia adhibenda in aliis Sacramentis, ut plurimum ſunt materialia, & cæremonialia, atque ideo Rubricæ aliorum Sacramentorum ſunt numeroſiores. Quæ vero requiruntur in Sacramento Pœnitentiæ, ſeu in Confeſſione minora ſunt quoad numerum, ſed graviora, & potiora, quoad momentum.

§. II. Cum autem ad illud conſtituendum tria concurrant, materia, forma, & miniſter: illius quidem remota materia ſunt peccata: proxima vero ſunt actus Pœnitentis: nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Forma autem, illa abſolutionis verba, *Ego te abſolvo, &c.* Miniſter denique eſt Sacerdos, habens poteſtatem abſolvendi, vel ordinariam, vel delegatam.

6 Hæc tria concurrunt eſſentialiter in Sacramento Pœnitentiæ: Materia ſuper quam cadat abſolutio, poſtquam ſubjecta fuerit clavibus Eccleſiæ: Forma, qua illa materia diſſolvatur, & deſtruatur: Miniſter denique, qui præſcripta forma utatur ad purgandam materiam. Si una harum partium deſit, Pœnitentia non eſt Sacramentum, imo neque eſt Pœnitentia: e. gr. ſi quis confiteretur virtutes, ſeu opera bona, & acta meritoria, vel nihil loqueretur, abſolvi non poſſet a Miniſtro. Vel ſi quis peccata confiteretur Statuæ, vel Mulieri, vel Homini non Sacerdoti, cum iſti non ſint Miniſtri hujus Sacramenti, Sacramentum claudicaret, imo neque eſſet Sacramentum, S. Th. *q.* 84. *art.* 2. 3.

Peccatum dicitur materia remota, non quia multum di-
7 ſtet a pœnitentia, ſed quia habet aliam materiam viciniorem, Coninck *de Sacr. diſp.* 4. *ad* 3. S. Thom. *q.* 84 *art.* 2.

Proxima vero ſunt actus pœnitentis, & dicitur hæc materia proxima, ex quo cum peccata jam patrata ſint, & diſtent, hæc debet præſtari in actu Sacramenti, ideoque proxima Sacramento dicitur, quia contritio, confeſſio, & ſatisfactio ſubſequuntur, non antecedunt peccata.

8 Verba inſuper ſunt, quæ dant formam Sacramento, non vero omnia verba, ſed illa quæ abſolutionem exprimunt: cum enim Sacramentum Pœnitentiæ ſit judicium, quod fit ſuper patratis a Peccatore, oportet, ut illud judicium concludatur, & completo proceſſu expediatur: quare abſolutio neceſſario datur per modum ſententiæ judicialis, Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 5.

Quoad Miniſtrum; ſolus Sacerdos eſt legitimus, & i-
9 doneus Confeſſionis Sacramentalis Miniſter, Catech. Rom. *de Pœnit.* ſolis enim Apoſtolis dixit Jeſus, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, *Ex Joann.* 20. Hæretici cum Wicleffo, docentes Sacerdotem non eſſe neceſſarium Miniſtrum hujus Sacramenti, ut teſtatur Waldenſis, *T.* 2. *c.* 135. quam nonnulli ex recentioribus Hæreticis ſequuti ſunt, ut etiam colligitur ex Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 6. *& can.* 10. quorum fundamentum affert Coninck *de Pœnit. diſp.* 8. *num.* 1. Nonnulli etiam falſo dixerunt, quod licet Sacerdos ſit idoneus Miniſter hujus Sacramenti, tamen in neceſſitate, abſente Sacerdote, poſſit Peccator confiteri Laico. 10
Sed Eccleſia in nulla neceſſitate poteſt diſpenſare, ut aliquis non Sacerdos Sacramentaliter abſolvat, & nullo modo obligari poteſt quis, ut confiteatur Laico, Coninck *d. num.* 4. 6. Imo ſi quis non Sacerdos audiret Confeſſionem Sacramentalem alicujus, & eſſet Clericus, a Judicibus S. Inquiſitionis, vel locorum Ordinariis, tamquam miſericordia indignus a foro Eccleſiaſtico eſſet arcendus, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos haberet, rite degradatus, ſtatim curiæ ſæculari tradendus eſſet, Pellett. *diſp. cler. p.* 1. §. 5. *n.* 45. Hujuſmodi confeſſio facta non Sacerdoti non eſſet neque Sa- 11
cramentalis, neque congrua, ideoque neque valida, Honuphr. *de Confeſſ. Tr.* 2. *quæſt.* 1. *littera C.*

Iſte Sacerdos inſuper debet habere poteſtatem abſol- 12
vendi. Poteſtas, vel ordinaria eſt, vel delegata. Ordinaria eſt, quæ alicui competit ratione officii, quo fungitur. Delegata eſt, quam quis habet ratione conceſſionis tactæ ab eo, qui ordinariam habet, Coninck *d. dub.* 3. Ubi notandum venit, omnes qui habent juriſdictionem ordinariam, puta Epiſcopum, vel ejus Vicarium, poſſe hanc juriſdictionem, ſeu poteſtatem delegare, *cap. cum Epiſc. de Off. ordinarii*, in 6. Illos vero, qui habent delegatam, non poſſe eam ſubdelegare, *cap. cum cauſam* 42. *de Appellationibus*.

§. III. Sed ſi periculum mortis immineat, approbatuſque deſit Confeſſarius, quilibet Sacerdos poteſt a quibuſque cenſuris, & peccatis abſolvere.

Claves Eccleſiæ imminente periculo, ſeu articulo mor-
13 tis non ſunt limitatæ, atque ideo quilibet Sacerdos, facultate Ordinis, poteſt in hujuſmodi periculo eſſe legitimus, & idoneus Miniſter Sacramenti pœnitentiæ, quia in ſui ordinatione, de jure divino, habuit juriſdictionem ſaltem in habitu, & potentia, Honuphr. *de Conf. q.* 2. *concl.* 1. & hanc abſolvendi a quocumque caſu.

Aliqui Authores diſtinguunt inter Periculum & Arti-
14 culum Mortis, & volunt, debere intelligi ſtricte de Articulo tantum, non vero de periculo. Alii e contra putant in moralibus, periculum mortis, & articulum æquivalere, quamvis phyſice diſtinguantur: ſed cum hoc privilegium idcirco ſit datum, eo quia illo maxime tempore præceptum Confeſſionis obligat, hinc eſt, quod debet intelligi indiſtincte tam in Articulo, quam in periculo; nam in utroque caſu præceptum obligat, Honuph. *d.* 1. *Quod etiamſi*. Illud privilegium extenditur etiam 15
ad Sacerdotes excommunicatos, aut degradatos, Henriq. *l.* 6. *c.* 11. & alii apud Coninck; tunc enim temporis, & in illo articulo, ſeu periculo, in illum Miniſtrum coaleſcunt juriſdictio, legitimum ſubjectum, poteſtas in actu primo, & actu ſecundo, & quæcumque alia neceſſaria ad authorizandum Miniſtrum: & intelligitur etiam ſi inchoata confeſſione apud ſimplicem Sacerdotem, ſupervenirer Sacerdos ad Sacramentales Confeſſiones approbatus: quia Judicium, in quo incœpit, debet perfici, ut communiter docent Doctores.

§. VI. In ejus Miniſtro requiritur etiam bonitas, ſcientia, atque prudentia, cum ſigillo ſecretæ confeſſionis ſub exacto perpetuoque ſilentio; quibus, & aliis ad id opportunis, ut optime ſint inſtructi, omni ſtudio curare debent Confeſſarii, &c.

16 Bonitas, quæ requiritur in Confeſſario, eſt virtus moralis, quæ reſpicit mores honeſtos, & probos ipſius, a-
17 deo ut nulla tenuatur cenſura. Si hæc Bonitas locum non habeat in Confeſſario, poteſt illum exprobrare Pœnitens, & dicere illud Evangelii, *Medice, cura te ipſum*. Ad hanc probitatem acquirendam, neceſſe eſt ut ſæpe relegat opus piiſſimum Pauli Segneri pro Confeſſariorum inſtructione, italice ſcriptum. Quare poteſt ab Epiſcopo revocari approbatio Sacerdoti facta ad audiendas confeſſiones, ſi in illo deſit probitas vitæ, licet doctrina ſit excellens, Monacell. *Prax. part.* 3. *form.* 11. *n.* 4.

18 Ad Bonitatem, ſeu vitæ probitatem, accedere debet Scientia ſufficiens ad adminiſtrationem hujus Sacramenti: dixi *ſufficiens*, eo quia Tamburin. *l.* 5. *de pœnit. c.* 6. §. 5. *n.* 2. aſſerit difficile eſſe ad unguem decernere ad quem gradum aſcendere debeat ſcientia in Confeſſario, cujus munus eſt Judicis, Magiſtri, & Medici, quoad ſalutem pœnitentis. Nihilominus enumerat ſpecifice tria, quæ ſpecialiter debent a Confeſſario cognoſci, 1. quæ pertinent ad ſe ipſum. 2. quæ pertinent ad Pœnitentem. 3. quæ pertinent ad ipſa peccata. Et de hic diffuſe loquitur citatus Doctor. *d. l. n.* 2. 3. 4. *&* 5. Ideoque admonet Monacell. *p.* 3. 1. 2. quod in approbatione Sacerdotis in Confeſſarium, debet Epiſcopus animadvertere, non ſufficere ta- 19
lem Sacerdotem eſſe bonum Logicum, Phyſicum, Metaphyſicum, aut etiam Theologum Scholaſticum, ſed debere ubi conſtare per examen, vel aliunde, eſſe idoneum pro adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, quia plures dantur Scholaſtici, qui neceſſaria pro tali munere non habent, nec ſciunt, ut ex certa ſcientia, & experien-
Comment. ad Rituale.

tia teſtatur Paſqualig. ad Lauret. de Franc. *part.* 2, *numer.* 1398.

20 Advertendum tamen eſt cum Coninck. *diſp.* 8. *de Miniſt. pœnit. dub.* 16. *n.* 125. diverſa loca requirere diverſam ſcientiam: quam quiſque videre debet, utrum ſit idoneus, ut audiat illorum confeſſiones, pro quibus exponitur, ſive pro iis, qui eo loco, ubi audit confeſſiones, ſolent accedere, ut ſunt Moniales &c.

21 Ulterius in Confeſſario requiritur prudentia, quæ pariter eſt Virtus moralis inter cardinales numerata, S. Th. 2. 2. *q.* 47. *art.* 1. Sciendum itaque eſt, quod cum omnes caſus occurrentes non poſſint, nec quandocumque debeant reſolvi ex tempore, & ut dicitur, in arena; ſimpli quod non conſtit perſonis eadem remedia juvamen afferant, necnon, quod multa, quæ alioquin eſſent facienda, non expediat facere hic, & nunc, ſecundum varias circumſtantias; a prudenti Confeſſario unice diſcerni poteſt quid faciendum in tali, & tali caſu, quia prudentiæ beneficio perſpicitur quæ futura ſint ex cauſis, quid fugiendum, quid eligendum, *Ariſt. l.* 6. *Ethic. c.* 5. & melius S. Auguſt. *l.* 1. *de lib. arb. cap.* 3. Prudentia eſt rerum appetendarum, & fugiendarum ſcientia, cujus munia ſunt, bene conſultare, recte judicare, & laudabiliter dirigere executionem, Polman. *Brev. Theol.* De prudentia Confeſſariis neceſſaria optimum Tractatum evulgavit Valerius Reginaldus Societ. Jeſu 1610. in quo multa ſcitu maxime neceſſaria leguntur.

22 Sed ut ad Sigillum veniamus, Sigillum Confeſſionis eſt obligatio, quia quis obſtringitur, rem in Confeſſione Sacramentali auditam alto ſilentio prorſus obvolvere. Tamburin. *Append. Method, cap.* 1, ſeu, ut brevius dicam, eſt Confeſſarii directa obligatio tacendi confeſſionem Sacramentalem Pœnitentis. Dicitur Sigillum per ſimilitudinem Sigilli epiſtolaris, quo literæ obſignantur, ut in iis contenta, ſecreta habeantur. Inſuper dicitur directa, eo quia immediate reſultet ex divina inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ, & eſt obligatio juris naturalis, poſitivi, & divini, necnon Eccleſiaſtici, *cap. omnis utriuſque*, & *cap. Sacerdos*, *de pœnit. diſt.* 6. Circa Sigillum dicenda eſſent multa, ſed de hoc in ſingulis Theologis moralibus, præcipue vero in iis, qui de Sacramentali Confeſſione ex profeſſo tractant, multa, & quam, lorima diſputantur, explicanturque, nec meum eſt hic inſtituere Tractatum de hac materia, ſed unice quantum ſufficit ad explicandum verbum illud *Sigillum* proponere, enucleare ad inſtar brevis Commentarii hujus Rubricæ. Pro 23 quo dico, Confeſſarium in Sigillo ſervando debere eſſe rigidiſſimum, quod ut bene illi eveniat, opus eſt ut uſum habeat ſilentii ſibi familiarem, nec ſe ingerat in converſationibus verboſorum hominum; vitam degat a tumultu alienam, & tacere aſſueſcat etiam ea, quæ revelare non nocet.

Cætera neceſſaria Confeſſario aperte explicantur a Franc. Maria Campioni in *Inſtructione pro ſe præparantibus ad audiendas Sacras Confeſſiones*, *P.* 3. *c.* 12. *n.* 10. 11, 12, & *ſeqq.*

§. V. In primis meminerit Confeſſarius, ſe Judicis pariter, & Medici Perſonam ſuſtinere, ac Divinæ Juſtitiæ ſimul, & miſericordiæ Miniſtrum a Deo conſtitutum eſſe, ut tanquam arbiter inter Deum & homines, honori Divino, & animarum ſaluti conſulat.

24 Confeſſarius eſt Judex; pro tribunali enim ſedet, & ſententiam profert poſt peccatorum enarrationem, quæ tanquam pro proceſſu eſt.

25 Eſt item Medicus, nam curat Infirmitates Animarum, applicando opportuna remedia ad illarum ſalutem acquirendam, ac etiam præſervativa inſinuando, ne in deterius labantur.

26 Inſuper eſt juſtitiæ, & miſericordiæ miniſter; nam quando Chriſtus tradidit ſecularem Apoſtolis dicens; *Quodcumque ſolveritis, erit ſolutum: quodcumque ligaveritis, erit ligatum*, ſeu, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, & *quorum retinueritis, retenta ſunt*, *Joann.* 20. *Matth,* 18. Tunc Deus conſtituit illos Juſtitiæ, & Miſericordiæ ſuæ Miniſtros, Juſtitia ab illis miniſtratur, tunc quando puniunt pœnitentes, imponendo illis ſatisfactionem: Miſericordia vero tunc, cum illis impertiuntur Abſolutionem Sacramentalem.

Verba, quæ Confeſſarium declarant Arbitrum, maxi- 27 me conſideranda advertit Campion. *d. cap.* 7. *n.* 6, & hoc ex eo quia maxima dignatio eſt divinæ Bonitatis, ut voluit hominem Arbitrum inter Deum, & hominem: componit enim Arbiter lites, & diſſidia, Alciat. *de Verb. Sign.* Et hoc quoque facit Confeſſarius inter Deum, & Hominem, quia honorem divinum reparat, & conſulit ſaluti Animarum in peccato degentium.

§. VI. Ut ergo recte judicare queat, diſcernens inter lepram & lepram, & tanquam peritus Medicus, animarum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare ſciat, quantam poteſt maximam ad id ſcientiam, atque prudentiam, tum aſſiduis ad Deum precibus, tum ex probatis Auctoribus, præſertim e Catechiſmo Romano, & prudenti conſilio peritorum, ſtudeat ſibi comparare.

In antecedenti §. dictum fuit, debere Confeſſarium perſonam Judicis, & Medici ſuſtinere. Judex debet igitur Judicium facere, & Medicus mederi: ecce modo præſens Paragraphus ſubjectum demonſtrat, & docet, ad quod dirigitur tam Judicium, quam medicina, inferens lepram, ad quam curandam opus eſt tam Judicii, tum Medicinæ, & cum per lepram figuratum ſit peccatum, debet prudens 28 Confeſſarius diſcernere priusquam lepra ſit, & hæc eſt pars Judicis: Deinde quodnam remedium aptum ſit ad 29 illam curandam, & hæc eſt pars Medici.

Lepra non metaphorice ſumpta, ut in hoc loco (ubi 30 tamen mirabiliter peccato aſſimilatur juxta interpretationem Chryſoſt. *in Matth.* ubi ait: *Lepra enim eſt peccatum Animarum noſtrarum*,) Sed ſumpta phyſice eſt morbus ſcabiei ſimilis, cutem deformi obducens cruſta, corpuſque vehementi prurito infeſtans. Aliter nuncupatur Elephantinus morbus, eo quia cutem ſcabioſam reddit, ad inſtar Elephantis, Macri. *Hiſt. Verb. Elephantinus*. Ab aliquibus in duas ſpecies dividitur, ſcilicet quæ cutem infeſtat tantummodo, & quæ carnem ipſam uſque ad oſſa depaſcitur; una quæ poteſt curari, altera quæ inſanabilis eſt, quam Horat. *in Art. Poet. Malam ſcabiem vocat*: ſed Macrius FR. in quatuor ſpecies eam dividit, ſecundum diligentem expoſitionem, quæ de hoc peſſimo morbo habetur in Levitic. *cap.* 13. Qui ab illa vexabantur, a commercio hominum, jubente Sacerdote, ſeparabantur, cujuſcumque vero ſpeciei eſſet illa lepra, ſemper ea infecti tenebantur ex præcepto Moyſis ſe præſentare Sacerdoti, §. *ex his poſt Can.* 60. *de Pœnit. diſt.* 1. & *ibi gloſſ.* Iſta obligatio ſe præſentandi Sacerdotibus fuit, quæ aſſimilavit lepram peccato, ſeu hoc illi, quia qui tabe peccati infectus eſt, ſi velit ea mundari, oportet, ut ſe præſentet Sacerdoti, qui eum ſpiritualiter curando, abſolvat, & ſanet.

Neceſſe igitur eſt, ut Confeſſarius diſcernat lepram a lepra, hoc eſt peccatum a peccato, cujus naturæ ſit, cujus ſpeciei, cujus gravitatis, & quantæ multitudinis, ſi cutem tantummodo, hoc eſt leviter Animam tangat, ſi mortalis ſit morbus, vel facilis curationis; ut præſtare poſſit remedia ſpecifica, prompta, & utilia.

Scientiam iterum, & Prudentiam inculcat Rubrica; ſed in antecedenti Paragrapho ſatis loquuti ſumus de illis, & de earum uſu in plagis, & ulceribus tractandis tam difficilis curationis.

Modo de Oratione dicendum eſt. Oratio eſt unum ex 31 mediis propoſitis Confeſſario: eritque optima illa, quam compoſuit, & devote recitabat ante ſtudium S. Thomas, inſerta in ejus Opuſc. incipiens: *Creator ineffabilis*, &c. Eritque optimum, quotidianum Miſſæ Sacrificium ad hunc etiam effectum applicare, ut Deus nobis conferat ſcientiam, non inanem, & vacuam, ſed illam Sanctorum.

Secundum medium proponitur ſtudium probatorum Au- 32 thorum, & præſertim Catechiſmi ex Decreto Concilii Trid. ad Parochos, Pii V. Pont. Max. juſſu editi, ſeu Doctrina ea en erata a Doctiſſimo Joanne Bellarmino Cl. R. 33

Hoc unum remanet notabile apud Confeſſarium, quod 34 Eccleſia inter probatos Authores, unum tantum affert Catechiſmum Romanum. Equidem hoc volumen, ſana, & practica, & tota doctrina abundat, nec quidquam in eo deeſt, quod ad fidem, & Sacramenta ſpectare poſſit. Vigebant illa ætate, qua compoſitus fuit Catechiſmus Romanus, nempe anno 1572. Vigebant utique varii Authores, & Doctores, & Summiſtæ; attamen placuit Eccleſiæ hunc Librum cunctis aliis præferre: & quidem jure merito, nam in eo continetur quidquid bono Animarum regimini, & Confeſſariorum directioni occurrere poteſt, optime propoſitum, & ſine ambagibus, & dubietatibus reſolutum, Ab illo tempore uſque nunc, morales Theologiæ Scriptores ad nauſeam uſque crevere, quorum uſus cum diſcretione, & ſano modo faciendus eſt,

nq

ne Animæ in dubietates involvantur. Regulam circa hoc
35 affert laudatus Campion. Author aliquis poteſt eſſe probatus, vel per authoritatem Eccleſiæ Romanæ, vel alicujus Eccleſiæ particularis, vel per communem Theologorum acceptationem. Primi ſemper præferantur aliis; & ſecundi in illa Eccleſia præferantur tertiis.

Multi libri præter Concilium Trident. commendantur a S. Carolo, multi a variis Sanctis Epiſcopis: Ultimo prodiit *Idea Boni Confeſſarii* juxta doctrinam, & vivendi rationem S. Franciſci Saleſii, in qua vere ſuaviſſima documenta continentur ad invitandos reſiſtentes Peccatores, ut ſe purgent a peccatis.

Præter libros Moralis Theologiæ conſilium quoque 36
maxime prodeſt Confeſſario; nam numquam pœnitebit homo, ſi conſilium petierit in quocumque opere patrando. Conſilium enim eſt donum S. Spiritus. Antiquitus conveniebant Monachi ad hoc exquirendum, ut habemus ex Collationibus Caſſiani, quas affert Caſal. *de vet. Rit. Chriſt.*

§. VII. Sciat caſus, & cenſuras Sedi Apoſtolicæ, & Ordinario ſuo reſervat as & ſuæ cujuſque Eccleſiæ conſtitutiones, eaſque diligenter obſervet.

Hic quoque lepra a lepra ſecernenda eſt; nam non om-
37 nes morbos animarum poteſt ſimplex Sacerdos ſanare. Sunt caſus, & cenſuræ, quarum cura ad S. Sedem Apoſtolicam pertinet, & ſunt aliæ, quæ ab Ordinario locorum curari tantum poſſunt. Ideo Confeſſarius per jam antecedens ſtudium, cognoſcere debet, quæ peccata ſuæ juriſdictioni ſubjaceant, & quæ poteſtati Pontificis, & ordinarii, ut pœnitentem inducere poſſit ad habendum recurſum ad qui habeat Claves. Et hæc ſcientia omnino eſt neceſſaria: quilibet enim judex debet ſcire quouſque extendatur ſua Juriſdictio, cujus ſi terminos tranſiliat, invalida, & nulla eſt ſententia. In omni autem Republica bene ordinata conſtituti ſunt tales termini, ita quod inferiores Judices habeant ſolum judicare minora delicta, & ordinaria recognitio graviorum reſervetur Judici ſuperiori, & graviſſima tandem judicet ipſe Princeps, vel qui ab ipſo deputantur ex commiſſione ſpeciali. Sapientiſſimum hunc ordinem ſervatum eſſe, & ſervari debere in Eccleſia, definivit Concilium Tridentin. *Seſſ. 14. cap. 7.*

38 Quæcumque Eccleſia particularis habet ſuas Conſtitutiones particulares definitas ab Ordinario per Synodales Seſſiones, quæ ſunt tantum locales, non vero univerſales. In ſuis Conſtitutionibus locum habet Caſuum reſervatio: Circa quam Sac. Congregatio Epiſc. & Reg. juſſu Clementis VIII. edito ſuper abſolutione a Cenſuris Decreto die 9. Januarii 1601. monet, ut Epiſcopi paucos, eoſque tantum caſus, quod ad Chriſtianam Diſciplinam retinendam, animarumque ſibi creditarum ſalutem, pro cujuſvis Diœceſis ſtatu, & qualitate neceſſario reſervandos eſſe judicaverint, reſervent. Et in ejuſdem Decreti declaratione die 26. Novembris 1602. facta, hæc habentur. Sed ne locorum Ordinarii, ad quos Caſuum reſervatio ſpectat, ea in re modum excedant, eadem Sac. Congregatio illos rurſus magnopere admonendos cenſet, ut non paſſim, ſed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & graviorum criminum abſolutionem ſibi reſervent, quorum reſervatio ad Chriſtianam diſciplinam retinendam conferat.

Præter caſus reſervatos, aliæ conſtitutiones fieri, & ſan- 39
citi poſſunt ab Epiſcopo, quæ juriſdictionis reſtrictionem inducant in Confeſſario, vel peccata aggravent, vel alia ſuperaddant, quæ particulari inſpectione indigeant. Illas conſtitutiones inſuper non ſolum debent Confeſſarii obſervare, ſed diligenter animadvertere, & hæc diligentia importat, ut caute agant in audiendis peccatis, & cum advertentia ſe gerant in diſtinguendis peccatorum ſpeciebus. Unum peccatum enim in una linea conſideratum, poteſt eſſe reſervatum, in alia non; & ita ſuum munus erit non aggravare citra, vel ultra condignum, pœnitentem, Campionus *dicto capit. 7.*

§. VIII. Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem recte noſſe ſtudebit, & alia ad ejus rectam adminiſtrationem neceſſaria: atque in hoc miniſterio ita procedat, ut infra præſcribitur.

Difficile eſt omnem Doctrinam ad audiendas Confeſſiones aptam recte noſſe: Mare magnum enim eſt Theologia Moralis, in quo nuſquam finis.

Tutior modus eſt amplexandi ſententias, & opiniones magis regulæ adhærentes, & non relaxativas: Ita recte ſemper judicabit ad præſcriptum Rubricæ, Campion. *d. n. 9.*

ORDO
MINISTRANDI SACRAMENTUM
PŒNITENTIÆ,
TITULUS DECIMUS OCTAVUS.

SUMMARIUM.

1 *Rubrica hujus Tituli illuſtrata fuit per J. M. Campion.*
2 *Confeſſarius debet ſe præbere non aſperum, non alienum, &c.*
3 *Confeſſarius peccat ſi renuit audire pœnitentem.*
4 *Oratio facienda a Confeſſario ante adminiſtrationem Sacramenti.*
5 *Eccleſia eſt refugium Pœnitentis.*
6 *Confeſſiones audiendæ ſunt in Eccleſia.*
7 *In caſu neceſſitatis, & in cauſa rationabili poteſt audire extra.*
8 *Cauſa rationabilis audiendi extra, exprimitur in litteris patentibus.*
9 *Cardinales, & Nuncii habent privilegium ut poſſint ubique audiri.*
10 *Regulares in propriis cellis audire non poſſunt confeſſiones.*
11 *Mulieres, & Pueri non poſſunt audiri extra ſedem Confeſſionalem.*
12 *Portæ cubiculi, ubi fœminæ audiuntur, aperiendæ ſunt ſemper.*
13 *Privatæ confeſſiones abuſive ubique audiuntur.*
14 *Confeſſionale habere debet Parochus in loco patenti Eccleſiæ.*
15 *Confeſſionalis deſcriptio a Cavellerio facta.*
16 *Sedes Confeſſionales in cubiculis Regularium.*
17 *Mulieres ante ortum, & poſt occaſum Solis audiri non poſſunt.*
18 *Manuale in Miſſionibus Craticula.*
19 *Violaceus color ſignificat afflictionem.*
20 *Confeſſarii cum Cotta, & Stola audire debent confeſſiones.*
Comment. ad Rituale.
21 *PP. Societatis Jeſu diſpenſantur.*
22 *Humilitas neceſſaria in Sacramento Pœnitentiæ.*
23 *Veſtes Pœnitentium modeſtæ eſſe debent.*
24 *Arma deponenda ab iis qui confitentur.*
25 *Mulieres accedere debent velatæ ad Pœnitentiam.*
26 *Mulieres immodeſte accedentes ad Eccleſias peccant.*
27 *Genua ambo flectenda ſunt in confeſſione.*
28 *Crucis ſigni myſterio.*
29 *Humilitas interna eſt dolor compunctivus.*
30 *Caroli V. Imperatoris caſus in confitendo.*
31 *Status pœnitentis inquirendus a Confeſſario.*
32 *Quiſque ſtatus vitæ habet ſua peculiaria peccata.*
33 Medicus Ramazzinus *ſcripſit de Morbis Artificum.*
34 *Liber de peccatis Artificum deſideratur.*
35 Laurentius Pezzi *ſimile opus confecit.*
36 *Confeſſarius debet ſe informare de ſtatu pœnitentis.*
37 *Abſolutiones dandæ ſunt ad tenorem perſonæ.*
38 *Laicus non eſt abſolvendus a ſuſpenſione.*
39 *Mora in peccatis contumacem reddit Pœnitentem.*
40 *Pœnitentia elapſæ Confeſſionis an ſit facta debet inquiri.*
41 *Confeſſio invalida repetenda eſt.*
42 *Confeſſio integre maliti oſa, repetenda cum additione.*
43 *Peccata oblita confiteri debent dum recordantur.*
44 *Examen Conſcientiæ ad Confeſſionem præexigitur.*
45 *Confeſſarius debet inſtruere Pœnitentem rudem in examine.*
46 *Negligentia in examine emendanda.*
47 *Confeſſarius ſimplex non debet abſolvere a caſibus reſervatis Epiſcopo.*
48 *Poteſt tamen in articulo mortis cum reincidentia.*
49 *Confeſſarius ſimplex non poteſt abſolvere a caſibus reſervatis Papæ.*

50 *Præterquam in articulo mortis.*
51 *Epiſcopi debent ſe præbere promptos ad diſpenſandum.*
52 *Confeſſarius debet petere licentiam pro pœnitente.*
53 *Pœnitens non tenetur petere pro ſe licentiam.*
54 *Parochus debet docere ignorantes.*
55 *Pœnitens ignorans articulos fidei non poteſt abſolvi.*
56 *Vices, & numerus peccatorum exprimi debent.*
57 *Pœnitens nunquam dimittendus eſt ſine manuum impoſitione.*
58 *Confiteor non eſt de obligatione, ut ſit initium Confeſſionis.*
59 *Aliud eſt accuſatio generalis, aliud Confeſſio generalis.*
60 *Idioma latinum non eſt neceſſarium in confitendo.*
61 *Confeſſarius debet adjuvare memoriam Pœnitentis.*
62 *Confeſſarius eſt Judex.*
63 *Confeſſarius non debet arguere niſi finita Confeſſione.*
64 *Neque interpellare niſi ea expedita.*
65 *Verecundia a Pœnitentibus abjicienda.*
66 *Locus interpellandi Pœnitentes pro informatione actuum, & pro interrogatione non bene expreſſorum, & numeri.*
67 *Interrogationes vanæ, & inutiles fugiendæ.*
68 *Monita quinque propoſita Confeſſariis.*
69 *Pœnitentia datur pro ſatisfactione, & remedio.*
70 *Pœnitentia danda eſt, ſeu imponenda juxta qualitatem Perſonarum.*
71 *Contritio eſſe poteſt tanta, ut valeat pro Pœnitentia.*
72 *Levis pœna gravibus peccatis non correſpondet.*
73 *Actualis ſatisfactio non pertinet ad eſſentiam Sacramenti.*
74 *Optima Pœnitentia non eſt nova vita inſtitutio.*
75 *Contraria contrariis curantur.*
76 *Pœnitentiæ debent eſſe contrariæ peccatis.*
77 *Fideles tenentur de jure ſemel in anno confiteri.*
78 *Obligatio confeſſionis non tam ex annorum numero, quam ex judicii maturitate deſumenda.*
79 *Pœnitentiæ pecuniariæ.*
80 *Confeſſarii non applicent ſibi Pœnitentias pecuniarias.*
81 *Pauperibus Pœnitentiæ Eleemoſynæ non eſt imponenda.*
82 *Confeſſarii Eleemoſynas petentes poſſunt puniri ab Epiſcopo.*
83 *Peccatis occultis Pœnitentia publica non eſt imponenda.*
84 *Confeſſio ſecreta non eſt contraria præcepto Divino.*
85 *Uxori, ſeu filio familiæ non eſt imponenda publica Pœnitentia.*
86 *Reſtitutiones incertæ Epiſcopo reſervatæ.*
87 *Propoſitio de dolore extrinſeco damnata.*
88 *Materialiter accedere ad Confeſſionem damnatum.*
89 *In periculo mortis ceſſant omnes cenſuræ.*
90 *Hæreticus in articulo mortis quando abſolvi debeat?*
91 *Abſolvendus eſt poſt præſtitum juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ.*
92 *Excommunicationes non redeunt poſt abſolutionem.*
93 *Occiſo, ſeu vulnerato quomodo miniſtranda ſit Pœnitentia?*
94 *Vulneratus interpellens vulnerantem ad Judicem eſt abſolvendus.*
95 *De ſubſtantia Confeſſionis eſt ut ſit integra.*
96 *Confeſſio per nutus perficienda ſi deficiat Pœnitens.*
97 *Signa Pœnitentiæ deſiderantur pro abſolutione.*
98 *Pœnitentia levis injungenda eſt ægris.*
99 *Orationes vocales, & jaculatoriæ imponendæ ægrotis.*

HUCUSQUE de rebus theoricæ ad Confeſſionem ſpectantibus, ſermo habitus eſt. Sequens Titulus de practice ad idem Sacramentum ſpectantibus loquitur, pro recta illius adminiſtratione, & quidem juxta ſtylum Rubricarum, quæ ut plurimum ad praxim bene exercendam rei, de qua tractans, conſcriptæ ſunt, additis rationibus, cauſis, & authoritatibus diverſorum doctorum.

§. I. Sacerdos ad audiendam Confeſſionem vocatus, promptum facilemque ſe præbeat: ac priuſquam ad audiendum accedat, ſi tempus ſuppetat, ad hoc miniſterium recte, ſancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.

1 Hæc Rubrica nonnullis notis illuſtrata fuit per Franc. Mariam Campioni Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, doctiſſimum Cleri examinatorem Apoſtolicum in Urbe, in quodam libro inſcripto: *Inſtructio pro ſe præparantibus ad audiendas Confeſſiones, p. 1. cap. 7. p. m. 37.* quas adnotationes ſequendo, nonnulla ſuperaddam ad majorem hujus Rubricæ intelligentiam, & ad illuſtrandum hujus Sacramenti Ritum.

2 Quando Rubrica dicit, quod Confeſſarius debet ſe præbere promptum, ac facilem, eſt ac ſi dicat non aſpe-
3 rum, aut alienum, aut intoleranter reſpondentem: peccabit enim graviter ſi renuat audire pœnitentem, quando hic obligatur ad confeſſionem. Si eſt Parochus, peccabit contra juſtitiam: Si eſt ſimplex Sacerdos, approbatus, peccabit contra charitatem. Si potens audire ſine ſuo gravi incommodo, in tali caſu dimittat inauditum, Campion. *d. l. c.* Imo etiam cum hoc incommodo, dico, peccare hujuſmodi Sacerdotem contra Charitatem, eo quia dilectionem proximi non demonſtrat, & plus diligit commodum ſuum temporale, quam utilitatem ſpiritualem proximi ſui, & de eo poteſt dici id, quod de Sacerdote, & Levita ait *Luc.* 10. non autem de Samaritano.

Si Sacerdos vocatus ſit inopinato, & confeſtim ad audiendam Confeſſionem, tunc ſufficit Oratio quædam jaculatoria fervens, & mentis in Deum ſubita elevatio; 4
ſi autem ſe exponat Sacerdos ad audiendas quorumcumque confeſſiones, tunc poterit ſe præparare cum Oratione mentali ad Deum, qui eſt Pater luminum. Certe in utroque caſu, nuſquam deeſt tempus eliciendi actum amoris.

§. II. In Eccleſia, non autem in privatis ædibus confeſſiones audiat, niſi ex cauſa rationabili, quæ cum inciderit, ſtudeat tamen id decenti, ac patenti loco præſtare.

5 Refugium Peccatorum, & confugium pœnitentium vocatur Eccleſia a Div. Bonaventura *Ser.* 13. ideo ibi pro-
6 ſtant Tribunalia ad judicia ferenda.
7 Hæc Rubrica tamen non includit caſus neceſſitatis, ſeu ob infirmitatem, ſeu ob aliam cauſam, propter quam au-
8 diri quis non poſſit in loco Sacro, ſeu in Eccleſia. Cauſa rationabilis audiendi confeſſiones in privatis ædibus exprimitur in litteris patentibus Card. Vicarii, quoad confeſſarios Urbis, & in aliis litteris Ordinariorum pro ſuis Diœ-
9 ceſibus. Cardinales quoque, vel Nuntii, ſeu Oratores Regum, & Principum habent hoc privilegium; & ubi conſtes, poterunt audiri. De facto in conſueta formula facultatis Confeſſiones audiendi, ſolet inhiberi Confeſſariis, ut in Eccleſia tantummodo audiant hujuſmodi Confeſſiones: Monacellus hac de cauſa T. 1. *tit.* 9. ad illa verba in *Eccleſia* inſerta in *formula* 1. *num.* 7. ſubjungit; Valde conveniens eſt, quod hoc Sacramentum extra caſum infirmitatis, aut alterius honeſtæ cauſæ, non niſi in Eccleſia conferatur, Nicol. *floſc. verbo Confeſſarius, num.* 24. ubi, quod Sacra Congregatio approbavit Ordinarii Conſtitutionem, qua
10 prohibebatur, quod Regulares non audirent Confeſſiones ſæcularium in propriis cellis: imo & laudavit in *Neapolitana* 29. *Martii* 1592. Gavant. *Man. Epiſc. verb. Confeſſarius, num.* 38. Inſuper Monacell. *d. num.* 6. loquendo de ſede Confeſſionali, & ejus Crate ait: Prohibitionem 11
hanc audiendi mulierum, puerorumque Confeſſiones extra ſedem Confeſſionalem, vel e conſpectu, & non interpoſita Crate ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus, laudaſſe *Sac. C. Ep. & Reg. in Cellen.* 18. *Decembris* 1693. *referente Card. Petrucci*. Idem poſtea litteris circularibus injunxit S. Congr. Inquiſitionis *ſub dat. Romæ* 4. *Decembris* 1694. de Crate apponenda in ſede Confeſſionali dicemus in ſequenti Paragrapho.

Si vero neceſſitas urgeat audiendi Confeſſionem extra Eccleſiam, & in loco non Sacro, vel privilegium, ut ſupra dixi, hoc concedat, advertere debet Confeſſarius, 12
quando Fœmina ſit, quæ peccata confiteatur, quacumque dignitate decoretur, ſemper fores cubiculi apertas tenendas eſſe, ut facile e vicinioribus intueri poſſit Confeſſarius, nec latendi locum habeat; ſed in patenti loco ſit.
Contra vero hanc Rubricam non audiendi Sacramentales 13
Confeſſiones, niſi in Eccleſia, vel loco Sacro, mos, ſeu abuſus invaluit, adeo ut hodie multi ſibi licere credant, privatim in ædibus quibuſcumque audire quemlibet confitentem. Quare nonniſi laudabile eſſet ſi per conſtitutionem, vel Synodalem, vel alio quocumque modo, hæc Rubrica ad priſtinum robur revocaretur, impoſita etiam gravi pœna contra inobedientes.

§. III. Habeat in Eccleſia ſedem confeſſionalem, in qua Sacras Confeſſiones excipiat: quæ ſedes patenti, conſpicuo, & apto Eccleſiæ loco poſita, crate perforata inter pœnitentem & Sacerdotem ſit inſtructa.

Huic Rubricæ nullam adnotationem ſubdit Campion. *d. l. c.* Ego vero nonnulla addam cum Barboſ. *de Off. &
14 pot. Paroch. p. 2. c. 19. n. 59.* hoc pacto. Parochus habere debet Confeſſionale in Eccleſia, ubi confitentes audiat, quod in loco aperto, & manifeſto ſit, non autem in ſacellis, neque in angulis Eccleſiæ, unde videri publice non poſſit quod fit, ut tollatur materia delinquendi: ob quam rationem quoque ipſum Confeſſionale habebit feneſtellam crate ferrea occluſam, ne pœnitentem inſpiciat, ut bene advertit Ugol. *de Off. Epiſc. c. 15. §. 8. n. 24.*

Inſuper addam praxim ſatis manualem circa Confeſſionalia, quam affert Cavallet. *d. l.* 12. ut ea præcipue Parochi utantur, quam latino idiomate reportabo hoc pacto, videl.

15 Numerus Confeſſionalium in quacumque Eccleſia ſit juxta quantitatem populi affluentis ad illam, & Confeſſariorum, qui ibi ſolent proſtare ad audiendas Confeſſiones, habito reſpectu ad præcipuas anni ſolemnitates, ſeu ad Jubilæum, quod occurrere poſſit, ſeu ad Indulgentias, vel Miſſiones. Nuſquam minus bino confeſſionale proſtet in Eccleſia. Ad unum ut Maſculi, ad alterum vero, ut Fœminæ accedant, ut evitetur ſcandalum promiſcuæ affluentiæ tum mulierum, quam virorum.

Propria ſituatio Confeſſionalis eſt extra Presbyterium, ſeu majorem Capellam, nuſquam vero nec prope Altare, nec prope Scamna, ſeu Sedilia Eccleſiæ; in patenti, & aperto loco, hoc eſt in partibus lateralibus Eccleſiæ; atque unum a regione alterius ſtet quantum fieri poſſit. In Capellis tamen amplis toleratur, & permittitur Confeſſionale, dummodo tamen hujuſmodi Capellæ amplæ, circumdatæ cancellis ſint, hoc pacto, quod Confeſſarius intra cancellos ſtet, & Pœnitens extra eos, & ambo publice pateant.

Confeſſionale poſitum in Capella majori, & in cornu Evangelii, ſcabellum habeat pro pœnitente ad dexteram Confeſſarii. Illud vero in cornu epiſtolæ ſecus conſtructum ſit, ita ut Pœnitens nuſquam terga vertat ad Altare majus, in quo aſſervetur Sanctiſs. Euchariſtia.

Quodcumque Confeſſionale tabulis ligneis lævigatis, & firmis componatur; illud hinc inde ſuperius, & inferius claudentibus, adeout ſola anterior pars aperta ſit; in qua tamen parva porta apertatur, quæ ſe extra porrigat, & habeat ſeram, & clavem, ita & taliter quod nemo, abſente Confeſſario, in illo loco irreverenter ſedere valeat. Huic parvæ portiunculæ æquivalet quandoque parvus cancellus.

Baſis, ſeu ſuppedaneum Confeſſionalis, quod a pedibus calcatur, altum ſit palmum ſemis, & pavimento ſupereminea: latitudo ejus ſit palmi tres, & digiti tres circiter: longitudo, palmi ſex cum dimidio, ſedes Confeſſarii ſe erigat ad palmum, & ſemis, & digitos quinque circiter: ſe dilatet vero a dextera ad ſiniſtram palm. 2. & digit. 6. a fronte vero ad finem palm. 5. & ſemis, plus, minuſve. Altitudo tandem totius Confeſſionalis ſit palm. 6. & ſemis, præter coronam, & ornamenta ad libitum; in quorum medio Crux emineat.

Ab utroque latere ſedis affixæ ſint parvæ tabellæ ex aſſere, ſuper quas cubitis innitatur Confeſſarius dum audit a quocumque latere pœnitentes, & elevari atque demitti poſſint.

Extra ſedem Confeſſarii ſit locus pro Pœnitentibus, & ſcabellum, ut genuflectere poſſint, & ſit commodum tam pro utroque genu, quam pro cubitis, ut manus ſtare poſſint junctæ, nec deformitatem pariant dum facie accedit Pœnitens ad feneſtellam, ſeu cratem.

In medio Tabulæ diviſoriæ inter Confeſſarium, & pœnitentem, ſit feneſtella faciei utriuſque accommoda quoad altitudinem; a latere ejuſdem feneſtellæ repagulum ſit ſimilis longitudinis, a quo impediatur viſus faciei confitentis, & loquentis ad cratem: ſitque huic feneſtellæ affixa Crates ferrea bene terſa, & lucida, ſed perforata, cujus foramina ſint ad inſtar ciceris. Ad partem vero, quæ reſpicit confeſſarium, ſolent nonnulli applicare Velum denſum ſubnigri coloris.

Feneſtella iſta cum crate, laudabile eſt ut claudi poſſit vel aſſere, vel tabula pollicibus ferreis munita, ad hoc ut dum Confeſſarius loquitur cum uno pœnitente, alter pœnitens, a converſo nequeat audire verba ab eo prolata.

In hac Tabula, aliqua Imago pia, & devota affixa ſit, una cum formula ordinaria abſolutionis. Inſuper etiam a parte Pœnitentis aliæ Imagines affixæ appareant. In ſede vero media, Tabula caſuum reſervatorum; Summarium Bullæ in Cœna Domini, Canones Pœnitentiales, & ſimilia affigantur, quæ ad inſtructionem extemporaneam Confeſſarii inſerviant.

Hæc tota eſt deſcriptio Confeſſionalis, quod in Eccle- 16
ſia proſtare debet. In Oratoriis, & Cubiculis Eccleſiæ adnexis, ſolent, præcipue apud Regulares, aliæ ſedes confeſſionales conſtrui, quæ hæc duo neceſſaria habent, ſcil. ſedem pro Confeſſario, & ſcabellum pro Pœnitente ad genuflectendum, cum Crate, quæ auſcultationem dividat.

Porro non ignorabit prudens Confeſſarius, audiri non 17
poſſe mulieres ante ortum Solis, neque poſt occaſum, neque in Cellis, ſed in ſedibus, cum tabella, nec ſine juſta cauſa in privatis ædibus, Conſtit. *de Pœnit. num. 6.*

Tempore magni concurſus, & occaſione Sacrarum Miſ- 18
ſionum Apoſtolicarum in locis ruralibus, vidi olim, ut expeditius Populus poſſet peccata confiteri, per Sacerdotes in vaſto ſpatio diſtributos portari Cratem manualem, & ſcamnum plicatile, quo huc, & illuc ſe transferebant ad audiendas utriuſque ſexus Sacramentales Confeſſiones.

§. IV. Superpelliceo, & Stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret conſuetudo.

Sacramenta nonniſi cum Cotta, & Stola eſſe adminiſtranda jam diximus in una Rubricarum Sacramenti Baptiſmi; ideoque nihil hic ſubdo. Unice dico cum Con-
19 fatt. *Ind. Reſional.* Violaceum colorem ſignificare afflictionem, mœrorem, & luctum: item conſtantiam, excellentiam, maturitatem, & conſilium; quæ ſingula partim ad Confeſſarium pertinent, partim ad Pœnitentem, cuncta vero Sacramento Pœnitentiæ.

Sciendum eſt, per decretum Sac. C. Epiſc. in una *Al-
20 bangenen.* 8. *Novemb.* 1588. ſtatutum, fuiſſe, Confeſſarios, ſi Sæculares ſint, teneri deferre ſuperpelliceum,
21 & ſtolam cum audiunt confeſſiones. Niſi fuerint Religioſi Soc. Jeſu, qui ſuperpelliceum deferre non tenentur, ut cenſuit eadem S. Cong. die 28. Aprilis 1586. Barboſa de Pot. Paroch. *Part. 2. c. 19. n. 6.*

Placet hic inſerere ſuper hoc argumento, Epiſtolam a Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto Papa XIII. ad Abbatem Caſſinen. S. Mariæ in Monte de Cæſena miſſam, ſub die 1. Auguſti 1681. dum cum Epiſcopali munere in dicta Civitate, & Diœceſi fungeretur, quam Epiſtolam autographice ſcriptam, ex ejuſdem Monaſterii Archivo tranſcripſit, mihique tradidit D. Romualdus Serra ibidem Monachus, amicuſque meus eximius.

Per effetto del zelo Sacerdotale di lei riconoſco l'ordine dato a' PP. Confeſſori intorno l'amminiſtrare il Sagramento della Penitenza colla Stola, abito preſcritto dal Rituale Romano. Ne ſcriverò a V. P. Reverendiſs. particolariſſime dovere; ad ordine al mio Vicario, che rigoroſamente faccia il mio Editto oſſervare de gli altri Regolari, avendo prima voluto, dalla generoſità Monaſtica ricevere per favore l'obbedienza di queſto Rito, e poi riſcuoterla per debito dagli altri, che devono ſeguire l'orma Venerabile de' PP. della Regolare diſciplina, che ſono i Monaci del Supremo Patriarca Benedetto, &c.

Di Gravina il primo d'Agoſto 1681.

Affezionatiſs. per ſervirla
F. Vinc. Maria. Arciv. Card. Orſini.

P. Abb. D. Stephano Leoni, Cæſenæ.

Mirare, quæſo, Lector, Sanctiſſimi Pontificis, etiam in minimis ſummam vigilantiam.

§. V. Pœnitens, ſi opus fuerit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis, & habitus, accedat, & flexis genibus, ſigno Crucis ſe muniat.

22 Si ad ullum Sacramentum decet, ut quis cum humilitate interna, & externa accedat, certe eſt ad hoc Pœnitentiæ: & penitus ignoro quomodo poſſit dari caſus, in quo opus ſit admonere pœnitentem, ut accedat humiliter: Nihilominus adeo rudes perſonæ dari poſſunt, quæ non malitioſe, ſed ignoranter hanc humilitatem non præſeferant, ideoque opus eſt ut moneantur.

23 In habitu iſta humilitas demonſtratur, ſi compoſitus ſit, ac decens, ſed non ſucatus: ſi deponantur quæcumque 24
arma, etiam latentia: ſi in mulieribus caput ſit velatum, pectus non denudatum, totum corpus a famulis, famulabuſve incuſtoditum. Circa quæ nonniſi valde prodeſſe poterit, ſi prudens Confeſſarius legat, & perlegat allegata per Monacell. *form. leg. pract. tom. 3. tit. 2. for. 11. n. 5. & ſeqq.* ubi demonſtrat concludenter, & probat, mulieres ingredientes Eccleſias, & accedentes ad recipienda Sacramenta, 25

Comment. ad Ritualr.

pectore, brachiis, & humeris denudatis, graviter peccare, tum quia maximam irreverentiam oſtendunt Sacramentis, tum quia ſunt ſcandalo Fidelibus videntibus;
26 tum demum quid, ut ait Carthuſianus in *epiſt. D. Petri*,
art. 6. venenum propinant, præbent occaſionem peccandi, & abominationem inducunt in loco Sancto. Quam abominationem ſi Confeſſarii removere non ſtudent, merito Epiſcopus illos ab audiendis Confeſſionibus ſuſpendit. Eſt enim res ab omni loco, & præſertim ab Eccleſiis, etiam cenſuris, extirpenda, Raynald, *Obſer. crim. ſuppl.* ad *cap.* 1. *ſupp.* 5. *num.* 376. 377. ubi plures allegat Pignatell. *Conſ.* 35. *num.* 30. t. 7.
27 Nota inſuper verba illa, *Flexis genibus*, *&c.* non enim
dixit *flexo genu*, ſed plurali numero utitur, ut diſcant qui tam abuſive ſolent genu unicum flectere, eſſe actum maximæ irreverentiæ.
Tandem debet Pœnitens Crucis ſigno ſe munire, quia 28
cum hoc ſigno renovatur actus fidei circa præcipua Fidei noſtræ myſteria, dicente Div. Auguſtin. *de temp. ſer.* 8. *Crucis ſignum quaſi compendium fidei noſtræ, continet Trinitatis Myſterium, & Filii per Crucem Redemptionem.* Cujus ſigni antiquitatem, & virtutem, vide apud Chryſoſt. *ad Philipp. hom* 13.
Pro humilitate vero interna, interpretatur dolor, ut- 29
pote afflictitius, & cætera, quæ conveniunt pœnitenti in illo actu.

§. VI. Mox Confeſſarius inquirat de illius ſtatu (niſi aliter notus fuerit) & quampridem ſit confeſſus, & an impoſitam pœnitentiam adimpleverit, num rite atque integre alias confeſſus fuerit, num conſcientiam ſuam, ut debet, prius diligenter diſcuſſerit.

30 Vulgaris, & notiſſimus eſt caſus Confeſſarii illius,
qui Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrans Carolo V. Imperatori Auguſto, poſt audita peccata ab ipſo Imperatore accuſata, eum nihil aliud habere, quod confiteretur, ſubjunxiſſet, eum ſuaviter, ſed arguta redarguens loquit:
31 *Dixiſti peccata Caroli: modo dic peccata Cæſaris.* In quovis enim vitæ ſtatu adſunt præcepta obligatoria, contra quæ unuſquiſque delinquere poteſt.
32 Scripſit olim doctiſſimus Medicus Ramazzinus librum,
& quidem eruditiſſimum *de morbis Artificum*: nemo ad-
33 huc, quod ſciam, ſcripſit *de peccatis Artificum*. Quilibet
enim vitæ ſtatus habet defectus proprios, qui ſunt morbo-
34 ſæ naturæ, & Animam lædunt. Unice ad hanc rem libel-
lum quemdam italica ſcripſit in antiquis, nempe anno
35 1584. *Laurentius de Pezzis* Sacerdos, Confeſſarius Monialium in Civitate Murani prope Venetias, qui liber inſcribitur *Confeſſionario*, in quo traditur, licet compendioſa, methodus ſervanda a quacumque perſona, cujuſvis gradus ſit, in confitendis peccatis. Ibi Magnates, Equites, Cives, Milites, Judices, Advocati, Doctores, Magiſtri, Scribæ, Medici, Barbitonſores, Aromatarii, Librarii, & uſque Bubulci, aliaque genera perſonarum nominatim inſtruuntur circa peccata ſtatus, & exercitii, ſeu artis, quam profitentur, & remedia opportuna injunguntur. Optimum eſſet itaque, ut quis hoc exiguum opuſculum ampliaret, expurgaret, & illuſtraret, ex quo abundant Doctores hodie qui in Theologia Morali, volumina, & quidem ampla, publici juris faciunt. Sed ut ad rem noſtram redeamus: Confeſſarius juxta præceptum præſentis
36 Rubricæ debet ſe informare de ſtatu perſonæ illius, cui
Sacramentum miniſtrat, ut eam interroget de adimple-
37 mento obligationum ſuarum, pœnitentiam illi injungat
adimplendam ſecundum vires ſuas, atque illi abſolutionem largiatur ad tenorem conditionis ſuæ. Si enim eſſet Laicus, non eſſet abſolvendus a vinculo ſuſpenſionis, ut Clericus. Vide quæ adnotavimus ad §. 4. hujus Tituli in fine. 38
Quampridem ſit confeſſus, *&c.* Longa & diuturna 39
mora in ſtatu peccaminoſo contumaciorem reddit pœnitentem. *Segn. Pænit. Inſtr.*
An impoſitam pœnitentiam adimpleverit, *&c.* Debet de 40
hoc certiorari Confeſſarius, ut noviter injungat pœnitenti onus adimplendi.
Quod ſi non rite, hoc eſt cum deficientia alicujus par- 41
tis eſſentialis Pœnitens confeſſus fuerit, invalide hoc factum eſt, & tenetur repetere peccata jam enarrata. Si vero non integre, cum reticentia malitioſa alicujus pecca-
ti, hoc quoque ſubjungendum eſt, quia hujuſmodi confeſ- 42
ſio ſacrilega fuit, ſecus vero ſi iſta reticentia ex oblivione
proceſſerit, tunc tantum peccata oblita revelanda eſſent, 43
Bonacin *de Pænit. cap* 14. Campion. *d. c.* 6 *num.* 10.
Conſcientia inſuper diligenter diſcutienda eſt. Ad examen hoc ſpectat, quia examen conſcientiæ ad Confeſſionem præexigitur, quæ erit ſacrilega, ſi nimis remiſſum fue- 44
rit examen, in quo tantum temporis impendendum eſt, quantum homo prudens ponit in gravi negotio tractando,
Campion. *d. c.* 11. *num.* 15. Quod ſi pœnitens reſponderit, 45
ſe conſcientiam ſuam non diſcuſſiſſe, tunc incumbit Confeſſario illum perquirere de cauſa hujus peccaminoſæ negligentiæ. Et ſi hæc negligentia ab ignorantia, & ruditate illius proveniat, tunc operæ pretium eſt, ut illum inſtruat, & det manus, ut examen conficiat. Si vero præ- 46
dicta negligentia ab inertia, ſeu otioſitate derivet, tunc (niſi magna neceſſitas hoc impediat) dimittendus eſt pœnitens, donec examen conſcientiæ perfecerit.

§. VII. Quod ſi pœnitens aliqua cenſura, vel caſu reſervato ſit ligatus, a quo ipſe non poſſit abſolvere, non abſolvat, niſi prius obtenta facultate a Superiore.

47 De cenſuris, & caſibus reſervatis in antecedenti titulo
ſatis diximus, quantum ſit pro brevi commentario: modo dicam alia, & primo: quod cavere debet Confeſſarius ne a caſibus per Epiſcopum reſervatis abſolvat quemquam, quia nulliter abſolvaret, niſi ſit pœnitens in articulo mortis, Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *de Reform. cap.* 7. Barboſ. *d. p.* 2. *t.* 19. *num.* 49. qui opinionem habet, poſſe Parochum, Pœnitentem habentem peccata reſervata Epiſcopo abſenti, abſolvere a peccatis non reſervatis, reſervata abſolutione
48 a reſervatis, cum Superior copiam ſui fecerit. Limitat tamen, loqui hunc Doctorem de peccatis, quibus non ſit annexa aliqua cenſura, quia ubi adeſt excommunicatio (ut habetur in omnibus reſervationibus Sedis Apoſtolicæ) tunc
49 non poteſt inferior ullatenus abſolvere etiam a non reſervatis, Sotus *art.* 5. *ad* 2. & Joann. Valer. *verb. Pœnitentia*, *differ.* 4. *verſ. præterea fallit ſexto*. Niſi in caſu graviſſimi ſcandali. Tandem pro regula ſit, non poſſe ſimplicem Confeſſarium abſolvere quempiam a cenſuris Papæ reſervatis, & Epiſcopo. Secus vero faciens incurrit excommunicationem latæ ſententiæ, a qua nonniſi a Summo Pontifice abſolvi poteſt præterquam in mortis articulo,
50 & hujuſmodi abſolutio eſſet, ut dixi, nullius roboris,
Conc. Prov. 7. *S. C. Epiſc.* 29. *Novemb.* 1602. Corſett. *dict. num.* 24. *in fine*.
Quapropter Superior, ſeu Ordinarius debet ſe præbere 51
promptum, & facilem ad concedendam talem facultatem, ut ſic pœnitens non deſperet, vel ne in deterius ruat, fiantque pejora peccata prioribus, Engel. *Manual. Paroch. p.* 3. *t.* 2. §. 2. *n.* 5. *de caſ. reſerv.* ubi notandum, quod ſi pœnitens, nulla ratione perſuaderi poſſit, ut ad Superiorem accedat, quin potius ob animi duritiem dilaturus ſit Confeſſionem, aut etiam omni peccandi licentiæ ſe traditurus ſit, maxime ſi rationabilem recuſandi cauſam habeat: quia ſcilicet prudenter timeat damnum aliquod extrinſecum; v. gr. Sigilli violationem, odium Superioris, aut ne is ſcientia ex Confeſſione ad externam gubernationem utatur; in
tali caſu, dico, Parochum, ſeu Confeſſarium debere a Su- 25
periore licentiam abſolvendi petere (caute tamen, & in genere ad aliquem caſum reſervatum, ne perſona pœnitentis detegatur) atque ad eam præſtandam Superiorem 52
teneri, & obligari, ne reſervatio caſuum, quæ ad ſalutem animarum, & ædificationem conceſſa eſt, ad ruinam, & deſtructionem tendat, Chriſtoph. Raſler. *de Pænit. cap.* 7. §. 35. apud Engel. *d. l.*

§. VIII. Si vero Confeſſarius, pro perſonarum qualitate, cognoverit Pœnitentem ignorare Chriſtianæ Fidei rudimenta; ſi tempus ſuppetat, eum breviter inſtruat de articulis Fidei, & aliis ad ſalutem cognitu neceſſariis, & ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea poſtmodum diligentius addiſcat.

Caſus iſte non eſt idealis, nec de ſubjecto non ſupponenda, nam tam in Urbibus quam in locis ruralibus, adeo rudes, & inertes Perſonæ extant (heu nimium!) quibus omnia, quæ ad ſalutem pertinent, in obſcuro ſunt. Ideoque non ſine magna ratione Rubrica hæc tria præcipit a
54 Confeſſario facienda. Primo docere ignorantem: ſecundo
corripere ignorantiam: tertio præcipere diligentiam addiſcendi impoſterum, S. Carolus *cap.* 15. *num.* 19. *& ſeqq. relat. a Campion. d. l. n.* 17. ubi nota, & adverte quæ ſequuntur: diſtinguendi ſunt articuli neceſſarii neceſſitate medii, & neceſſarii neceſſitate præcepti. Pœnitens qui primos ignorat, nullatenus abſolvi poteſt: imo ſi alias confeſſus 55
fuerit

fuerit cum ignorantia illorum, etiam invincibili, fuit invalide abſolutus, & ut valide poſſit abſolvi, debet prius
56 inſtrui, & inſtructus debet ſe accuſare tum de numero vicium, in quibus omiſit elicere hos actus fidei, tum de numero vicium, quibus neglexerit diſcere eoſdem actus (ſaltem circumciſe) & tenebatur addiſcere. Quod ſi accedat in Paſchate, nec eum poſſit Confeſſarius inſtruere, non tamen abſolvat, ſed differat abſolutionem, utens facultate ſibi tradita per *c. omnis utriuſque*, *&c.* Si Pœnitens ignorat ſecundos ex ignorantia vincibili, procedatur juxta monita S. Caroli, dummodo qui peccavit in addiſcendo, ſe accuſet de vicibus, quibus obligatus addiſcere, neglexit, & de omiſſione recitationis Symboli, quoties ad illam tenebatur. Atque hoc eſt corripere ignorantiam, & monere, quod de illa ſe accuſet. Ut tamen impoſterum ſit diligentior, præcipiet illi adire Parochum, ut illi doceat doctrinam Chriſtianam diebus Dominicis.

Ulterius Rituale præcipit inſtruere de aliis ad ſalutem cognitu neceſſariis, ut ſunt: Oratio Dominica, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, neceſſaria pro ſuſcipiendo rite Sacramento Pœnitentiæ. His omnibus addit Coſett. *d. l. c. n.* 14. quod ſi Pœnitens adeo rudis ſit, ut neſciat articulos Fidei, & alia neceſſaria ad ſalutem, breviter, prout opportunitas loci, & temporis conceſſerit, illum inſtruat.

Verum ſi affluentia Populi adeo ſint numeroſa & ſedi confeſſionali ita contigua, ut nonniſi cum periculo revelandi illam Pœnitentis ignorantiam, hæc inſtructio fieri poſſit: & hoc idem dicendum, ſi Pœnitens reſervatum caſum habeat, a quo nequeat abſolvi, illum nunquam debet Confeſſarius dimittere ſine manus impoſitione: nam etſi eum nequeat abſolvere, tamen ne hoc aliis innoteſcat, debet illi dicere, quod propter circumſtantes elevando manum, aliquam Orationem, ſeu Benedictionem 57
pronunciabit, ſine tamen abſolutione: atque ita Pœnitens non confuſus recedet ob denegatam abſolutionem. Hic eſt modus ab omnibus commendatus, nec non a ſingulis in talibus circumſtantiis tenendus, Coſett. *d. Tract. 1. p. 4. c. 5. add. n. 9.*

§. IX. Tum Pœnitens confeſſionem generalem, latina, vel vulgari lingua dicat, ſcilicet Confiteor, &c. vel ſaltem utatur his verbis: Confiteor Deo omnipotenti, & tibi, Pater. Peccata ſua exinde confiteatur, adjuvante, quotieſcumque opus fuerit, Sacerdote, qui confitentem non reprehendet, niſi finita, ut dicetur, Confeſſione, neque interpellabit, niſi opus fuerit aliquid melius intelligere: Proinde fiduciam ei præbeat, & humaniter ſuggerat, ut omnia peccata ſua, rite, & integre confiteatur, remota ſtulta illa quorumdam verecundia, qua præpediti, ſuadente diabolo, peccata confiteri non audent.

58 Hoc eſt conſuetum initium Confeſſionum Sacramentalium pro perſonis non rudibus, & in rebus Religionis inſtructis; ſed non univerſalis formola hæc eſt. Rudes enim Paſſonæ a recitatione peccatorum ut plurimum incipiunt, & iſte modus tolerandus eſt, cum alius haberi nequeat.

59 Non per hoc Rubrica obligat Pœnitentem ad generalem peccatorum Confeſſionem, ſed intelligit accuſationem generalem contentam in recitatione integri *Confiteor*, in quo generaliter comprehenduntur peccata commiſſa *cogitatione*, *verbo*, *& opere*.

60 Qui ignorat formulam latinam, recitet vulgarem, quæ permittitur perſonis latinam linguam ignorantibus, Caſtald. 2. *ſect.* 14. *d.* 5.

Confiteor in compendium redigitur dicendo: *Confiteor Deo omnipotenti*, *& tibi Pater*, *&c.* Peccata enim confitentur Deo principaliter, & Confeſſarius nihil aliud præſtat quam inſtrumentum, & utitur auctoritate ſibi collata a Deo: *Quodcumque ligaveris, erit ligatum: quodcumque ſolveris, erit ſolutum*, Azor. *L.* 10. *c.* 56. *quæſt.* 1. authorem facit hujus Confeſſionis Damaſum, ut refert Gavant. *p. c. t. 4. l.* 10.

61 Si vero Pœnitens, facta hac generali præfatione: *Cogitatione*, *verbo*, *& opere*, in exponendis, ſeu individuandis peccatis conſtitueretur, & memoriæ labilitas, timor, pudor, & alia facerent, ut quamvis Pœnitens in examine diligens fuerit, nihilominus tempore proferendi, & revelandi peccata, vel obliviſceretur illorum vel trepidaret, tùnc prudens Confeſſarius, & diſcretus, admonetur a noſtra Rubrica, ut patientiam præſtet adjuvando confitentem Pœnitentem quotieſcumque opus fuerit, nempe quando dimidiate loqueretur, & formidando balbutiret. Inſervit etiam hujuſmodi auxilium ad animum addendum Pœnitenti, ut libere loquatur; imo ſi artificioſum, ſive malitioſum eſſet hoc ſilentium, ſeu illa formido, poſſet dari caſus, quod Pœnitens agnoſcens diſcretionem, & manſuetudinem Confeſſarii, illud ſacrilegum artificium deponeret, & pro veritate plagas ſuas ſanandas aperiret.

Et hoc eò magis, quia cum Confeſſarius ſit Judex, 62 Judicis naturam induere, & conſuetudinem habere debet. Dum Judex inſtruit Proceſſum contra Reum, ſeu dum pro examine ſtat, & interrogat, ad reprehenſiones, & improperia declinare non debet, ex communi DD. Sententia; eo quia vel timor, vel verecundia imminuunt animum Rei, adeout a ſe accuſando recedat, & ſileat. 63
Ita Confeſſarius, totam peccatorum ſeriem pacifice audire debet, nec eam interrumpere:

Tunc vero tempus eſt moderatæ interpellationis, quan- 64
do vel vitio linguæ Pœnitentis, vel quacumque alia de cauſa, non bene intelligeret naturam, ſeu circumſtantiam alicujus peccati, quæ mutet ſpeciem illius.

De ſtulta verecundia aliquorum, & de Diabolico ru- 65
bore in confitendo, bene ait Dionyſ. Carthuſian. 3. *Noviſſ. Artificioſe modo exſtruit, quod ſubdole in peccando detraxerat Diabolus.*

§. X. Si pœnitens numerum, & ſpecies, & circumſtantias peccatorum explicatu neceſſarias non expreſſerit, eum Sacerdos prudenter interroget.

66 Hi aſt locus interpellandi pœnitentem, ut diſtincte naturam, & rationem peccati diſtinguat, Campion. *loc. cit. n.* 19. ait, examinatores Urbis maxime inſiſtere, ut Sacerdotes approbandi ad confeſſiones audiendas, curent ſervare hanc ordinationem Ritualem. Quare qui diligenter ſe præparat ad confeſſionem, ſæpius intra ſe videat ſpecies, & circumſtantias; conſtitutuſque in examine ſemper attendat, ut petat illas cum numero. Circumſtantias vero alias revelare, alias non revelare tenetur Pœnitens. Quarum doctrinam ſatis clare expoſitam videbis apud Coninck *diſputat.* 7. *dub.* 3. 4. *de integritate Conf.* Quæ ſingulæ hoc carmine continentur: *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*.

Quoad numerum peccatorum, & qua ratione in Confeſſione ſit explicandus, dico, ex communi ſententia Theologorum, & Eccleſiæ praxi, ſatis conſtare Pœnitentem quantum fieri poteſt, teneri numerum peccatorum mortalium, quæ commiſit, exprimere, non ſolum quando diverſæ ſpeciei ſunt, ſed etiam ſi ſint ejuſdem. Hoc enim ſenſu *cap. omnis utriuſque*, *&c.* dicit omnia peccata confitenda eſſe: & clarius Trid. *ſeſſ.* 14. dicit, omnia ſigillatim eſſe enarranda, quia aliàs Confeſſarius non poſſet ſufficienter ſtatum pœnitentis cognoſcere.

Nonnullæ vero fieri debent limitationes, quæ a Coninck *diſt. dub.* 7. *n.* 8. *& ſeqq.* clara methodo exponuntur, ad quas remitto prudentem Confeſſarium: meum enim non eſt hic Tractatum Theologiæ Moralis elaborare, ſed Rubricas tantummodo explicare.

§. XI. Sed caveat, ne curioſis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat præſertim juniores utriuſque ſexus, vel alios, de eo quod ignorant, imprudenter interrogans, ne ſcandalum patiantur, indeque peccare diſcant.

67 Iſta cautela in interrogando adhibenda eſt præſertim circa ſextum præceptum Decalogi, & materias ad illud pertinentes. Paucis verbis utendum e Confeſſario, & verba quæcumque modeſtiam comitem habere debent, Catech. *de Pœnitent.* Sed præ omnibus, Reginald. *de Prudentia Confeſſarii*, alibi citat.

§. XII. Demum, audita Confeſſione, perpendens peccatorum, quæ ille admiſit, magnitudinem, ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna

terna charitate adhibebit, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac melius inſtituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.

68 Quinque monita proponuntur hic Confeſſario. Primo monebit Pœnitentem juxta gravitatem criminum, ac neceſſitatem pœnitentis, ut cognita hujuſmodi gravitate, perpendat errorem ſuum.

Secundo monebit indutus charitate paterna: quare animadvertat quod importat charitas, & Charitas Patris, qui ad rectam viam deſiderat Filium perducere.

Tertio inducet ad dolorem: non quod indolens debeat accedere Peccator ad pœnitentiam, ſed quod hic inſpecta gravitate peccati, debeat augere dolorem quantum fieri poteſt.

Quarto inducet ad mutandam vitam, qui fructus principalis eſt rectæ Confeſſionis.

Quinto, dabit remedia ne relabatur; ad inſtar optimi Medici, qui præſervativa ſolet præſtare ad evitandas recidivas, quæ quandoque morbo antecedenti pejores ſunt, Campion. *d. l. c. num.* 21.

§. XIII. Poſtremo ſalutarem, & convenientem ſatisfactionem, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, injungat, habita ratione ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis, & item diſpoſitionis pœnitentium. Videatque ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponat, ne ſi forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut ſatisfactio non ſit tantum ad novæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum caſtigationem.

69 Pœnitentia, quæ pœnitenti injungitur, pro ſatisfactione peccatorum datur, & pro remedio: ſed omnia remedia omnibus ſtomachis, ſeu morbis non conveniunt: ſpecifica adhibenda ſunt, ut ægrum ab infirmitate liberent.
70 Ideo Rubrica præcipit, ut hæc omnia habeantur præ oculis in imponenda pœnitentia; v. gr. Ruſtico, & Perſonæ illiteratæ non imponenda eſt recitatio Officii, vel Pſalmorum. Viro nobili non injungendus labor materialis; v. gr. inſerviendi Fabricæ. Fœminæ non imponatur peregrinatio ad longinqua loca, & exteras Nationes. In-
71 ſuper ſi Pœnitens eſt valde diſpoſitus, & vera cum lacrymis doleat de peccato, iſte dolor magnam partem imminuere debet pœnitentiæ: tanta enim eſſe poteſt pœnitentis contritio, ut ſufficiat ad totius pœnæ debitæ remiſſionem, Fulien. *de Pœnit. l.* 3. *c.* 4. *Reſol.* 2.

Secus vero ſi tanta diſpoſitio ad Sacramentum non appareat, gravem pœnitentiam imponere non repugnat, ut ſatisfactione difficili, horrorem concipiat de peccato.

72 Levem pœnitentiam gravibus peccatis non correſpondere dicit Rubrica, quia anſa præſtatur peccato. V. gr. Sacerdos recitationem divini Officii quotidie omittit. Confitetur; & pro pœnitentia imponitur illi onus recitandi Pſalm. *Miſerere, &c.* Certe in hoc caſu Pœnitentia eſt ſuavior peccato ipſo; ideoque poſſet pœnitentem invitare ſæpius ad tranſgreſſionem, ſi tam parvo pretio compenſatur. Sed notandum eſt, non eſſe culpa immunem talem Confeſſarium, eo quia nimis connivet, & peccatum quodammodo permittit: Nec valet dicere quod a- 73
ctualis ſatisfactio non pertinet ad eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ, quia nihilominus eſt de illius integritate. Confeſſarius autem tenetur integrum conficere Sacramentum: quare tenetur Reum non modo abſolvere, ſed etiam ipſi condignam, & proportionatam pœnitentiam imponere, in qua parte deficeret Confeſſarius, ſi nimis levem imponeret, Fulien. *de Pœnit. lib.* 3. *c.* 4. *Reſol.* 2. Unde nimis indulgentes in impoſitione pœnitentiarum Confeſſarios noſtri temporis vocat Denoſt. *de Pœnitent. ſeu Inſtr. Paſtor. f. mihi* 103.

Pœnitentiam præterea, non eſſe tantum ad novæ vitæ 74
cuſtodiam, & medicamentum infirmitatis, ſed ad vindictam præteritorum, ſtatuit Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. damnando Novatorum Doctrinam, qui optimam pœnitentiam, novam vitam eſſe docebant, ut omnem ſatisfactionis vim, & uſum tollerent. Quod item ſolemni anathemate damnavit, *ſeſſ. eadem can.* 14. Hinc ſequitur, quod Pœnitens debet acceptare Pœnitentiam ſibi injunctam, & non expectare Purgatorium, *c. omnis utriuſque, de Pœnit. & remiſſ.*

§. XIV. Quare curet, quantum fieri poteſt, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat, veluti avaris eleemoſynas, libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis ſtudia. Rarius autem, vel ſerius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utiliſſimum erit conſulere, ut ſæpe, puta ſemel in menſes, vel certis diebus ſolemnibus confiteantur, & ſi expediat, communicent.

75 Axioma notiſſimum illud eſt: *Contraria contrariis curentur*, quo in hoc caſu utendum eſſe docet Rubrica no-
76 ſtra. Quoad frequentandum vero Pœnitentiæ Sacramentum, non debet abſolute præcipi, ſed conſuli; una cum communione non omnibus, & ſingulis confitentibus, ſed duplici perſonarum generi: ſerius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus ex infirmitate, non ex malitia, vel habitu, vel quia perſeverant in occaſione proxima, vel ſe exponunt periculo labendi, Campion. *d.*
77 *n.* 23. Cæterum ex vi præcepti Eccleſiaſtici tenentur fideles omnes, ratione utentes, confiteri peccata ſua ſemel in anno. Eſt communis Theologorum Sententia, & aperte ſumitur ex *cap. Omnis utriuſque, de Pœnitent. & remiſſ.* ubi præceptum Confeſſionis annuæ imponitur omnibus fidelibus utriuſque ſexus, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint: quo ſtatuto comprehenduntur omnes & ſinguli baptizati, dummodo inter bonum, & malum diſtinguere valeant, quod non tam ex annorum nu- 78
mero, quam ex judicii maturitate penſandum eſt, Fulien. *dict. Reſolut.* 11.

§. XV. Pœnitentias pecuniarias ſibi ipſis Confeſſarii non applicent, neque a Pœnitentibus quidquam, tanquam miniſterii ſui præmium petant, vel accipiant.

Eleemoſynas iſtas neque petere poteſt Confeſſarius pro
79 Miſſis ab ipſomet celebrandis, neque alicui Sacerdoti ap-
80 plicandis. Gravius item peccaret ſi eleemoſynas imponeret Pauperibus vix habentibus unde vivant. Ex quo fie-
81 ret, ut neque poſt annum iſti poſſent adimplere iſtam Pœnitentiam. Quamobrem ſi eleemoſynam pecuniariam, aut aliquid aliud ſibi dari petant Confeſſarii, & per artes extorqueant, poterint juſte ab Epiſcopo loci puniri, & ſuſpendi ab exercitio Confeſſarii, Monacell. *Prax. T.* 82
3. *tit.* 2. *form.* 11. *num.* 4. & ſic optimum eſt conſilium præceptivum, Corſett. *de Præcent. Sacr. tract.* 2. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 5. non apponendi in ſedibus confeſſionalibus capſulas pro eleemoſynis.

§. XVI. Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifeſtam pœnitentiam non imponant.

83 Ratio hujus præcepti eſt, quia una cum peccato manifeſtaretur & peccator. Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 5. *can.* 6. damnat Hæreticos, qui docent, Confeſſionem ſecretam a Divino mandato alienam, & humanum inventum eſſe.
84 Senſus Concilii eſt, Confeſſionem ſecretam non eſſe contrariam præcepto Divino, quia ſcilicet nullum reperitur præceptum Divinum de Confeſſione publice facienda: imo potius eſſe illi valde conformem: non quod Chriſtus poſitive ſtatuerit Confeſſionem fieri ſecreto, ſed quod conformius eſt iis, quæ Chriſtus inſtituit de hoc Sacramento, ut Confeſſio fiat ſecreto, quam ſi fiat publice, Fulien. *dict. l.* 3. *c.* 3. *Reſolut.* 2. Ex qua doctrina eruitur, nec Uxori, nec filio familias imponi debere Pœ- 85
nitentias publicas, & manifeſtas, vel ſimiles, ex quibus oriri poſſit ſuſpicio erroris gravis, Campion. *n.* 25.

Addo hic, incertarum rerum reſtitutionem, Epiſcopo 86
eſſe reſervatam, Gavant. *Man. epiſc. verbo Confeſſarius, num.* 40. & alii DD. apud Corſett. *d. num.* 20.

§. XVII.

§. XVII. Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio, ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces; quales ſunt qui nulla dant ſigna doloris; qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant: neque etiam eos abſolvat, quorum peccata ſunt Superioribus reſervata.

Hæc Rubrica ſatis de ſe patet, nec indiget explicatione. Subdam tantummodo, debere Confeſſarium circa hanc Rubricam animadvertere ad propoſitionem damnatam a S. Recordationis PP. Innocent. XI. quæ eſt ſexageſima in ordine. Propoſitio eſt: *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi*
87 *emendationis nulla appareat ſpes, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio: dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem*. Hæc propoſitio tanquam laxa, & Sacramento Pœnitentiæ injurioſa damnata fuit a prædicto Summo Pontifice die 2. Martii 1679. & eadem occaſione confirmata fuit lex Ritualis hujus, & opinio Doctorum, qui prohibent dari abſolutionem iis, qui nulla dant ſigna doloris. Quod ut verificetur, & a Confeſſario bene dignoſcatur, neceſſarium eſt ut diligenter, non vero ſuperficialiter videat, & decernat Pœnitentes, qui materialiter ſolummodo accedunt ad Confeſſionem, & quodam- 88
modo furtive rapere abſolutionem tentant.

§. XVIII. Si vero quis confiteatur in periculo mortis conſtitutus, abſolvendus eſt ab omnibus peccatis, & cenſuris, quantumvis reſervatis; (ceſſat enim tunc omnis reſervatio;) ſed prius, ſi poteſt, cui debet, ſatisfaciat: ac ſi periculum evaſerit, & aliqua ratione Superiori, a quo alias eſſet abſolvendus, ſe ſiſtere teneatur, cum primum poterit, coram eo ſe ſiſtat, quidquid debet præſtiturus.

Ceſſante, mortis tempore, quacumque reſervatione, in
89 conſequentiam venit, quod Confeſſarius poſſit quemcumque in periculo mortis conſtitutum a qualibet cenſura ligatum abſolvere.

Quomodo vero ſe gerere debeat Confeſſarius, qui in-
90 venit Hæreticum in articulo mortis conſtitutum, volentem redire in ſinum S. M. Eccleſiæ, docet Campion. *Inſtr. Ord. c.* 20. cum Monacell. *d. p.* 3. *Præclud.* 6. 6. *n.* 68. *ex c. eos qui de ſent. excom.* in 6. hæc præciſa verba. Debet inducere hunc Hæreticum, ut abjuret ſuas hæreſes, eliciatque oppoſitos actus Fidei: Præterea priuſquam abſolvatur, debet moribundus quicumque ille ſit, ſive alius, qui incidit in excommunicationem, dare ju-
91 ramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, ſeu de ſe præſentando Superiori legitimo, ad effectum ut eidem obediat pro quanto excommunicationem tulit. Inſuper, ſi opus ſit, & fieri poſſit, debet dare cautionem de ſatisfaciendo parti læſæ: debet etiam Confeſſarius tali moribundo indicare, quod illum abſolvit, & quod remanebit vere abſolutus tam in foro Conſcientiæ, quam in foro fori: nihilominus, ſi convaluerit, tenebitur ſe præſentare Superiori legitimo ad effectum ſtandi mandatis illius; & ſatisfaciendi pro omnibus & ſingulis excommunicationibus, adeo ut ſi negliget ſe præſentare, reincidat in omnes, & ſingulas excommunicationes, quibus erat innodatus, & abſolvitur in tali articulo, non ita quod redeant prædictæ excommunicationes, ſed quia iterum Ec- 92
cleſia excommunicat eum, qui negligit ſe præſentare.

Inſuper in tali articulo debet Sacerdos inſinuare moribundo, ut eliciat actus Fidei, Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ.

Solet accidere ulterius, & ſæpe, ut vocetur repente Sacerdos ad adminiſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ cuidam ab inimico ſuo lethaliter vulnerato. In hoc caſu 93
totam Confeſſarii ſtudium erit circa veniam dandam vulneratori: quod ſi vulneratus moribundus renuat, non eſt omnino abſolvendus: verum ſi æger dicat, ſe ad parcen- 94
dum eſſe promptum, ſed velle offenſorem interpellare ante Judicem, ut Juſtitiæ detur locus, hoc non debet impedire quin abſolvatur. Cæteras hujus caſus circumſtantias habebis apud Campion. *d. n.* 13.

§. XIX. Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægro deficiant, nutibus, & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere; quibus utcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis; vel etiam ſi confitendi deſiderium, ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.

Poſſevinus in libro *de Officio Curati*, *c.* 7. *de Pœnitent.* *n.* 91. proponit caſum. Infirmus vocavit Curatum, & enarratis multis peccatis, dixit, ſe non poſſe ultra loqui: An Curatus debeat eum abſolvere? Medina affir-
95 mat: ſed videtur dicendum, tunc Confeſſionem per nutus perficiendam. Si hoc fieri nequeat, & ſit probabile,
96 ægrum ſupravicturum, non abſolverem, quia de ſubſtantia Confeſſionis eſt, ut ſit integra. Sed bona pace tanti Authoris, Rubrica diverſimode præcipit debere impertiri abſolutionem, dummodo ſaltem deſiderium confitendi notum ſit Confeſſario: Si enim Infirmus vocavit Curatum, non ob aliud fecit, niſi ob deſiderium confitendi, & ſe purgandi a peccatis.

Tutiorem regulam tenendam proponit in hoc caſu Campion. *d. inſtructione Ordinandorum*, *c.* 40. *n.* 14. hoc pacto: A Pœnitente deſtituto, & morti proximo, ſi habe- 97
ri poteſt ſignum aliquod Pœnitentiæ, & præcipue, quod manum Confeſſario ſtringat (quamvis hoc ſignum æquivocum eſſe poſſit) tunc impertienda illi eſt libera abſolutio, non vero conditionata, ut illi qui nullum ſignum dat, ſed Chriſtiane vixit, vel antea petiit Confeſſionem, cui adhibenda eſt abſolutio cum cautela: *In quantum poſſum, & tu indiges*. Poſſevin. *dict. c.* 7. *n.* 89. *relat. a* Barboſa *de Off. & poteſt. Paroch. n.* 47.

§. XX. Meminerit porro Sacerdos, ægris non eſſe injungendam gravem, aut laborioſam pœnitentiam; ſed indicendam tantum illam, quam, ſi convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta qualitatem morbi, aliqua oratione, aut levi ſatisfactione impoſita, & acceptata, abſolvantur, prout opus fuerit.

98 Pœnitentia facilior injungenda ægris gravi morbo, & in extremo laborantibus eſt, ut offerant libenti animo Deo infirmitatem, & illius dolores in ſatisfactionem peccatorum ſuorum. Cæterum ſi convaluerint, per modum conſilii, imponenda eſt pœnitentia laborioſior, & diuturna, peragenda in perfecta ſanitate.

Ut plurimum ægris imponi ſolent pro pœnitentia,
99 Orationes vocales, & jaculatoriæ, eleemoſynæ (ſi facultates id permittant) faciendæ de mandato ſuo, vel etiam, ſi valeat, manu ſua. Ideo dicit Textus: *juxta qualitatem morbi*; quia ſi morbus eſt gravis, levis eſſe debet Pœnitentia, ne magis ac magis morbus augeatur. Si morbus vero eſt levis, gravis eſſe poteſt pœnitentia, ſed ſemper habito reſpectu ad gravitatem, & periculum morbi, in quo caſu ſtandum eſt judicio prudentis Medici: ex quo fit, ut facilius infirmus inducatur ad acceptationem talis pœnitentiæ, & ſic aliquo modo pœnam in futuro ſæculo habendam imminuat, Fulgen. *d. c.* 4. *Reſ.* 3.

ABSOLUTIONIS FORMA.

TITULUS DECIMUS NONUS.

SUMMARIUM.

1 *Confeſſarius poſt narrata peccata devenire debet ad abſolutionem.*
2 *Eſt in poteſtate Confeſſarii abſolvere, vel non.*
3 *Ante Abſolutionem eſt imponenda Pœnitentia.*
4 *Pœnitentia eſt inductiva ad obtinendam Abſolutionem.*
5 Miſereatur, &c. *dicitur, quia a Deo provenit miſericordia.*
6 *Manus elevatio, Confeſſarii juriſdictionem demonſtrat.*
7 *Pœnitens non dimittendus ſine manus elevatione.*
8 *Abſolutio clare exprimi debet.*
9 *Abſolutionis verba eſſentialia.*
10 *Suſpenſio tantum incurritur a Clericis.*
11 *Abſolutio brevis in magno Pœnitentium concurſu.*
12 *Abſolutio in periculo mortis.*
13 *Abſolutio danda in agone.*
14 *Confeſſarius dum dicit,* Miſereatur, *debet ſtare aperto capite.*
15 *Dum abſolvit, cooperire debet.*

QUÆ ſequuntur, pertinent ad Abſolutionem Sacramentalem, ad quam pervenire debet Confeſſarius 1
poſt plane enarrata peccata a Pœnitente, poſt monita, & conſilia, & poſt alios dialogiſmos, qui neceſſarii viſi ſint Confeſſario ad implorandam a Deo veniam.

§. I. Cum igitur Pœnitentem abſolvere voluerit, injuncta ei prius, & ab eo acceptata Pœnitentia ſalutari, primo dicit: *Miſereatur tui, &c.*

2 Ex illo verbo, *voluerit* deducitur, eſſe in poteſtate Confeſſarii abſolvere, & non abſolvere Pœnitentem, quod tamen debet ſemper fieri rationabili de cauſa.

3 Ante vero Abſolutionem, debet Confeſſarius imponere ſatisfactionem, & Pœnitentiam: cum enim Pœnitentia
4 ſit inductiva ad obtinendam miſericordiam, priuſquam hujus miſericordiæ effectus videatur, debet promoveri per pœnitentiam. Sed illa Pœnitentia ad nihilum valeret niſi eſſet acceptata: tum quia in Concilio Florentino inter pœnitentis actus ponitur ſatisfactio operis ad arbitrium Sacerdotis: tum quia ibidem ſtatuitur, ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ requiri ex inſtitutione Divina, contritionem, confeſſionem, atque ſatisfactionem. Tum quia Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. docet, claves Sacerdotum non tantum ad ſolvandum, ſed etiam ad ligandum, ſcilicet per impoſitionem Pœnitentiæ, conceſſas eſſe: non eſſent autem conceſſæ ad ligandum, niſi pœnitens iis ligari poſſet, atque ideo niſi teneretur Pœnitentiam ſibi impoſitam implere, Fulieo. *d. l.* 3. *c.* 4. *ref.* 4.

Acceptata a pœnitente Pœnitentia, Sacerdos primo dicit, *Miſereatur, &c.* ut demonſtret, miſericordiam a Deo, non ab homine illi obveniendam, Gavant. *part. ſecunda, tract.* 4. *de Confeſſ.* 5

§. II Deinde dextera verſus Pœnitentem elevata dicit: Indulgentiam, abſolutionem, &c.

6 Iſta elevatio manus eſt primus actus, quo Sacerdos demonſtrat juriſdictionem ſuam: item ſignum eſt extrinſecum victoriæ contra peccatum: deſumpta enim eſt a veteri Teſtamento, nam Moyſes levando manus vicit Amalecitas, *Exod.* 17. Gavant. *part.* 2. *tract.* 5. *litt.* 3.

7 Advertant Confeſſarii, ut alibi diximus, non debere aliquem pœnitentem dimittere ſine manus elevatione, etiam ſi non abſolvant; ſcandaloſum enim eſſet, & aliquantiſper revelaretur Confeſſio, ſi tam patenter dimitteretur Pœnitens abſque abſolutione. Elevatio itaque manus cum aliqua vocali Oratione non adeo clare demonſtrat Pœnitentem diſcedere inabſolutum.

Inſuper curare debet Confeſſarius, ut abſolvendo, vocem exprimat claram, & integre: nam ſi voces eſſentiales 8
abſolutionis eliderentur in gutture, ita quod immutaretur omnino ſignificatio, Sacramentum remaneret invalidum. Si eliderentur cæteræ preces, utique perficeretur Sacramentum, ſed Confeſſarius reus eſſet irreverentiæ in re Sacra, & ſcandali apud Pœnitentes. Debent igitur ſingula verba proferri lente, graviter, diſtincta, tanquam ab habente authoritatem, ſed paternam, ita ut appareat in Confeſſario & zelus animarum, & reverentia erga res divinas, Campion. *n.* 30.

§. III. Deinde: Ego te abſolvo a peccatis tuis in nomine, &c.

9 Hæc ſunt verba eſſentialia, & ſubſtantialia abſolutionis: cætera ſunt, vel præliminaria, vel ſubſequentia: & his prætermiſſis adhuc pœnitens remaneret abſolutus: ſed ſi prætermitterentur illa, *Ego te abſolvo &c.* Sacramentum remaneret imperfectum, & pœnitens non abſolutus quia hæc vere eſt forma Sacramenti, ſine qua Pœnitentia Sacramentalis non ſubſiſtit. Si vero prætermitteretur finis, nempe *In nomine Patris, &c.* adhuc abſolutio eſſet valida, quia verba illa non ſunt de eſſentia formæ, prout ſunt in Sacramento Baptiſmi, ut jam diximus Engel. *p.* 3. *c.* n. Quærunt nonnulli, inter quos Nicolius *floſc.* Verb. *Abſolutio*, & Sarnell. *epiſt. eccl. T.* 4. *ep.* 42. an adverbium illud *Deinde* ſit neceſſario pronunciandum in forma Abſolutionis, adeo ut, eo verbo prætermiſſo, abſolutio ſit invalida. Nicolius reſpondet æquum eſſe pronunciari tale verbum; Sarnellus vero poſſe ſtare abſolutionem licite & valide opinatur abſque tali verbo. In tali dubio quid reſolvendum? Quidquid ſibi libuerit aget Confeſſarius: adverbium enim illud non eſt de ſubſtantia formæ Abſolutionis; tutiorem opinionem crederem illam Nicolii.

Nonnulli Confeſſarii, reverentiæ, & urbanitatis gratia, dum peccata audiunt alicujus Magnatis, vel Principis, vel Nobilis Viri, & in dignitate conſtituti, ſolent in ſacramentali abſolutione ſuperaddere conſuetæ, & ſimpliciter neceſſariæ formæ *Ego te abſolvo &c.* titulos honorificos gradus, & dignitatis Pœnitentis, immutando pronomen *Te* in hæc, vel ſimilia verba. *Abſolvo dominationem veſtram: Majeſtatem: Eminentiam, vel Excellentiam veſtram &c.* Circa quam uſum quærunt D D. an Abſolutio tali modo impertita ſit valida? Et omnes cum Anacleto *de Sacram. Pœnit. tract.* 14. *diſt.* 6. *q.* 3. *n.* 30. affirmant validam eſſe, eo quia non mutatur ſubſtantialiter forma, cum ſint verba æquivalentia. Quod utique concedo; ſed an licita ſit hæc Abſolutio talibus verbis impertita, affirmare non audeo. Certe quicumque ſit, qui peccata ſua confitetur, perſonam Rei, & Peccatoris induit; & Confeſſarius Perſonam Judicis, & Jeſuchriſti Salvatoris gerit, cui cedunt omnes Poteſtates, & omnium jura Regnorum, quique Deus deorum eſt, & Dominus Dominantium. Cumque ſedeat Confeſſarius pro Tribunali, & Pœnitens genibus flectat tanquam Reus dolens, & mœrens, non bene cum iſta formalitate concordant verba dignitatis, & excellentiæ, ubi cuncta penes Pœnitentem redolare debent humilitatem, non vero mundanam gloriam, quæ apud Deum nihil eſt, ut jam diximus *Tit.* 18. *n.* 22. *fol.* 89. Ultraquam quod de communi praxi, & ſtylo Tribunalium in cauſis criminalibus & in Reorum examine eſt, Reum quamvis altæ conditionis, & dignitatis, nunquam titulis celebrare, ſed nudo nomine, & ad plus cum denominatione gradus ſui, e. g. Doctoris, Comitis, Marchionis, principis, & ſimilium, interrogare, & monere, & tamen cauſa eſt inter Homines, & Homines; ergo a fortiori abſtinendum eſt a ſimilibus in ſacro Tribunali pœnitentiæ, ubi cauſa eſt inter Deum, & Hominem. Aſcalon. *Proceſ. Inform. tit.* 1. *n.* 2. *§. nobiles &c.*

§. IV. Si Pœnitens ſit laicus, omittitur verbum, ſuſpenſionis, &c.

10 Suſpenſio tantummodo incurritur a Clericis: Apud Coninck. *diſ.* 15. *dub.* 1. *n.* 1. ubi ſic habetur ejus definitio: Eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua Clericus privatur uſu poteſtatis, quæ illi, ratione Officii Clericalis, ſeu Ordinis, aut Beneficii convenit. Nonnulli addunt: ita tamen, ut non privetur tota poteſtate in perpetuum, quia tunc eſſet potius depoſitio, aut degradatio, quam ſuſpenſio, ſed hoc abſolute loquendo eſt neceſſarium, ut obſervat inde Coninck *diſp.* 16. *n.* 3.

Virtute ſuſpenſionis abſolute ſuſpenſus ab officio, prohibetur exercere omnes illas actiones, quæ Clericis omnino propriæ ſunt: quales ſunt omnes actiones juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & omne exercitium Ordinis, aut Officii Clericalis.

Cum ergo Laici non poſſint incurrere in hanc cenſuram, prætermitti debet illud verbum in eorum Sacramentali abſolutione.

§. V. In confeſſionibus autem frequentioribus, & brevioribus ommitti poteſt, *Miſereatur*, &c. Et ſatis erit dicere; *Dominus noſter* &c. ut ſupra, uſque ad illud: *Paſſio Domini noſtri*, &c.

11 Certe occaſione magni concurſus, puta inſignis ſolemnitatis, & Indulgentiæ univerſalis, & plenariæ, ſeu Jubilei, cum ante ſedes Confeſſionales ſtipentur pœnitentes in magno numero, quærendus eſt ſolicitior modus expediendi ſe, ut populo ſatisfieri poſſit. Ideo in hoc caſu Rubrica noſtra præſcribit modum tenendum, & ſecernit formam neceſſariam, ſeu verba reſtrictiora in forma abſolutionis. Omitti igitur poteſt introductio ad abſolutionem, nempe. *Miſereatur, &c. Indulgentiam &c.* imo in praxi obſervatum vidi ſæpius occaſione magnæ frequentiæ, Confeſſarios totam formam abſolutionis perſtringere ad illa verba: *Ego te abſolvo, &c.* quæ verba vere ſunt de neceſſitate, & eſſentia Sacramenti, nec unquam omitti poſſunt, & ſi omitterentur, Sacramentum imperfectum eſſet, atque invalidum, quia in Judicio deeſſet definitiva ſententia, Coninck *dicto loco citato*.

§. VI. Urgente vero aliqua gravi neceſſitate in periculo mortis, breviter dicere poterit; *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris, & peccatis in nomine Patris*, &c.

12 Ecce quomodo tota formula reſtringitur ad eſſentialia verba, ad hoc ut Sacramentum valeat. Hac reſtricta formula uti debent Confeſſarii præcipue cum morientibus tunc, quando ultime reſpiratione laborant, & in agone poſiti ſunt, quia difficile eſt ultimum halitum diſtinguere: adeoque cum viderit Agonizantem adhuc leniter re-
13 ſpirare, tunc ipſi, ut ita dicam, vibrent hanc brevem formulam, ut aliquo modo ſuccurrant animæ illius. Idem dicendum eſt de Sacerdotibus, qui pro iis, qui ad ſupplicium damnati ſunt, tamquam conſolatores adhibentur; hinc cum vident imminentem ictum mortis per manus carnificis, præſto ſint ad pronunciandam iſtam brevem formulam, priuſquam moribundus deſtituatur.

Poſtremo notandum venit cum Corſet. *dict. num.* 15. Confeſſarium debere ſtare aperto capite, tunc cum dicit: *Miſereatur, & Indulgentiam*: quia tunc orat pro pœni- 14
tente, & Divinam miſericordiam implorat ſuper eum. Quando vero abſolvit, cooperit ſe: tunc enim vices Judicis gerit, & ſedet pro tribunali, in quo Judex ſemper caput te- 15
git, Brancac. *de Jure doct. c.* 42. Acta Eccl. Mediol. apud Corſet. *d. l.*

DE ABSOLUTIONE
AB EXCOMMUNICATIONE

In Foro exteriori.

TITULUS VIGESIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Confeſſarius ſimplex non poteſt abſolvere ab excommunicatione.*
2 *Epiſcopi abſolvere poſſunt ab excommunicatione a jure lata.*
3 *Excommunicatio reſervata Summo Pontifici abſolvi debet ab eo, qui eam tulit.*
4 *Facultas abſolvendi ab excommunicatione debet haberi in ſcriptis.*
5 *Modus præſcriptus in facultate eſt obſervandus.*
6 In forma Eccleſiæ conſueta *quid ſignificet?*
7 *Duplex cautio exigenda ante abſolutionem.*
8 *Parti læſæ ſatisfieri debet.*
9 *Abſtinentia a ſimilibus promittenda eſt.*
10 *Formula de ſtando mandatis Eccleſiæ.*
11 Parito judicato *quid importet?*
12 *Non ſufficit cautio de parendo judicato.*
13 *Cautio pignoratitia poteſt dari.*
14 *Quæ negligentia in adimplemento non reincidit in excommunicationem.*
15 *Veſtes Sacerdotis abſolventis quales eſſe debeant?*
16 *Pluviale quandoque adhibetur pro abſolutione impertienda.*
17 *Pœnitens utroque genu flecti debet.*
18 *Humerus denudari debet in maſculo.*
19 *Fœmina non denudatur ob decentiam.*
20 *Quinam humerus denudari debeat?*
21 *Denudatio vere quid ſignificet?*
22 *Saccus pro camiſia quandoque adhibebatur.*
23 *Virga pro abſolvendo ab excommunicatione qualis eſſe debeat?*
24 *Deus amat cordis compunctionem.*
25 *Pſalmus* Miſerere *recitandus.*
26 *Percuſsio cum virga quomodo interpretanda.*
27 *Sedere eſt proprium Judicis.*
28 *Supplicationes debent fieri magna cum reverentia.*
29 *Delegatio in abſolutione exprimenda.*
30 *Cauſa excommunicationis enarranda.*
31 *Cauſa deſumi debet a Proceſſu.*
32 *Cancellarius debet eſſe præſens.*
33 *Forma communis Abſolutionis.*
34 *Abſolutio ſine forma præſcripta fit privatim.*
35 *Regula pro impetranda facultate a Sacra Pœnitentiaria.*

CUM ſimplex Confeſſarius abſolvere nequeat ab ex- 1
communicatione generaliter ab homine lata, neceſſe eſt, ut ab iis, qui de jure hanc facultatem habent,
illi proveniat. Ab excommunicatione lata a jure, omni- 2
ni reſervata, abſolvere poſſunt Epiſcopi aliique Prælati habentes juriſdictionem Epiſcopalem, imo etiam Parochi, & Sacerdotes ſimplices habentes facultatem abſolvendi a peccatis; idque eruitur *ex Cap. Nuper, de Senten. Excommunic.* ubi abſque ulla limitatione dicitur: *In ſecundo vero caſu* (ſcilicet excommunicationes a jure non reſervatæ) *a ſuo Epiſcopo, vel Sacerdote poterit abſolutionis beneficium obtinere*: ibique ratio adducitur ſuis verbis: *Quia tamen conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi*. Ab excommunicatione vero reſervata Summo Pontifici, vel Epiſcopo, abſolvere ſolus poteſt qui eam
tulit, vel ſucceſſor, vel delegatus, & in hoc omnes DD. 3
conveniunt.

§. I Si poteſtas abſolvendi ab excommunicationis ſententia Sacerdoti commiſſa fuerit a Superiore, & in mandato certa forma ſit præſcripta, illa omnino ſervanda eſt: Si vero in mandato, ſeu commiſſione dicitur, *In forma Eccleſiæ conſueta abſolvat*, hæc ſervanda ſunt.

4 Obtenta iſta facultate, quæ debet in ſcriptis haberi, ſerio animadvertere debet Sacerdos, an Superior præſcri-
5 bat modum peculiarem abſolvendi: & hic modus erit omnino ſervandus: at ſi dicatur; *in forma Eccleſiæ conſueta*, tunc duplex cautio eſt exigenda, prout in §. ſequenti explicabimus: forma enim conſueta Eccleſiæ in foro exteriori eſt ut in Rituali præſcribitur.

§. II. Primo ut excommunicatus ei, ob cujus offenſam in excommunicationem incurrit, prius, ſi poteſt, ſatisfaciat: quod ſi tunc non poſſit, ſufficientem cautionem præbeat: aut ſaltem, ſi eam præſtare non poteſt, juret ſe, cum primum poterit, ſatisfacturum.

Duplex cautio exigenda eſt ante abſolutionem ab ex-
6 communicatione majori, & præſtanda eſt a Reo, ut plene adimpleatur, & obſervetur forma Eccleſiæ conſue- 7
ta. Certum enim eſt, quod aliquis eſſe debet offenſus a com-

commiſſo delicto, propter quod talis Reus in excommunicationem incurrit: ſed cum regula generalis ſit, non remitti peccatum niſi reſtituatur ablatum, dari debet prius hæc ſatisfactio, & pars læſa redintegrari: nullus enim neque in foro interno, neque in foro externo abſolvendus eſt, niſi prius ſit aliquo modo parti læſæ ſatisfactum, vel cum eo tranſactum, Monacell. d. n. 76. Quod ſi Reus 8
ſtatim hoc præſtare nequeat, tunc cautionem ſufficientem dare debet, ſcilicet pignoratitiam, vel fidejuſſoriam, quæ ſi neque haberi poſſit, ſufficit juratoria, quia nemo ad impoſſibile obligari poteſt, Pirhing. in jus can. l. 5. tit. 39. n. 163.

§. III. Secundo: ſi crimen, ob quod in excommunicationem incidit, ſit grave, juramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Eccleſiæ, quæ illi fient pro tali cauſa; ac præcipue, ne deinceps delinquat contra illum canonem, vel decretum, contra quod faciendo, cenſuram incurrit.

Altera cautio, quæ in facultatibus, & diſpenſationibus
9 apponi ſolet, eſt et a ſimilibus ſe abſtineat. Idem abſolvendus præſtabit juramentum de parendo mandatis Eccleſiæ, & de non committendis imposterum hujuſmodi delictis c. ex tenore, cap. ad hæc, de ſent. excomm. Quod tamen non exigitur pro levibus delictis, ſed tantum quando abſolutio eſt ſolemnis pro gravi crimine, Lazar. quæſt. can. d. ſect. 4. q. 12. n. 18. quæ obligatio etiam exprimitur cum formula de ſtando mandatis Eccleſiæ ob delictum.
10

Solent quoque apponi in diſpenſationibus, & facultatibus hujuſmodi aliæ formulæ, & præcipue quandoque illa: parito judicato; quæ intelligenda eſt, ſi Ordinarius
11 ipſum pœnitentem declaraſſet excommunicatum, aut illum quoquomodo ad aliam pœnam condemnaſſet: quando quidem debet illi ſententiæ latæ, ſeu ferendæ omnino parere. Idem quoque dicendum eſt ſi fuerit ad forum Judicis ſæcularis renunciatus, ut plectatur pœnis delicto debitis: utroque enim in caſu tenetur pœnitens parere, ut innuit illa dictio quoquomodo, in diſpenſatione injuncta, quæ cum ſit univerſalis, comprehendit omnes modos, Menoch. con. 344. n. 19. Maſcard. de prob. conc. 1131. n. 56. allegat. a Corrad. Prax. diſpenſ. l. 8. c. 2. n. 23. Nec prius poteſt Pœnitens ad ſua munera obeunda redire, quam judicato paruerit: clauſula enim hæc: parito judicato: tribuit juriſdictionem conditionalem, ea propterea illam ſuſpendit, donec fuerit paritum; Et proceſſus dictæ diſpenſationis antea factus, erit nullus, & ſine juriſdictione, Rot. apud Farinac. dec. 68. n. 1. Et ita neque executor, nec Ordinarius poteſt procedere, nec Pœnitens poteſt audiri, niſi prius verificato, quod paruerit judicato. Put. dec. 16. in lit. pend. & dec. 429. l. 1. Non partim, ſed integraliter, Ludovil. dec. 566. n. 2. & ibi addit. n. 3. Quia enim dicta verba poſita ſunt in ablativo abſoluto, conditionem important. l. a teſt. ff. de condit. & demonſt. Jaſ. in l. 2. n. 12. C. de jure emphyt. Caputaq. deciſ. 111. n. 3. p. 1. Corrad. d. n. 24. Propterea non ſufficit, quod pœnitens velit præſtare cautionem de parendo judicato, ut poſſit interim delegatus exequi literas diſpenſationis, cum id poſitum ſit ſub conditione: quare debent adimpleri in forma ſpecifica, non autem per æquipollens, juxta text. in l. qui hæred. §. Mævius, ff. de condit. & demonſt. Sord. conſ. 186. nu. 59. Corrad. d. n. 25.

Si autem ita abſolutus, nempe per cautionem etiam 12
pignoratitiam, poſtea ſatisfacere negligat, non reincidit in priorem excommunicationem, ſed poteſt iterum a Ju- 13
dice excommunicari, c. ad reprimendam, de Off. Ord. Abſolvens autem ante præſtitum juramentum de paren- 14
do mandatis Eccleſiæ, vel ante præſtitam ſatisfactionem parti læſæ, illicite quidem abſolvit, ſed valide, quia hæc non pertinent ad ſubſtantiam abſolutionis, c. venerabilibus 7. §. ſane, in fin. de ſent. excomm. in 6. Bellet. d. de ſtatu. Cler. can. §. 5. n. 47.

§. IV. Denique hunc abſolvendi ritum obſervabit. Pœnitentem coram ſe utroque genu flexo, in humero (ſi vir fuerit) uſque ad camiſiam excluſive denudato, virga, aut funiculis, ſedens leviter percutit, dicendo totum Pſ. *Miſerere* cum *Gloria*, &c.

Ut in praxi ponatur actus iſte abſolutionis, docet textus modum tenendi diſtincte; Et primo ſciendum eſt,
15 quod Sacerdos abſolvens debet eſſe ſuperpelliceo, & ſtola violacea indutus, Corſett. d. de Pœnit. c. 5. n. 29. Aliquando vero vidi in ſolemni excommunicatorum abſolu-
16 tione Vicarium generalem, ſeu Canonicum Pœnitentiarium coopertum pluviali violaceo, ſed quo præſcribente ritu, neſcio.
17 Pœnitens igitur utroque genu flecti debet ante Sacerdotem abſolventem, quia ille eſt actus veræ humilitatis,
18 & peccatoris, Corſett. Ind. Rat. Ulterius denudatio humeri facienda eſt. Fœminæ ob modeſtiam, & decentiam
19 non denudantur, eadem de cauſa propter quam nec illis unguntur lumbi in extrema Unctione, ut dicemus ſuo
20 loco. Dexteri humeri denudatio debet fieri, quia hoc eſt latus magis nobile, Caſtan. Cat. gl. Mund. Hic quærendum eſt autem, cur Rituale præſcribat bene denudationem humeri, & poſtea ſubjunget: uſque ad Camiſiam excluſive? Si remanet humerus camiſia coopertus, non denudatur: ſi denudatur, camiſia exuitur. Memini me vidiſſe publicam abſolutionem diverſorum excommunicatorum, quibus denudatus fuit ſingulis dexter humerus uſque ad camiſiam incluſive, quo vero ritu, prorſus ignoro: certe Rubrica clare loquitur, nec pati videtur
21 carnem nudam conſpici. Tota difficultas conſiſtit in ſignificatione verbi illius denudato, quæ ſignificatio tam ſtricte accipi non debet: Non enim ſemper interpretande eſt pro expoliatio uſque ad carnem, ſed quandoque etiam valet pro ſimpliciter expoliato primis veſtibus. Ita explicat Fabrinus illum locum Epiſtolarum Ciceronis l. 12. fam. 15. Cives crudeliſſime denudari, qui locus valet, ac ſi italice diceret: Ridotto in camiſcia. Æquivalere autem debet iſte ritus illi Pœnitentium antiquorum in primitiva Eccleſia relat. a Caſal. c. 61. quando, referente Sidonio Agathenſe can. 63. diſt. 50. Pœnitentes incede- 22
bant Sacco induti, & nudis pedibus. Secundum recentiorem Eccleſiæ diſciplinam, Camiſia pro Sacco habetur, & ſufficit iſta publica demonſtratio, ut appareat humilitas pœnitentiæ.

Modo de Virga, ſeu funiculis. Hodie communiter eſt 23
in uſu Virga lenis, & lævigata: antiquitus flagellabantur funiculis Pœnitentes uſque ad ſanguinis effuſionem, quod poſtea ſublatum eſt a pia Matre Eccleſia: iſta enim materialis flagellatio, utpote involuntaria, parvi habebatur. De facto textus præſcribit, ut leviter abſolvendus percutiatur, quia cordis compunctionem, non ſanguinis effuſionem amat Deus, Kemp. de imit. l. 3. Iſta levia 24
percuſſio ſolet fieri ſingulo verſiculo Pſalmi *Miſerere*, qui 25
eſt pœnitentialis, Gavant. t. 1. ſect. 9. c. 4. & ſupra utrumque humerum fieri poteſt, quia cum hodie denu- 26
datio humeri ſit mere cæremonialis, non eſt ſtricte modo interpretanda percuſſio ſuper illo tantum humero: Ita vidi ſæpe in praxi fuiſſe; ſed Textus dum dicit: in humero leviter percutit, videtur quod præſcribat, humerum denudatum unice percutiendum eſſe.

Hoc totum facit Sacerdos ſedens, quia ſedere proprium 27
Judicis eſt, & juriſdictionem importat, cap. fin. de ſentent. & re jud. in 6. §. ſedebant, Auth. de re judic. unde innuevit praxis ut in ſententia definitiva dicatur: Nos pro Tribunali ſedentes, &c. Peregr. Prax. Vic. p. 2. ſect. 3. ſubſ. 2. n. 61.

§. V. Deinde ſurgit, & aperto capite dicit, *Kyrie eleiſon*, &c.

28 Cum iſtæ ſupplicationes fiant Deo, debent fieri omni cum reverentia: ideo ſurgit Sacerdos, quia ceſſat Judicium Mundi, & intrat Miſeratio Dei.

§. VI. Mox ſedet, & cooperto capite dicit: *Dominus noſter*, &c. & *Ego auctoritate ipſius, & SS. D. N. Papæ* (vel *Reverendiſſ. Epiſcopi* N. vel talis *Superioris*) *mihi commiſſa abſolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurriſti*, (vel *incurriſſe declaratus es*) *propter tale factum*, vel *cauſam*, &c.

29 De novo ſedet, quia de novo Judicis partes, & perſonam aſſumit, ut ſupra dictum fuit, caput cooperiens. Exprimit inſuper delegationem, ſeu commiſſionem habitam vel a Papa, vel ab Epiſcopo, vel ab habente juriſdi-

riſdictionem Epiſcopalem, atque hos debet ſpecialiter nominare, ut in documento publico quod e Cancellerio ibi præſente conficitur, ednotetur, Monacell. *d. abſol. ſum.*
30 Periter exprimere debet cauſam, propter quam Pœnitens abſolvendus incurrerit in excommunicationem, & hæc cauſa in ſuis terminis exprimi debet: v. g. Ob percuſſionem Clerici; ob violationem loci immunis; ob alienationem Bonorum Eccleſiaſticorum; ob oppoſitas cuſto-
dias confugiis in loco Sacro, &c. & hæc expreſſio deſu- 31
menda eſt e proceſſu ſuper delicto fabricato. Cumque
Cancellarius ſemper ſit præſens, ipſe ſuggerere poteſt for- 32
mulam propriam enunciandi delicti.

§. VII. Quod ſi Sacerdoti nulla ſit a Superiore præſcripta forma, nec ſibi mandatum, ut in forma Eccleſiæ communi, vel conſueta abſolvat; tunc nihilominus pro rei gravitate prædictam cæremoniam & preces adhibeat. At vero ſi res non fuerit adeo gravis, abſolvere poterit dicens: *Dominus noſter*, &c.

Sæpe evenire ſolet, ut in commiſſionibus nulla præſcribatur forma abſolutionis: Forma communis eſt illa in Rubrica antecedenti explicata: forma vero conſueta eſt
33 quæ modo ſub explicatione cadit. Hæc remittitur arbitrio, & prudentiæ Confeſſarii, qui caſuum gravitatem conſiderabit, nempe facti qualitatem, percutiendi modum, circumſtantiam loci, & perſonæ, Joann. XXII. apud Navar. *Man. cap.* 27. *n.* 92. Quæ vero ſit levis, mediocris, ſeu enormis cauſa, vide apud Gavant. *Man. Ep. verbo Violente.* Sed ſi abſoluturus eſſet in dubio, nam gravis, vel levis fuerit res ob quam abſolutioni ſubjacet pœnitens, ſemper citra metas potius decernere debes, quam ultra, Gavant. *ibidem*, *n.* 5. & ſic adhibere formam communem: *Dominus noſter*, &c.

§. VIII. In foro autem interiori, Confeſſarius habens facultatem abſolvendi excommunicatum, abſolvat juxta formam communem ſupra præſcriptam in abſolutione Sacramentali.

Si per litteras Pœnitentiariæ, vel aliter Confeſſarius habet facultatem abſolvendi ab excommunicatione; for-
34 mam communem adhibere debet, nempe *Miſereatur*, &c. & privatim danda eſt abſolutio ſine teſtibus, & Cancellario.
Regulæ tenendæ in impetrandis, & adimplendis litte-
35 ris ſummæ Pœnitentiariæ, habentur in diverſis libris; ſed nuper diligenter collectæ jacent in *Synodo Diœceſana Ferrarien.* habita a Cl. Mem. Cardinal. de Verme, anno 1711.
Harum litterarum uſus requirit Confeſſarium valde prudentem, & in Sacramentali Confeſſione magnopere verſatum, expertumque, ut adamuſſim adimpleat juxta præſcriptionem, nec citra, nec ultra procedet ejus delegata poteſtas.

RITUS ABSOLVENDI EXCOMMUNICATUM

jam mortuum.

TITULUS VIGESIMUS PRIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Soli homines viventes poſſunt excommunicari.*
2 *Mortui excommunicari non poſſunt.*
3 *Mortuos abſolvi poſſe dicitur improprie.*
4 *Mortuus abſolvi poteſt ab eo qui poterat eum abſolvere vivum.*
5 *Mortuus abſolvitur ut ſit capax Eccleſiaſticæ ſepulturæ.*
6 *Formula facultatis abſolvendi mortuum.*
7 *Datur iſte caſus in eo qui priuſquam moreretur, quæſivit abſolvi.*
8 *Si excommunicatio occulta eſt, non indiget, ut abſolvatur.*
9 *Si in foro externo ſit excommunicatus, abſolvi debet.*
10 *Formula porrigenda Sanctiſſimo pro impetranda abſolutione.*
11 *Forma abſolvendi mortuum.*
12 *Abſolutio mortui fieri debet publice coram teſtibus.*
13 *Verberatio cum virga ſit ſupra totum corpus.*
14 *Mortuis olim miniſtrabatur Euchariſtia, & Baptiſmus.*
15 *Excommunicatus denuntiatus non poteſt ſepeliri in loco Sacro.*
16 *Etiamſi ſigna Pœnitentiæ dederit.*
17 *Signa valent ad impetrandam facultatem abſolvendi.*
18 *Signa Pœnitentiæ in excommunicato quænam ſint?*
19 *Cadaver excommunicati exhumari poteſt ſi commode fieri poſſit.*
20 *Quæ impediant ne cadaver exhumetur?*
21 *Si exhumari non poteſt, ſufficit ſi verberetur locus, in quo jacet.*
22 *Quamvis privetur ſepultura Eccleſiaſtica, non privatur ſuffragiis Eccleſiæ.*
23 *Cadaver excommunicati ſepultum inadvertenter in Eccleſia exhumari non debet.*
24 *In hoc caſu verberetur tantummodo ſepulchrum.*
25 *Et coram teſtibus, confecto publico inſtrumento.*
26 *Sepelientes excommunicatum in Eccleſia ſcienter, incurrunt in excommunicationem.*
27 *In Eccleſia in qua ſepultum ſit cadaver excommunicati, non poteſt celebrari Miſſa.*
28 *Neque poſſunt in ea ſepeliri cadavera.*
29 *Preces in hoc caſu adhibendæ conveniunt mortuis.*
30 *Stola nigri coloris adhibenda.*
31 Requiem æternam, &c. *convenit tantum mortuis.*
32 *Originem duxit ab Apoſtolis.*

SOLI homines viventes, baptizati, rationis, & doli 1
capaces, qui in Eccleſia Superiorem aliquem habent,
ab habente poteſtatem, poſſunt excommunicari: non au- 2
tem mortui, quia cum iſti non amplius ſint ſub juriſdictione Eccleſiaſtica, ab ea ſicuti ligari, ita abſolvi non poſſunt: nam ſi iis Deus indulgentiam dedit, nihil nocet noſtra ſeveritas; & ſi ſupplicium præparavit, nihil noſtra benignitas prodeſt: ut reſpondit olim Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus Pelagio, & Anatolio Romanis Diaconis, cujus verba refert Pithæus *in Codic. ad profeſſionem Fidei Juſtinian. imper. litt. C. p.* 672. Monacell. *d. p.* 3. *prælud. n.* 53. Quare dum dicitur poſſe mortuum excommunicari, & abſolvi, intelligi debet hoc im-
proprie, & indirecte, utpote quia vel Eccleſia tunc publice 3
declarat, illos cum adhuc viverent, cenſuram excommunicationis incurriſſe, & in illa mortuos fuiſſe, & prohibet in loco Sacro ſepeliri, ac pro eis ſuffragia, & ſacrificia offerri; vel ſi ſigna manifeſta pœnitentiæ, & contritionis dederunt ante obitum, declarat, & pronuncia eos abſolutos ad hoc ut admittantur ad Eccleſiaſticam ſepulturam, & Orationes, & ſuffragia pro eis impertiri poſſint, prout docet Graff. *conſ.* 7. *per tot. de ſent. excom. p.* 1. Ideo mortuus abſolvi poteſt, ab eo ſcilicet, a
quo poterat vivus abſolvi, ſi ante obitum ſigna pœni- 4
tentiæ dederit: non directe, quia non eſt amplius homo ſuper terram, ſed ad hoc ut ſit capax Eccleſiaſticæ
ſepulturæ, & ſuffragiorum Eccleſiæ, juxta diſpoſitionem 5
Text. in cap. a nobis, l. 2. *de ſent. excom.* ubi Fagnan. 6
n. 14. dat formulam facultatis, quæ ſolet expediri a S. Pœnitentiaria Urbis.

§. I. Si quis excommunicatus ex hac vita decedens dederit ſignum contritionis, ne eccleſiaſtica careat ſepultura, ſed Eccleſiæ ſuffragiis, quatenus fieri poteſt, adjuvetur, abſolvi poteſt hoc modo, &c.

7 Iſte caſus facile dari poteſt tunc, cum quis ſciens ſe in excommunicationem incurſum, recurrat ad Sacram Pœ-

Pœnitentiariam Urbis, vel ad Sanctiſſimum immediate,
vel ad aliam Congregationem dictæ Urbis ad hoc, ut obtineat
diſpenſationem, ſeu facultatem, ut abſolvi poſſit, & in-
8 terim moriatur. Si caſus, ſeu ſi excommunicatio eſt oc-
culta, non indiget, ut vel mortuus abſolvatur: ſi vero
9 ſit in foro externo, & res deducta ſit ad forum conten-
tioſum, tunc abſolvi debet in forma ab Eccleſia in Ri-
tuali Romano præſcripta.
10 Modus tenendus in porrigenda ſupplicatione, vel San-
ctiſſimo, vel Sacræ Pœnitentiariæ Urbis a Corrad. *dict.*
diſpenſ. Apoſtol. l. 8. *c.* 10. *n.* 15, deſcribitur: ibi per
extenſum habetur formula pro parte alicujus conſangui-
nei ipſius Defuncti, vel alterius cujuſvis, quæ formula
compacta fuit a dicto Corrado ex aliquibus verbis con-
tentis *in cap. a nobis, de ſentent. excommunicat.* ubi de
hac materia agitur, & fuit in dataria Apoſtolica appro-
bata, atque admiſſa. Abſolutio vero ſic obtenta ſufficit
& prodeſt, ut in loco Sacro cadaver ſepeliatur, & ſpecia-
liter pro eo habeantur Orationes, & ſuffragia, Sayr. *de*
cenſur. 3. *c.* 28. *n.* 17. Forma vero præſcripta, & modus
tenendus, eſt hujuſmodi.

§. II. Si corpus nondum ſepultum fuerit, verberetur, & abſolvatur, ut infra: deinde abſolutum, in loco Sacro ſepeliatur.

11 Idem repetit Corrad. *dict. loc.* docens modum imper-
tiendi hujuſmodi abſolutionem, quæ publica haberi de-
12 bet, & coram teſtibus. Verberatio fiat ſolita virga, non
13 ſuper humerum denudatum, ut in vivis, ſed ſupra totum
corpus quomodocumque abſolventi libuerit.
14 Mos erat antiquitus recondendi Sacram Euchariſtiam
ſuper pectus fidelium vita functorum, & cum ea ipſos
ſepeliendi maxime vero Epiſcopos, & eos qui Sacrum
Viaticum ante mortem recipere non potuerant. Quam
utique conſuetudinem diu in Eccleſia viguiſſe obſervat
Albeſpina Epiſcopus Aurelianenſis, *l.* 1. *obſervat.* 9. *&*
10. Cum ea prohibita primum reperiatur a Concil. Car-
thaginenſi tertio, ubi ſic decernitur: *Placuit, ut corpori-*
bus Defunctorum Euchariſtia non detur: Dictum eſt enim
a Domino, Accipite, & edite: Cadavera autem nec acci-
pere poſſunt, nec edere. Cavendum eſt etiam, ne mortuos
baptizari poſſe, Fratrum infirmitas credat, quibus nec Eu-
chariſtiam dare licitum eſt. Hactenus Concilium.

§. III. Si vero fuerit ſepultum in loco profano, ſi commode fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur: & poſt abſolutionem, in loco Sacro ſepelietur: Sed ſi commode exhumari non poteſt, locus ſepulturæ verberetur, poſtea abſolvatur.

15 Regula indubitata eſt, quod excommunicatus denuntia-
tus, moriens ante obtentam abſolutionem ab eo, qui eum
poterat abſolvere vivum, vel ſaltem a Sacerdote in arti-
culo mortis (quo tempore ceſſat omnis reſervatio ex jam
16 dictis) etiam ſi ſigna Pœnitentiæ, & contritionis dederit,
in loco Sacro ſepeliri non poſſit *Text. eſt in c. a nobis* 28. *de*
ſentent. excommunicat. Bonacina *de cenſur. diſp.* 2. *qu.* 2.
punct. 3. §. 1. *n.* 7. Sayr. *de cenſur. l.* 2. *c.* 4. *n.* 13. Paſſerin.
de ſtat. hom. t. de ſepult. n. 52. Monacell. *for. leg. part.* 3. *tit.*
1. *for.* 38. *n.* 12. contra opinionem illorum, qui volunt ex-
communicatos denuntiatos decedentes cum ſignis contritio-
nis, & Pœnitentiæ, poſſe in loco Sacro ſepeliri: Sed illa
ſigna unica valent ad impetrandam facultatem abſolvendi
17 a Sacra Pœnitentiaria: quam facultatem nemo impetra-
ret ſine atteſtatione horum ſignorum *c. Sacris* 38. *de ſent.*
excommunicat. Sayr. *de cenſur. l.* 3. *c.* 28.
18 Quænam ſint hujuſmodi ſigna Pœnitentiæ, & contri-
tionis affert Monacell. *d. n.* 14. ex Pagnan. *cap. a no-*
bis, 13. *de ſent. excommunicat.* & ſunt: deteſtatio ſaltem
verbalis delicti: elevatio manuum, & oculorum ad Cœ-
lum: interpellatio Confeſſarii: tunſio pectoris: invocatio
nominis Jeſu, B. M. Virginis, & Sanctorum: oſculatio
rei Sacræ, & ſimilia indicantia emendationem, Paſſerin.
de ſtat. hom. t. 2. *qu.* 187. *art.* 4. *n.* 113. quæ ſigna ad effectum
obtinendæ abſolutionis poſt mortem, unico teſte probari di-
cunt Medic. *de ſepul. p.* 1. *quæſt.* 11. *n.* 31. Pirhing. *in Jus*
Can. lib. 5. *tit.* 39. *n.* 178. Graff. *conſ.* 7. *n.* 6. *de ſentent.*
excommunic. p. 1.
Cadaver igitur excommunicati ſepultum in loco pro- 19
fano exhumari debet quandocumque id commode fieri poſ-
ſit: Si vero quatriduanum, ſi cum aliis cadaveribus com- 20
mixtum, ſi in ſumma profunditate ſit vel ſi in flumine
immerſum, tunc non commode id fieri poteſt; ideoque
non exhumandum: ſed ſi hæc non habeant locum, ex-
humatum cadaver verberetur modo præſcripto, abſolva-
tur, atque in loco Sacro ſepeliatur.
Si vero magna difficultas ſit in eo exhumando, ſufficit
ut locus ſepulchri, ſeu tumulus, ſeu terra, quæ illud 21
cooperit, eadem virga, & eodem modo verberetur, &
deinde abſolvatur: Privabitur utique hoc cadaver Eccle-
ſiaſtica ſepultura, ſed erit privatio materialis, quæ plu- 22
ries etiam fidelibus occurrere ſolet, vel in naufragio,
vel in bello, vel alio quovis modo; ſed non privabitur
ſuffragiis Eccleſiæ anima illius.

§. IV. Quod ſi in loco Sacro ſit ſepultus, non exhumabitur, ſed verberabitur ſepulchrum.

23 Poteſt evenire, ut quandoque excommunicatus ſepe-
liatur in loco Sacro inadvertenter eo quod a ſepelientibus
ignoretur illa excommunicatio: & ad hunc caſum reſpi-
24 cit noſter textus. Hoc dato, ſepulchrum ab extra tantum-
modo verberari debet, & deinde fieri abſolutio modo,
25 & ritu præſcripto coram teſtibus, & confecto ſuper hoc
publico Inſtrumento, ut deinceps hæc abſolutio appa-
reat.
26 Quod ſi ſcienter, & malitioſe ſepeliatur in loco Sacro
Cadaver excommunicati, ita facientes incurrunt excom-
municationem, & nequeunt abſolvi niſi ſatisfactionem,
arbitrio rationabili Epiſcopi, exhibuerint competentem,
ut habetur expreſſe in *Clem.* 1. *de ſepult. ibique gloſſ. in*
verſ. eis quibus, Bonacina *de cenſuris, diſp.* 2. *qu.* 2. *punct.*
3. *&* §. 3. *n.* 8. Barboſa *in d. cap.* 1. *de ſepulturis*, Monacell.
d. n. 18. Nam abſolutio quæ datur poſt mortem operatur,
ut quis ſepeliatur in loco Sacro, vel ſi jam ſepultus fue-
rit, quod non exhumetur, Bellett *diſq. Cler. p.* 1. §.
3. *n.* 17. Ricciull. *de jur. perſon. l.* 4. *c.* 60. *n.* 18. *&*
38. *c.* 65. *n.* 20.
Demum notandum, quod ſi vel advertenter, vel inad-
vertenter quis excommunicatus ſepeliatur in loco Sacro, 27
interim in eo loco non poſſunt celebrari divina Officia,
nec alia corpora ſepeliri, Paſſerin. *de ſtat. hom. t.* 2. *q.* 28
187. *art.* 4. *n.* 52.

§. V. Dum autem corpus, ſive ſepulturam verberat, Sacerdos dicat Antiphonam: *Exultabunt Domino*, &c. Pſ. *Miſerere*, &c. Quo facto, abſolvatur, dicendo, *Authoritate*, &c. Deinde dicatur *De profundis*: In fine, *Requiem æternam*, &c.

29 Preces, & ſingulæ Orationes iſtæ cum ſuis Pſalmis con-
veniunt Fideli jam mortuo; ideo differunt a precibus,
& Orationibus recitandis in abſolutione excommunicati
vivi.
Notandum ultimo, quod licet Rubrica non præſcribat
colores indumentorum, quibus Sacerdos abſolvens excom-
municatum mortuum indui debet, attamen ex Corſetto,
30 *d. tract.* 1. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 34. habetur quod Sacerdos indui de-
bet ſuperpelliceo, & Stola nigri coloris juxta ritum in
Officio defunctorum, & in eorum abſolutione præſcriptum:
ſuper mortuum enim cadit illa abſolutio, & ideo in utro-
que caſu idem color adhibendus eſt, quod clare dignoſci-
tur ex clauſula Pſalmi, quæ eſt *Requiem æternam, &c.*
quæ clauſula in Agendis defunctorum tantummodo in 31
uſu eſt, ut habetur in Sacramentario Gregoriano, & ori-
ginem ducit ab Apoſtolis, Gavant. *c.* 2. *ſect.* 9. *c.* 2. *nu.* 32
3. de Officio defunctorum.

DE MODO ABSOLVENDI
A SUSPENSIONE,
Vel ab Interdicto extra, vel intra Sacramentalem Confeſſionem.
TITULUS VIGESIMUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

1 *Suſpenſio quid ſit?*
2 *Qui ligatus eſt hac cenſura, indiget ut abſolvatur.*
3 *Cenſura temporalis ceſſat elapſo termino.*
4 *Ille ſolus, qui poteſt excommunicare, poteſt ſuſpendere.*
5 *Formula abſolutionis a ſuſpenſione non eſt præſcripta.*
6 *Sicuti diverſa natura eſt ſuſpenſio, ita diverſi ſunt qui poſſunt abſolvere.*
7 *Delegati debent omnino implere formam delegatam.*
8 *In abſolutione a ſuſpenſione, ſæpe exigitur mandatum de ſtando, &c.*
9 *Interdictum quid ſit?*
10 *Qui ligatus eſt, indiget ut abſolvatur.*
11 *Nulla adeſt forma abſolvendi ab interdicto.*
12 Confiteor *eſt proluſio Confeſſionis.*
13 *Irregularitas proprie non eſt cenſura Eccleſiaſtica.*
14 *Sæpe derivat ex violatione cenſurarum.*
15 *Irregularitas quid ſit?*
16 *Irregularitas non abſolvitur, ſed diſpenſatur.*
17 *Quæ provenit ex delicto, ſine diſpenſatione non tollitur.*
18 *Forma tollendi irregularitatem.*
19 *Irregularitas eſt impedimentum ſuſcipiendi Ordines.*
20 *Irregularitas privat Beneficiis.*
21 *Habita diſpenſatione, redeunt primæva jura.*
22 *Facultates ſupremi Tribunalis adamuſſim & abſque interpretatione adimplendæ.*

ALiAs diximus, Suſpenſionem eſſe Cenſuram, per 1
quam Perſona Eccleſiaſtice privatur uſu, ſeu exercitio Ordinis, Officii, aut Beneficii Eccleſiaſtici, quod illi competit ratione alicujus poteſtatis ſpiritualis, in totum, vel in partem, ad tempus, vel in perpetuum, ob ſuam culpam, Monacell. *dict. part. 3. prælud. §. 7. n. 89.*
Indiget igitur, ut abſolvatur qui ligatus eſt hac cenſu- 2
ra, niſi ſit temporalis, quia hæc ceſſat elapſo termino,
nec indiget abſolutione, Monacell. *d. n. 93. 107.* ubi late 3
enumerat ſuſpenſiones provenientes tam a jure, quam
ab homine, pro quarum abſolutione ſciendum eſt, illum 4
ſolum, qui poteſt excommunicare, poſſe etiam ſuſpendere.

§. I. Si Sacerdoti ſit commiſſa facultas abſolvendi aliquem a ſuſpenſione, vel Interdicto, quamvis nulla verba ſint præcipue determinata, uti poterit hac formula. Pœnitens dicat, *Confiteor Deo* &c.

5 Nulla reperitur forma præſcripta pro Abſolutione ab hac cenſura, ſed auferri, & tolli poteſt quibuslibet verbis id ſignificantibus, imo ſolo verbo, v. gr. *removeo*, vel *revoco ſuſpenſionem*, ut notat Monacell. *dict. n. 106.* qui deſumit formulam ex Rituali, de qua modo tractamus.
6 Quinam ſint qui poſſint abſolvere, ſeu concedere facultatem abſolvendi a ſuſpenſione, fuſius videbis in Monacell. *num.* 108. 109. Sicuti diverſa eſt natura ſuſpenſionum, ita diverſi ſunt qui poſſunt ab ea abſolvere. Pa-
7 pa, Epiſcopus, Vicarius, & alii juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, ſunt qui facultatem hanc habent. Illi poſſunt alios delegare, & delegati implere debent omnino formam delegationis.
8 In Abſolutione ſuſpenſionis ſæpe exigitur juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, ut habetur *in cap. ſuper eo 3. & c. venerabili, de ſent. excommunic.* Hæc mandata poſſunt eſſe ejuſdem naturæ ac illa, quæ imponuntur in abſolutione ab excommunicatione: ſed cum de iis alibi dixerimus, non refert, ut hic ea repetamus.
Interdictum eſt cenſura, per quam prohibetur partici- 9
patio certorum Sacramentorum, omnium Divinorum Officiorum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ut colligitur *ex cap. non eſt vobis 11. de ſponſal. & Matrim. & cap. quod in te 11. de Pœnit. & remiſſ.* & dividitur in locale, & perſonale.
Qui ligatus eſt, indiget quoque ut abſolvatur, Mo- 10
nacell. *dict. num.* 111. *ad* 115. & licet nulla tradita ſit ſpecialis formæ abſolutionis ab Interdicto, nihilominus
tam Monacell. *dict. loc. n.* 136. aſſert, quia oportet ali- 11
qua forma verbali uti (quoties Interdictum a Jure, vel ab homine latum ſimpliciter, & non ad tempus, removendum ſit) verbi grat. *Abſolvo te a vinculo Interdicti, quod incurriſti ob talem cauſam.*
Confiteor eſt ſemper proluſio Confeſſionis, ideoque ſem- 12
per debet præmitti, ut diximus *in Tit. XVIII. §. 9.*

§. II. Si vero Confeſſario, ſive in foro conſcientiæ, ſive extra, data eſt poteſtas diſpenſandi ſuper irregularitate, tunc poſtquam abſolverit a peccatis, addat conſequenter: *Et eadem auctoritate diſpenſo tecum*, &c.

13 Irregularitas proprie non eſt cenſura Eccleſiaſtica, et
14 tamen ex violatione cenſurarum ſæpe derivat. Definitur
15 inhabilitas, ſive impedimentum canonicum ſuſcipiendi Ordines, vel ſuſceptos adminiſtrandi, & ea Beneficia obtinendi, quæ propter officium conceduntur, Monacell.
16 *d. §* 15. *num.* 155. Hæc irregularitas, ſeu hoc impedimentum non abſolvitur, ſed diſpenſatur ab habente facul-
17 tatem *d. num.* 181. & illa ſpecifice, quæ provenit ex delicto, ſine diſpenſatione non tollitur, Bonacina *de Irregul. diſp. 7. q. 5. punct. 2. n. 8.* Sayr. *c.* 13. *n.* 2. 3.
Rituale Romanum præſcribit formam verborum, ſub 18
qua Irregularitas tolli debet, & parum differt ab ea, quam aſſignat Monacell. *d. n.* 182. ex Sayro, & ex Guazzin. jun. *ad defenſ. anim. l. 2. defen. 6. cap. 45. n.* 110. Si autem dubium ſit, an quis Irregularitatem incurrerit, tunc ſub conditione dicendum erit: *Diſpenſo tecum in Irregularitate ſi forte incurriſti ob hanc, vel illam cauſam, &c.* Leo *Theſ. for. Eccl. part. 3. cap. 4. num.* 48. & hæc diſpenſatio, ut plurimum fit occaſione Sacramentalis Confeſſionis poſt abſoluta peccata.

§. III. Si nullum habet Ordinem, dicatur: *Habilem reddo te ad omnes Ordines ſuſcipiendos.*

19 Quia, ut ſupra diximus, Irregularitas eſt impedimentum ſuſcipiendi Ordines, & Beneficia, &c.

§. IV. Quod ſi neceſſe ſit titulum Beneficii reſtituere, & fructus male perceptos condonare, ſubjungat: *Et reſtituo tibi*, &c.

20 Item cum Irregularitas privet licita retentione Beneficii, quod exigat uſum Ordinis perſonalem, ſublata hac, redeunt primæva jura omnino, Suar. *diſp.* 40 21
ſect. 2. num. 19.

§. V. Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo in iis facultatis ſuæ terminos excedat.

22 Facultates, & commiſſiones provenientes a ſupremo Tribunali adamuſſim adimplendæ ſunt, nec interpretandæ, nec ampliandæ, neque reſtringendæ, ſed exequendæ ſub pœnis graviſſimis, ut diximus *Tit.* 18. §. 7. loquendo de hoc eodem Sacramento.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

TITULUS VIGESIMUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

1 *Euchariſtia eſt Sacramentum vivorum, imo ipſa Vita.*
2 *Euchariſtia definitio.*
3 *Euchariſtia cum eadem reverentia, qua Chriſtus, tractari debet.*
4 *Fideles antiquitus ſuſcipiebant Euchariſtiam erecti.*
5 *Euchariſtia ſumptio fiebat antiquitus magno cum gaudio.*
6 *Feſtivi dies diſtinguebantur ſumptione Euchariſtia.*
7 *Dies Euchariſtia variis nominibus nuncupati.*
8 *Adminiſtratio Euchariſt. competit Sacerdoti.*
9 *Poteſtas vel ordinaria, vel delegata requiritur ad miniſtrandum.*
10 *Paſtoris munus eſt miniſtrare Sacram Euchariſtiam.*
11 *Miniſtrare Euchariſtiam ſine facultate eſt peccatum.*
12 *Parocho proprie convenit miniſtratio Euchariſtia.*
13 *Privilegia pro Regularibus multa.*
14 *In Miſſa quilibet Sacerdos poteſt communicare alios.*
15 *Parochus quando tenetur miniſtrare Euchariſtiam?*
16 *Reverentia, & cultus qualis debeatur Euchariſtia?*
17 *Cuſtodia qualis debeatur Euchariſtia?*
18 *Rubricas legere pro optima adminiſtratione optimum.*
19 *Parochus curare debet ut debitus honor præbeatur Euchariſtia.*
20 *Populus Parocho commiſſus qualis ſit?*
21 *Parochus tenetur credere dicenti ſe habere licentiam.*
22 *Intelligitur hoc de Communione Paſchali.*
23 *Hodie licet accedere ad quamcumque Eccleſiam pro Euchariſtia.*
24 *Frequentia ſuſcipiendi Euchariſtiam qualis eſſe poſſit?*
25 *Judicium Confeſſarii requirendum eſt pro Communione quotidiana.*
26 *Qui ſumeret ob vanam gloriam, peccaret.*
27 *An Religioſi teneantur ſæpe communicare?*
28 *Quotidie antiquitus fideles communicabant.*
29 *Solemnitates majores coli debent majori religione.*
30 *Præparatio interna, & externa pro Sacramento.*
31 *Externa erat ut manus lavarent.*
32 *Interna erat humilis Confeſſio.*
33 *Corporis habitus debet eſſe compoſitus.*
34 *Mos Fœminarum in Luſitania dum communicant.*
35 *Fœminæ accedere debent velatæ ad Euchariſtiam.*
36 *Viri cum comis fictis, & pulverulentis abdicandi ſunt.*
37 *Præparatio vera eſt confeſſio.*
38 *Jejunium neceſſarium ad Communionem.*
39 *Jejunium naturale, non vero Eccleſiaſticum.*
40 *Caſus varii in quibus licet non jejuno communicare.*
41 *Euchariſtia adoratio debet fieri utroque genu.*
42 *Susceptio Euchariſtia cum humilitate facienda.*
43 *Mulieres ſejunctim ab hominibus communicare debent.*
44 *Modus faciendi hanc ſeparationem.*
45 *Diſcedere ſtatim poſt ſumptam Euchariſtiam, non eſt actus bonæ Religionis.*
46 *Modus effugiendi diſtractiones mentis poſt Communionem.*
47 *Gratiarum actio facienda magis corde quam ore.*
48 *Paſſio Chriſti tunc contemplanda.*
49 *Parochus ſemper habere debet Particulas conſecratas.*
50 *Numerus particularum conſecratarum tenendus a Parocho.*
51 *Conſecrare poſt prandium nemini licet.*
52 *Neque poſt meridiem.*
53 *In neceſſitate Viatici poteſt conſecrari hoſtia poſt meridiem.*
54 *In caſu neceſſitatis poteſt ſervari pars hoſtia Sacrificii.*
55 *Pyxis quid ſit? Et cujus materiæ eſſe debeat?*
56 *An Pyxis conſecranda, ſive ungenda ſit?*
57 *Pyxides non vitrea, non lignea, non cryſtallina.*
58 *Pyxidis forma.*
59 *Velum ad cooperiendam Pyxidem.*
60 *Tabernaculum, in quo ſervatur Pyxis.*
61 *Duæ Pyxides neceſſariæ in Eccleſia Parochiali.*
62 *Clavis Tabernaculi vel argentea, vel deargentata.*
63 *Pyxis parva pro Communione infirmorum.*
64 *Conopæum Tabernaculi quid? Et cujus materia?*
65 *Albus color convenit Sacramento.*
66 *Tabernaculum ab omni alio re vacuum eſſe debet.*
67 *Altare Tabernaculi convenit ut ſit majus.*
68 *Lampades continuo ardere debent ante Euchariſtiam.*
69 *Lampadarum uſus antiquiſſimus.*
70 *Lampas una ſufficit ubi ſit Euchariſtia.*
71 *Commendabilis eſt uſus plurium lampadarum.*
72 *Pœna non tenentis lampadem prælucentem ante Euchariſtiam.*
73 *Oleum olivæ in lampadibus infundendum.*
74 *Oleum cujus ſumptibus provideri debeat?*
75 *Conſtitutio Eminentiſs. Card. Ruffi de Oleo lampadarum.*
76 *Cuncta quæ Eccleſiæ inſerviunt, munda eſſe debent.*
77 *Renovatio Particularum conſecratarum frequenter facienda.*
78 *Corrupta materia panis conſecrati, ceſſat eſſe corpus Chriſti.*
79 *Octavo quoque die conſecrare, optimum conſilium.*
80 *Hoſtia conſecranda debent eſſe recentes, ſed non recentiſſimæ.*
81 *Hoſtia quas figuras continere poſſint?*
82 *Veteres Particulæ conſumendæ.*
83 *Regula tenenda in conſumendis particulis antiquis.*
84 *Omnes Fideles habent jus ad Sacram Communionem.*
85 *Quinam arceri debeant a Communione, & quando?*
86 *Excommunicati, Hæretici, & alii interdicti a S. Communione.*
87 *Manifeſti infames.*
88 *Peccatores publici.*
89 *Quomodo Parochus debeat quærere peccatores publicos?*
90 *In aliquo caſu publici Peccatores poſſunt communicare.*
91 *Quomodo repellendus ſit publicus peccator a Sacra Communione?*
92 *In loco, in quo eſſet occultus, poteſt communicari.*
93 *Deneganda non eſt Communio illi qui publice petit.*
94 *Peccatores occulti quinam ſint?*
95 *Illis publice denegari non poteſt S. Communio.*
96 *Judas proditor Communionem ſumpſit.*
97 *Occultus peccator licet notus Sacerdoti debet communicare.*
98 *Opinio contraria Card. de Laurea.*
99 *Amentes, & Phrenetici communicandi non ſunt.*
100 *Si petierint cum uſu rationis* } *communicari poſſunt.*
101 *Si habent lucida intervalla* }
102 *Energumenis non eſt deneganda Euchariſtia.*
103 *Pueri non ſunt communicandi.*
104 *Antequam illis adminiſtretur, examinandi ſunt.*

EXPEDITA tractatione de duobus Sacramentis mor- 1
tuorum, nempe Baptiſmo, & Pœnitentia, ad Sacramentum præcipuum vivorum, ſeu ad ipſam vitam accedere nobis dat Ritualis noſtri Ordo, qui duobus prioribus jam plene expoſitis, ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, atque ad ejus, de more, & ritu Catholico, adminiſtrationem ſe confert.

§. I. Omnibus quidem Eccleſiæ Catholicæ Sacramentis religioſe, ſancteque tractandis, magna, ac diligens cura adhibenda eſt; ſed præcipue in adminiſtrando, ac ſuſcipiendo Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, quo nihil dignius, nihil ſanctius, & admirabilius habet Eccleſia Dei; cum in eo contineatur præcipuum, & maximum Dei donum, & ipſemet omnis gratiæ, & ſanctitatis fons, Auctorque Chriſtus Dominus.

2 Cum itaque Euchariſtia ſit Sacramentum Corporis,
& Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus Panis, & Vini, ad
ſpiritualem Fidelium nutritionem divinitus inſtitutum,
3 Polman. *Brev. Theol. p. 3. de Euch.* ideo, eadem reve-
rentia, & veneratione tractanda eſt, qua ipſemet Chri-
ſtus Redemptor, ſi inter nos mortales degeret, ut olim
triginta trium annorum ſpatio converſatus eſt: Quo enim
ſanctior eſt materia, eo religioſius tractanda eſt, & ſuſci-
pienda. Itaque apud antiquos Chriſtifideles magno gau-
dio fiebat, & maxima veneratione ſumptio Euchari-
ſtiæ.

4 ſtiæ. Cum ea reficiendi eſſent, non genibus niſi, non
humi jacentes, ſed erecti, in Cælum intuentes, preces
concipiebant. Antequam autem Aris admoverentur, ut
hoc tam divinum, & immortale munus haurirent, vi-
diſſes mutuos inter ſe complexus, quo tanta ſibi invi-
5 cem gaudiorum oblectamenta oſculo impertirent: cum
ea communi hominum vita, & conſuetudine contingat,
mortales ipſo motu ſe ſe complecti, & oculis gaudia,
voluptateſque ſuas, quas tacitis animis concipiunt, oc-
currentibus Amicis communicare. Sacri, & feſtivi dies, 6
non alia re ab aliis diſtinguebantur, quam his chariſſi-
mis & gaudii, & lætitiæ, quibus Chriſtiani delibari
geſtiebant, argumentis. Hi dies, quibus Euchariſtiam
ſumpſiſſent, vocabantur ab illis dies lætitiæ, dies remiſ-
ſionis, dies immunitatis, dies ſolemnes, dies feſtivi, 7
prout diffuſiſſime narrat Albaſp. *de vet. Rit. Eccl. l. 1.
cap. 12.*

§. II. Parochus igitur ſummum ſtudium in eo ponat, ut cum ipſe venerabile hoc Sacramentum, qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, cuſtodiat, & adminiſtret; tum etiam populus ſibi commiſſus religioſe colat, ſancte, frequenterque ſuſcipiat, præſertim in majoribus anni ſolemnitatibus.

8 Sacerdotibus quibuſcumque ex Chriſti inſtitutione com-
petit ordinaria poteſtas adminiſtrandi Sacram Eucha-
riſtiam Chriſtiano Populo, ut deſumitur ex *cap. perve-*
9 *nit, de conſecr. diſt.* 2. Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. c. 8. Ni-
hilominus id licite non facere, niſi habeant ordinariam,
vel delegatam juriſdictionem ad hoc Sacramentum, do-
cet Barboſa *d. p.* 2. *c.* 20. *num.* 2. Eo quia diſpenſatio
Sacramentorum, & præſertim hujus, quo fideles ſpiri-
10 tualiter paſcuntur, eſt proprium munus Paſtoris, quod
proinde nemo alius, ſine illius commiſſione, uſurpare
debet, Vaſq. *diſp.* 219. *cap.* 2. & alii apud Barboſ. *d. l.*
Quare ſine juriſdictione, vel ſine Parochi facultate hoc
11 Sacramentum miniſtrare, lethale peccatum eſſe docet
Polec. in ſuis *Aphoriſm. p.* 2. *n.* 14. & Barb. *d. l. n.* 5.
niſi adſit probabilis præſumptio facultatis Parochi. Ideo
Textus noſter injungit Parocho, non vero Sacerdoti ſim-
12 plici, tractationem, cuſtodiam, & adminiſtrationem hu-
jus Sacramenti, quia in ſolis Eccleſiis Parochialibus
13 adminiſtrari, & ſervari deberet, niſi obſtarent privilegia
Regularibus conceſſa, & allegata per Barboſ. *d. l. n.* 8.
9. 10. quia tenentur fideles, ut præceptum annuæ Com-
munionis adimpleant, Euchariſtiam ſuſcipere de manu
proprii Paſtoris, aut alterius, qui vices ejus gerat, Suar.
ad 3. p. q. 80. *art.* 11. *diſp.* 70. *ſect.* 2. excepto neceſ-
ſitatis caſu.
14 In Miſſa tamen quilibet Sacerdos communicare poteſt
alios, excepto die Paſchatis, Gavant. *T.* 1. *p.* 2. *tit.* 10.
rub. 6.
15 Parochus igitur ſuis ſubditis Euchariſtiam miniſtrare
tenetur, quando illi ex obligatione communicare debent,
& quoties eam rationabiliter petunt. Navar. *in cap. pla-*
cuit, de Pœnit. diſp. 6. *num.* 152. Trullenck *in Præc.*
Reſol. Sacr. l. 3. *c.* 7. *dub.* 1. *n.* 15.
16 Reverentia, cultus, cuſtodia, & adminiſtratio præci-
pitur Parocho in hac Rubrica. Reverentia debet eſſe
qualis tanto Sacramento decens ſit, & tanto miniſterio,
quod quandoque Angeli trementes impleverunt, ut no-
tat Nicolaus Laghi de Lugano in libro *de Mirabilibus*
Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & Fagund. *de Præcept. Eccl.*
Part. 3. *l.* 3. *cap.* 7. *num.* 1. Contremiſcens igitur acce-
dat tam Miniſter, quam ſuſcipiens, quia Deum habent
appropinquantem ſibi.
Cultus latriæ Euchariſtiæ debetur, quæ ſervitutem de-
notat, per quam Theologi adorationem ſoli Deo debi-
tam intelligunt, Macri *Hierol. v. Dulia*. Inſuper ſigni-
ficat culturam, & ornatum: & hic convenit quoque
magnopere Sacramento Euchariſtiæ; ad cujus cuſtodiam,
& adminiſtrationem cuncta maxime oportet, ut ſint cul-
ta, & ornata, necnon munda, & decentia, *c. Relinqui*
de Cuſtod. Euch. 1. 44. *c.* 2. *& ibi gloſſ.*
17 Ulterius cuſtodia diligens, & decens Euchariſtiæ in-
cumbit Parocho, a quo invigilandum eſt, ut omnia, &
ſingula munda ſint, nec apertio Tabernaculi cuilibet
liceat, & lampas die noctuque ardeat, atque alia, quæ
ſuo loco ſubinde dicemus §. 5. *&* 6. *hujus tituli*.
De Clave Tabernaculi hoc unum dicam: debere pe-
nes Parochum, ſeu Capellanum detineri, nec ponere
in Sacriſtia, ſeu armario ſemper, & cuilibet aperto, &
multo minus in ſera ejuſdem Tabernaculi. Mich. Thom.
de Eccl. Viſitat. l. 1. *tract.* 1. *c.* 1. 25. 22.
18 Denique advertere debet Parochus, ut rite, & recte
miniſtret Euchariſtiam, quod optime hoc illi eveniat,
ſi quæcumque præſcripta ſunt in Rubricis, diligenter
adimplebit, ideo ſæpe has perlegere utiliſſimum erit,
ut tute agat.
19 Tum etiam ſtudium in hoc debet ponere Parochus,
ut Populus ſibi commiſſus religioſe colat Euchariſtiam,
ſcilicet cum debita reverentia, & veneratione illi obſe-
quium præſtet, & demonſtret.
20 Hic Populus ſibi commiſſus ille eſt, qui ſuæ Paro-
chiæ ſubjacet. Si vero ad Parochum accederet quis al-
21 terius Parochiæ, & diceret ſe habere licentiam a pro-
prio Parocho, ut illi miniſtres Sacramentum, Parochus
tenetur illi credere, niſi haberet ſigna probabilia men-
dacii, Barboſ. *d. p.* 2. *cap.* 19. *num.* 30. 31. Quod in- 22
telligi hodie debet de Communione Paſchali, quia in-
fra annum ob ſolemnitates, & indulgentias licitum eſt
cuique accedere ad non ſuum Parochum ad recipiendam 23
Sacram Synaxim, ut ſic lucretur Indulgentias, & Be-
neficia ſpiritualia illi concedenda, qui in tali Eccleſia
Sacram Communionem reciperet.
Regulares item per Barboſ. *d. p.* 2. *cap.* 20. *n.* 7.
(qui affert *Clement.* 1. *de privil.* & alios plures DD.)
excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto per
Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendam, ſi Sacram
Communionem, ſine Parochi ſpeciali licentia, ipſius
ſubditis miniſtrare præſumpſerint. Sed de Communione
Paſchali tantum debet hoc intelligi; nam circa alias
Communiones ſoluta eſt hæc excommunicatio per pri-
vilegia a Summis Pontificibus ipſis Regularibus conceſſa.
Duo inſuper remanent explicanda in hoc paragrapho;
nempe frequentia ſuſcipiendi hoc Sacramentum, & ho-
nor majorum ſolemnitatum infra annum. Frequentia
hæc debet intelligi ſano modo, nempe non quotidie,
quia quotidiana communio de raro conceditur, & iis 24
tantum, qui probatæ conſcientiæ ſunt (quod non ha-
bet locum in Sacerdotibus, cum quotidie Deo Sacrifi-
cium offerant, & in eo communicent) & de conſilio
prudentis Confeſſarii. Ita docet S. Tom. 3. *p. qu.* 80.
art. 10. *in corpore*, Henriq. *l.* 8. *Euch. cap.* 53. & alii 25
a Fagundez allati, *P.* 3. *l.* 3. *c.* 7. *num.* 1. Certe favet
huic opinioni S. Auguſt. *ſer.* 28. *de verbo Domini, paulo*
ante medium, t. 10. his verbis: *Accipe quotidie, ut quo-*
tidie tibi proſit: Panis enim quotidianus eſt. Sic tamen
vive, ut quotidie merearis accipere. Tutior doctrina Fa-
gundez *d. l. num.* 2. amplexanda eſt, qui dicit; cum
in multis hominibus plurima dentur impedimenta devo-
tionis neceſſariæ, & diſpoſitionis ad hoc Sacramentum
ſuſcipiendum, non eſſe ita facile concedendam hanc fa-
cultatem Laico. Id tamen facere, abſque judicio Con-
feſſarii, ſuppoſita legitima, ac neceſſaria diſpoſitione,
nullum erit peccatum, neque veniale, Fagund. *ibid.*
Sed ſi aliquis Euchariſtiam ſumeret ob vanam gloriam,
ſaltem peccaret venialiter, Fagund. *d. p.* 1. *l.* 1. *cap.* 4. 26
num. 30. alii vero quod peccaret mortaliter, affirmant.
Sanch. *t.* 1. *decal. l.* 1. *c.* 3. *num.* 5.
An vero aliqui Fideles, & Religioſi teneantur ſæpius
quam ſemel in anno communicare ex Eccleſiæ præcepto, 27
clare docet Fagund. *d. p.* 3. *l.* 1. *c.* 6. *num.* 8. Et de Fide-
libus ſæcularibus concludit, nullum eorum teneri ex præ-
cepto Eccleſiæ, amplius quam ſemel in anno tempore
Paſchali communicare. De Religioſis vero videndæ ſunt
conſtitutiones cujuſque Ordinis, & juxta eas judicandum.
Hæc dicta ſint circa illud verbum *frequenter*, appoſitum
in textu præſentis paragraphi.
In primitiva Eccleſia certe Chriſtiani quotidie commu-
nicabant, ut *Act.* 2. videmus; de quo Rito S. Cypr. *ſer.* 28
in Orat. Dom. ait: *Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalu-*
tis accipimus; qui uſus poſtea ad quatuor vices in hebdo-
mada redactus fuit, Caſal. *d. c.* 18. *p.* 2. Sed noviſſime ha-
betur decretum *S. C. Concil.* 12. *Febr.* 1679. approbatum ab
Innoc. XI. in quo multa circa Communionem quotidia-
nam ordinantur a Parochis, & Confeſſariis advertenda.
Quod decretum integrum habetur in Monacell. *T.* 2. *tit.*
13. *poſt.* 99. *pag. m.* 34. *in edit. Venet.* 1707.
Remanet, ut de ſolemnitatibus anni dicamus, & cir-
ca hoc, de conſilio tantummodo erit obligandus popu-
lus, ut in iis communicet, dempto tempore Paſchatis, 29
in quo de præcepto quiſque fidelis communicare debet.
Solemnitates majores, prout Natalis D. N. J. C. Cir-
cumciſio, Epiphania, Pentecoſtes, & quæ aliæ ſunt,
coli debent a Chriſtianis ſolemniori actu Religionis quam
ceteræ ſolemnitates, Calà *de Feriis*, *l.* 7. Ideoque ad
maximum Sacramentorum accedere non erit niſi actus
perfecti Fidelis.

§. III. Ideo Populum ſæpius admonebit, qua præparatione, & quanta animi religione, ac pietate, & humili etiam corporis habitu, ad tam divinum Sa-

cramentum debet accedere : ut , præmiſſa Sacramentali Confeſſione, omnes ſaltem a media nocte jejuni, & utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter ſuſcipiant, viri quantum fieri poteſt a mulieribus ſeparati.

30 Præparatio externa antiquorum Fidelium in primæva
Eccleſia ad Sacram Communionem erat , ut manus la-
31 varent ; manibus enim ſuis Sacramentum excipiebant,
Dorotheus *doctrin. 9.* Caſal. *d. c.* 14. Interna vero diſ-
32 poſitio erat humilis confeſſio : munditia ab omni lethali
crimine, & præſertim a luxuria ; notitia Sacramenti , &
Fides. Hodie lotio manuum in uſu non eſt , ſive non
eſt de ritu , quamvis omnis munditia etiam externa per-
quam decentiſſima ſit. Interna tamen eſt magis neceſ-
ſaria ; Fides, Religio, Pietas, Humilitas, & aliæ virtu-
tes , ut eminenter in anima eluceſcant oportet . *Sicut
enim cibus corporalis* (verba ſunt S. Chryſoſtomi , *hom.*
27. *t.* ad Corinth.) *cum corpus invenit malis humoribus
occupatum , amplius lædit , & nocet , nec ullam præſtat
auxilium ; ſic ſpiritualis hic cibus , ſi aliquem invenit ma-
litia inquinatum , magis eum perdit , non ſua natura , ſed
accipientis vitio : tales enim ſunt ſorti Judæ proditoris , in
quem poſt bucellam intravit Satanas.*

33 Corporis habitus exterius compoſitus eſſe debet , non
fucatus, non indecenter ornatus, non denique vanitatem
redolens : quamvis enim de hujuſmodi diſpoſitione , &
munditia corporali nihil ſit de jure Divino ſtatutum, ſed
totum id Eccleſiæ diſpoſitioni relictum ſit, debet tamen,
ut eo veſtitu , & modeſtia accedant communicandi, quæ
honeſtatem præſeferat , & ideo Fagundez *d. Part.* 3. *l.* 3.
c. 6. num. 1. & 2. affirmat, quod in hac parte ſervan-
da ſit Eccleſiaſtica conſuetudo, ſi qua alicubi datur ; &
34 reprobat morem Fœminarum in Luſitania , quæ commu-
nicare ſolent, præmittendo prius ad Eccleſiam , in qua
ſunt communicandæ, mundiſſima Mantilia , & Urceolos
deauratos, plenos aqua ad ſomendam ablutionem : qui-
bus potius incumbendum eſſet in curanda munditia cordis.

35 Pejor uſus eſſet ſi Fœminæ denudato collo, & pecto-
re , accederent , minio linitæ , & cincinnis, pulvereque
cyprio conſperſæ. Inſuper Viri fictas comas crinis pul-
36 verulentas habentes , male agunt , & irreverenter, ſi ac-
cedunt ad Sacram Communionem. Enſis quoque ab illis
deponendus eſt, multo magis quæcumque arma ſtrepito-
ſa abdicanda ſunt : quod monuit S. Carolus *Conc. Prov.* 3.
Act. p. 1. & *p.* 4. ubi circa Mulieres hæc dicit : *Mu-
lieres non ſumptuoſis , non caudatis veſtibus , non crinibus
inaniter intortis , non fuco , aut pigmento vultu illito ,
non pectore nudo , aut tenui velo obtecto, ſed ita veſtitæ,
ut ne præter faciem , quidquam nudum cernatur.* Velum
autem Mulierum non ſubtile eſſe debet , quemadmodum
Virgines adhibebant Tertulliani ætate , quod ipſa repre-
hendit, *l. 6. de velandis Virginibus* , *c.* 2. Hoc pacto :
*Quia illex eſt libidinis, & acuit curioſitatem propius vi-
dendi ſubcandicantem ſub eo cutem.*

37 Alia præparatio eſt Sacramentalis confeſſio , quæ ex
communi DD. ſententia præcedere debet Communio-
nem. Solum autem hoc Sacramentum neceſſario, & ex
præcepto Divino requirit hanc diſpoſitionem Confeſſio-
nis : nam ad alia Sacramenta ſatis eſt contritio , niſi
etiam ratione illorum Communio ſit accipienda , Fa-
gundez *P.* 3. *l.* 3. *c.* 8. *num.* 5. Hoc tamen intelligi
debet ubi eſt conſcientia mortalis culpæ, Trid. *ſeſſ.* 13.
cap. 7. quia peccatum mortale eſt , imo ſacrilegium,
communicare cum conſcientia peccati mortalis . Sufficit
tamen communicanti, ut moraliter certus ſit ſe eſſe in
gratia , Coninck *d. q.* 80. *art.* 4. *d.* 1. *num.* 5. 7. 8.
& 11.

Jejunium inſuper eſt alia præparatio ; quæ diſpoſitio 38
nova non eſt in Eccleſia Dei , adeo quod celebrantibus
etiam antiquis temporibus Miſſam veſpertinam , fuit per
varia Concilia decretum, ut aſſent jejuni , S. Cyprian.
Ep. 63. S. Ambroſ. *Ser.* 8. *in Pſ.* 118. Caſal. *d. c.* 24.
Placuit enim Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sa-
cramenti , in os Chriſtiani intraret prius Dominicum
corpus , quam exteri cibi : & mos iſte per univerſum
Orbem ſervatur.

Hoc jejunium tale debet eſſe , ut poſt mediam no- 39
ctem nihil omnino per modum cibi, vel potus ab ho-
mine ſumptum ſit , ex univerſali conſuetudine ab Apo-
ſtolis introducta , in reverentiam illius Sacramenti , Co-
ninck *dict. art.* 8. *n.* 46. qui notat , fuiſſe olim quibuſ-
dam locis licitum feria quinta majoris hebdomadæ ad
imitationem Chriſti communicare poſt ſumptum cibum:
Sed hæc conſuetudo nunquam fuit univerſalis , & jam
omnino abrogata eſt.

Varii tamen ſunt caſus , in quibus licet non jejuno 40
communicare , & omnes enumerantur a Coninck *loc.
cit. num.* 50. & *ſeqq. uſque ad ultimum.*

Adoratio Sacramenti Euchariſtiæ debet fieri utroque 41
genu flexo : nam , ut ex Concil. Trid. habemus *ſeſſ.* 13.
cap. 5. illi convenit latriæ cultus , qui unico , & vero
Deo debetur : illum enim eumdem Deum præſentem
adeſſe credimus in eo Sacramento, de quo Pater æter-
nus ait : *Et adorent eum omnes Angeli Dei* . Pſ 96.
Quando unicum genu, & quando duo genua ſint fle-
ctenda, docet Gavant. *p.* 1. *tit.* 17. §. *Dubitant.* Finis
genuflexionis duplex eſt : ad orandum, & ad adorandum,
Gavant. *dict. loc.* §. *Uſus.*

Suſceptio Euchariſtiæ cum reverentia fieri debet : iſti 42
actus reverentiales continent etiam corporis humiliatio-
nem : monet enim S. Cyprianus in expoſitione Oratio-
nis Dominicæ : *Placendum Divinis oculis etiam habitu
corporis.*

Denique præſens Textus ſeparationem præcipit Mu- 43
lierum ab hominibus , quæ adeo utilis , & neceſſaria eſt,
ut omnes fere Eccleſiaſticarum rerum Scriptores de ea
tractare non ceſſaverint, S. Carolus Borromæus præci-
pue , *Actor. Eccleſ. Mediol.* quocumque in loco de Fœ-
minis loquutus , quæ ſeu ad Eccleſias , ſeu ad opera Sa-
cra concurrant , ſemper præcipit illarum ſeparationem a
Maſculis . In adminiſtratione Euchariſtiæ modum docet
faciendi hanc ſeparationem parando Menſas diverſas ad
Altaria diverſa , ſeu aſſignando diem , vel horam unam
pro Maſculis, aliam vero pro Fœminis ; inter quas di-
viſiones faciliter amplexari poterit illa de diverſis Alta-
ribus, in diverſis Eccleſiæ partibus , ita ut Viri , & Mu-
lieres procedentes ad Communionem , aut redeuntes , ſi-
bi invicem non occurrant : *Act, p.* 4. *Inſtruct. de Sacra-
ment. Commun.* Caſtald. *lib.* 2. *ſect.* 14. *cap.* 7. Cate-
chiſm. Roman. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. & 6. atque alii
apud Corſett. *Tr.* 2. *p.* 2. *c.* 4. *ſect.* 1. *n.* 3.

§. IV. Moneantur præterea communicantes , ut ſumpto Sacramento non ſtatim ab Eccleſia diſcedant, aut colloquantur, nec ſtatim vagis oculis circumſpiciant, aut expuant, neque de libro ſtatim Orationes recitent , ne Sacramenti ſpecies de ore decidant; ſed, qua par eſt devotione, aliquantiſper in Oratione permaneant , gratias agentes Deo de tam ſingulari beneficio , atque etiam de Sanctiſſima Paſſione Dominica ; in cujus memoriam hoc myſterium celebratur & ſumitur.

45 Totus ille paragraphus eſt conſultivus, non præcepti-
vus . Diſceſſus ab Eccleſia immediate poſt ſumptam Eu-
chariſtiam actus bonæ Religionis non eſt , quia videtur,
quod communicatus abhorreat a loco Sacro , & cum vi-
vis Sacramenti ſpeciebus , ad ſæcularia negotia tranſire
cupiat. Similiter collocutio non neceſſaria , & oculorum
vagatio demonſtrat diſtractionem maximam mentis , quæ
46 illo tempore Deo ſuo uniri deberet , ut ei gratias age-
ret de tam ſingulari beneficio. Similia , ſed magis in-
ſtructive, & minutatim , præcepit S. Carolus , loco in
antecedenti §. annunciato . Hæc ſunt verba illius : *Facta
ab aliquo* Communione , *caput ille paululum inclinet , non
celeriter ; ſed cum Sacerdos manum ſubtraxerit a commu-
nicati capite. Hoſtiam acceptam reverenter deglutiat , nec
quantum poterit , ad palatum linguam admoveat . Poſtea
manebit ibidem unius Pater , & Ave ſpatio : deinde ſe
purificatum eat ad locum ad hoc deſtinatum , niſi ibidem,
ubi excepta eſt Communio , purificationem miniſtrandam
Parochus mandaverit. Accepta purificatione , nonniſi ad
ſemi.horam expuat : ſi tamen ob pituitæ abundantiam , aut
alia de cauſa expuendum illi ſit , in murum , aut in loco
per quem non obambulent , aut in ſudarium mundum id
faciat , quod poſtea exuret , aut ſaltem lavabit , in ignem
miſſurus illam lotionem. Poſt acceptam Communionem non-
niſi ſemihora comedat. Accepta purificatione , in aliquem
Eccleſiæ locum , verſus Altare majus abeat , ubi aliis non
impedimento ſit , qui ad Communionem accedant : ibique
genuflexus gratias agat : nec ab Eccleſia qui communica-
verunt , niſi finita Miſſa , in qua Communio facta eſt ,
diſcedant , Si vero extra Miſſam , nonniſi actis Deo gra-
tiis , acceptaque a Sacerdote benedictione , & facta , quæ
recitari ſolet ad Communionis finem , Oratione abeant .*

Hæc S. Caroli piiſſima inſtructio ad explicationem ſuf-
ficiat noſtræ Rubricæ, cui tantum addam nonnulla de
gratiarum actione , quæ tunc temporis facienda eſt ma-
gis corde , quam ore . Orationes enim , quæ in libellu- 47
lis leguntur, quamvis piiſſimæ, & ſanctiſſimæ eſſe que-
ant , attamen iis inſerviunt , qui aliter orare neſciunt ,
nec mentem ad Deum elevare . Paſſio Domini N. J. C. 48
tunc contemplanda eſt juxta illud : *Hæc quotieſcumque
feceritis , in mei memoriam facietis* , Can. Miſſ.

§. V.

§. V. Curare porro debet, ut perpetuo aliquot particulæ conſecratæ eo numero, qui uſui Infirmorum, & aliorum Fidelium communioni ſatis eſſe poſſit, conſerventur in pyxide ex ſolida decentique materia, eaque munda, & ſuo operculo bene clauſa, albo velo cooperta, & quantum res feret, ornato, in tabernaculo clave obſerato.

Cum, ut diximus, teneatur Parochus miniſtrare Sa-
cramentum Euchariſtiæ ſubditis ſuo rationabiliter peten-
ti, ideo debet quocumque tempore promptum, & pa-
49 ratum habere modum ſatisfaciendi huic obligationi: id-
circo Particulas conſecratas perpetuo habere ſtudebit, ut
præſertim Infirmorum neceſſitati ſuccurrat, quando San-
50 ctiſſimum Viaticum eſt illis deferendum. Numerus
Particularum conſecratarum debet eſſe rationabilis, &
juxta numerum Infirmorum ſuæ Parochiæ. Quod ſi in
aliquo anni tempore, ut ſolet quandoque evenire, in-
firmorum ſuorum augeretur numerus, tunc ipſa quoque
deberet particularum copiam augere. Memini enim ego
in quodam morboſo æſtivo tempore olim, unico tan-
tum die, & in unica Parochia uſque ad nonaginta in-
firmos delatum fuiſſe Sanctiſſimum Viaticum; quod fa-
cile fieri potuit a diligenti Parocho, quia cum illi in-
noteſceret tanta Infirmorum copia, Particulas etiam in
majori quam fieri ſolebat numero conſecravit, quæ
conſecratio ad hunc tantummodo finem amplianda eſt,
eo quia pro non infirmis communicandis (cum iſti de
mane hoc facere debeant) poteſt fieri ampliſſima con-
ſecratio in Miſſa ejuſdem Parochi, vel alterius cujusli-
51 bet Sacerdotis: Poſt Meridiem vero nemini licet con-
52 ſecrare, ſecluſa neceſſitate Viatici, quia in hoc caſu
poteſt Sacerdos notabiliter poſt Meridiem celebrare, ut
53 notat Paſqualig. *de Sacr. nov. leg. T. 1. quæſt.* 415. *nu-
mer.* 1. Imo ſi in actu celebrationis Sacerdos eſſet mo-
54 nitus de neceſſitate, deberet pro Viatico partem Ho-
ſtiæ ſervare, ita docente S. Thom. *in 4. diſt. 12. quæſt.
3. art. 2. qu. 2. ad* 1. Paſqualig. *d. quæſt.* 380. *num.* 1.
& ſeqq. ubi: *an pro miniſtrando Viatico poſſit iterum
Miſſa celebrari?* quæſtio reſolvitur.
Iſtæ Particulæ debent conſervari in Pyxide ex mate-
ria ſolida, & decenti. In Eccleſiis Parochialibus duæ
eſſe debent Pyxides, in quarum una conſervetur Eucha-
riſtia, in altera deferatur ad Infirmos, Fuſc. *de Viſit. lib.
1. cap. 5. n. 3.*
55 Pyxis communiter inter Catholicos intelligitur Vas il-
lud, in quo Sacramentum Euchariſtiæ reconditur, cujus
materia non eſt determinata, ſed ſequi debet conditio-
nem Calicis, & proinde confici ſolet ex illa materia ea
qua ille conficitur, & quidem ob reverentiam debitam
tanto Sacramento requiritur materia nobilis, ut conſer-
vetur cum eo decore, cum quo convenit, ut idem Paſ-
qualig. advertit *q.* 773. *n.* 1.
56 Aliqui Theologi affirmant conſecrandum eſſe hoc Va-
ſculum Sacra Unctione ſicut Calix, ſed communis opi-
nio tenet, ſufficere ſimplicem benedictionem ab habente
facultatem Corporalia benedicendi, eo quia Vas iſtud
non inſervit Sacrificio Miſſæ, Sarnell. *Epiſt. Eccl. T.* 8.
epiſt. 36. numer. 3. Paſqualig. T. 1. *quæſt.* 778. ubi plu-
ra de hoc argumento; quinimo non eſſe neceſſarium
Pyxidem deaurari ad inſtar Calicis, affirmat Suarez *in
3. part. diſput.* 17. *ſect.* 7. qui etiam addit quod ſi Py-
xis de puro Stanno fuerit, deberet imponi ſubtillum te-
læ cum amylo accommodatam, ſicuti fit in Corporalibus.
De facto Rituale non præſcribit neque aurum, neque
argentum, neque auricalchum, ſed tantum dicit, quod
eſſe debet ex ſolida, decentique materia, non autem
ex Vitro, ſeu Cryſtallo, quemadmodum illa, quæ in
diœceſi Parmenſi inventa cum ſtemmate antiquiſſimi 57
Epiſcopi mihi ea dono tradita fuit a P. Iſidoro Graſſi
Parmen. Ordin. S. Auguſtini amico meo præſtantiſſimo.
Vide plura apud Macri, *Verbo Pyxis*: Sed conveniens
materia eſſe ſolet Argentum, vel Aurichalcum. Ita
quoque antiquitus, & ineunte Eccleſia fuiſſe Pyxides,
ſeu Ciboria, docet Caſal. *d. c.* 34.
Formam, & figuram illarum aſſignat Cavallerius 58
Rer. Eccl. tit. 5. *numer.* 17. Sed ad ultimum, artifi-
cum libito ſe conformat, hoc unum ſubdens, quod in
operculo ex eadem materia elaborato adſit Crux emi-
nenter ſurgens, vel Imago Chriſti Reſurgentis. Ulterius
ex Argento fieri laudat Pyxidem & deaurari. Hanc
formam ubique locorum ſervandam ſtatuit S. Carolus
Act. p. 4. l. 2. & illam in Sacriſtia cujuſcumque Ca-
thedralis omnibus inviſendam expoſuit. Ubi vero præ
inopia Eccleſiæ nec Aurum, nec Argentum adhiberi
poſſit pro conflanda Pyxide, Epiſcopi judicio tolera-
vit, ut operculum, & eædem Pyxides fieri poſſent ex
aurichalco, aut ſtanno inaurato, ſed terſo, & per-
polito.
Velum, quo Pyxis tegi debet, Auro, & Argento con- 59
textum voluit idem S. Carolus, cum ſuis fimbriis cir-
cumquaque ex eadem materia diſpoſitis.
Locus vero ad ſervandam Pyxidem Tabernaculum ap- 60
pellatur, quod a Conc. Trid. *Seſſ.* 13. *de Sacram. Eu-
char. cap.* 6. nuncupatur *Sacrarium*; debet eſſe intus de- 61
center ornatum, & capax duarum Pyxidum, quarum
una pro univerſo Parochiæ populo ſit, altera pro Infir-
mis; atque hæc minor, illa vero major, quo ad capa-
citatem particularum.
Clave obſerari item debet Tabernaculum, adeo ut 62
bene claudatur, & iſta clavis argentea, vel deaurata
deferri non debet in Altari, ſeu alio communi loco, ſed
penes Parochum vel Capellanum cuſtodiri, Fuſc. *de Vi-
ſit. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. Piaſec. *in prax. Epiſc. part.* 2.
cap. 3. *numer.* 24. Tandem Barboſa *dict. cap.* 20. *nu-
mer.* 27. concludit, quod talis Pyxis ſub fideli cuſtodia,
& in loco decenti, pro communicandis Infirmis ſerva-
ri debet, *cap. Sane* 10. *de celebrat. Miſſ.* & tradit Pela- 63
gius *de planctu Eccl. lib.* 2. *cap.* 27. *verſ.* 23.

§. VI. Hoc autem Tabernaculum, conopæo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum, in Altari majori, vel in alio, quod venerationi, & cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur, ſit collocatum; ita ut nullum aliis Sacris functionibus, aut Eccleſiaſticis officiis impedimentum afferatur. Lampades coram eo plures, vel ſaltem una, die noctuque perpetuo colluceat. Curabitque Parochus, ut omnia ad ipſius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque ſint, & conſerventur.

64 Conopæo debet obtegi Tabernaculum, hoc eſt Velo
ad inſtar Tentorii, ſeu *di Padiglione*. In Eccleſiis ritu
Romano utentibus, fit e ſerico, auro, argentove in-
texto, vel e tela argentea, aureave, aut ſaltem e ſeri-
co ſimplicis coloris albi. In Eccleſiis autem ritum Am-
broſianum ſervantibus ex eadem materia fit tale Co-
nopæum, ſed rubri coloris, S. Carol. *Act. part.* 4.
lib. 2. *Inſtruct. ſupellect.* ex quo patet error fere com-
munis illorum, qui hoc Conopæum mutant quoad co-
lores quandocumque Eccleſia utitur diverſo colore, nem-
pe imitari ſtudent colores Eccleſiæ & iis omnino confor-
mari, juxta ſolemnitates: qui error fundatur in auctori-
tate Cavallerii, *d. tit.* 5. *numer.* 9. admittentis iſtos
varios colores in Conopæis, juxta Eccleſiæ tempora,
& ſolemnitates, & innititur doctrinæ Gavanti, qui
pluribus in locis ſuorum *Commentariorum* inſtat pro hac
colorum diverſitate, & præcipue *Part.* 1. *tit.* 20. *part.* 5.
de menſur. Sacr. ſupellect. Sed magis amplectenda eſt
inſinuatio, ſeu determinatio S. Caroli, quia cum pro-
65 prius color adhibendus in Euchariſtia, & in Euchari-
ſticis functionibus ſit color Albus, & Tabernaculum
unice inſerviat Sacramento huic, decet, ut ejus or-
natus ſit coloris convenientis: atque hoc eo magis, quia
Comment. ad Rituale.
fit ad diſtinctionem Ritus Ambroſiani, qui rubro colo-
re utitur: Cumque præſcriptum ſit per Concil. Roman.
ſub Benedict. XIII. *Tit.* 15. *cap.* 1. *de Sacrament. Eu-
chariſt.* ut omnes in Sacramentorum adminiſtratione ſer-
vent Ritus rationabiliter inductos, receptos, & appro-
batos ab Eccleſia, ſub pœna peccati, ſequitur, ut mo-
rem Conopæi albi amplecti debeamus, quia Eccleſiæ
Romanæ eſt, non vero Ambroſianæ.
Ab omni alia re vacuum eſſe debet Tabernaculum, 66
quæ non ſit ad uſum Euchariſtiæ: quamobrem nec Va-
ſa Olei Sancti, nec Capſulæ Reliquiarum, nec alia quæ-
cumque etiam Sacra ibi ſervari, & claudi debent, *Prov.
4. p.* 2.
Altare Tabernaculo deſtinatum, videtur quod debeat 67
eſſe majus, cum vere inſerviat non ſolum majori Sacra-
mento, ſed ipſi Sacramentorum Auctori: nihilominus
cum ibi conſervari non poſſit, nec ſemper debita vene-
ratione coli ob varias functiones, quæ ad Altare ma-
jus ſolent haberi, Textus limitat, & permittit, ut
erigi poſſit in alio Altari: ſed hoc etiam debet eſſe in
loco conſpicuo, & nobiliori, decenter pro facultati-
bus loci ornato, Fuſc. *d. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. Uſus
certe eſt multarum Eccleſiarum tum Secularium, tum

Regulas, quæ Altaribus abundent, collocare Tabernacu-
lum cum Sacramento in aliquo Altari a majori diſtin-
cto, & ratio præcipua eſt, quia cum Miſſa conventualis
ut pluſimum celebretur ad Altare majus, & prope il-
lud ſoleat eſſe Chorus, ſeu Odeum ad pſallendum, non
ita facile, horis propriis accedere poſſunt Fideles ad ſu-
ſcipiendum Sacramentum ad illud Altare: Dum enim
Cantores pſallunt, ſi extraheretur Sacra Pyxis a taber-
naculo, ſurgere deberent; atque ideo vel eſſet magni in-
commodi, vel adeſſet periculum irreverentiæ. Quapro-
pter laudabiliter faciunt qui ad Altare diverſum collo-
cant Tabernaculum, & unice dedicant hoc Altare San-
ctiſſimo Sacramento, eo quia ita nullum impedimentum
affert Eccleſiaſticis Officiis, ſeu Sacris Functionibus, quæ
occurrunt.

68 De Lampadibus aliquid dicendum modo eſt, quarum
uſus antiquiſſimus a Concilio Aquiſgranatenſi *cap.* 29.
69 confirmatur, & a Caſal. *d. cap.* 42. quæ quidem ſum-
ptuoſæ eſſe ſolebant, & ex auro, vel argento. Earum
lumen ante Sanctiſſimum Sacramentum, tam ad cul-
tum, quam ad ornatum eſt, & perpetuo ardere debent
ante ejus Altare, Piſcara *d. lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 1. *n.* 12.
tum propter ejus reverentiam, tum etiam, ut ingredien-
tes Eccleſiam advertant ubi prius adorare debeant, Bar-
boſa *d. p.* 2. *c.* 20. *num.* 29. Poſſevin. *de Off. Curat.*
c. 12. *n.* 78.

70 Plures Lampades a Rituali aſſignantur, ſed ſufficit
una, cujus cura alicui ex Clericis, ſeu etiam inferiori-
bus miniſtris demandata ſit, Piſcara *d. lib.* 1. *ſect.* 3.
cap. 9. *num.* 1. Quamvis enim lampadem ardere ante
unumquodque Altare, & plures ante Altare majus ſua-
deat authoritas Cæremonialis Epiſcoporum, & Gavant.
part. 1. *tit.* 10. Nihilominus una tantum ubi adſit Ta-
bernaculum cum Euchariſtia, ſufficiens eſt, Conc. *Prov.*
71 *Med.* 1. *§. Ante*, *&* *Act. part.* 4. & quamvis Lampa-
darium cum pluribus lampadibus ante Sacramentum, &
coram Tabernaculo laudet; attamen una lampade ac-
cenſa ſatis ſit: quam ſæpe infra diem viſitare tenentur
Parochi, ſi non adſit præcipuus miniſter ad hoc deſtina-
tus, & præſertim tempore hyemis, in quo nonniſi com-
mendabilis eſt uſus, ut plures lampades colluceant ſal-
tem in nocte: una enim extincta, altera fortaſſe arde-
bit. Quod ſi Parochus deliquerit in hac cuſtodia, & 72
lampadem prælucentem non adhibuerit, gravi mulcta pu-
nietur, *Act. part.* 5. & Clericat. *de Euchariſt. dec.* 38.
num. 15. quam ad unius libræ ceræ albæ reduxit *S. C.*
Ep. & Reg. 20. *Jan.* 1679. ex Urſaya *T.* 5. *p.* 2. *d.* 16.
n. 91.

Lumen vero lampadis Oleo Olivæ nutriatur, nec al- 73
terius generis adhibendum eſt Oleum, niſi quibus locis
Ordinarius ob eam cauſam conceſſerit, quia nullum ejus
generis haberi poſſit. *Act. d. part.* 4. *Inſtruct. Euch.* Un-
de S. Hieronymus ad Fabiolam ſcribens de 24. Manſio-
nibus, ait: *Cera, quæ dulcia continet, non luceat in Ta-
bernaculo, ſed Oleum puriſſimum, quod de Olivæ profer-
tur amaritudine.* 74

Cujus autem ſumptibus parari debeat Oleum pro lam-
padibus, reſpondet Barboſa *l. c.* & dicit, debere obſerva-
ri conſuetudinem quando populus faciat hos ſumptus:
alias tenentur Parochi ad manutenendum iſtud Oleum,
Bellett. *diſq. Cler. part.* 1. *§.* 13. *num.* 8. *de Cler. de-
bitore*, cum Ripa, *Conſ.* 2. *num.* 4. *&* 5. Non obſtante 75
tamen iſta conſuetudine in Ferrarienſi Diœceſi illi dero-
gatum fuit ab Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Card. Ru-
fo Epiſcopo in Synodo Diœc. habita anno 1726. & hoc
onus de Oleo comparando ad uſum lampadarum Eccle-
ſiæ pro Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, non autem
pro aliis Altaribus in quibus Tabernaculum non adſit,
injunctum fuit ſolis Parochis, quia iſta conſuetudo non
erat univerſalis in tota Diœceſi Ferrarienſi, ſed tantum-
modo aliquarum Eccleſiarum Parochialium: Ulterius ra-
tio potiſſima eſt quod Parochus tenetur de redditibus
Parochiæ parare, & cuſtodire in ſua Eccleſia Sacramen-
ta, Barb. *d. lib.* 2.

Quod inſuper munda, nitida, & integra debeant eſſe 76
omnia ad Euchariſtiam inſervientia, ſatis patet ex na-
tura ipſius Sacramenti, quo nullum venerabilius eſt:
unde puniendi ſunt ii, qui hanc munditiem, nitorem
& integritatem negligunt, *cap. Relinqui, de cuſtod. Eu-
chariſt. tit.* 44.

§. VII. Sanctiſſimæ Euchariſtiæ particulas frequenter renovabit. Hoſtiæ vero, ſeu particulæ conſecrandæ ſint recentes, & ubi eas conſecraverit, veteres primo diſtribuat, vel ſumat.

77 Quamvis ad corruptionem facilior ſit panis cum fer-
mento, quam Azymus, nihilominus & iſte ſuam cor-
ruptionem patitur, ſi longo tempore ſervetur, præcipue
in arca clauſus. Ideo præcipit Rubrica noſtra, ut fre-
78 quenter renoventur Particulæ, ne in Pyxide, & Ta-
bernaculo clauſæ corrumpantur, & ſic Sacramentum am-
plius non adſit, quia corruptis Panis ſpeciebus, ceſſat
79 eſſe corpus Chriſti. Iſta frequentia S. Carolus *Act.* 4.
decrevit, ut octavo quoquo die ad ſummum eſſet in-
telligenda, præſertim quinta quaque feria, ſi commoda
fieri poterit, in qua Chriſtus Dominus hoc magnum Sa-
cramentum inſtituit.

80 Hoſtiæ autem, & Particulæ conſecrandæ quamvis re-
centes præſcribantur a Rubrica, tamen non adeo recen-
tes eſſe oportet, ut in earum fractione multa fragmen-
ta ſuboriantur, ut evenire ſolet; ſed a viginti diebus
erunt ad ſummum confectæ, maxime tempore hiema-
li. Æſtivo vero tempore quia calor faciliter materiam
ad corruptionem inducit, decem dierum numerus ſuf-
ficiet.

Synodus Ferrarienſis Cardin. de Verme *p.* 2. *§.* 4. 81
præcipit, ut Hoſtiæ conſecrandæ referant Chriſtum cru-
cifixum ſolum, quem conſecratæ retinent in ſe ipſis, &
repræſentant ipſum Sacrificium, nulla alia Sanctorum
Imagine in illis impreſſa.

Conſecrationi novarum particularum ſuccedere de- 82
bet conſumptio veterum, & has debet Sacerdos prius
miniſtrare, ubi recentes conſecraverit, *Act. ibidem*.
Quod ſi nimio tempore negligentia Sacerdotis Par-
ticulas conſecratas ſervaverit, & putridæ factæ eſ-
ſent, regula tenenda eſt quam docet Fagundez *de
Pr. Eccl. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. *numer.* 15. *pag.* 229. 83
col. 1. Si ſpecies Sacramentales integræ, vel aliqua
particula haberi poſſunt, reverenter ſervandæ ſunt,
vel conſumendæ, quia ſub eis manet Chriſtus: ea
vero quæ tales ſpecies contigerunt, vel comburenda
ſunt, & in cineres redigenda, vel ter abluenda, &
aqua ablutionis, vel Cineres in Piſcinam (hoc eſt Sa-
crarium) conjicienda.

§. VIII. Fideles omnes ad Sacram Communionem admittendi ſunt, exceptis iis, qui juſta ratione prohibentur. Arcendi autem ſunt publice indigni, quales ſunt excommunicati, interdicti, manifeſteque infames; ut Meretrices, Concubinarii, Fœneratores, Magi, Sortilegi, Blaſphemi, & alii ejus generis publici peccatores, niſi de eorum pœnitentia, & emendatione conſtet, & publico ſcandalo prius ſatisfecerint.

84 Omnes Fideles habere jus ad ſuſcipiendam Sacram
Communionem, docet Fagundez *part.* 3. *lib.* 3. *cap.*
85 10. *num.* 19. & Præceptum Eccleſiaſticum obligare quoſ-
cumque, habetur *in c. Omnis utriuſque*, & in Conc.
Trid. *Seſſ.* 13. *can.* 9. qua vero ætate dicemus in §. 21.
hujus Tituli. Nihilominus arcendos præcipit Rubrica
nonnullos juſtis de cauſis, ut ſequitur.

86 Et primo Excommunicati, Hæretici, Schiſmatici,
& Interdicti non ſunt communicandi neque publice,
neque privatim, Clericat. *de Sacram. in gener. dec.* 15.
num. 4. quia ſunt in ſtatu peccati mortalis, & Sacra-
menta non ſunt tradenda canibus, Poſſevin. *dec. cap.* 5.
num. 12.

87 Secundo manifeſte infames infamia facti, quia ſunt
& ipſi in ſtatu peccati mortalis. Limitandum tamen
eſt, quod iſti peccatores debent eſſe publici, & eo-
rum peccatum adeo notum, & manifeſtum, quod nul-
la tergiverſatione valeat celari, S. Thom. 3. *part. quæſt.*
80. *art.* 6. Poſſevin. *dict. cap.* 5. *num.* 13. Peccator pu- 88
blicus eſt qui notorie eſt talis: Notorium autem eſt
duplex: Juris, & facti, hoc eſt per ſententiam, vel
per Confeſſionem factam in jure, Barboſ. *d. part.* 2.
cap. 20. *cap.* 5. *numero* 13. & notandum eſt, quod ut
aliquis dicatur peccator publicus, debet eſſe, & per-
manere in ſtatu peccati mortalis. Quærit Poſſevin.
dict. num. 16. per quot actus quis conſtituatur pecca-
tor publicus, & credit, non poſſe dari aliam regulam,
niſi illam ſuperlatam, nempe quando nulla tergiver-
ſatione id valeat celari.

Quomodo autem Curatus debeat quærere ſuos pecca-
tores publicos, certa regula dari non poteſt, ſed illius
Prudentiæ relinquitur; nam inquiſitio debet eſſe prudens, 89
& diligens, atque poteſt fieri per ſe, & per interpoſi-
tam perſonam, Poſſevin. *d. cap.* 12. *num.* 2.

90 Datur vero caſus in quo iſti publici peccatores poſ-
ſunt communione refici, & eſt quando conſtet de eo-
rum pœnitentia, & emendatione, & publico ſcandalo
prius ſatisfecerint. Publice vero conſtare debet de hu-
juſmodi Pœnitentia, quia publice conſtat de eorum pec-
cato, Poſſevin. *ibid.* cui adhæret Coninck *d. l.*

Quando Peccator, qui erat publicus, vere poſſit dici
non amplius publicus, docet idem Poſſevin. ubi quæ-
rit quanto tempore quis poſſit durare peccator publi-
cus, & reſpondet, non poſſe in hoc dari certam re-
gulam: hoc unum tantum clarum eſſe, cum hoc non
communicandum niſi poſtquam Populus fuerit certifica-
tus de illius emendatione, Navar. *cap.* 21. *numer.* 55.
Poſſevin. *dict. cap.* 12. *num.* 4. In praxi vero hæc re-
gula tenenda eſt: Cum peccator iſte oſtenderit ſigna
emendationis, vel Curatus de illius licentia propalave-
rit, eum eſſe confeſſum, & pœnitere, ſatis dicetur eum
non eſſe amplius peccatorem publicum, Navar. *ibid.* &
Poſſevin. *d. l.*

91 Difficultas eſt, quomodo, & quo Curati periculo re-
pellendus ſit Peccator publicus a Communione. Poſ-
ſevin. *d. c.* 5. *num.* 20. conſtanter dicit, poſſe repelli
dum adſtat limen Altaris, tunc Curatus eum privato
colloquio blande admonebit, ne ad Communionem ac-
cedat, quia cogetur, ſtante tali impedimento eum ar-
cere, & hoc maxime expedit ſi Peccator ſit Vir inſi-
gnis, & potens, vel malus homo. Poteſt etiam Paro-
chus ex Altari admonere generice, ne Uſurarii, Con-
cubinarii, & ſimiles accedant, quia repellentur. Nun-
quam tamen eſt illis danda Hoſtia non conſecrata pro
conſecrata, S. Th. 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 6. *ad* 2. Silv.
Euch. quæſt. 5. *not.* 11.

Si vero Peccator publicus peteret Communionem in 92
loco, in quo eſſet occultus, tunc id prudentiæ Miniſtri
eſſet relinquendum, qui conſideratis Perſonæ, & loci
circumſtantiis, arbitrabitur, an tali peccatori ſit danda,
vel neganda Euchariſtia, Barboſ. *dict. p.* 2. *cap.* 20.
num, 21. *in fine*. Henriquez vero *in Summ. lib.* 2.
cap. 67. *de Euchar.* & Fagundez *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 10.
num. 7. varias opiniones hinc inde probabiles afferunt,
quæ ſerio examinandæ erunt a diligenti Parocho. Hoc
unum tantummodo advertendum ſubdo, quod ſi publi-
ce petat communionem, illi deneganda non eſt ſine in- 93
juria, quia tunc habet ſe ut Peccator occultus. Pecca-
tori autem occulto publice petenti Euchariſtia negari
non poteſt, ut communis eſt Theologorum ſententia,
Fagund. *dict. num.* 7. Suarez *t.* 3. *part.* 3. *diſput.* 67.
ſect. 4.

§. IX. Occultos vero Peccatores, ſi occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat: non autem ſi publice petant, & ſine ſcandalo ipſos præterire nequeat.

Doctiſſima in hac materia ſcripſit Cleric. *d. de Sacr.*
94 *in gen. dec.* 15. cujus doctrina ita convincens eſt, ut ab
ea recedere nefas eſſet. Peccator occultus eſt qui ſtat in
peccato mortali, ſed illius peccatum tantummodo illi
notum eſt, a quo Sacram Communionem petit. Huic
Parochus quamvis in confeſſione abſolutionem non de-
derit, Communionem, quam petit, negare non poteſt
publice, ne videatur revelare peccata ipſius occulta,
95 Barboſ. *d. p.* 2. *c.* 21. *num.* 22. cum multis ab eo alle-
96 gatis; tum quia nec Chriſtus Dominus denegavit eam
Judæ proditori, ut habetur in *c. ſi Sacerdos, de Off. or-
dinarii:* tum quia ſi eam denegaret, ſigillum confeſſio-
nis frangeret, contra *c. omnis utriuſque, &c.* Limitatio-
nes vero nonnullæ afferuntur a Barboſa *d. l.* quas hic
97 repetere piget. Ulterius S. Thom. 3. *q.* 80. *art.* 6. ait:
ſi peccatores ſint occulti, non eſſe illis negandam com-
munionem, quia eo ipſo quod quis eſt baptizatus, eſt
admiſſus ad Dominicam Cœnam, & non poteſt ei jus
ſuum tolli, niſi pro aliqua cauſa manifeſta. Ex Augu-
ſtino ibi relato. Poteſt tamen Sacerdos, qui eſt conſcius
criminis, occulte monere peccatorem occultum, vel et-
iam in publico generaliter omnes, ne ad Sacramenta ac-
cedant, antequam pœniteant, Henriq. *l.* 8. *c.* 52. *n.* 2.

Si Sacerdos extra confeſſionem haberet notitiam indi-
gnitatis occulti peccatoris, & iſte peccator publice Eu-
chariſtiam peteret: tunc ex communiſſima Theologo-
rum ſententia, non eſſet illi deneganda Euchariſtia plu-
ribus rationibus, ſed præcipue quia de lege naturæ tene-
tur homo non lædere famam proximi, cujus delictum
occultum eſt; ut in *cap. placuit* 6. *qu.* 2. & *c. ſi Sacer-
dos, de Off. Ord.* Laym. *l.* 5. *t.* 4. *c.* 6. *n.* 10.

His non obſtantibus contrariam ſententiam tenet Card. 98
Lauræa *diſp.* 10. *art. ult. n.* 69. ubi erudite probat o-
mnes rationes ſuperallegatas pro non communicando
peccatore publico, militare etiam contra peccatorem oc-
cultum: pro coronide cujus opinionis hæc, a me non
reticenda, ſeu prætermittenda, ſubdit ſub num. 78. Scio
quidem hanc meam ſententiam Paucis præſertim aſpe-
ram futuram, ſed ſciant me aliter ſentire non poſſe ſu-
a conſcientia. Vide Clericat. *de Sacr. in gen. dec.* 15.
n. 5. §. Hucuſque Bellet. *diſq. Cler. p.* 1. §. 10.

§. X. Amentibus præterea, ſeu phreneticis communicare non licet, licebit tamen ſi quando habeant lucida intervalla, & devotionem oſtendant, dum in eo ſtatu manent, ſi nullum indignitatis periculum adſit.

99 Hæc Rubrica aliquantulum moderatur a Barboſ. *d.
p. c.* 20. *n.* 19. qui dicit ex ſententia Henriq. *l.* 8. *c.*
42. §. 3. perpetuo, & abſolute fatuos communicare non
100 poſſe. Sed tantum ſemifatuos, & non continuo amentes
tempore quo habent lucida intervalla. Zambranus vero
de caſ. in art. mort. cap. 3. *dub.* 4. *per tot. num.* 2. re-
ſolvit quod ſi amentes, furioſi, aut qui carent actu ſen-
ſu, & uſu rationis, habuerint aliquando illum, danda
101 eſt eis Euchariſtia in periculo mortis, dum non conſtet
fuiſſe notorios excommunicatos, vel notorios peccatores,
qui non dederint ſigna pœnitentiæ. Item dummodo non
conſtet clare, eos in complacentia peccati mortalis uſum
rationis amiſiſſe, & denique dummodo poſſint eam re-
cipere ſine periculo irreverentiæ, id eſt vomitionis, vel
expuitionis, aut alicujus ſimilis ſpecialis indignitatis: &
num. 7. ſubdit, non eſſe neceſſe, ut prædicti amentes
tempore uſus rationis petierint expreſſe Euchariſtiam,
ſed ſat eſſe in ſanitate debitis temporibus eam ſumpſiſ-
ſe, vel vixiſſe non immemores ſuæ ſpiritualis ſalutis;
& *num.* 6. tenet energumenis, ſeu dæmoniacis, non 102
eſſe negandam Euchariſtiam, ſi alias habeant ſufficien-
tem diſpoſitionem. Vide alia ad hanc materiam utilia
apud Barboſ. *dict. part.* 2. *cap.* 20. *num.* 43.

§. XI. Iis etiam, qui propter ætatis imbecillitatem, nondum hujus Sacramenti cognitionem, & guſtum habent, adminiſtrari non debet.

Quamvis præceptum ſumendæ Communionis obliget
omnes fideles utriuſque ſexus poſtquam ad annos diſcre-
103 tionis pervenerint, attamen certa ætas definiri non pot-
eſt, in qua Pueri, & Puellæ ad hoc Sacramentum
idonei ſint. Patrum, & Confeſſariorum prudentiæ id
relinquitur: alii ad nonum, alii ad decimum annum
perducuntur: alii ſunt præcoces, alii ſegniores, Bar-
boſ. *dict. num.* 28. S. Carolus *Act. p.* 4. ait, grandiuſcu-
lis, qui tunc primam Communionem ſumere voluerint,
non præbendam eſſe, niſi aliquot ante diebus Parochus 104
eos examinaverit, atque inſtruxerit de vi, & ratione
tanti Sacramenti.

ORDO MINISTRANDI SACRAM COMMUNIONEM.

TITULUS DECIMUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

1 *Sacerdotibus competit ordinaria poteſtas adminiſtrandi Euchariſtiam.*
2 *Cur Euchariſtia vocatur Sanctiſſima?*
3 *Euchariſtia quid ſignificet?*
4 *Hoſtia eſt Panis conſecratus.*
5 *Quare vocetur Hoſtia?*
6 *Azymus Panis idem ac Hoſtia.*
7 *Hoſtia ſemper forma rotunda.*
8 *Particulæ quandoque vocantur Hoſtiæ.*
9 *Panis integer conſecrabatur & dividebatur in fruſta.*
10 *Chriſtus conſecravit integrum Panem.*
11 *Bucella intelligitur pro Particula Panis.*
12 *Numerus Particularum conſecrandarum.*
13 *Vaſa præparanda pro purificatione.*
14 *Purificatio non eſt præbenda Communicantis in Calice.*
15 *Purificatio diſtribuitur per miniſtros.*
16 *Linteum album extendi debet ad ſcabellum.*
17 *Sudariolum Altaris pro linteolo quandoque adhibetur.*
18 *Planeta, & ejus pars quandoque adhibetur.*
19 *Lotio manuum neceſſaria ante adminiſtrationem Euchariſtiæ.*
20 *Suſcipientes Euchariſtiam lavabant ſibi manus.*
21 *Clerici lavent ſibi manus antequam induant Cottam.*
22 *Cotta, & Stola eſt proprius habitus Miniſtri Sacramentorum.*
23 *Color albus color Euchariſtiæ.*
24 *Altaria minora in feria V. Major. Hebdomad. parentur violaceo colore.*
25 *Communio infra Miſſam fieri debet cum habitu coloris convenienti.*
26 *Color albus quid ſignificet?*
27 *Proceſſio Corporis Chriſti in colore albo facienda.*
28 *Clerici deſcribendi ſunt Miniſterio alicujus Eccleſiæ.*
29 *Clerici inſervire debent veſte candida.*
30 *Laici adhibere non poſſunt ſuperpelliceum ubi ſit penuria Clericorum.*
31 *Manus junctæ quid ſibi velint?*
32 *Sacramento in Tabernaculo ſufficit lumen lampadis.*
33 *Quando patet Euchariſtia, alia lumina accendenda.*
34 *In Communione ſaltem duo Cerei accendendi.*
35 *Genuflexio eſt adoratio.*
36 *Corporale quid ſit?*
37 *Defertur in ſua Burſa albi coloris.*
38 *Clericus defert Burſam, & clavem.*
39 *Cur adhibeatur corporale in miniſterio Euchariſtiæ?*
40 *Operculum Pyxidis deponendum ſupra corporale.*
41 *Confeſſio ſit ad ſalutem.*
42 *Profeſſio Fidei ſit ab uno, nomine plurium.*
43 *Cornu Epiſtolæ eſt dextera pars Eccleſiæ.*
44 *Genuflectere eſt actus adorationis.*
45 *Terga non ſunt vertenda Sacramento.*
46 *Miſericordia Dei per novam legem derivata.*
47 Miſereatur veſtri *dicitur etiam uni communicaturo.*
48 Indulgentiam, &c. *eſt modus impetrativus.*
49 *Reverſio accipitur pro novo acceſſu.*
50 *Minor accedens ad majorem debet præſtare actum reverentiæ.*
51 *Particula ſupra labrum Pyxidis elevatur.*
52 *Reverentia habenda eſt Sacramento præſenti.*
53 Domine non ſum dignus, *genere mutari non debet.*
54 *Dicitur per tres vices ad humilitatem demonſtrandam.*
55 *Particulam primam miniſtrare non tenetur Sacerdos.*
56 *Communio inchoanda eſt a parte Epiſtolæ.*
57 *Laici intra Presbyterium permanere non debent.*
58 *Clerus convocandus eſt in Presbyterio.*
59 *Presbyterium idem eſt ac Chorus.*
60 *Magiſtratus majores primo communicandi ſunt.*
61 *Præeminentia in communicando.*
62 *A Laicis Clerici diſtingui debent.*
63 *Sacerdotes cum Stola communicandi.*
64 *Alias peccarent.*
65 *Manus communicantis in formam Crucis componendæ.*
66 *Signum Crucis cum particula non debet excedere labia Pyxidis.*
67 *Sub una formula non ſunt communicandæ plures perſonæ.*
68 O Sacrum Convivium, *Antiphona compoſita a S. Thoma.*
69 Alleluja *verſiculus lætitiæ quid ſignificet.*
70 Dominus vobiſcum *quid ſignificet?*
71 *Orationes ſunt juxta diverſitatem temporum.*
72 *Sacerdos debet advertere fragmenta inter digitos.*
73 *Purificatio digitorum facienda.*
74 *Ablutio ſumenda præcipitur.*
75 *Pyxis purificanda a fragmentis.*
76 *Aditus ad Tabernaculum a quocumque haberi non debet.*
77 *Benedictio danda populo poſt Communionem.*
78 *Communio regulariter intra Miſſam facienda.*
79 *Collecta Miſſæ pro Communicantibus ſunt.*
80 *Communio differenda unice ob tædium expectantium finem Miſſæ.*
81 *Vel ſi non adſint neceſſarii Miniſtri.*
82 *Pyxis cum Particulis conſecratis non transferenda.*
83 *Particulis ſupra Patenam poſitis communicare incommodi eſt.*
84 *Poſt Sacerdotem Diaconus communicandus, &c.*
85 *Benedictio in Miſſa Defunctorum non danda.*
86 *Communio in Miſſis Defunctorum non eſſet diſtribuenda.*
87 *Sacerdos celebrans non debet ſe expoliare ut alios communicet.*

EUCHARISTIAM rite, & recte miniſtraturus Sacerdos, ea non tantum, quæ in antecedenti Titulo præſcripta, & expoſita ſunt, animadvertere debet, ſed quæcumque etiam in præſenti Titulo explicanda erunt, quæ illi inſervient pro recta praxi miniſterii ſui; numquam enim ſatis edoctus ſibi ipſi videbitur ſi granditatem, & excellentiam hujus Sacramenti perpendet. Itaque in præſenti titulo exponitur Ordo miniſtrandi Sacram Communionem, non in quocumque caſu, ſed tantummodo ad Altare, & Fidelibus ad Eccleſiam convenientibus. Subinde in alio Titulo erit Ordo tenendus in miniſtrando Sanctiſſimo Viatico Infirmis, quæ miniſtratio indiget peculiaribus animadverſionibus; non enim idem eſt ritus in utraque adminiſtratione.

§. I. Sacerdos igitur Sanctiſſimam Euchariſtiam miniſtraturus, hoſtiis, ſeu particulis pro populi multitudine conſecratis, Vaſculoque uno, vel pluribus, decenti, & commodo loco expoſitis, cum Vino, & Aqua ad purificationem eorum, qui communionem ſumpſerint, & ante eos, linteo mundo extenſo, lotis prius manibus, & ſuperpelliceo indutus, ac deſuper ſtola coloris officio illius diei convenientis, præcedente Clerico, ſeu alio miniſtro, procedit ad Altare manibus junctis, & accenſis cereis, facta prius, & poſtea genuflexione, extrahit Pyxidem, & illam ſuper corporale depoſitam diſcooperit.

1 Sacerdotibus quibuſcumque, ex Chriſti inſtitutione, competit ordinaria poteſtas miniſtrandi Sacram Euchariſtiam Chriſtiano populo, ut deſumitur *ex cap. pervenit, de conſecr. diſt.* 2. & ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 8.

1 Euchariſtia vocatus ſanctiſſima ad differantiam aliorum
Sacramentorum, quæ vocantur ſimpliciter ſancta, quia
in ſe continet Sanctum Sanctorum & Sacramentorum in-
ſtitutorem Chriſtum Deum, Scot. in 4. diſt. 8. q. 1. Ideo
3 ſignificat Bonam gratiam ex etymologia græci verbi,
quo componitus, & ratione, quia continet realiter Chri-
ſtum, qui eſt plenus gratia, D. Th. 3. p. q. 73. art. 4.
Gloſſ. *in Clem. 1. de prrv. verb. Euchariſt.*
4 Hæc Euchariſtia in Hoſtia continetur, quæ eſt Panis
conſecratus, & ita vocatur Euchariſtia, quia Chriſtum
continet, qui tanquam Hoſtia immolatus fuit, Catech.
Rom. *de Sacr. Euch. ſect.* 3.
5 Cumque Miſſa ſit ſacrificium, offertus ſub ſpecie im-
maculatæ Hoſtiæ, ideo id, quod offertur, vocatur Ho-
ſtia, ab Hoſte victo dicta: nam poſt obtentam inimico-
rum victoriam offerebatur. Macri *Hierolex.*
Inter Chriſtianos dicitur Hoſtia tam ea quæ in Panis
ſubſtantia adhuc concreta, pro Euchariſtia præparatur;
quam etiam jam conſecrata, & in Corpus Chriſti tran-
6 ſubſtantiata: & præparanda eſt de Azymo apud Latinos,
quod in fermentato fit a Græcis.
Antiquitus materia ex Azymo, qua utitur Eccleſia La-
tina in conſecrationa Euchariſtiæ, vocabatur Oblata,
quia a Fidelibus offerebatur, ut ex *c. 2. Conc. Arelaten.*
V. Card. Bona, *Liturg. l. 1. c. 23. n.* 10. *&* 11. advertens
7 ibidem Oblatas ſemper fuiſſe formæ rotundæ: Atqui
communiter in recentioribus ſæculis denominari Hoſtiam
refert ſuper allegatus Macri *d. l.*
8 Hoſtiæ nomine vocabantur etiam particulæ conſecran-
dæ. Cleric. *de Euch. dec.* 51. *num.* 2d. & ſunt parvæ
Hoſtiæ ita efformatæ ad commoditatem tum miniſtran-
tium, tum ſuſcipientium.
Antiquitus non conſecrabatur tenuis particula Panis,
ut in præſenti, ſed integer panis, qui poſtea frangeba-
9 tur in fruſta (unde Particulæ originem habuere) &
ea dabantur manducanda communicantibus, ut ex Conc.
10 XVI. Tolet. *cap.* 6. deducit Card. Bona, *dict. lib.* 2.
cap. 23. ubi ſubdit, Chriſtum, non Particulam Panis,
ſed integrum Panem accepiſſe, & conſecraſſe, at-
que ex eo Particulas confregiſſe, quas diſcipulis di-
11 ſtribuit, Clericat. *dict. dec.* 58. *num.* 2. Buccellæ etiam
appellantur Particulæ, unde S. Joannes de ultima Cœna
loquens, *cap.* 13. ait: *Et poſt Buccellam introivit in Ju-
dam Satanas.* Deinde: *Cum ergo accepiſſet ille Buccellam,
exivit continuo.* Quæ Buccella communiter intelligitur
pro particula Panis conſecrati.
12 Populi multitudini inſuper habenda eſt ratio in conſe-
crandis Particulis. Diximus alibi, numerum Particula-
rum correſpondere debere numero Infirmorum; ſed in
conſecrandis Particulis debent conſiderari etiam ſolemni-
tates majores infra annum occurrentes, & concurſus Fi-
delium ad Sacram Communionem ſuſcipiendam; quem
concurſum prudens Parochus prævidere debet, & ita nu-
merum ſufficientem Particularum conſecrare, ne in majori
concurſu deſint.
13 Paratis Particulis, duo Vaſa præparanda præcipit Ru-
brica ad purificationem Fidelium poſt ſumptam Euchari-
ſtiam: unum Vino, alterum Aqua plenum, non eo quia
ex ambobus ſumere debeant Fideles, ſed ad hoc, ut,
cui magis libeat, accedant: ſunt enim qui a Vino abſti-
14 nere ſolent. Iſta purificatio poſt Communionem Calicibus
non eſt præbenda, ſed Vaſculis diverſis habendis in Sa-
criſtia ad hunc, & non ad alium uſum adhibendis, &
ſervandis. Duo Miniſtri ad latera Eccleſiæ ſtabunt por-
15 recturi purificationem decenter, ne communicati terga
vertant Sacramento, ut laudabiliter præcipit S. Carolus,
Act. p. 4. T. 2. pag. m. 606.
16 Sequitur Rubrica de linteo mundo verba faciens.
Quando Paſſevinus *d. c. 5. num.* 13. dicit, quod petere
Communionem eſt *aſtare linteo Altaris*, intelligit expo-
ſito ad ſcabellum, ſeu cancellum pro Communione ſu-
ſcipienda. Regula hæc eſt prudentiſſima, & neceſſaria,
quia cum facile poſſit dari caſus, quod aliqua Particula
a manu Sacerdotis, ſeu e Pyxide labatur, non in terram
cadat, ſed in ſuppoſitum linteum. S. Carol. *ibid. Inſtruct.
pro adminiſtr. Euchar.* aliam regulam tenendam docet,
quæ eſt hujuſmodi: Duo miniſtri, alter a Sacerdotis dex-
teris, alter a ſiniſtris ſit, qui ambo pannum ex lino
Pyxidi, ejuſque manibus, qui Communionem porrigit,
& mento eorum, qui excipiunt, ſupponant; ne extra
mappam aliqua particula, fragmentaque, qualicumque
accidenti, decidant. Porro ſi cum hac mappa, non ad-
hibitis aliunde ſcamnis, aut mappis, ſive intra Miſſa-
rum ſolemnia, aut cum ad Altare, decem, aut duode-
cim tantum communio fiet, ſufficient. Solent nonnulli
etiam ſudariolum Altaris ſuſcipere, ſeu extremitatem
17 caſulæ, vel manipuli Sacerdotis miniſtrantis accipere, &
18 mento ſupponere tunc quando non ad ſcabellum, ſed ad
Altare fit communio, qui uſus non laudabilis eſt, præ-
cipue ſi Fœminæ ſint quæ ita faciant.
19 Inſuper manuum lotio præcipitur. Si hæc lotio requi-
rebatur apud ſuſcipientes, ut ex antiquis demonſtravi-
20 mus alio loco, multo magis neceſſaria eſt miniſtranti-
bus, qui digitis tractare debent Euchariſtiam. Lotio hu-
juſmodi non debet eſſe ſuperficialis, ſed accurata, adeo
ut ſordes in manibus non appareant, neque in unguibus.
Intelligitur hoc tamen de adminiſtratione Euchariſtiæ
extra Miſſam, quia inter Miſſarum ſolemnia, Sacerdos
jam lotus eſt ſuo tempore, niſi tamen per accidens, ali-
quam ſordem de novo contraxerit non adhuc lotam. Il-
lud verbum *prius* Rubricæ non excludit, quod non ſint
lavandæ manus etiam poſt Sacramenti tractationem, 21
quod præcipit S. Carolus *Act.* 1. etiam Clericis priuſquam
Cottam induant.
Superpelliceum, & Stola propriæ indumenta ſunt mi- 22
niſtrantium Sacramenta, ut alibi diximus in principio
horum Commentariorum, ſed de Stolæ colore modo hic
aliquid ſuperaddendum. Præcipit Rubrica in hoc para-
grapho, ut color Stolæ ſit conveniens officio illius diei.
Color albus proculdubio eſt præcipuus, & conveniens co- 23
lor in adminiſtratione Euchariſtiæ. Ita qui de Eucha-
riſtia ſcribunt, affirmant; & recenter Hippolytus a Porto
Soc. Jeſu, olim dilectiſſimus præceptor meus in ejus li-
bro *de vultu Dei, & Hominum, p.* 3. c. 1. ubi de Miſſa
ſolemni in Feria 5. Cœnæ Dominicæ tractans *num.* 18.
quærit, an tali tempore Eccleſiæ Altaria minora viola- 24
ceis parentur palliis? & reſpondet affirmative, rationem
ſubdens quia *in illis Altaribus ceſſat ratio coloris Albi,
nempe celebratio Miſſæ de Venerabili.* Igitur color Albus
eſt color pro Venerabili adminiſtrando. Huic opinioni
adſtipulatur S. Carolus, *Prov.* 1. *p.* 1. loquens de hoc
Sacramento miniſtrando alio poſt tempore, quam in ſa-
crificio Miſſæ, & dicit: *Superpelliceo, ſtolaque alba (&
ubi ritus Ambroſianus eſt, rubra) utatur.* Ex quo patet
etiam neceſſaria diverſitas horum colorum, ob diſtinctio-
nem Ritus Romani a Ritu Ambroſiano. Rubrica vero
noſtra omnis clare loquitur contra hunc Ritum, dum di-
cit, debere Sacerdotem induere Stolam convenientem
colori Officii illius diei, adeo ut color Albus non ad-
mittatur niſi diebus, in quibus albo colore utitur Eccle-
ſia univerſalis. Ratio hujus præſcriptionis penitus me
latet, & dubito, debere intelligi de Communione infra 25
Miſſam facienda quia vere tunc Sacerdos utitur colore
officii illius diei, nec ſumit colores diverſos, deponendo
primam caſulam, ſed veſtitus remanet eo colore, cum
quo miſſam inchoavit. Porro id a quo in mea opinione
confirmor, eſt natura coloris albi, de quo Gavant. *p.* 2.
t. 18. dicit ſignificare gloriam, gaudium, & innocen- 26
tiam. Inſuper eo colore Eccleſiam uti in Cœna Domini
propter confectionem chriſmatis, addens, veſtem cœna-
toriam Chriſti fuiſſe albi coloris ex Baron. in Feſto Cor-
poris Chriſti, & in Proceſſione cum Euchariſtia. Hæc 27
omnia firmant rectum uſum coloris Albi, a quo ſi quis
recederet, demonſtraret non intelligere naturam, & ef-
fectus hujus Sacramenti. Inſuper cum adminiſtratio Eu-
chariſtiæ non ſit pars officii, non video cur cum officio
debeat concordare. Nihilominus ſtandum eſſe judicio In-
ſtructioni ultimo emanatæ, nempe anno 1705. de man-
dato Sanctiſſimi Papæ Clementis XI. circa Orationem
40. Horarum, ubi ad *n.* 11. habentur hæc verba. *Il ce-
lebrante dovendo portare il Santiſſimo in Proceſſione ſarà
veſtito con Piviale bianco, quando non abbia celebrato con
paramenti d'altro colore, che in tal caſo continuerà il colore
della meſſa.* Quod eſt contra opinionem Bauldri *p.* 3.
c. 7. *num.* 7. relatam a Fagiol. *Kalend. perpet. Rationi.
Menſe Junii adnot.* 4. §. ✠. *Il Ceremoniale &c. In feſto
Corp. Chriſti.*
Modo de Miniſtris ſecundariis. *Præcedente Clerico, ſeu* 18
alio Miniſtro, &c. Ad hunc finem præcipit Conc. Trid.
ſeſſ. 23. *cap.* 6. & 16. & Concil. Rom. *tit.* 6. *c.* 2. ut nullus
clericali tonſura initiatur, niſi eodem tempore alicui Ec-
cleſiæ adſcribatur; pro cujus ſervitio debet ordinari, ut
his diximus *in Tit.* 1. *hujus Ritualis*, ubi nota etiam S.
Carolo, quod iſti Clerici debent inſervire induti ſuper-
pelliceo mundo. Si vero penuria ſit Clericorum, Sacer- 29
dos adhibeat Miniſtrum Laicum, prudenti arbitrio eli-
gendum, non tamen ſuperpelliceo indutum, cum hæc 30
ſit veſtis tantummodo Clericalis.
Cum iſtis Miniſtris *procedit Sacerdos ad Altare manibus
junctis.* Intellige ad Altare, in quo adſit Tabernaculum
cum Pyxide particularum conſecratarum. Manus junctæ 31
tenentur humilitatis gratia, & devotionis, Gavant. *d.
p.* 1. *t.* 3. *lit.* E.
Quo vero ad lumina, de quibus ait Rubrica *accenſis
cereis*, Sacramento Euchariſtiæ in Tabernaculo clauſo 32
ſufficit lumen ex lampade ardens, ut alibi diximus,
non vero ſufficit ad venerationem ejuſdem Sacramenti e
Tabernaculo extracti: ideoque, ſicuti quando celebrans
Miſſam, ad Canonem perductus, & ad conſecrationem,
videt lumina diverſa accendi prope Altare, quia Eucha-
riſtia tunc patet; ita cum illam debeat a Tabernaculo 33
extrahere, & Fidelibus diſtribuere, nova lumina accen-
denda debet; nec ſufficit lampas, quantumvis bino, vel
terno, vel multiplici lumine ardens; nam iſtæ lampades
deſtinatæ ſunt ad Cultum Euchariſtiæ repoſitæ, non ex-
poſitæ.
Quamobrem ex præcepto noſtræ Rubricæ ſufficit, 34
ut duo cerei accendantur in hoc caſu Communionis.
Act. part. 4. ubi notandus eſt mos tunc vigens in
Diœceſi Mediolanenſi, tenendi cereum ardentem a quo-
cum-

cumque communicari volente, qui cereus poſtea trade-
batur Miniſtro ad utilitatem Eccleſiæ.
35 Priuſquam Sacerdos extrahat Pyxidem, genuflectit:
iſta genuflexio & adoratio, illud *prius* & *poſtea* intelligi
debet, aperto Tabernaculo, & extracta Pyxide: prima
genuflexio primo, & ſecunda ſecundo loco.
36 Nulla uſque modo facta eſt mentio de Corporali: ſed
ne videar repetere id, quod doctiſſime ſcribit de illo Ga-
vant. *p.* 2. *t.* 1. ad illum Doctorem Lectores meos re-
mitto; unum hoc tantum ſubdens, debere Clericum in-
ſervientem Sacerdoti in adminiſtratione Euchariſtiæ de-
37 ferre hoc Corporale in ſua Burſa albi coloris incluſum,
& illam cum pervenerit ad Altare, tradere Sacerdoti,
38 qui extrahat e Burſa, & ſuper Altare explicet illud. Si-
mul & clavem Tabernaculi deferre debet, & pariter
Sacerdoti tradere, qui aperiat illud. Si vero Miniſter
non ſit Clericus, tunc Burſam Corporalis, & ſimul Cor-
porale, & clavem decentius eſt, ut deferat ſecum Sacer-
dos miniſtraturus.

Igitur ſuper corporale deponi debet Pyxis cum parti-
culis conſecratis, & ratio eſt, quia in adminiſtratione
hujus Sacramenti quærenda eſt major mundities de mun- 39
do. Tobaleæ utique Altaris debent eſſe mundæ, ſed cum
expoſitæ ſint pulveri, & aliis rebus, quæ de facili detur-
pant illarum candorem, Eccleſia novum hoc Indumen-
tum, ſeu receptaculum invenit, quod cum fere ſemper
clauſum in ſua Burſa maneat, ideo candidius, & mundius
eſt ipſa Tobalea. Ratio vero moralis eſt quia repræſentat
Syndonem Chriſti, linteamina, & Sudarium præſertim ca-
pitis Chriſti, Alcuin. *cap.* 2. *de celebr. Miſſæ*. Depoſita
Pyxide, illam diſcooperit, lento modo, non præcipiti,
ne Particulæ e Pyxide ruant, tunc quando præſertim in
magno numero ſunt. Operculum deponere debet ſuper 40
corporali, poſt Pyxidem, non in multa diſtantia, ut
commode illud reaſſumere valeat ſuo tempore poſt com-
munionem. Ratio cur deponatur ſupra corporale eſt,
quia cum ſit Vas Sacrum, in eo eſſe poſſunt facile aliqua
fragmenta particularum conſecratarum.

§. II. Miniſter genibus flexis, nomine populi ad cornu Epiſtolæ facit Confeſſionem generalem, dicens, *Confiteor Deo omnipotenti, &c.*

41 Confeſſio fit ad ſalutem, inquit Apoſtolus, *Roman.* 10.
neceſſe igitur eſt, ut hæc confeſſio præcedat ſalutem pro-
venientem a Chriſto, per quem ſalvati, & liberati ſu-
42 mus. Fit hæc confeſſio ab uno tantum fideli, nomine
ſingulorum communicare volentium, quia alterna con-
feſſione mundamur, ut inquit Hugo in *ſpec. cap.* 3. alle-
gat. a Gavant. *p.* 2. *cap.* 17. *num.* 12. ſive in Synodo, no-
mine plurimorum, fit ab uno profeſſio Fidei de ſuggeſtu,
Gavant. *Prax. Synod. part.* 2. §. 2. & facta hoc pacto,
valet pro cunctis.
Cornu Epiſtolæ eſt dextera pars Eccleſiæ intrantibus 43
in eam, Gavant. *dict. p.* 2. *t.* 6. Ibi fit Confeſſio, quia illa
eſt pars pœnitentium, & ob alias rationes quas affert
Clariſſ. Paulus Medici in libro *Myſteriorum Miſſæ*.

§. III. Tum Sacerdos iterum genuflectit, & manibus junctis ante pectus, vertit ſe ad populum, (advertens ne terga vertat Sacramento) & in cornu Evangelii dicit Miſereatur, &c. & addit, Indulgentiam, abſolutionem, &c.

Genuflectit iterum quaſi veniam petens de ſe ad po-
pulum convertendo, Chriſto in Euchariſtia ſibi vicino;
44 actus enim urbanitatis eſt, & adorationis. Hæc conver-
ſio ad populum tali advertentia haberi debet, ut nullo
45 modo terga vertat Sacramento, & actum irreverentiæ
committat. Ideo a parte Pyxidis convertere debet fa-
ciem, & ſemicirculum efformare, ita ut nec omnino ad
Altare converſus dicatur, nec omnino ad populum. In
cornu Evangelii dicit *Miſereatur*, eo quia miſericordia
46 Dei per Evangelium, & novam legem nobis a Chriſto
derivata eſt, Alcuin. *d. l.* Porro ſicut in Miſſa, uno
47 tantum præſente, dicitur *Miſereatur veſtri*, ita etiam uno
tantum communicaturo dici debet *veſtri*, non *tui*; hæc
enim verba cadunt ſuper alios præſentes, communione
ſpirituali communicaturos, Gavant. *d. t.* 2. *p.* 10. *litt. f.*
Inſuper *Indulgentiam* addit, quæ eſt abſolutio genera- 48
lis a Deo impetrata, non collata a Sacerdote: non enim
ipſe dicit: *Ego vos abſolvo*, ſed *Indulgentiam, abſolu-
tionem, & remiſſionem, &c. tribuat vobis Omnipo-
tens, & miſericors Dominus*, qui modus eſt magis impe-
trativus, quam imperativus, cujuſmodi eſt in Sacramen-
tali abſolutione a Confeſſario facta, quando dicit: *Ego
te abſolvo, &c.*

§. IV. Dicens, Indulgentiam, &c. manu dextera in forma Crucis ſignat Communicandos, &c.

Eodem modo, quo fit a Sacerdote in abſolutione Con-
feſſionis Sacramentalis: quamvis enim hæc propria non
ſit abſolutio, niſi impetrative ſumpta, attamen cum ſit
aliquo modo talis, comitari debet ſuis formalitatibus.

§. V. Deinde ad Altare ſe convertit, genuflectit, manu ſiniſtra Pyxidem prehendit, & duobus digitis, pollice & indice, Sacramentum accipit, & elevat.

Eadem via, qua ſe convertit ad populum, revertere
debet Sacerdos ad Pyxidem, & genuflectere ob adora-
49 tionem, quia accipitur iſta converſio, ſeu reverſio pro
novo acceſſu: & quotieſcumque minor ad majorem ac-
50 cedit, debet huic actum reverentiæ, & obſequii.
Manu ſiniſtra Pyxidem accipit, quia manu dextera
miniſtrare debet, ideo non eſt impedienda. Inde Sacra- 51
mentum elevat, ſed parum: ſufficit enim, ut particula
ſupra labrum Pyxidis elevetur, ad hoc ut a circumſtantibus
videatur dum dicit: *Ecce Agnus Dei, &c.* nam illud *Ec-
ce* ad demonſtrationem dicitur.

§. VI. Converſuſque ad populum in medio Altaris, dicit clara voce: *Ecce Agnus Dei, &c.*

Iſta converſio fit in medio Altaris, etiamſi in medio
Altaris remanſiſſet alia Pyxis cum particulis, vel Hoſtia
conſecrata; deformis enim eſſet actus reverentialis Sa-
cramento in Tabernaculo incluſo, cum idem Sacramen-
tum ſit intra manus Sacerdotis: *Agnus Dei, &c.* eſt ex
Evang. *Jo.* 1. 1.

§. VII. Mox ſubdit: Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed, &c.

Sumpta eſt hæc formula ex Evangelio, *Matth.* 8. Ga-
53 vant. *dict. p.* 2. *t.* 10. reprobat uſum illarum Monialium,
quæ dicunt, tacente Sacerdote: *Domine, non ſum di-
gna, &c.* In hac enim mutatione duo errores contin-
gunt: alter, quod a Sacerdote non dicitur, & ipſe eſt
qui ex ritu recitare debet illa verba: alter, quod mu-
tantur verba a Centurione accepta, & a Rubrica non
mutata contra Bullas Pii, & Pauli V. qui prohibent mu-
tationem in Miſſali, & Rituali Romano; in quo ex-
preſſe dici jubetur, *Domine, non ſum dignus, &c.*

§. VIII. Quod iterum, ac tertio repetit: qua formula etiam utendum eſt, cum fœminæ communio miniſtratur.

54 Repetitio hujus formulæ per tres vices eſt ad magis
magiſque humilitatem noſtram demonſtrandam; atque
proteſtationem humanæ indignitatis. Ternarius nume-
rus enim communiter accipitur per Doctores pro
per-

perfectiſſimo, du non mutanda hac formula pro Fœminis diximus in antecedenti §. modo addam: ideo non mutari debere, quia Genus Hominis per *Hic*, & *Hæc* declinatur: diciturque *Hic*, & *hac Homo*. Cum igitur Fœminas etiam ſint Homines, bene ſtat ſi pro illis dicitur *dignus*, *non digna*.

§. IX. Poſtea ad communicandum accedit, incipiens ab iis qui ſunt ad partem Epiſtolæ.

55 Semper tenet digitis Sacerdos illam primam particu-
lam, quem elevavit, non tenetur tamen illam primo
miniſtrere, ſed convenienter eam mutare poteſt: ob e-
nim nimium longum tactum, digitis ſudore madidis ad-
56 hærere ſolet. Incipit ad partem Epiſtolæ multis de cau-
ſis, ſed præcipue, & magis rationi conſona eſt, quia i-
lla pars ad miniſtrandum eſt commodior: cum enim ſi-
niſtra manu Pyxidem teneat, remanet dexterum latus e-
pertem, & ſpatioſum ad miniſtrationem, nec ſibi Mi-
niſter impedit acceſſum, & viſionem ad illos, qui in cir-
culo ſtant parati, communicare: ſi e dextera parte in-
ciperet, deberet diſtantem tenere e pectore proprio Pyxi-
dem, ut commodius miniſtraret.

§. X. Sed primo ſi Sacerdotibus, vel aliis ex Clero danda ſit Communio, iis ad gradus Altaris genuflexis præbeatur, vel ſi commode fieri poteſt, intra ſeplmentum Altaris ſint a Laicis diſtincti.

57 Cum vetitum ſit per Concilium Romanum, *l.28. cap.*
4. Laicis tempore Divinorum Officiorum, inter Presby-
terium, & Altarium ſepte ingredi, ibique morari ſub
pœna Interdicti Romano Pontifici reſervata, quod uſque
ab annis 1688. & 1690. per S. R. C. prohibitum fuerat
juxta Sacrorum Canonum intentionem, & præſertim
Can. pervenit, & Can. Sacerdotum, de conſ. diſt.2. cap.
ut laici, de vit. & honeſt. cler. cap. inhibendum de co-
58 *habit. cleric. & mulier.* Ideo hic locus eſt, ut Sacerdoti-
bus, & aliis de Clero detur acceſſus, quibus unice per-
miſſum eſt ingredi Presbyterium, & ibi permanere. Ul-
tra quam quod ratione dignitatis, præferendi ſunt cun-
ctis Laicis ibi exiſtantibus, ut oſtendatur honor Cleri e
59 Laicis diſtinctus, & ut Clerus inſerviat liberius divinis,
Carol. Novar. Epiſc. allegat. a Gavant *d. l.* Ubi adver-
tendum eſt, quod Presbyterium idem eſt ac Chorus, &
unum pro alio promiſcue accipitur, Francet *de Eccl.*
Cath. cap. 5. *num.* 182. & alii apud Urſaya *T.* 1. *p.* 2.
diſp. 16. *n.* 8.
Verum tradunt nonnulli, inter quos Gavant. Corſett. 60
& alii, primum communicandos eſſe Magiſtratus majo-
res, ubi ſunt Tribunalia cum mero, & mixto imperio, 61
& deinde reliquos de Clero. Primo Prælatos ſi adſint
cum ſuo habitu prælatitio, deinde Sacerdotes juxta eo-
rum gradus, & poſtmodum Clericos: Sed hoc videtur,
quod præſcribetur tantummodo tempore Paſchali, & Fe-
ria 5. in Cœna Domini pro communione generali, inter
Miſſarum ſolemnia facienda.
Permittitur itaque quod iſti ſtent ad gradus Altaris,
& intra ſepimentum, ſeu clauſulam: Sed ſemper cum 62
diſtinctione, inter Laicos, & Clericos, ea de cauſa,
quam ſupra allegavimus, nempe ut oſtendatur honos
Cleri a Laicis diſtinctus.

§. XI. Sacerdotes vero cum Stola communicent.

43 Ob ſignum dignitatis præcipitur, ut Sacerdotes extra
Miſſam, cum Stola de collo pendente communicent, *ex*
Conc. Bracar. 3. *can.* 3. Corſettus addit, & quidam ra-
tionabiliter, quod Sacerdotes habere debeant ſuperpelli-
ceum, & Stolam in modum Crucis. Clericatus ſubtiliſ-
ſime tractat quæſtionem: An Sacerdos communicandus
extra Miſſam debeat Stolam ad collum appenſam habere
decif. 30. *Euchariſt. Sacram.* Et allegatis, diſcuſſiſque
hinc inde Canonum, & Doctorum rationibus, ponit
Concluſionem *num.* 34. Teneri Sacerdotem Stolam in- 64
duere, alias peccare, niſi gravis incommodum, vel tota-
lis oblivio, aut Stolæ deficientia talem omiſſionem ex-
cuſet. Cujus Stolæ color judico, quod albus eſſe debeat, ut
conformetur colori præſcripto in miniſtratione Euchariſtiæ.

§. XII. Sacerdos unicuique porrigens Sacramentum, & faciens cum eo ſignum Crucis ſuper Pyxidem ſimul dicit: *Corpus Domini noſtri, &c.*

Conc. Rhotomegen. *can.* 2. apud Burcard. *l.* 3. *c.* 76.
juſſit, ut Euchariſtia nonniſi in os cujuſcumque ſumen-
tis immitteretur a Sacerdote. Qui vero communicant,
manus in Crucis formam componere debent. *Ex Synod.*
6. in Trullo can. 101.
Signum Crucis, quod facit Sacerdos cum particula in-
ter digitos ſtricte, non debet excedere labia Pyxidis, ne
fragmenta, ſi qua ſint, cadant extra eamdem. Fit hoc
ſignum eo modo, quo ſupra ſignavit ſe ipſum Sacerdos.
Inſuper advertat, quod verba *Corpus Domini noſtri, &c.*
debent dici infra ſpatium ſigni Crucis, & porrectionis
particulæ, adeo ut immiſſa particula in os communicati
finiatur quoque ipſa formula, nec ſub pronuntiatione
unius formulæ communicent duæ, vel tres perſonæ. 67
Formula iſta eſt ex religioſa traditione, & habetur apud
Joan. Diac. *in vita Sancti Gregorii, & in Concil. Rothomagen.*

§. XIII. Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos reverſus ad Altare, dicere poterit: *O Sacrum convivium, &c.*

68 Ita Antiphona quæ a S. Thoma Aquinate Angelico
Doctore compoſita eſt, præcipitur a Rubrica de conſi-
lio, non autem de præcepto, per illa verba, *dicere pot-*
erit, quæ obligationem indiſpenſabilem non important.
Ideo ſi quis eam omitteret, non peccaret.

§. XIV. Tempore Paſchali additur *Alleluja*. Mox Sacerdos dicit: ℣. Domine exaudi, &c. Et clamor, &c. Dominus vobiſcum, &c.

69 *Alleluja* Verſiculus eſt lætitiæ, & ſignificat *Laudate*
Dominum, S. Aug. *in Pſal.* 118. Multa de hoc verſiculo
ſcribit Gavant. *d. p.* 1. *t.* *x.* *litt. q.* Nonniſi tempore Pa-
ſchali, & infra octavam Corporis Chriſti additur iſte ver-
ſiculus.
70 Quo vero ad *Dominus Vobiſcum*, uſque ad noſtram æ-
tatem in uſu fuit; ſed ejus recitatio in adminiſtratione
Euchariſtiæ, & in ejus Benedictione, ſublata fuit Decre-
to S. R. Congr. ut ex Inſtructione particulari ab Urbe
emanata ſuper hoc habuimus, quæ habebitur in Titulo
de Proceſſionibus.

§. XV. Tempore Paſchali dicitur Oratio, Spiritum nobis Domine, &c.

71 Sunt nonnullæ Orationes in Divinis Officiis, quæ non
ſingulis anni temporibus conveniunt: ideo ab Eccleſia
mutantur, cujuſmodi eſt hæc, quæ de Sacramentis Pa-
ſchalibus tractat: quandoquidem alia Oratio, quæ per to-
tum annum communiter recitatur, de memoria Paſſio-
nis loquitur, ideoque ut concordet Oratio cum ſolemni-
tate, hæc, loco antecedentis, ſubintrat.

§. XVI. Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat, ut ſi aliquod fragmentum digitis adhæſerit, illud in Pyxidem deponat; & eoſdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat, & abſtergat purificatorio: ablutionem vero ſumat, ſi celebraverit, aut iis, qui tunc communicarunt, ſumendam tradat, aut ſaltem in Sacrarium injiciat.

Feſti-

Facile poteſt dari caſus iſte ob longam tractationem Sacrarum Particularum: ideoque cum vel in minimo fragmento conſecrato ſit Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, reponi debet in Pyxide cum aliis particulis.

73 Ablutio digitorum in hoc caſu non præcipitur neque vino, neque aqua facienda, ut in Miſſa in qua nec abluti debent ſine vino purificare Calicem, Papa inconſulto, ut ex Romana praxi docet Gavant. *p. 2. tit. 10. litt. y. §. Quid vero.*

In caſu Communionis extra Miſſam, uſus eſt purificandi in vaſe aqua pleno, ad hoc parato ſupra menſam Altaris cum ſuo Purificatorio. Quo vero ad ablutionem 74 ſumendam, id quod Rubrica præcipit, videtur grava, & incommodum, nempe ut ſumatur a Sacerdote, ſi celebraverit, vel ab iis qui communicaverint; Certe uſus contrarius eſt, cum facile haberi poſſit modus, illam ablutionem reponendi in Sacrario, ut communiter ab omnibus fit, non quacumque vice occurrat iſta purificatio, ſed tunc, quando Aqua ibi parata non omnino munda videatur.

§. XVII. Poſtea genuflectens reponit Sacramentum in Tabernaculo, & clave obſerat.

Cooperta Pyxida cum ſuo Operculo, & Conopæo illam reponit, etiamſi particulis vacuam, ſed non purificatam
75 a fragmentis. Si vero id intra Miſſam fiat, purificator a fragmentis, & ad Sacriſtiam deportanda traditur Clerico. Repoſita Pyxide in Tabernaculo, genuflectit Sacerdos: eſt enim hic ultimus actus reverentialis, qui fit Sacramento, dum Tabernaculum eſt apertum. Clave item illud obſerat, quod a Sacris Canonibus adeo 76 inculcatur, ne a quocumque habeant aditus ad Tabernaculum. Vide quæ alibi diximus de clave, & ejus cuſtodia.

§. XVIII. Deinde extenta manu dextera, benedicit iis, qui communicarunt, dicens: *Benedictio Dei omnipotentis*, &c.

77 Diverſa eſt hæc Benedictio quoad verba, ab illa, quam dat Sacerdos in fine Miſſæ. Trina eſt, a Trinitate, periodus Benedictionis. Elevatio denique manus habetur, *Eccleſiaſt.* 50. & Chriſto aſcendente, *Luc. r. ult.* Gavant. *d. p.* 2. t. 12. *l. x.* Interim dum dextera elevatur, ſiniſtra ad pectus tenetur, & indicat bonam intentionem benedicentis.

§. XIX. Communio autem populi intra Miſſam, ſtatim poſt communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, (niſi quandoque ex rationabili cauſa poſt Miſſam ſit facienda) cum Orationes, quæ poſt Communionem in Miſſa dicuntur, non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad alios communicantes ſpectent.

78 Regulariter loquendo, juxta Gavant. *d.* 1. 10. *litt. d.* hoc loco facienda eſt communio, ut communicandi participes fiant Orationum earum, quæ poſt Communionem dicuntur in Miſſa, ut notat Micrulog. c. 19. *Ante has Orationes*, inquit, *communicare non negligant quicumque earum Orationum benedictione foveri deſiderant.* In iſtis Orationibus comprehenduntur tam ſecretæ, quam alta voce pronunciatæ. Inter ſecretas Orationes habetur: *Quod ore ſumpſimus*, &c. quæ cunctis communicantibus favet, & aliæ nonnullæ. Alta voce vero plurimæ, & fere omnes, quæ poſt Communionem leguntur,
79 de univerſali Communione loquuntur. Sic v. gr. *Sumpſimus, Domine*, &c. *Mundet, & muniat*, &c. *Hæc nos quæſumus Domine*, &c. *Quos Cæleſti*, &c. *Quæſumus Domine*, &c. & aliæ permultæ pro univerſali Eccleſia loquuntur, & pro iis omnibus, qui Sacram Communionem ſumpſere.

80 Illa parentheſis, quæ tempus Communionis ad finem Miſſæ trahit, eſt pro illis, quos tædet expectare alios, ut communicent, ſi multi ſint, quod videtur tolerandum, non vero ſi ſint pauci. Tridentinum enim Concilium in ſingulis Miſſis optat Aſtantium Communionem, Navar. *cap.* 21. *num.* 52. *Man.*

Igitur unica rationabilis cauſa differendi Communionem peracta Miſſa, eſt tædium expectantium: ſed aliam ego invenio rationabiliorem, & eſt, ſi non adſint neceſſarii Miniſtri, nec ſint omnia parata, quæ ad diſtribu- 81 tionem Euchariſtiæ pertinent. Vide ſuper hoc doctiſſimam deciſionem Clericati, quæ eſt 20. *in libro de Venerab. Sacramento.* Notat Gavantus in hoc loco, debere celebrantem, poſt ſumptionem Sanguinis, calicem palla tegere, antequam alios communicet: & ego aliud ſubdo: nempe indecens eſſe, quod hoc loco ſubintrat alter Sacerdos cum Cotta, & Stola, & diſtribuat Euchariſtiam: interim vero Sacerdos perficiat ſuam Miſſam: ſicuti inconveniens eſt ab hoc Altare transferre Pyxidem cum 82 Particulis conſecratis ad aliud Altare, & ibi populum communicare.

§. XX. Itaque Sacerdos, ſumpto Sacratiſſimo Sanguine, antequam ſe purificet, ponat Particulas conſecratas in Pyxide, vel ſi pauci ſint communicandi, ſuper patenam, niſi in principio poſitæ fuerint in Pyxide, & genuflectit, Miniſtro interim faciente confeſſionem, ut ſupra.

83 Si prudenter prævideat Sacerdos, quod plures ſint communicandi, Pyxidem in Altari poſitam habere debet cum particulis conſecratis: ſi vero pauci communicandi ſint, poteſt particulas ſuper patenam ponere, & cum patena communicare, Poſſevin. *de Off. Curat. cap.* 8. n. 4. & 5. alleg. a Corſett. *d. addit.* ad *Tract.* 2. *p.* 2. *ſect.* 2. *num.* 2. & 3. Admonet, non tutiſſimum conſilium eſſe, cuſtodiam, ſeu Pyxidem multum replere particulis propter periculum, ne in eis tractandis labantur, & reprobat Sacrum præbere Communionem cum particulis ſuper Patenam, quia poteſt dari, ut eas adeo vicinas exhibeat communicando, ut hic ſola reſpiratione eas a patena dejicere poſſit: imo dantur nonnulli communicandi adeo devoti, ſed imprudentes, qui dum eis præbetur Sacra Buccella, fortiter aſpirando, a manibus, vel e Pyxide, ſeu Patena illam abjiciant.

Confeſſio per Miniſtrum facienda eſt per verba *Confiteor*, de quo alibi locuti ſumus, §. 2.

§. XXI. Poſtea vertens ſe ad populum, in cornu Evangelii dicit: *Miſereatur veſtri*, &c. & eo quo ſupra dictum eſt modo, porrigit communicandis Euchariſtiam, incipiens a Miniſtris Altaris, ſi velint communicare.

Omnia fiunt modo, quo diximus §. 3. hujus tituli.
84 Si miniſtri Altaris velint communicare, incipiendum eſt a Diacono tanquam digniori, & deinde communicandus eſt Subdiaconus; deinceps Clerici, qui inſerviunt ſacrificio; habito inter illos reſpectu Miniſterii. Hoc etiam fit quando Diaconus a dextris, & Subdiaconus a ſiniſtris, ſupra gradum medium Altaris genuflectunt, & Acolythi hinc inde velum extenſum ante communicandos genuflexi tenent, Corſett. *dict. Tr.* 2. *part.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 2. *num.* 4.

§. XXII. Finita communione, revertitur ad Altare, nihil dicens, & non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Miſſæ.

85 Quæri poteſt hic, an in Miſſa defunctorum, in qua non datur populo Benedictio, hæc ſit danda communicantis? Negative reſpondet Gavant. contra quoſdam, qui loquuntur gratis *p.* 2. *t.* 10. §. 6. *litt. num.* Sed neque

in

86 in his Miſſis defunctorum diſtribuenda eſſet Euchariſtia, eodem modo, quo jejunorum tempore apud antiquos Fideles non diſtribuebatur, Albaſpin. d. lib. 1. obſ. 14. ex Gavant. ibid. Benedictio communicatorum in fine Miſſæ eſt danda poſt applicationes, & ſupplicationes Orationum, quæ recitantur ad *Poſtcommun.* Et in hoc loco magis fructuoſa eſt earum Orationum, & applicationum. De purificatione digitorum, a fragmentis, vel Pyxidis, vel Patenæ, vel Corporalis hoc loco facienda, vide quæ diximus ad §. 16. hujus tituli.

§. XXIII. Deinde dicit ſecreto: Quod ore ſumpſimus, &c. ut in Miſſali, ſe purificat, & Miſſam abſolvit.

Hæc ſpectant ad Rubricas Miſſalis; ideoque Gavantus adeundus eſt *loc. cit.*

§. XXIV. Quod ſi contingat, abſoluta Miſſa, ſtatim aliquos interdum communicare, tunc Sacerdos adhuc Planeta indutus, Sacram Communionem eo modo, quo ſupra dictum eſt, miniſtrabit.

Supponitur hic Sacerdotem celebraſſe Miſſam ad Altare, in quo ſit Tabernaculum, & in eo repoſita Pyxis cum Particulis jam conſecratis. In hoc caſu ſe gerere debet Sacerdos eo modo, quo ſupra dictum eſt in ordine miniſtrandi Sacram Euchariſtiam. Unice addo ex Rubrica, non debere Sacerdotem ſe expoliare Planeta, nec aliis veſtibus ad Miſſam inſervientibus, ut ſuperpelliceum, & Stolam ſumat, tanquam veſtes propriæ ad talem functionem. Reputatur hic actus non continuus, ſed contiguus Miſſæ, ideoque durat adhuc eadem ratio deferendi planetam, & alias veſtes adhibitas in Miſſa, Sarnell. *Commentar. de Ritu Miſſæ*.

DE COMMUNIONE PASCHALI,

TITULUS VIGESIMUS QUINTUS.

SUMMARIUM.

1 *Conſtitutio de Communione Paſchali.*
2 *S. Fabianus Papa conſtituit trinam Communionem annuam.*
3 *Communicare in anno ſemel eſt de præcepto Eccleſiæ.*
4 *Parochi monere debent populum de hac obligatione.*
5 *Liber ſtatus Animarum habendus a Parocho.*
6 *Conficiendus tempore Quadrageſimæ.*
7 *Qui non communicant, invitandi ad Eccleſiam.*
8 *Poſſunt cogi a Parocho, & ab Ordinario.*
9 *Signum communicandorum in libro.*
10 *Quodnam ſit tempus Paſchale?*
11 *Tempus Paſchale ab Eugenio IV. aſſignatum.*
12 *Qui intra hoc tempus non communicaverint, pœnas Eugenii incurrunt.*
13 *Mores diverſi, & conſuetudines circa hoc tempus.*
14 *Parochus poteſt rationabiliter prorogare hoc tempus.*
15 *Cauſæ rationabiles hujus prorogationis.*
16 *Schedulæ modus pro dignoſcendis qui non communicaverint.*
17 *Schedulas diſpenſare & colligere ſpectat ad Parochum.*
18 *Communicantes in peccato mortali non ſatisfaciunt præcepto.*
19 *Delinquentes admonendi a Parocho non ſemel, ſed pluries.*
20 *Poſt ſpretam admonitionem denuntiandi ſunt Ordinario.*
21 *Ad Ordinarium ſpectat citare.*
22 *Paſcha celebratur die Dominico Reſurrectionis.*
23 *Interpretative poteſt ſumi pro antecedenti, & conſequenti hebdomada.*
24 *Paſtor tenetur cognoſcere oves ſuas.*
25 *Miniſtratio Paſchalis debet fieri per Parochum.*
26 *Impedimenta quæ diſpenſant Parochum ab adminiſtratione.*
27 *Satis eſt ſi ſit ſubſtitutus Capellanus Curatus.*
28 *Fideles alienæ Parochiæ remittendi ſunt ad ſuam Parochiam.*
29 *Si Parochus communicet non ſibi ſubditos, facta debita diligentia, non peccat.*
30 *Qui communicat in aliena Parochia, non ſatisfacit præcepto.*
31 *Parochi admoneant ab Altari, ut alieni recedant.*
32 *Niſi Parochus libertatem illis relinquat.*
33 *Peregrini, & iter agentes an teneantur ad leges loci?*
34 *Vagi quinam ſint?*
35 *Peregrini quinam ſint?*
36 *Peregrini habent certum domicilium.*
37 *Vagi ſunt communicandi in loco, in quo reperiuntur.*
38 *Peregrini ubique communicando ſatisfaciunt præcepto.*
39 *Peregrini non poſſunt cogi ad Parochiam loci.*
40 *Decretum Eugenii IV. interpretatum.*
41 *An peregrini, & vagi teneantur adire Cathedralem?*
42 *Quæſtio de Communione Paſchali in Cathedrali.*
43 *Decretum Innocent. XI. quod non ſatisfaciant.*
44 *Opiniones Doctorum cedere debent Decretis Papæ.*
45 *Rota Romana ſuſcepit Decreta Pontificum.*
46 *Advenæ & incolæ ſcribendi in libro Parochiali.*
47 *Liber præcipuus ad hoc conficiendus a Parocho.*
48 *Notandi in eo qui capaces ſunt Communionis.*
49 *Paſchales dies ſunt plures.*
50 *Hebdomada antecedens, & ſubſequens eſt Paſcha.*
51 *Infirmi non diſpenſantur a præcepto Paſchali.*
52 *Debent ſatisfacere, ſed non per modum Viatici.*
53 *Quinam veniant nomine ægroti?*
54 *Parochus negligens miniſtrare Infirmo tempore Paſchali peccat.*

CONSTITUTIO hæc apud fideles notiſſima publicata fuit anno 1215. in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ut in cap. 12. *de Pœnit. & remiſſ.* & notat Cabaſſut. *ad Conc. 4. Later. Can. 21.* Ex quo refrigeſcente charitate Fidelium, plures ceſſare cœperunt non ſolum a quotidiana ſed etiam a frequenti, & a trina in anno communione, quam uſque a tertio ſæculo ſtatuerat S. Fabianus Papa, ut legitur *in cap. etſi 16. de conſecr. diſt. 2.* Igitur de præcepto Eccleſiæ eſt communicare ſemel in anno, ſicuti de præcepto Divino ſumere Euchariſtiam ſaltem ſemel in vita, Cleric. *d. deciſ. 14. num. 19.* 1 2 3

§. I. Curet autem Parochus, ut in Quadrageſima per ſe, vel per alios Concionatores populo opportune denuntietur Conſtitutio Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. quæ ſic habet. — Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus, ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum; alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura, &c.

4 Eccleſia itaque præcipit, ut quotannis, tempore Quadrageſimæ, renovetur memoriæ Fidelium iſta obligatio, non per publicum Præconem, ſed per ipſum Parochum, ſi tempore Quadrageſimæ conciones habeat populo ſuo, vel per conſuetum Concionatorem, ut omnibus, & ſingulis innoteſcat. Fit autem hæc publicatio tempore Quadrageſimæ, eo quia tunc ob conciones Fideles frequentius ad Eccleſiam conveniunt, & Paſcha prope eſt.

§. II.

§. II. Ut igitur hoc ſalutare Concilii Decretum inviolabiliter ſervetur, deſcripta Parochus habeat nomina ſuorum Parochianorum; & qui dicto tempore non communicaverint, & poſt octavam Paſchæ eos, qui propriæ ſalutis immemores, ſæpius admoniti, non obtemperaverint, Ordinario ſuo denunciet.

5 Inter libros habendos, & conficiendos a Parocho, lo-
cum habere debet ille de ſtatu Animarum, ut jam di-
ximus in ultimo paragrapho primi Tituli horum Com-
mentariorum; & ut videre eſt in fine Ritualis, ubi
agitur *de formulis ſcribendi in libris habendis apud Pa-*
6 *rochos*. Liber ſtatus Animarum conficiendus eſt a Paro-
cho in principio Quadrageſimæ, niſi adeo vaſta, & nu-
meroſa ſit Parochia, ut longius temporis ſpatium requi-
ratur: tunc enim rationabiliter anticipari poteſt illa de-
ſcriptio.
Per ſe ipſum (niſi juſta de cauſa impediatur) debet
facere iſtam deſcriptionem, habitationes, & domos quaſ-
cumque viſitando, & perſonaliter inviſendo quamcum-
que perſonam, ſive Maſculum, ſive Fœminam, & eas
interrogando, num communicent; & cum inveniat pue-
7 ros ad diſcretionis annos perventos, qui non communi-
8 cent, eos ad Eccleſiam invitare debet, & cogere, ut
ad inſtructionem audiendam conveniant: quæ inſtructio
danda eſt ab ipſo Parocho, ut ſuo tempore ad Sanctam
Euchariſtiam accedant.
In libro igitur præſcripto habeat nomina ſuorum Pa-
rochianorum, qui Communione reficiendi ſunt, præci-
9 puo ſigno illa notando, v. gr. lit. C. quæ ſignificat *Com-*
municandus. Quo peracto, facile ſibi erit dignoſcere
quot ejus Parochiani, qui Sacra Euchariſtia reficiendi
in Paſcham, *Act. 2. Synod. Diœceſ.* 8. atque ita parare
particulas in ſufficienti numero pro dicta Communione
generali.
10 Inquirendum eſt hic quodnam ſit tempus Paſchale,
intra quod Fideles communicare tenentur, ut præce-
ptum Eccleſiæ adimpleant. Fagundez mirabiliter hanc
Quæſtionem tractat, *Præc. 3. lib. 1. cap. 5.* de jure com-
muni, nomine Paſchatis intelligitur ipſa dies Paſchatis
cum octo proximo præcedentibus, & octo proxime ſub-
ſequentibus diebus: & ſic de jure intelligendum eſt diem
Paſchatis quoad hunc effectum comprehendere totum
11 hoc tempus ab Eugenio IV. aſſignatum, ut referunt
Major. *in 4. diſt. 7. quæſt. 2.* & Tabiena *verbo commu-*
nicare, num. 7. Navar. *Manual. cap. 21. num.* 45. Silveſter
verbo Euchariſtia 3. & Cajetan. *in ſumm. verb. commu-*
nio, Ledeſma *in 4. quæſt.* 14. *art.* 5. Suar. *tom. 4. 3. par.*
diſp. 22. *ſect.* 2. Henriq. *tom. 2. lib. 8. de Euch. cap.* 45.
& Azor. *tom. 1. Inſtit. Mor.* Conſtitutio inſuper Euge-
12 nii Papæ eſt XX. quæ incipit, *Fide digna*, &c. Unde
ille, qui intra hoc tempus, ſine legitimo impedimento,
& culpa ſua hoc præceptum non adimpleverit, pœnas
in *prædict. cap. omnis*, &c. impoſitas, incurrit poſt la-
tam Judicis ſententiam. Ubi notandum venit, utram-
que pœnam, tam ejectionis ab ingreſſu Eccleſiæ, quam
privationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ impoſitam a prædicto
cap. ſententiam a Judice ferendam requirere, ut optime
advertit Suar. *tom. 4. de pœnit. in 3. par. diſp.* 36. *ſect.* 8.
num. 2. & Fagundez loco ſupra allegato.

In aliquibus vero locis conſuetudo diu obſervata dero- 13
gavit huic juri, ut notat idem Fagund. *loc. citat.* & in
Luſitania, atque in tota Hiſpania ſufficit, ut quis com-
municet in quolibet die Quadrageſimæ, ut præceptum
Eccleſiæ adimpleat: vel juxta morem Dalmatiæ, poſt
medietatem Quadrageſimæ, teſte Pace Jordan. *tom. 1.*
lib. 3. tit. 3. num. 47. 48. ubi notat per allegat. a Cletic.
d. deciſ. 24. num. 6. 7. ex rationabili cauſa poſſe a Paro- 14
cho hoc tempus ſuis Parochianis prorogari, & appella-
tione Parochi venit Papa in toto Mundo, Epiſcopus in
ſua Diœceſi, & Parochus, qui habet diſtinctam Eccle-
ſiam ſubjectam ſuæ Eccleſiæ Parochiali.
Quænam vero ſint cauſæ rationabiles, propter quas 15
poſſit Parochus prorogare hoc tempus, relinquuntur di-
gnoſcendæ ab ipſomet Parocho. Certa una eſſet, ſi Pa-
rochianus eſſet peccatis illaqueatus, vel excommunica-
tus, vel aliqua cenſura ligatus, a quibus abſolutionem,
ſeu commiſſionem expectaret, quod debet intelligi reſpe-
ctu hujus, aut illius Parochiani, non autem reſpectu to-
tius Parochiæ, quia id eſſet diſponere contra jus com-
mune, Fagund. *d. n. 4.* Barboſ. *d. r.* 20.
Modus conſuetus dignoſcendi Parochianos, qui com- 16
municaverint, vel non, a Rubrica non explicatur, ſed
id ſolet fieri per ſchedulas tradendas Parochianis in actu
communionis, quæ ſchedulæ, ſeu *Bollettini* cum per
ipſum Parochum diſpenſari debeant, & diſtribui (ad 17
illum enim tantummodo hoc ſpectare pronuntiavit Rota
deciſ. 226. num. 2. pag. 1. rec.) ita tranſacto tempore
Paſchali colligi ſolent a Parocho de Domo in Domum,
& illarum numerum cum nominibus in libro jam dicto
adnotatis conferens, facile cognoſcit, an ſinguli præce-
ptum impleverint in ſoro fori: nam poſſet dari caſus,
in quo, licet aliquis communicaverit in Eccleſia Paro-
chiali tempore præſcripto, adhuc præcepto non ſatisfece-
rit in foro conſcientiæ, atque hoc eſſet quando quis
communicaret cum conſcientia peccato mortali ſcienter
maculata, quia tunc præcepto communionis non ſatisfa-
ceret, ut habetur ex propoſit. damnata ab Innocentio 18
XI. *ſub die 2. Martii 1679.* quæ eſt *num.* 5. dicit:
Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Do-
mini manducationem, ſuper quæ vide Carden. *num.* 55.
& alios.
Cognitis a Parocho delinquentibus in hoc præcepto,
onus illius eſt, eos admonere non ſemel, ſed bis, & ter,
ut accedant ad adimplendum præceptum: Quod ſi ſpre- 19
verint admonitionem, & non obtemperaverint, tunc le-
gitime poteſt Ordinario ſuo illos denuntiare, non vero 20
ultra procedere, quia poſt hoc nihil aliud præcipit Ru-
brica noſtra, & quæ remanent facienda, ad Ordinarii 21
facultatem unice pertinent, nempe citare, & ſententiam
excommunicationis ferre ſuis loco, & tempore, quod a
Parocho fieri nequit.

§. III. Dabit quoque operam Parochus, quoad ejus fieri poteſt, ut Ipſo die Sanctiſſimo Paſchæ communicent; quo die, ipſe per ſe, niſi legitime impediatur, Parochiæ ſuæ fidelibus hoc Sacramentum miniſtrabit.

22 Cum vere communiter ab Eccleſia dies Paſchæ cele-
bretur Dominica Reſurrectionis D. N. J. C. in qua
Univerſus Mundus gaudio repletur, de congruenti ve-
nit, ut in hacmet die celebrandum ſit Sacrum Convi-
vium a Fidelibus, accedendo ad ſuſcipiendam Sacram
Euchariſtiam. Præceptum enim Eccleſiæ litteraliter in-
telligi debet pro hac die, dum dicit: *Ad minus in*
Paſcha, Conc. Lat. *ibid.* Hodie enim Paſcha noſtrum
23 immolatus eſt Chriſtus, licet interpretative poſſit ſumi
pro tota hebdomada antecedenti, & ſubſequenti. Ideo
Parochus totis viribus conabitur, ut ſuadeat hac die fa-
ciendam eſſe Sacram Communionem. Si vero Parochiani
pro hac die non obtemperaverint, non ideo puniendi
ſunt, cum Rubrica hæc non ſit præceptiva, ſed loqua-
tur per modum conſilii.
24 Quo vero ad miniſtrationem per ſe ipſum, ſciendum
eſt, quod Paſtor tenetur cognoſcere oves ſuas; & cum
hæc dies ſit quodammodo recognitio & luſtratio totius
Gregis, neceſſe eſt, ut per ipſum Paſtorem hæc fiat;

nam nonniſi bonum effectum parit hæc perſonalis
cura; ſi enim debet, ut alibi diximus, morboſas o-
ves arcere, & indignas repellere, cum ipſe ſolus
ſit, qui eas cognoſcere de jure teneatur, ipſi ſoli 25
incumbit onus hac die, & hac occaſione eas recen-
ſere, & inviſere, S. Carol. *Act. Inſtr. pro Sacra Eu-*
char. graviter Parochos hortatur ad hanc perſonalem di-
ſtributionem.
Legitima Impedimenta, quæ occurrere poſſunt, & Pa- 26
rocho obeſſe in hoc caſu, non refert hic enumerare:
multa enim eſſe poſſunt & extemporanea, quæ nec ipſe
Parochus prævidere quandoque poterit.
In his diſpenſatur rationabiliter, ſi perſonaliter non 27
miniſtrabit; ad cujus ſupplementum ſatis eſt ſi ſaltem
remaneat Capellanus Curatus, cui poſt Parochum in-
cumbit hoc munus: & qui præſertim ſufficientem habere
poſſit in dignoſcendis Parochianis. Si vero Parochus non
habeat Capellanum, & ipſe miniſtrare non valeat, Or-
dinarii cura eſt providere.

§. IV. Alienæ vero Parochiæ fideles ad proprium Parochum remittet, præter peregrinos, & advenas, & qui certum domicilium non habent: quibus ipſe Sacram præbebit Communionem, ſi ad illam acceſſerint rite parati; vel ubi eſt ea conſuetudo, eos ad Cathedralis Eccleſiæ Parochum remittet.

Sup.

Suppoſito, quod Parochus ſingillatim cognoſcat Paro-
chianos ſuos, hoc facile præſtare poterit, ut remittat ad
28 propriam Parochiam Fideles alienæ Parochiæ: Sed ubi
numerus Parochianorum ſit magnus, difficile fieri pote-
rit. Optimum eſt ſuper hoc decretum illud S. Caroli,
editum *in Conc. Prov.* 11. *tom.* 1. *decr.* 12. ut ſingulis
diebus, cum in Paſcha Parochi adminiſtraverint Eu-
chariſtiam, antequam illam cuique præbeant, ad Po-
pulum converſi, denuntient, ut ſi quis eorum, qui ad-
ſunt, Parochiæ ſuæ incola non ſit, ad ſuam quiſque Pa-
rochialem Eccleſiam abeat, ubi quemadmodum canonum
ſanctionibus ſtatutum eſt, eo tempore Sacram Euchari-
29 ſtiam ſumat. Adhibita vero ſedula diligentia, ſi non
ſibi ſubditos communione reficiat, non peccabit, Engel.
30 *Manual. Paroch. par.* 3. *cap.* 3. *n.* 9. & 10. Sed qui in
aliena Parochia communicabit, non ſatisfaciet præcepto
31 Paſchali, quia per *cap. omnis utriuſque*, *&c.* decretum
eſt, ut quiſquis a proprio Sacerdote corpus Domini in
32 Paſchate accipiat, Fagund. *d. num.* 5. Si vero Parochos
quibuſdam ſuis Parochianis liberum relinqueret aditum,
ut a quibus maluerint, hoc Sacramentum accipiant in
Paſchate, tunc præcepto ſatisfacerent, quia ſicut Paro-
chus poteſt dare licentiam ſuis Parochianis, ut alia Sa-
cramenta v. gr. Matrimonii, Pœnitentiæ, &c. ab aliis
accipiant; ita etiam poteſt eam concedere ad Sacramen-
tum Euchariſtiæ, cum par ſit ratio in omnibus, Fa-
gund. *d. n.* 5.

33 De Peregrinis modo venit tractandum. Utrum Pere-
grini, & iter agentes teneantur ad leges loci, per quem
tranſeunt, & ad quem perveniunt, magna quæſtio eſt
inter Doctores, & Fagund. *d. pag.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. eam
doctiſſime tractat. Maximum momentum eſt in digno-
ſcendis qui vere Peregrini ſint, & quinam Vagi, ſeu
Vagabundi. Horum diſcrimen affert Fagund. *loc. citat.*
34 *num.* 4. Vagi dicuntur qui nullibi certum habent domi-
35 cilium, ſed ſunt totius Orbis accolæ. Peregrini vero, &
36 iter agentes domicilium certum habent. Videtur igitur,
quod Rubrica noſtra de prioribus intelligat, eo quia
37 ſubdit; *qui certum domicilium non habent*. Iſti itaque ſunt
communicandi in loco, in quo reperiuntur tempore Pa-
ſchatis, & tenentur ad leges, & conſuetudines loci:
cum enim nullum domicilium habeant, illud ipſum do-
micilium quoad omnia acquirunt ubicumque inveniun-
tur; aliter enim viderentur eſſe exempti ab omnibus le-
gibus, & ſtatutis, & conſuetudinibus, quod eſſet abſur-
dum, Sancius *lib.* 3. *de matr. diſp.* 18. *num.* 15. Sot. *in*
38 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 4. *art.* 2. Hoc pacto communicando
Peregrini, & Vagi ſatisfaciunt præcepto, dummodo rite
parati ſint, ut præcipit Rubrica; nempe bene diſpoſiti per
Sacramentalem Confeſſionem, ſine peccato mortali, &
cum aliis circumſtantiis, quæ in communicando, pro
præparatione ad tantum Sacramentum requiruntur.

Cum vero Parocho non fiat injuria, ſi tales Perſonæ,
quæ nec in illo loco habitant, nec animum habent figendi
domicilium, in Parochiali Eccleſia non communicent,
cum vere non ſint ſui ſubditi ſpirituales, & propria Pa-
rochia in eo loco careant: ideo non poſſunt cogi tales 39
Peregrini ad adeundam Parochiam loci: Rubrica enim
loquitur per modum Conſilii, dicens: *Si ad illum acceſ-
ſerint*. Nec obſtat decretum Eugenii IV. relat. a Fa-
gund. *d. l. num.* 5. hujuſmodi vagos, & Peregrinos adi-
piſci incolatum ad Sacramenta, & Euchariſtiam tempore
Paſchali, licet ini modico tempore ſteterint, quia hoc 40
conceſſum fuit a Papa ad favorem Peregrinorum, & ad
tollendos eorum ſcrupulos: non tamen eos obligavit, ut
abſente Parochis ſubjicerentur: ſed reliquit eos juris com-
munis diſpoſitioni, Sanch *lib.* 3. *de matr. diſp.* 23. *n.* 1.
Rodrig. 1. *tom. qq. Regul. quæſt.* 56. *art.* 6. & alii apud
Fagund. *d. l.*

Attamen volunt nonnulli Doctores per allegat. a Fa- 41
gund. *d. num.* 4. quod Peregrini, Advenæ, & Vagi te-
neantur pro Sacramentis confluere ad Eccleſiam Cathe-
dralem, & Matricem: ſed Rubrica noſtra cum cognoverit
non poſſe Fideles hujuſmodi cogi ad hoc faciendum, ſa-
pienter conſuetudini locorum ſe conformavit, inquiens:
ubi eſt ea conſuetudo: nolens definire an teneantur, nec-
ne? Certe S. Carolus præcepit, curandum eſſe ab Epi-
ſcopo, ut communicent; atque ideo videtur, quod hæc
communio debeat fieri in Cathedr. *Conc. Prov.* 2. *T.* 1.
decr. 12.

Quæſtio ſatis famoſa eſt: An qui communicat tem- 42
pore Paſchali in Eccleſia Cathedrali, & non in propria
Parochia, ſatisfaciat Præcepto? Doctiſſime eam tractat
inter recentiores Clericat. *d. dec.* 48. & contra opiniones
Barboſæ, Fagund. Coniock, & aliorum Doctorum, qui
id fieri poſſe docent, affert rationes, & doctrinas ſatis
concludentes, quibus demonſtrat non ſatisfieri Præcepto,
niſi hoc fiat vel de manu Epiſcopi, vel de licentia pro-
prii Parochi, Clericat. *dict. n.* 18. Imo ad corroborandam
Doctrinam ſuam affert Decretum S. C. Concilii de an-
no 1640. & declarationem S. M. Innocentii PP. XI. 43
anno 1682. qua declaravit, non ſatisfieri præcepto Com-
munionis Paſchalis a communicantibus in Baſilica Late-
ranenſi, vel Vaticana, vel Nationali, ſed eſſe commu-
nicandum in propria Parochia, ſub qua quiſque degit,
ut teſtatur de certa ſcientia Pignatell. *Conſult. T.* 7.
conſ. 89. *num.* 18. quibus Decretis, ſubdit Clericat. *d. l.*
oportet, ut cedant opiniones Doctorum privatorum, 44
cum ea ſemper reverenter ſuſcipiat, & obſervet Rota
Romana, ut habetur coram Buratt. *dec.* 479. *num.* 3. 45
ea ratione, qua ligant in utroque Foro etiam ſi non
ſint publicata, Roderic. *Quæſt. Reg. tom.* 1. *quæſt.* 38.
art. 2. Ferentill. *in addit. ad d. deciſ.* 479. *n.* 21.

§. V. In cæteris vero ſervabit ea, quæ in libro de ſtatu Animarum, ut infra, præſcribuntur.

46 In libro de ſtatu Animarum præſcribitur Parocho, ut
fideliter adnotet nomina ſuorum Parochianorum, an ſint
Incolæ, vel Advenæ, & an permanenter, vel per
tranſitum ibi reperiantur. Librum præcipuum conficien-
47 dum a Parochis præcepit S. Carolus *Conc. Prov.* 11. *tit.*
1. *Decr.* 12. in quo adnotentur nomina, cognomina, &
origines, ſeu Domicilii locus: ſicuti ſervabit ordinem
adnotandi eos, qui ad Sacram Communionem initiati 48
ſunt, & ſunt capaces hujus Sacramenti, ut in fine hu-
jus libri explicabimus.

§. VI. Ægrotis quoque Parochialibus, etiam ſi Communionem extra præſcriptos Paſchales dies ſumpſerint, in Paſchalibus diebus illam deferet ac miniſtrabit.

Notanda hic ſunt verba illa: *Extra præſcriptos Paſcha-
les dies*, & *in Paſchalibus diebus*. Quibus videtur, quod
& ipſa Rubrica declaret, unum non eſſe tantummodo
49 diem Paſchalem, ſed plures: ex quo corroboratur opi-
50 nio illorum, qui pro tali tempore admittunt hebdoma-
dam antecedentem, & ſubſequentem Paſchæ, ut ſupe-
rius ſuo loco diximus.

51 Ulterius apparet ex hac Rubrica, non eſſe diſpenſatos
Infirmos ab obſervatione præcepti Paſchalis: ſi enim
52 commode fieri poteſt, debent Infirmi ſatisfacere Præce-
pto, ſed non per modum Viatici: Viatici enim ſumptio
eſt de neceſſitate alterius præcepti.

Ægroti nomine venit quicumque ab Infirmitate cor- 53
poris detinetur, nec valet ad Eccleſiam accedere, non
vero ille, qui alia de cauſa, Domi, vel in loco imme-
ni degit, nec inde exire poteſt, aut vult: Aſſervatur
enim Sanctiſſima Euchariſtia in Tabernaculo ad adora-
tionem pro iis, qui ad Eccleſiam conveniunt, & ut In-
firmis facile miniſtretur quavis diei, vel noctis hora, S.
Auguſtinus *lib.* 1. *de viſitat. Infirm. cap.* 4. Quod ſi Pa-
rochus neglexerit adminiſtrare Sacramentum Infirmo,
tempore Paſchali, peccabit mortaliter, Berton. *de negli-* 54
gent. part. ſecunda articul. 32. *num.* 15.

DE COMMUNIONE INFIRMORUM,

TITULUS VIGESIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

1 *Viaticum plures habet ſignificationes.*
2 *Eſt quandoque Reſtitutio alicujus Fidelis communioni Eccleſiæ.*
3 *Omne Viaticum non eſt Euchariſtia.*
4 *Communiter ſumitur Sanctiſſima Euchariſtia pro Infirmis.*
5 *Significat Euchariſtiam, quæ præferunt Pontifici itineranti.*
6 *Adventus Papæ Clementis VIII. Ferrariam.*
7 *Significatio myſtica Viatici.*
8 *Eſt Sacramentum neceſſitate Præcepti ſumendum.*
9 *Fideles antiquitus detinebant apud ſe Sacram Hoſtiam.*
10 *Miniſtrandum eſt dum æger eſt compos mentis.*
11 *Parochus peccaret ſi æger moreretur ſine Viatico.*
12 *Quinam arcendi ſint a Sacra Communione?*
13 *Concubinarii quinam ſint?*
14 *Si non dimittant Concubinam, non ſunt communicandi Viatico.*
15 *Opinio damnata de Concubinis tenendis ad alium uſum.*
16 *Infirmi debent prius ejicere Concubinam, poſtea petere Sacramenta.*
17 *Conſtitutio contra Medicos tertio viſitantes Infirmos.*
18 *Monitum de Confeſſ. & Commun. debet fieri per modum exhortationis.*
19 *Circa periculum ſtandum eſt judicio Medicorum.*
20 *Parochus poteſt eſſe peritus, deficiente alio peritiore.*
21 *Non eſt credendum Infirmo dicenti ſe bene habere.*
22 *Melius eſt vivere cum Sacramentis, quam mori abſque illis.*
23 *Viaticum debet miniſtrari etiam ſi æger pridie communicaverit.*
24 *Ægroto convaleſcenti poteſt iterum miniſtrari Communio.*
25 *Infirmi in eadem infirmitate poſſunt pluries communicari.*
26 *Opinio illorum, qui volunt Infirmum poſſe communicari quotidie.*
27 *In eadem die communicatus poteſt reſici Viatico.*
28 *Aliqui volunt quod teneatur.*
29 *Æger convaleſcens tenetur Paſchali præcepto parere.*
30 *Jejunium neceſſarium pro Communione.*
31 *Infirmi poſſunt ſumere Viaticum non jejuni.*
32 *Infirmi difficile poſſunt abſtinere a cibo, vel potu pro medicina.*
33 *Infirmus ſi commode poteſt, debet communicare jejunus.*
34 *De Viatico miniſtrando morte plectendis.*
35 *In Hiſpania damnati non communicabant.*
36 *Concilium Moguntinum reprobavit hanc conſuetudinem.*
37 *Ita pariter motu proprio S. Pius V.*
38 *Communicandi ſunt morte plectendi.*
39 *In quibuſdam locis Communio fit tertia die ante mortem.*
40 *An damnati communicandi ſint jejuni?*
41 *Damnati ad mortem non ſunt regulariter Infirmi.*
42 *Communiter communicantur non jejuni.*
43 *Difficiliter poſſunt damnati abſtinere a potu.*
44 *Damnati corripiuntur febre ſtatim ac monentur de ſententia.*
45 *Morborum genera pro quibus Ægroti non ſunt communicandi.*
46 *Regula de dignoſcendis talibus morbis.*
47 *Delirantibus ſi ante delirium petierit, poteſt miniſtrari Viaticum.*
48 *In Phrenetico datur ſemper caſus, & periculum irreverentiæ.*
49 *Viaticum non eſt miniſtrandum Infirmo ſub ſpecie Vini.*
50 *Os fœtidum purgari debet Infirmo ante Communionem.*
51 *Morbus eſt qui diſtinguit communicandos domi, a communicandis in Eccleſia.*
52 *Infirmis non jejunis præſtari poteſt Communio per modum Viatici.*
53 *Si morbus ſit chronicus, ſervandum eſt Jejunium.*
54 *Infirmus communicandus ex devotione debet eſſe jejunus.*
55 *Euchariſtia ſervatur in Tabernaculo ut adoretur.*
56 *Et ut Infirmis miniſtretur*
57 *Adoratio debet fieri in Eccleſia.*
58 *Sumptio pro Viatico debet fieri in Domo.*
59 *Euchariſtia non deferenda ad Ægrotos, ut tantum eam adorent.*
60 *Veſtes miniſtrantis Viaticum.*
61 *Viaticum deferendum Infirmo etiam in vili loco degenti.*
62 *Et hæc eſt maxima dignatio Dei.*
63 *Velum ſericum album ad uſum deferendi Viaticum.*
64 *Ejus menſura.*
65 *Appellatur Velum humerale.*
66 *Viaticum debet deferri manifeſte, hoc eſt, ante pectus*
67 *Honorificentia, & reverentia habenda in hoc caſu.*
68 *Sacerdos precedere debet gravi inceſſu.*
69 *Currere repugnat reverentiæ.*
70 *Baptiſmus, & Pœnitentia poſſunt feſtinanter miniſtrari.*
71 *Parochus poteſt feſtinare, non autem currere cum Viatico.*
72 *Fideles pro Divino cultu in Viatico utuntur cereis accenſis.*
73 *Acolythorum ordo inſtitutus eſt ad hoc.*
74 *Familia Ægroti deberet occurrere cum Cereis accenſis.*
75 *Laterna pro Viatico inſtituta, & neceſſaria.*
76 *Conſtitutio Benedicti XIII. ſuper hoc.*
77 *Quatuor habendæ laternæ pro quacumque Parochia.*
78 *Earum forma a D. Carolo præſcripta.*
79 *Deferri debent a Confratribus SS. Sacramenti quatenus adſint.*
80 *Campanæ quare pulſentur?*
81 *In caſu Viatici debent pulſari diſtincto modo.*
82 *Brevi tempore pulſari debent occaſione Viatici.*
83 *Invitantur præcipue Confratres Sanctiſſimi Sacramenti.*
84 *Confraternitas Sanctiſſimi Sacramenti quando inſtituta?*
85 *Feſtum SS. Corporis Chriſti quando inſtitutum?*
86 *Confratribus SS. Sacramenti incumbit aſſociare SS. Viaticum.*
87 *Lumina debent eſſe ex cera.*
88 *Oleum permittitur adhibendum tantum in lampadibus.*
89 *Quot intorticia haberi debeant a Parocho pro aſſociatione SS Viatici.*
90 *Diſtribui debeant Perſonis dignioribus.*
91 *Umbella, ſeu Baldachinum neceſſarium pro Viatico.*
92 *Earum forma.*
93 *Baldachini uſus pro Umbella.*
94 *Baldachinum pro Proceſſionibus inſtitutum.*
95 *Menſa, & Linteum paranda in domo Ægroti.*
96 *Baldachinum parvum portatile pro cubiculo in domo Ægroti.*
97 *Cubiculum Ægroti mundandum a ſordibus.*
98 *Cubile etiam mundandum ſi fieri poteſt abſque Ægroti incommodo.*
99 *In loco vili & pauperi Parochus ſecum deferre debet menſam, & linteum.*
100 *Luminaria ſi non adſint, ferenda ſunt a Parocho.*
101 *Per luminaria intelliguntur laternæ.*
102 *Vaſcula bina pro Aqua, & Vino parari debent.*
103 *Hæc omnia poſſunt parari a ſodalibus SS. Sacramenti.*
104 *Sodales SS. Sacramenti ex inſtitutione id præſtare debent.*
105 *Nemo de jure obligari poteſt ad aſſociandum SS. Sacramentum.*
106 *Clerici, & Sacerdotes an cogi poſſint ad hanc aſſociationem?*
107 *Miniſtratio Viatici eſt miniſtratio Altaris.*
108 *Ratione ordinis Clerici, & Sacerdotes poſſunt obligari.*
109 *Stola albi coloris adhibenda.*
110 *An poſſit Viaticum miniſtrari a Parocho abſque veſtibus Sacris.*
111 *Pluviale eſt Veſtis viatoria.*
112 *Pluviale eſſet adhibendum in miniſtratione Viatici.*
113 *Maxime ſi tempus, & Perſonæ id poſtularent.*
114 *Acolythi debent intereſſe huic proceſſioni.*
115 *Stola debet adhiberi a ſolo Parocho.*
116 *Duæ Particulæ conſecratæ ſaltem portandæ in adminiſtratione Viatici.*
117 *Sufficit una ſi iter longum eſſet.*
118 *Et quando Populus extracidere non debeat.*
119 *Cuſtodia loco Pyxidis adhibenda, quid ſit?*
120 Scattola ex *metallo facta, ſed intus inaurata.*
121 *Ejus uſus pro evacuando oſtenſorio.*
122 *In ſacculo reponitur, ſi iter cum Viatico ſit longum.*
123 *Omnimode inſervit ad id, cui inſervit Pyxis.*
124 *Pyxis accipi debet ambabus manibus.*
125 *Quid ſignificent ambæ manus?*
126 *Deferentes Baldachinum cauti ſint.*
127 *Miniſter debet incedere detecto capite.*
128 *Impetratur ab Urbe diſpenſatio capitis velandi, ſed non intra Canonem.*
129 *Epiſcopus diſpenſari non poteſt circa Birretum, & Pileolum in Miſſa.*
130 *Supellex deferenda ad Domum Infirmi.*
131 *Acolythus inter Clericos eſt Altari proximior.*
132 *Antiquitus una tantum laterna adhibebatur.*
133 *Nocte non deferendum Viaticum niſi in periculo mortis.*

134

134 *Si de die deferatur Viaticum, magis decorum.*
135 *Qui ſine neceſſitate, noctu miniſtraret Viaticum, peccaret.*
136 *Loco Clericorum poſſunt intrare Laici.*
137 *Aqua benedicta deferenda eſt, ſi non adſit in Domo Ægroti.*
138 *Aſpergillum ex quacunque materia confici poteſt.*
139 *Aquæ benedictæ ſignificationes.*
140 *Non in vanum adhibetur ante adminiſtrationem Viatici.*
141 *Burſa, & Corporale adhiberi debent.*
142 *Burſa hæc ad nihil aliud inſervire deberet.*
143 *Purificatorium quid ſit?*
144 *Antiquitus loco Purificatorii inſerviebat Manipulus,*
145 *Ad quem finem deferatur cum Viatico?*
146 *Liber Ritualis deferendus eſt.*
147 *Campanula in itinere Viatici pulſanda.*
148 *Significatio hujus Campanulæ.*
149 *Noſocomium S. Annæ Ferrariæ præſtat Campanulas Parochiis pro Viatico.*
150 *Bini bini procedant qui comitantur Proceſſ. cum Viatico.*
151 *Sacerdos tenet locum digniorem.*
152 Miſerere, *Pſal. recitandus in Proceſſione Viatici.*
153 *Quare hoc loco recitetur?*
154 *Alii Pſalmi, Hymni, & Preces recitandi in dicta Proceſſione.*
155 *An Pſalmi, & Hymni canendi ſint tono Gregoriano?*
156 *Roſarium B. M. V. recitatur in Villis, loco Pſalmorum.*
157 *De neceſſitate quandoque equitandi cum Viatico.*
158 *Burſa cum Sacramento pendere debet e collo Sacerdotis.*
159 *Pax primo annunciatur Domui Infirmi.*
160 *Actus reverentiales veris faciendi Sacramento.*
161 *Genuflexio quid importet?*
162 *Aſperſio fit circa lectum Infirmi.*
163 *Viſitatio Infirmi cum Viatico non debet eſſe prima.*
164 *Pœnitentiæ Sacramentum debet prius miniſtrari Infirmo.*
165 *Ante miniſtrationem Viatici debet Parochus interrogare Infirmum.*
166 *Nonnulla alia præmittenda ante miniſtrationem Viatici.*
167 *Caſus de Confiteme prolixo in caſu Viatici.*
168 *Parochus interrogare debet Infirmum ſecreta.*
169 *Integritas confeſſionis remitti poteſt in caſu Viatici.*
170 Confiteor *eſt confeſſio generalis.*
171 *Ratio cur dicitur* Miſereatur tui, *non* veſtri.
172 *Infirmus una cum Sacerdote dicat,* Domine non ſum dignus.
173 *Formula miniſtrandi Viaticum.*
174 *Formula omittenda non eſt a Sacerdote miniſtrante.*
175 *Clare exprimi debent verba formulæ.*
176 *Infirmus interrogari debet, an velit ſumere Viaticum?*
177 *Formula iſta non dicitur quando Infirmus communicat ob devotionem.*
178 *In periculo proxime mortis, omitti poteſt formula.*
179 *Caſus iſte difficiliter dari poteſt juxta alicujus opinionem.*
180 *Hæc ſingularis opinio minime ſequenda eſt.*
181 *Adducitur Canon, ex quo colligitur communis ſententia.*
182 *Abluens digitos Sacerdos nihil dicit.*
183 *Ablutio an facienda ſit Vino, vel Aqua?*
184 *Vaſa pro Aqua, & Vino parata ad hoc inſerviunt.*
185 *Laudabilius eſt, ut Aqua ſe abluat.*
186 *Vinum Purificationis non ſemper dandum Infirmo.*
187 *Ablutio quando non ebibatur, reportanda, vel igni tradenda.*
188 *Una particula remanere debet pro reditu, generaliter loquendo.*
189 *Sacerdos non debet deſerere Infirmum non benedictum.*
190 *Nihil dicendum in tali benedictione,*
191 *In benedictione cum Sacramento, ſemper tacendum.*
192 *Verba in communione non ſunt pro benedictione,*
193 *Aliam regulam tenendam docuit S. Carolus.*
194 *In reditu omnia ſervantur quæ in acceſſu.*
195 *Pſalmi, & Hymni mutantur, & ſunt pro gratiarum actione,*
196 *Sacramentum deponendum ſuper Altare, & expectandus Populus.*
197 Tantum ergo: *hoc loco cantari ſolet.*
198 *Hymn.* Pange lingua *ſupponitur jam expletus.*
199 Dominus vobiſcum *amplius non dicitur.*
200 *Indulgentiæ annunciari debent a Parocho.*
201 *Quot, & a quibus conceſſæ ſint Indulgentiæ?*
202 *Benedici debet Populus, nihil dicendo.*
203 *Quando Sacramentum non reportatur, benedicitur Infirmus manu Parochi.*
204 *Deponitur veſtis a Sacerdote antequam e domo exeat Infirmi.*
205 *Supellex reportanda ad Eccleſiam.*
206 *Thuribulum cum incenſo in civitatibus adhibetur in Proceſſione Viatici.*
207 *Cum communicat Sacerdos pro Viatico, deferenda eſt ſtola ſeparata.*
208 *Regulares tenentur præſtare commodum Parocho extrahendi SS. Viaticum.*

VIATICUM plures habere ſignificationes, clariſſime conſtat ex dictis a Clericat. *dict. deciſ.* 19. *numer.* 1. Verum doctiſſimus Albaſpina Epiſcopus Aurelianenſis in ſuo elucubratiſſimo libro *de Veteribus Eccleſiæ Ritibus, lib.* 1. *obſerv.* 11. contra communem opinionem, non aliud eſſe Viaticum dicit, quam reſtitu- 2
tionem alicujus fidelium communioni, nec omne Viaticum eſſe Euchariſtiam; cum Pœnitens ex hac vita emi- 3
grans, aliud quam Euchariſtiæ Viaticum poſſit accipere. Per antonomaſiam vero communiter Viaticum ſi-
gnificat apud fideles Sacroſanctam Euchariſtiam, quæ 4
datur conſtitutis in articulo mortis, *cap. qui recedunt* 26. *quæſt.* 6. *cap. quid in te* 11. *de Pœnit. & conſiſſ.* Sicuti enim Viaticum etiam ſignificat Euchariſtiam, quæ Papæ ab Urbe paulo longius proficiſcenti præfertur, ut ſole- 5
mniſſima pompa, religioſiſſimoque apparatu teſtatur vidiſſe Caſal. *de Vet. Sacr. rit. cap.* 81. tunc cum Clemens VIII. Papa Ferrariam petiit anno 1598. ad ſigni- 6
ficandam Arcam Fœderis, quæ Populum Iſraeliticum in Terram Promiſſionis proficiſcentem anteibat: ita in delatione ejuſdem Sacramenti ad proxime moriturum, hoc Viaticum confert vires Animæ Fidelis ad iter agendum 7
in æternitatem, & ad actus Diabolicos ſuperandos, Clericat. *d. num.* 2.

§. I. Viaticum Sacratiſſimi Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſummo ſtudio, ac diligentia Ægrotantibus, opportuno tempore procurandum eſt, ne forte contingat illos tanto Bono, Parochi incuria, privatos decedere.

Procurandum itaque eſt hoc Sacramentum ſummo ſtudio, & diligentia Ægrotantibus, & tempore opportuno, ut ſic adimpleat præceptum ſeu Divinum, ſeu Ec-
8 cleſiaſticum, ut diſputant Theologi: qua ratione dicitur hoc Sacramentum eſſe neceſſarium non neceſſitate medii, ſed neceſſitate præcepti, & ſimpliciter ad ſalutem, Gloſſ. *in cap. quod in te* 11. *verb. concedimus, de Pœnit. & confeſſ.* Caramuel. *Theol. fundamental. num.* 2004.

Quamobrem cauta ſemper fuit ſollicitudo Eccleſiæ, ne Fideles in articulo mortis conſtituti, hoc valido præſi-
9 dio immuniti decederent, ut in primitiva Eccleſia, graſſante Perſecutione, concederet iiſdem fidelibus Sacram Hoſtiam apud ſe detinendam, ad hoc ut ſi mortis caſus accideret, eam aſſumendam præſto haberent, Pax. Jord. *lib.* 3. *t.* 3. *n.* 5.

Tempus opportunum, quod a textu quæritur, eſt 10
dum æger eſt mentis compos, & viribus ſpiritualibus ſalſam polles, ut recte animadvertat id, quod agit, & ſuſcipit, ad hoc ut ſuſcipiat cum fructu ſpirituali. Quod ſi ex incuria, & negligentia Parochi fieret, ut Infirmus ſine Euchariſtiæ Sacramento moreretur, certe immunis a culpa non eſſet negligens Parochus; quam culpam mortalem eſſe judicat inexcuſabiliter, noſtræ Ferrarien. Eccleſiæ Canonicus Theologus Andreas Bertoni, *de ne-* 11
gligent. P. 2. *not.* 32. *num.* 15. ut in fine antecedentis Rubricæ dictum fuit.

§. II. Cavendum autem in primis eſt, ne ad indignos, cum aliorum ſcandalo deferatur, quales ſunt publici Uſurarii, concubinarii, notorie crimi noſi, nominatim excommunicati, aut denunciati, niſi ſe ſe prius Sacra Confeſſione purgaverint, & publicæ offenſioni, prout de jure, ſatisfecerint.

12 De indignis a Sacra Communione arcendis ſatis dictum eſt in explicatione Tituli de hoc Sacramento §. 7. Addam aliquid modo de Concubinariis, & dicam, non obſtantibus quibuſcumque opinionibus in contrarium,
13 Concubinarium ſive publicum, ſive ſecretum, non dimiſſa, ejectaque Concubina, reperiri in ſtatu peccati mortalis, & per conſequens non poſſe admitti ad Sacram Euchariſtiam percipiendam neque in articulo mortis, Clericat. *d. dec.* 13. *nu.* 5. nec valet dicere, 14
Concubinarium non amplius tangere Concubinam, ſed

Comment. ad Rituale.

pro

pro domus gubernio eam tenere, quia opinio damnata
eſt, quod ſit licitum tenere Concubinam, etiam copula
ceſſante; damnavit enim hanc pravam propoſitionem
15 Alexander Papa VII. die 2. Septembris 1666. & tres
alias conſimiles damnavit pariter Innocentius Papa XI.
anno 1679. die 4. Martii, & ſunt in ordine 61. 62. 63.

debent igitur Concubinarii prius ejicere Concubinam,
& deinde impetrare Sacramenta: pro quo notandum eſt, 16
quod *ejicere*, ſignificat, *extra domum projicere*, *longe*,
& omnino expellere. *Cap. Vidua* 16. *diſt.* 34. Clericat.
dict. deciſ. vigeſima octava, *num.* 12. *&* 13.

§. III. Hortetur Parochus infirmum, ut Sacram Communionem ſumat, etiamſi graviter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime ſi Feſti alicujus celebritas id ſuadeat, neque ipſe illam miniſtrare recuſabit.

Sanctiſſima Conſtitutio illa eſt nuper edita in Roma-
17 no Concilio a Benedicto XIII. *T.* 32. *cap.* 1. ubi præ-
ter pœnas alias, excommunicationem proponit adverſus
Medicos tertio viſitantes infirmos poſt decubitum non
confeſſos: quia quamvis de Sacra Communione mentio-
nem non faciat, attamen ad eam ſuſcipiendam facilius
diſponit per Sacramentalem Confeſſionem. Ægrotus ita-
que juxta hanc regulam monitus, & pœnitentiæ Sacra-
mento munitus, quamvis non graviter laboret, attamen
facilius ſe ad Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiendum
diſponet, nec grave illi erit Parochi monitum, tunc
quando illi dicet: *Diſpone Domui tuæ*, *&c.* Iſtud tamen 18
monitum debet eſſe per modum exhortationis, ut inſi-
nuat Rubrica noſtra, ne Infirmus deterreatur; quod fa-
cile evitari poterit, ſi colore, & prætextu alicujus im-
minentis ſolemnitatis (dummodo tamen non mentia-
tur) id fiet. Interim Parochus devotionem ſuis moni-
tis, ac piis conſiderationibus excitabit, ut in ægrotantis
pectore divinus exardeſcat ignis.

§. IV. Pro Viatico autem miniſtrabit, cum probabile eſt quod eam amplius ſumere non poterit. Quod ſi æger, ſumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaſerit, & communicare voluerit, ejus pio deſiderio Parochus non deerit.

19 Judicio peritorum Medicorum ſtandum eſt in hoc ca-
ſu, vel ſi Medicus non adſit, conſiderandum eſt pericu-
lum a prudenti Parocho, cui ſi in conſcientia videtur,
20 ægrotum eſſe in periculo non amplius ſumendi tale Sa-
cramentum, debet illud miniſtrare audenter, & ſine
ſcrupulo, juxta peritiam ſuam, deficiente alio peritio-
re: nec credere debet verbis Infirmi, qui conſtanter
dicet, ſe graviter non laborare, ac potius bene ſe ſen-
tire; quia eſt axioma commune Medicorum in mali-
21 gnis febribus: *Pulſus bonus*, *Urina bona*, *æger moritur*.
Certe non expectandum eſſe tale periculum, ut amplius
non ſit locus communicandi, docet Benett. *d. Opus
Med. morale corol.* 2. *num.* 3. *pag.* 147. *in append.* Cir-
ca quod mihi ſemper placuit conſilium illud cujuſdam
doctiſſimi Parochi Ferrarienſis, qui in caſibus dubiis ſo-
22 lebat dicere: Melius eſſe vivere cum Sacramentis, quam
mori abſque illis. Igitur ſine dubietate in hoc caſu de-
23 bet Parochus miniſtrare etiam ſi Infirmus pridie com-
municaverit ſanus, quia cum id non fecerit ob adim-
plendum præceptum de ſumendo Viatico, illa Commu-
nio, quæ præceſſit, ad hoc non valet, ſicuti non vale-
ret auditio Miſſæ ante diem feſtivum, vel jejunium an-
te diem vigiliæ, Clericat. *d. d.* 23. *num.* 2. *&* 3.
Aliquid dicendum eſſet hoc loco de Communione mi-
niſtranda morti condemnatis, in quibus verificatur id,
quod dicit Rubrica: *probabile eſſe*, *quod eam amplius
ſumere non poſſint*. Sed cum eodem tempore loquendum
ſit de jejunio, ad ſequentem §. omnia dicenda remit-
tam.
24 Convaleſcente ægroto poſt ſumptum Viaticum, ſi pe-
tierit Communionem, poterit ei miniſtrari: concedunt
enim DD. per Tonell. *Sacr. Enchir. l.* 1. *cap.* 5. §. 6.
25 *num.* 14. poſſe Infirmum in eadem infirmitate plories
Viaticum ſumere. Alii cum Villalob. poſt 10. dies; alii 26
cum Sylv. poſt 7. cum Filliuc. alii poſt 6. alii cum Lud.
a S. Joann. poſt 3. denique Leander plures citans *par.*
2. *de Sacr. tr.* 7. *diſp.* 5. *quæſt.* 40. concedit, Infirmum,
durante periculo mortis, poſſe quotidie non jejunum
communicare. Sed alii contrarium docent probabilius,
niſi forte infirmus ob ſingularem pietatem, & devotio-
nis affectum, ægre ferret cæleſti pabulo privari, ut no-
tat Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *cap* 6. *num.* 20. Si vero pericu-
lum ceſſaverit, & poſt decem, vel octo dies iteratum
periculum ſubierit, non ſolum poſſe, ſed etiam teneri
Viatici præcepto ſatisfacere docet Quart *par.* 3. *tit.* 9. *ſect.*
1. *dub.* 6. *caſu* 3. quod tamen cum tanto rigore non
credit intelligendum Tonell. *l. c. num.* 17. quia cum
prorſus non convaluerit, durante eadem infirmitate, cen-
ſetur etiam idem morale periculum, quamvis primum
phyſice ceſſaverit. Quibus addo cum eodem Tonell. §.
12. *ſect.* 1. *n.* 4. probabile eſſe quod docent multi cum
Hurtad. *de Euch. diſp.* 10. *diſſ.* 2. Laicum, qui ex de-
votione mane communicaverit, poſſe eodem die, ſi in 27
periculum mortis incidat, iterum pro Viatico communi-
cari. Imo alii cum Quint. *tr.* 4. *ſing.* 9. *num.* 1. aſſe-
runt non ſolum poſſe, ſed teneri; contra quos eſt opi- 28
nio negative, & probabilior Tambur. *Meth. com. c.* 5.
§. 6.
Ego credo, huic loco (Rubricam noſtram ſequendo)
poſſe addere; quod ſi quis ſumpto Viatico, convaluerit, 29
deinceps teneatur communicare in Paſchate, ſi tempore
Paſchatis ſumpſit Viaticum, quia diverſa ſunt præcepta
adimplenda: unum de Communione Paſchali, alterum
de Viatico ſumendo, Tonell. *d.* §. 6. *n.* 21. §. *Quod
ſi*. Alia dicemus in §. 6. hujus Rubricæ inferius.

§. V. Poteſt quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis: id tamen diligenter curandum eſt, ne iis tribuatur, a quibus ob phreneſim, ſive ob aſſiduam tuſſim, aliumve ſimilem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri poteſt.

Quamvis in primitiva Eccleſia jejunium naturale eſſet
30 præſcriptum ad communicandum, ut patet ex S. Auguſt.
ep. 118. *cap.* 6. *ad Januar.* & ex dicto Tertulliani, qui
aſſerit, debere Fideles accedere ad Sacram Menſam *Vir-
gine adhuc ſaliva*, *de Jejun. cap.* 6. & habetur in Can.
liquido 154. *de conſecr. diſt.* 2. *c. Sacramenta* 59. *de con-
ſecr. diſt.* 1. *c. nihil.* 7. *q.* 1. *c. ex parte*, *de celebr.
Miſſ.* & S. Thom. 3. *par. q.* 80. *art.* 8. nihilominus
indulgens, & pia mater Eccleſia, nobis in patriam re-
dituris, ut in fortitudine hujus cibi ad montem, qui
Chriſtus eſt, pervenire valeamus, Cl. *d. dec.* 19. *n.* 7.
31 indulſit, ut Infirmis non jejunis etiam poſſet præberi,
ut eſt communis Doctorum ſententia, & pluribus SS.
Concil. Decretis probat Card. Brancat. *de Sacro Viatico*,
p. 140. *& ſeqq.* de Lugo *de Euch. diſp.* 15. *n.* 58.
Hæc diſpenſatio miniſtrandi Sacramentum Euchariſtiæ
Infirmis proxime morituris, non jejunis, probatur ab
immemorabili conſuetudine, ubique locorum obſervata,
contra quam nullus adhuc, quem ſciam, nec Canon,
nec Doctor inſurrexit: imo Conc. Conſtantien. *ſeſſ.* 13.
loquendo de hoc jejunio, excipit caſum infirmitatis,
32 in qua difficile, & non ſine periculo poteſt Infirmus ab-
ſtinere a cibo, vel potu, ſaltem per modum medicamen-
ti. Attamen Coninck *d. q.* 80. *art.* 8. *n.* 51. in voto
eſt, ut jejunus communicet: ſed ego puto, quod loqua-
tur de Infirmo non morti proximo; nam ſubdit: Non 33
tamen ideo teneri communionem differre uſque in ſe-
quentem diem cum periculo, ne prius moriatur, aut ita
morbo opprimatur, ut non poſſit poſtea integris ſenſibus
communicare.
Hic locus eſt diſſerendi de miniſtrando Sanctiſſimo 34
Viatico condemnatis, & morte plectendis. Certe anti- 35
quitus, & præcipue in Hiſpania, mos erat, & conſue-
tudo non præbendi Communionem capite damnatis, ut
notat Coninck *d. q.* 80. *art.* 11. *dub.* 3. ſed hanc cru-
delem nimis conſuetudinem reprobavit Concilium Mo- 36
guntinum ſub anno 847. ut notat Baron. *Annal. t.* 10.
ſub anno eodem, §. *ut Epiſcopi*, *a.* 29. & recentioribus
ſæculis, motu proprio, abrogavit SS. Pius V. de anno 37
1569. ut teſtatur Suarez *diſput.* 69. *ſect.* 3. quem ſeque-
batur fortaſſe Parochus ille, de quo loquitur Menare
Nott. Malinc. Interr. 19. qui Sanctiſſimum Viaticum cui-
dam condemnato acriter miniſtrare renuebat. Sed clare 38
loquitur textus noſter, dum dicit, adminiſtrandam eſſe
Sacram Euchariſtiam iis, qui probabiliter eam ſumere
amplius non poterunt. Quænam quæſo major probabili-

tas

tas dari poteſt, quam quod aliquis ſit ad mortem da-
mnatus? Igitur Sacra Communione reficiendus eſt, ut
decrevit S. *Epiſcoporum Cong.* 26. *Junii* 1590. decernens
contra quorumdam irreſolutam opinionem — *Reis capi-
tali ſententia damnatis, etiam mane quando exequenda
eſt, poſſe dari Euchariſtiam*, Barboſ. *d. Man. Epiſt. verb.
Euchariſt. num.* 49. Ita etiam Fagund. *de Regim. Reip.
Chriſt. p.* 1. *lib.* 5. *diſp.* 12. §. 13. *num.* 65. cujus ver-
ba ſunt: *Qui ſunt capaces præceptorum, obligari in arti-
culo mortis, etiam ſi ſit violenta, & authoritate publica
impoſita, ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum tanquam Via-
ticum*. Quam ſententiam ſequuntur Diana, & Quinta-
naduen. allegat. a Manara *d. loc.*

39 Unicam cautelam addidit S. Carolus, *Act. p.* 4. *Inſtr.
Euch.* quæ non ubique locorum adimpleri poteſt, ſed in
iis tantum ubi viget conſuetudo per triduum ante mor-
tem conſolandi damnatos. Ubi vero una dies ſit aſſi-
gnata peremptorie huic officio, utpote hic Ferrariæ,
Bononiæ, Romæ, alibique locorum, nequit impetrari
id, quod S. Archiepiſcopus innuit, dum dicit: *Reis ca-
pite damnatis, eo tempore miniſtrabit (Euchariſtiam)
aget vero cum Judice, magiſtratuve, ut quo die illi Cor-
pus Domini ſumpſerint, ne eo die, ob reverentiam affi-
ciantur ultimo ſupplicio*.

40 Difficultas ait an hujuſmodi condemnati ſint commu-
nicandi jejuni, vel pro iis valeat regula eadem, quæ
pro infirmis proxime morituris. Notum eſt, ut etiam
41 advertit Benett. *dict. Coroll.* 3. *n.* 7. §. *Hæc autem,
&c.* ultimo ſupplicio damnatos generaliter loquendo,
non eſſe infirmos, ideoque poſſe, ſine læſione ſalutis,
vel ſine augmento infirmitatis jejunium ſervare; quod
non militat in Infirmis, qui ſaltem pro medicamento
ſæpius reficillandi ſunt. Ideo Coninck *d. q.* 80. *art.* 8.
n. 51. aſſerit, quod ſi afficiendus ſupplicio, præſervarit
ſe eo die moriturum, tenetur jejunare donec commu-
42 nicaverit, quia commode poteſt: nihilominus communis
praxis in contrarium eſt (& egomet ſæpius vidi, mini-
ſterium conſolandi damnatos exercens in Ferrarienſi flo-
rentiſſima Schola Archiconfraternitatis Mortis, & Ora-
43 tionis) vidi inquam damnatos communicare per Viati-
cum non jejunos, quod rationabiliter factum credo, ex
quo difficillime in illius noctis anguſtiis poteſt miſer da-
mnatus ſe abſtinere a ſumenda aliqua, ſaltem corrobo-
rante, vel refrigerante potione, ut ita regeſta poſſit in
decurſu temporis, uſque ad conſummatam ſententiam.

44 Secundo quia ex peritorum experientia, ſtatim ac
ſententia mortis illis revelata, ſeu intimata eſt, febre
interna, & malo mortis corripiuntur ob animi, & ſan-
guinis commotionem; ita ut quandoque ſi ultra diem
protraheretur executio ſententiæ, utique non vivi ad
tempus conſummationis illius pervenirent, ratione ſubitæ
infirmitatis, quæ illos opprimit, & perſtringit. Ulterius
cum miniſtrandum ſit hoc Sacramentum damnatis ad
mortem per modum Viatici, ut omnes Doctores con-
ſentiunt, & noviſſime Manara *loc. cit.* qui formulam aſ-
ſignat adhibendam: *Accipe frater Viaticum Corporis, &c.*
de ratione Viatici eſt, ut non jejunis etiam miniſtretur,
in quo concordant omnes Doctores. Inſuper Auctores
hoc clariſſime docent, & præcipue Emmanuel Sa *V.
Euchariſt. n.* 2. Gavant. *Man. epiſc. verb. Euchariſtia*,
num. 49. Fagundez *p.* 3. *l.* 3. *cap.* 5. *num.* 21. Poſſevin.
dict. nota ad cap. 8. qui ait: *Homines, præcepto Judicis
occidendo, non jejune non erogandu Euchariſtia, ſi differri
mors nequeat*. In utriuſque enim, naturalis, & violen-
tæ mortis articulo, Divino hoc remedio indiget Animus,
Suarez t. 3. *d.* 68. *ſect.* 5.

Ulterius multa ſunt morborum genera, in quibus In- 45
firmi non ſunt communicandi, ad impediendam irreve-
rentiam erga Sacramentum. Clericat. *d. dec.* 55. qua-
tuor enumerat. Si quidem alii reſpiciunt uſum rationis,
alii reſpirationem, alii deglutitionem, & alii demum ſto-
machi convulſionem. Prudens Parochus in his caſibus,
caute ſe gerere debet, ne permittat id, quod negari
poteſt, vel neget quod concedendum eſt. Regulas de 46
dignoſcendis hujuſmodi morbis diffuſe habebis a Clerica-
tu, & a Zachia *Quæſt. med. legal.* quas ſi vellem hic
recenſere, non una, nec bina pagina ſufficeret. Unice
dicam, non fidendum eſſe ſententiæ Barboſæ *d. p.* 2. *c.*
20. *num.* 43. qui aſſerit Infirmo deliranti, qui propter
febrem incidit in amentiam, ſeu Phreneſim poſſe Paro- 47
chum miniſtrare Viaticum, ſi illum tempore uſus ratio-
nis expreſſe petiiſſet, & ſigna confeſſionis, & contritio-
nis oſtendiſſet, etiam multo ante, modo non ſit peri-
culum irreverentiæ: licet enim hæc ſententia corrobore-
tur authoritate multorum Doctorum ab eo allegatorum,
nihilominus duco, quod non ſit amplectenda, eo quia in
phrenetico ſemper datur caſus, & periculum irreveren- 48
tiæ: ſi enim phreneticus eſt, extra mentem eſt, nec ille
ullo modo fidendum: ideo ſuppoſitum negando cautè
Doctoris, abſolute dico, non poſſe præberi Euchariſtiam
Infirmo phreneſi laboranti, quia nunquam deficiente phre-
neſi, ceſſat periculum irreverentiæ. Tandem hoc unum
addo ex Suar. *tom.* 3. *diſp.* 71. *ſect.* 7. & Squillant. *de
oblig. Cler. pag.* 2. *num.* 76. non poſſe miniſtrari hoc
Sacramentum ſub ſpecie Vini, ſi Infirmus non poſſit de- 49
glutire ſub ſpecie panis.

Ad majorem decentiam hujus Sacramenti, os Infirmi
fœtens ex ulceribus etiam malignis, ſine tamen ſputo, 50
aut alia evacuatione, docet Benett. *d. corollar.* 2. *num.*
8. *pag.* 150. debere, Medico præſcribente, ablui os ita
fœtidum aquis odoratis, morbo tamen non repugnanti-
bus, ut ſaltem illo momento fœtor non exhaletur.

§. VI. Cæteris autem infirmis, qui ob devotionem in ægritudine communicant, danda eſt Euchariſtia ante omnem cibum, & potum, non aliter ac cæteris Fidelibus, quibus, nec etiam per modum medicinæ, ante aliquid ſumere licet.

51 Non alia differentia intereſt inter fidelem ſanum com-
municandum in Eccleſia, ac fidelem infirmum commu-
52 nicandum domi, niſi morbus. Si morbus iſte eſt ad mor-
tem, & mortem proximam, non refert, quod jejunus
53 ſit, ut communicet: ſed ſi morbus ſit chronicus, & non
adeo gravis, ſed talis, ut impediat Infirmo acceſſum ad
Eccleſiam, tunc jejunium rigoroſe ſervandum ab illo eſt,
ſi vult communicare, quia non nocet illi talis abſtinen-
tia, etiam ſi ſit a medicamento, quia in hujuſmodi mor-
bis chronicis facile differri poteſt quodcumque medica-
mentum, ſi vere ex devotione Infirmus petit commu- 54
nicare. Devotio enim quæ idem ac charitas eſt, omnia
ſuſtinere poteſt, nec nocet brave jejunium etiam a me-
dicamento, quod quamvis non frangat jejunium Eccle-
ſiaſticum, tamen frangit naturale ad ſumptionem Eu-
chariſtiæ neceſſarium, & a lege præfixum.

§. VII. Sed alicui ad adorandum ſolum, ſeu devotionis, ſeu cujuſvis rei prætextu ad oſtendendum, non deferatur, &c.

Ad hoc ſervatur Euchariſtia in Tabernaculo Eccleſiæ
55 ut adoretur, & ut Infirmis per Viaticum miniſtratur,
Barboſ. Fagund. & Coninck *loc. cit.*; hinc eſt quod
56 noſter textus præcipit, ne hic ordo invertatur: inverte-
retur autem, ſi ad adorandum deferretur Infirmo, non
ad ſumendum Sacramentum. Adoratio in Eccleſia debet
57 fieri cum noſtro incommodo, quia reſpicit obſequium
noſtrum erga Deum. Sumptio autem Viatici fieri de-
bet in domo; cum incommodo (non dicam Sacramen-
ti, quia Deus incommodum non patitur) ſed miniſtri,
quia hæc miniſtratio reſpicit charitatem Dei erga ſuos 58
fideles. Quamobrem deciſum refert *Prax. Epiſc. num.*
59. *verb. Euchariſt.* nunquam deferri debere Eucharí-
ſtiam ad ægrotos, ut eam tantum adorent, ſi eam ob
tuſſim, vel ob aliam cauſam ſumere nequeant pro Via- 59
tico, Barb. *d. p.* 2. *c.* 20. *nu.* 44.

§. VIII. Deferri autem debet hoc ſanctum Sacramentum ab Eccleſia ad privatas ægrotantium Domos, decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine, manifeſte, atque honorifice, ante pectus cum omni reverentia, & timore, ſemper lumine præcedente, &c.

60 Si de veſtitu Clericali, non vero Sacro, loquitur hæc
Rubrica, prout videtur, ſufficit, quod Sacerdos mini-
ſtrans Viaticum, ſit decenter, & conſueta veſte indutus,
& in omnibus ſuis partibus perpolitus, circa præſertim
caput, & manus, ut docuit jam prima Rubrica hujus
Ritualis, §. 4. & notat Poſſevin. locis ibi citatis: Si ve-
ro de veſtibus Sacris habeatur ſermo, inferius dicemus
ad §. 12. hujus Rubricæ.

Modo de transferendo Sacramento ad domos Infirmo- 61
rum aliquid dicendum eſt, quod deferendum ægrotis
etiam in vili loco degentibus voluerunt Alex. Papa
VII. *in Conſtitut.* 48. & Clemens IX. *in Conſtitut.* 62

Comment. ad Rituale.

38. Hæc tranſlatio pro maxima Dei dignatione haberi
debet, qui intrare ſub tectum miſeri peccatoris non re-
cuſet: attamen cum Medici vices gerat, in hoc caſu di-
vina Miſericordia more Medici ſe confert ad viſitandum,
conſolandum, medendum Ægrotum, proxime ad æter-
na loca tranſiturum, eodem pacto quo, ad domum Cen-
turionis, ut ſanaret ejus Puerum, ſe conferre voluit,
quando longe diſtans, & verbo unico poterat id confice-
re. Vide plura apud Manein. d. pract. 8.
63 Pro deportando Sanctiſſimo Viatico, Velum ſericum
albi coloris quælibet Parochialis Eccleſia paratum habe-
re debet, ad hoc, ut illo operiantur humeri Sacerdotis,
atque tota Pyxis, non ut oculis humanis celatum rema-
neat Sacramentum, ſed ut pulveris, & aeris injuriæ ar-
ceantur, atque ut magis veneratio augeatur in circum-
ſtantibus; res enim, quæ ante oculos patent, facile vi-
64 leſcunt. Acta Mediol. Ecc. p. 4. præſcribunt quod confi-
ciatur ſex ſaltem pedibus longum, ut Parochi humeris
65 aptatum, Sacramentum contegat. Ideo a Cavaller. d.
tom. 5. num. 20. appellatur Velum humerale, & permit-
titur, ut poſſit confici ex tela linea alba, aliqua vitta
ligatum ad pectus, ne ab humeris decidat.
66 Manifeſte, atque honorifice deferendum eſt Sacramen-
tum: dicitur manifeſte, non quod hoſtia detegi debeat,
& palam deferri, ſed quod aperte videatur locus, in quo
eſt. Ideo ſubdit Rubrica: ante pectus. Non in Burſa,
non ſub veſtibus, ſed in loco patenti, quantum parata
poteſt pectus hominis, adeo ut quicumque adoraturi ſunt
Sacramentum, oculos dirigendo ad pectus Sacerdotis, vi-
deant relevatam Pyxidem licet velatam, & humerali
obductam, dicantque, ibi eſt Hoſtia conſecrata, & per
conſequens corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti.
67 De honorificentia, reverentia, & timore, quo defer-
ri debet hoc Sacramentum, nihil dicam: ſuffi.it, ut Sa-
cerdos animadvertat ſerio rem, quam agit, & præ ma-
nibus geſtat, nempe Deum Creatorem, & Judicem
68 ſuum. Ad honorificentiam facit, ſi gravi inceſſu proce-
dat, non vero præcipitar currat: non enim Viaticum
tenetur deferre Parochus ad Infirmum prope moriturum,
69 ſi timeat fore ut illud non poſſit miniſtrare, niſi valde
feſtinanter currat; nam curſus nimis feſtinans videtur
repugnare reverentiæ, & honorificentiæ tanto Sacramen-
to debitæ, & decentiæ, atque honeſtati Clericali, nec
præceptum adminiſtrandi Euchariſtiam Infirmo videtur
de jure Divino, aut Eccleſiaſtico introductum cum
periculo, ut Parochus fatuus videatur, & irrideatur,
Barboſ. d. p. 2. cap. 20. num. 45. Secus vero dicendum
eſt de Baptiſmo, & de Pœnitentia, quia cum iſta duo
Sacramenta ſint de neceſſitate medii, omnem curam de- 70
bet adhibere Parochus, ut præſto ſit ad unum, vel ad
aliud Sacramentum miniſtrandum etiam non integre ve-
ſtitus, cælo pluvio, acri frigore, & quocumque non
obſtante periculo. Ratio eſt, quia Proximus cenſetur in
extrema neceſſitate propriæ ſalutis, S. Thom. 2. 2. q.
185. art. 5. Recte tamen faciet Parochus in caſu Viati- 71
ci ſi feſtinet, non autem ſi currat, quia feſtinare non
eſt actus indecens.
Honori etiam tanti Sacramenti inſerviunt lumina. Fi-
deles uſque ab initio Eccleſiæ utebantur Cereis accenſis, 72
ad quem effectum Acolythorum ordinem recognovit, ut
teſtantur SS. PP. Cyrillus, Epiphanius, Anaſtaſius, 73
Hieronymus, Auguſtinus, & alii congeſti per Caſal. d.
cap. 42. Certe major cultus Deo debetur, unde curare
debemus, ut etiam in hoc inſtitutiones veterum PP.
imitemus.
S. Carolus, Act. P. 4. jubet, ut in caſu Viatici, Fa- 74
milia Ægrotantis obviam procedat cereis accenſis, omni
pietatis cultu. Pariter inſinuat, ut Parochus agat cum
unoquoque Patre familias, ut ipſe ad Eccleſiam Paro-
chialem ad comitandum tantum Sacramentum conveniat,
aut ſaltem filium natu majorem, aut omnino aliquem
ex Familia, ob eam cauſam mittat; habeatque præterea
Domi unam, pluresve candelas, quibus in hoc pietatis
Chriſtianæ officio utatur.
Cum vero iſta lumina aeri expoſita, & itinera agita-
ta, vento, vel pluvia ſuperveniente facile extingui poſ-
ſint, atque ideo cultum debitum Auguſtiſſimo Domino
auferre, uſque a temporibus S. Caroli, inſtitutæ fuerunt
quædam Laternæ cum ſuis haſtis, & cum intus accenſis
candelis, hinc inde circa Sacerdotem, qui Sacramentum 75
geſtat, deferendæ, quarum Laternarum uſu fit, ut lu-
men intro incluſum non extinguatur, & ſemper ardeat.
Quem uſum ſatis providum nuper, nova Conſtitutione
(non tamen de Viatico loquente, ſed de Proceſſione ſole- 76
mni in die Corporis Chriſti) confirmavit, reſtituitque
SS. Pontifex Benedictus XIII. in Concilio Romano, T.
15. cap. 7.
Curam igitur habere debet quilibet Parochus, ut ſal- 77
tem quatuor hujuſmodi Laternas paratas habeat, quarum
formam præſcribit S. Carolus, Act. & Cavallet. d. tom. 78
5. num. 24. quæ deferantur a Confratribus SS. Sacra-
menti, ſi inſtituta adſit in illa Eccleſia talis Confrater-
nitas: Sacus vero deferantur ab honeſtis, grandiuſculiſ- 79
que perſonis, quæ valeant illas rite, ac recte geſtare per
totum iter conficiendum.

§. IX. Parochus igitur proceſſurus ad communicandum Infirmum, aliquot Campanæ ictibus jubeat convocari Parochianos, ſeu Confraternitatem Sanctiſſimi Sacramenti (ubi fuerit inſtituta) ſeu alios pios Chriſti-fideles, qui Sacram Euchariſtiam cum cereis, ſeu intorticiis comitentur, & Umbellam, ſeu Baldachinum, ubi haberi poteſt, deferant.

80 De Campanis multa ſcripſit, & adnotavit, Gavant.
p. 1. tom. 20. lit. c. Pulſantur iſtæ non tantum ad læ-
titiam exprimendam, ſed & ad cultum SS. Sacramenti;
imo ut audientes homines confugiant ad Eccleſiam, Cor-
81 ſet. Index Rationel. In caſu noſtro debent pulſari diſtin-
cto modo ab aliis, ut Fideles percipiant, ſignum eſſe
Viatici deferendi: ideo Rubrica ſubdit: aliquot Campa-
næ ictibus; ubi nota verbum illud aliquot, quo ſignifi-
82 catur, non debere dari hoc ſignum, & hos ictus per in-
tegras horas, ut mos eſt in aliquibus Parochiis, quibus
inceſſantibus ictibus potius arcentur, quam invitentur
Fideles ad intereſſendum huic longo pietatis officio. Be-
ne ſtaret itaque, ſi per brevem pulſationem in mane,
vel in veſpere daretur ſignum futuri Viatici, pro mane,
vel veſpere superventuro. Sed Populus antecedenter de
hoc ritu admonendus eſſet.
83 Præcipue, ultra quoſcumque Fideles invitantur ad
hanc functionem Confratres SS. Sacramenti, ſi ibi talis
Confraternitas fuerit inſtituta, quæ magni levaminis eſ-
ſe ſolet in Parochialibus functionibus.
84 Iſta Confraternitas SS. Corporis Chriſti inſtituta fuit
primo in Urbe a Paulo Papa III. ſub anno 1539. die
30. Novembris: eſtque vigeſima inter ſuas conſtitutio-
nes, & incipit: Dominus noſter, &c. quod factum fuit
pro decentiori tanti Sacramenti veneratione, cui elargi-
tus fuit multas indulgentias tam pro ea, quam pro aliis
Confraternitatibus ubique locorum inſtitutis, & inſti-
tuendis, necnon Confraternitati Urbis aggregandis in
futurum.
85 Feſtivitatem vero SS. Corporis Chriſti prius inſtitue-
rat Urbanus Papa IV. anno 1262 Conſtit. 1. Tranſitu-
rus, &c. Confratribus hujus Societatis præcipuum mu-
86 nus datum eſt, ut aſſocientur Proceſſiones cum SS. Via-
tico, non excludendo tamen quoſcumque alios Fideles,
qui ad Eccleſiam confugiant, hac occaſione.
87 Lumina aſſociantia SS. Chriſti Corpus, dummodo e
cera proveniant, ſive ſint candelæ, ſive cerei, ſive in-
torticia, Eccleſia admittit, & approbat, ea non tamen
ſi ſint ex materia ſebecea, ſeu oleo cujuſcumque gene-
ris: excepto quod in lampadibus oleum permittitur, 88
non ob aliud niſi ob diuturnitatem, quia diutius ſervan-
tur ardentes lampades, abſque renovatione, & neceſſi-
tate cuſtodiæ, quod non eveniret in candelis, niſi eſſent
cereo Paſchali majores.
Quot intorticia habenda ſint in Parochiali Eccleſia ad 89
uſum Euchariſtiæ miniſtrandæ, præſcribunt Acta Mediol.
pag. 4. Numerus decennarius communior eſſe ſolet et-
iam in Parochialibus exiguioribus, & non adeo diviti- 90
bus. Iſta Intorticia debent diſtribui Perſonis dignioribus,
& grandiuſculis, quæ ad aſſociandam Sanctiſſimam Eu-
chariſtiam accedant.
Sed ad Umbellam deſcendamus. Hanc præſcribit Conc. 91
Prov. 5. per allegat. a Gavant. Man. Ep. numer. 44. Ver-
bo Euchariſt. Cujus autem materiæ, & formæ debeat
eſſe, vide Cavaller. dict. tom. 5. num. 23. ubi etiam
præſcribitur ejus magnitudo, & circumferentia his ver-
bis. Oltre al Baldachino mentovato (de quo infra) è ne- 92
ceſſaria a tutte quaſi le Chieſe Parrochiali della Dioceſi,
un'altra piccola Ombrella, per le accadenze di dover por-
tare il Santiſſimo, maſſimamente agl' Infermi per luoghi,
e ſtrade ſcoſceſe, ed anguſte. Sta pur ella tutta di ſeta
di color BIANCO, colle ſue trine, ſeanchè della parte
ſuperiore al di fuori potrà eſſere ricoperta di ſottil tela in-
cerata biancheggiente (per le occorrenze di pioggia.) La
forma poi ſia qual'eſſer ſuole delle Ombrelle, che comu-
nemente ſi adoprano, ma ſie più larga, tanto che diſteſa
venga a dilatarſi diametralmente quattro palmi, e mezza
in circa. Abbia le ſue feſce d'intorno, che pendano con
proporzionata lunghezza della ſteſſa materia, colle frange-
te nell'orlo, e l'aſta ſia così lunga, e così adattata, che
ſoſtenuta da chi va dietro al Sacerdote, venga l'Ombrel-
la ad ampiamente diſtenderſi ſopra'l capo del medeſimo.
De Baldachino autem ideo hic in Rubrica mentio 93
fit, quia ſupponit, non adeſſe Umbellam, quæ ſi adeſ-
ſet,

94 ſet, tunc Baldachini ceſſaret uſus. De facto Umbella eſt
magis conſona negotio viatorio prout eſt Viaticum: Bal-
dachinum vero ad proceſſiones adhibetur, & majorem
numerum portantium requirit, quando Umbella ab una
tantum perſona defertur.

§. X. Præmoneat, ut Ægri cubiculum mundetur, & in eo paretur menſa linteo mundo cooperta, in qua Sanctiſſimum Sacramentum decenter deponatur.

Ceſſarunt tempore Fel. Mem. Innocentii Papæ XII.
95 pene omnes illæ proviſiones de paranda menſa, & linteo
mundo ad ibi deponendum Sanctiſſimum Viaticum in
cubiculo Ægroti; ex quo nonnulla monita, & decreta
promulgavit, in quibus Parochorum diligentiæ totum id
commiſit, ordinavitque, ut quiſque conficeret Baldachi-
num parvum portatile plicandum pro commoditate, &
96 explicandum in Domo Ægroti cum cæteris ſupellectili-
bus ad hoc neceſſariis, in libello inſcripto italice: *Rego-
le, & Inſtruzioni, che ſi devono oſſervare nell' accompa-
gnamento del Santiſſimo Viatico, Roma 1695.* Nihilomi-
nus de hac Rubrica ut aliquid dicamus, monere debet
Parochus habitantes in domo Infirmi communicandi,
97 quod quantum fieri poteſt, mundent a quibuſcumque
ſordibus non tantum cubiculum, ſed etiam cubile, in 98
quo jacet Ægrotus, demonſtrando illi dignitatem tanti
Sacramenti, & magnitudinem Regis Regum, pro cujus
acceſſu munda deberent eſſe omnia & nitida.
Sed de hoc generaliter dici debet: In particulari enim
datur ſæpiſſime caſus, ut hæc mundities haberi non poſ-
ſit, cum quandoque neceſſe ſit deferre Viaticum (præ-
cipue in Villis) alicui Infirmo, in ſtabulo, ſeu ſuper
fœnile, aut in alio viliori, & ſordidiori loco jacenti.
Tunc Parochus, ſi cohabitantes hoc non valeant præſta- 99
re, ſecum deferre debet Menſam, & linteum mundum,
ut minus indecenti modo Pyxis collocetur, donec Sacra-
mentum miniſtret.

§. XI. Parentur luminaria, ac duo Vaſcula, alterum cum Vino, alterum cum Aqua: præterea linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci, pro cujuſque facultate.

Bene dixit Rubrica, *pro cujuſque facultate*: nam lo-
cus quandoque datur, in quo illa commoda ad mundi-
tiem abundent, & locus, in quo omnia deſiderentur.
Quare ſimiliter hic dico, prout dixi in antecedenti Ru-
100 brica de menſa, & linteo: Luminaria ſi non adſint, de-
feret Parochus, eo magis quia credendum eſt, per ver-
101 ba *Luminaria*, intelligi debere Laternas, de quibus in
§. 8. ſatis diximus; aut Candelabra, & candelas ſaltem
binas, *Act. Med. 4.*
102 Vaſcula bina pro Aqua, & Vino ſint parva, & vi-
trea; ſufficit enim, ut tantum humoris capiant, quan-
tum ſufficit ad purificandos digitos Sacerdotis, ut dice-
mus §. 25. hujus Tituli. Aqua tantummodo neceſſaria
eſt, imo Vinum eſſet omnino excludendum, ut eodem
§. 25. demonſtrabo ſuis rationibus. Quare S. Carolus,
Act. 4. unum Vaſculum tantummodo præcipit ad ablu-
tionis uſum.
De linteo mundo ſervabitur eadem regula juxta facul-
tates communicandi, cui debet ſupponi mento, & ex-
plicari ante pectus, ut in caſu tuſſis impetuoſæ, vel vo-
mitus repentini, in illo reciperetur Euchariſtia.
Addam denique, ubi hæc omnia deſint, paranda eſſe 103
apud ægrotum a ſodalibus Societatis Sanctiſſimi Sacra-
menti, qui hoc charitatis officium facile miniſtrabunt.

§. XII. Ubi vero convenerint qui Euchariſtiam comitaturi ſunt, Sacerdos indutus ſuperpelliceo, & ſtola, &, ſi haberi poteſt, pluviali albi coloris, Acolythis, ſeu Clericis, aut etiam Presbyteris (ſi locus feret) ſuperpelliceo pariter indutis, comitatus, decenter, & de more acceptas aliquot particulas conſecratas, vel unam tantum (ſi longius, aut difficilius iter ſit faciendum) ponat in Pyxide, ſeu parva cuſtodia, quam proprio ſuo operculo cooperit, & velum ſericum ſuperimponit.

104 Cum nemo de jure obligari poſſit ad aſſociandum Sa-
cramentum Infirmo, ſed tantum ex charitatis, & devo-
tionis gratia id proveniat, neſcio propterea, de quibus
intelligere velit rubrica hæc dicens (*qui Euchariſtiam co-
105 mitaturi ſunt*) niſi intelligat de ſodalibus Societatis SS.
Sacramenti, qui ex inſtitutione tenentur ſub pœna pri-
vationis fructuum Spiritualium, ut in Bulla Pauli Papæ
III. enunciata ſub §. 9. hujus tituli: Sed in locis, in
quibus talis Confraternitas inſtituta non adſit, hoc præ-
ceptum non valet. Sunt ne cogendi Clerici, & Sacerdo-
tes illius Parochiæ ad intereſſendum miniſtrationi Com-
munionis per Viaticum? Ego opinor, quod poſſint co-
gi, ſaltem quando alii, qui comitentur, deſint. Ratio
eſt quia cum Clerici, & Sacerdotes Altari dedicati ſint,
& ejus miniſterio: *Catech. Rom. de Sacr. Ord.* debent
intereſſe ratione officii ad hoc miniſterium, & Ordinis
exercitium peragere; aliter enim pene inutiliter ordina-
rentur. Miniſtratio Viatici non poteſt controverti an ſit
106 miniſtratio Altaris, quia Sacramentum de Altari ſumi-
tur. Ordines inſuper minores, fere ſinguli in hac fun-
107 ctione exercitium habent. Claves Eccleſiæ, Campanæ,
Candelabra, Vaſcula, Lectio, & alia, quæ materia ſunt
Ordinum minorum, in hac miniſtratione adhibentur:
108 unde ratione Ordinis iterum dico, quod poſſint obligari
ad hanc aſſociationem, præcipue quando alii non adſint.
In Conſtitutionibus Synodalibus quarumdam Eccleſia-
rum hæc inter alias obligationes Clericorum injuncta
eſt, & S. Carolus in ſuis *Conc. Provincialibus* hoc rigo-
roſe præcepit, & alibi pluries in *Act. Eccl. Mediol.*
109 Stola in hoc miniſterio ſemper debet eſſe albi coloris,
ut alibi diximus. Hæc cum aliis eſt veſtis Sacerdotalis
110 præſcripta in adminiſtratione Sacramentorum. Verum an
liceat Parocho ſine veſtibus Sacerdotalibus miniſtrare Eu-
chariſtiam Infirmo in articulo mortis, negat Fagundez
p. 3. l. 1. c. 4. nu. 10. Ratio hujus Doctoris eſt, quia
Veſtes conducunt ad debitam reverentiam, ac tractatio-
nem tam Ven. Sacramenti. Ita Navar. *in Man. lat. c.*
21. Henriq. *l. 8. de Euch. c. 1. col. 1. litt. F & G*, Sot.
in 4. diſt. p. q. 1. art. 4. & alii.
111 Alia veſtis Sacerdotalis eſt Pluviale, quæ proprie eſt
veſtis viatoria tempore pluvio, Macri *Hierolex.* de qua
alibi dicemus, ideo in Viatico eſſet adhibenda: Unde
112 *Conc. prov. 3.* præcipit, quod in illo deferendo, utatur
Sacerdos pluviali, ubi tamen pro loci, temporiſve con-
ditione fieri poterit, Gavant. *d. num. 45. addit*. In lo-
cis inſignioribus annuit Rituale, & ego ultra addam et- 113
iam Perſonas inſigniores communicandas, puta Cardina-
les, Epiſcopos, Principes, Reges, & hujuſmodi, etiam
ſi tempus pluvium eſſet. Nota inſuper illud *albi coloris*;
qui color eſt unice congruens Euchariſtiæ.
Cur ante Clericos majores, & Sacerdotes ſpecifice, & 114
diſtincte nominentur Acolythi, credo quod ſit, quia Aco-
lythi officium eſt præciſe miniſtrare ad Altare. *Prov. 1. p. 2.*
Superpelliceum illi omnes debent induere, non vero 115
ſtolam, quamvis ſint Sacerdotes, quia unice Parochus
habens juriſdictionem, habet jus deferendi ſtolam, Cleric.
dec. 30. n. 23.
De Particulis ſermo ſequitur. Duas tantum aſſignat 116
Gavant. *d. nu. 47.* una adminiſtranda Infirmo, altera pro
reditu, niſi loci diſtantia, aut alia cauſa aliter ſuadeat.
S. Carolus vero *Act. p. 4.* in inſtructionibus pro viſita-
tione Infirmorum clarius loquitur dicens: *Particulas au-
tem duas feret, niſi cum aliquando, ob mortem inſtantem,
vel nocte defert; vel certus eſt Parochus neceſſe eſſe, ut
ſtatim poſt Communionem, extremam etiam Unctionem
miniſtret.* Utique in longo itinere tempore pluvio, & 117
in via invia, maximi incommodi eſſet, ſi tum Sacer-
dos, tum Populus retrocedere deberent cum debita reve-
rentia, & decore: ideo pia Mater Eccleſia hoc permiſit,
ut unica particula in hoc caſu deferri poſſet. Loco Py- 118
xidis loquitur Textus noſter de parva cuſtodia, quæ lo-
co Pyxidis ſuffecta videtur. Cuſtodia eſt capſula, ſeu ca-
pſa ita appellata a Durant. allegat. a Macrio *verbo Py-* 119
xis, Italice vero *Scattola*, Menag. & Ferrar. *in Orig.
Ling. Ital.* ex metallo facta, ſed intus inaurata ad inſtar
Calicis, & Pyxidis, cum ſuo operculo. Et eo quia in-
tus ſervat, & cuſtodit Euchariſtiam, communiter appel-
latur *Cuſtodia*. Ejus uſum præcipue vidi ad reponendam 120
Hoſtiam conſecratam, quæ in Oſtenſorio exponi debet
tunc quando Tabernaculum non ſit capax retinendi in
ſe dictum Oſtenſorium; & in aliquibus Eccleſiis in uſu
eſt ad retinendam Particulam conſecratam pro Viatico,
quando iter longum agendum eſt, & via ſit lubrica, vel 121
difficilis: tunc in ſacculo hæc Cuſtodia a collo Sacerdo-
tis pendere debet, utpote Pyxide commodior. Hanc Cu- 122
ſtodiam coopertam deferri debere præcipit Rubrica, quan-
do dicit: *Velum ſericum ſuperimponit*, quod Velum idem
eſt ac illud, de quo in ſequenti §. ſermo erit.

§. XIII. Ipſe vero Sacerdos, impoſito ſibi prius, ab utroque humero, oblongo Velo decenti, utraque manu accipiat Vas cum Sacramento; & deinde Umbellam, ſeu Baldachinum ſubeat, nudo capite proceſſurus.

De velo, quod humerale dicitur, jam ſatis diximus
123 in §. 8. Sacerdos ambabus manibus debet Pyxidem, ſeu
Vas cum Sacramento accipere, ut ita firmius illud te-
neat, nec ita facile labi poſſit. Ambæ manus ſignificant
124 firmam intentionem in opere, quod miniſtretur, Valer.
Hierogl. c. 36.
125 Sint porro cauti qui Baldachinum, ſeu Umbellam de-
ferunt, ut ſemper perpendiculariter ſit ſupra caput defe-
rentis Sacramentum, nec illam ad impediendos Solis ra-
dios flectant, & demittant, adeo ut in tali actu detega-
126 tur Sacerdos, & Sacramentum: eo magis quia detecto
capite debet Miniſter procedere in hac miniſtratione, ob
reverentiam Sacramentorum maximo debitam. Zacha-
127 rias Papa juſſit, ne velato capite Sacerdotes adſiſterent
Altari, *c. nullus, de conſecr. diſt.* 1. Extra Canonem
impetratur ab Urbe diſpenſatio capitis velandi, ſed non
intra Canonem, quia Sacramentum patet, Gavant. *par.*
2. *tom.* 2. Igitur cum pateat etiam in miniſtratione Via-
tici, debet deferri nudo capite, quovis prætextu remoto:
unde quando quæſitum fuit apud S. Rit. Cong. *An Paro-
chis miniſtrantis SS. Euchariſtiæ Sacramentum infirmis,
liceat de die, vel ſaltem de nocte, uti parvo pileolo in
delatione ejuſdem, ſub infirmitatis, ſeu quovis alio
prætextu?* Eadem S. C. reſpondit: *Non licere, nec poſ-
ſe*; die 11. Aug. 1695. Quod decretum publicatum fuit
anno 1696. per allegat. a Sarnell. *d. ep. Eccl. tom. 4. ep.*
26. *num.* 4. ex quibus Nicolius *lucubr. con. 3. tom. 41.
de celebr. Miſſ.* eruit hanc doctrinam. *Epiſcopus diſpen-* 128
*ſare non poteſt, ut Sacerdos accedat ad Altare cum bacu-
lo, vel pileolo in celebratione, vel dum Viaticum defert ad
Infirmos, utatur; quia textus c. nullus 57. de conſecr. diſt.
1. etiam Epiſcopo prohibet. Ergo neque ſecum, neque cum
aliis diſpenſare poteſt, ſublata quacumque contraria con-
ſuetudine.* S. C. Rit. 31. Januar. 1626. Peſqualigus ta-
men *de Sacr. nov. leg. tom. 2. qu.* 833. contrariam opi-
nionem tenet; ſed animadvertendum eſt, hujuſmodi do-
ctiſſimum Theologum antiquiori tempore floruiſſe, ante
promulgationem ſuperenunciati decreti: atque ideo illius
opinioni parendum, eo magis quia Rubricam noſtram
viſus eſt ignorare, dum *eod. q. n.* 5. aperte dicat: *Nihil
in Eccleſia reperiri determinatum, quod deferens Euchariſtiam
Infirmis procedat detecto capite: & id ex ſola conſuetudi-
ne ſervari.* Quando verba Rubricæ præſentis ſatis de ſe
ſenſum ſuum aperiunt verbis illis: *nudo capite proceſſu-
rus*; ex quibus infertur præceptum hoc addita; nec ex
ſola conſuetudine id præſtari: ex quo fit, ut ejuſdem
Doctoris ſententia, circa hoc, non ſit amplectenda.

§. XIV. Præcedat ſemper Acolythus, vel alius Miniſter deferens Laternam (noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, niſi neceſſitas urgeat) ſequantur duo Clerici, vel qui illorum vices ſuppleant, quorum alter Aquam benedictam cum Aſperſorio, & Burſam cum Corporali, quod ſupponendum erit Vaſculo Sanctiſſimi Sacramenti ſuper menſa in cubiculo Infirmi, & cum linteolo purificatorio ad digitos Sacerdotis abſtergendos; Alter hunc Librum Ritualem deferat, & campanulam jugiter pulſet.

129 Hæc eſt cuncta ſupellex ad domum Infirmi deferenda,
unde patet neceſſitas habendi plures Miniſtros.
130 Primo Acolythus. Hic Clericus præſertim nominatur,
quia inter Clericos eſt Altari proximior, & proprie fer-
re debet luminaria vi Ordinis ſui.
131 Secundo Laternæ; de Laternis jam ſupra verba ha-
buimus, ſed hic advertendum eſt, quod antequam uſus
eſſet deferendi laternas ad hoc poſtea inſtitutus, una
tantummodo laterna adhibebatur, ut venti impetu ex-
tincti cerei, de novo accenderentur miniſterio luminis
in Laterna clauſi, cui nihil nocere poterat Ventus.
132 Tertio. Tempore noctis. S. Carolus *Act. p.* 4. ait,
& præcipit, *Noctu non afferri, niſi periculo mortis in-
ſtante.* Sed tamen in aliis Inſtructionibus pro cura, &
viſitatione Infirmorum, de tempore noctis loquendo, vi-
detur, ut aliquando iſta adminiſtratio tali tempore ab
eodem permittatur. Equidem cum ſæpe ſæpius poſſit da-
ri repentino occaſio morbi periculoſi, non debebat lige-
ri, & prohiberi Parochus ab hujuſmodi adminiſtratione
noctis tempore: nam quacumque hora diei poteſt quiſ-
qua communicari, cum proximus morti ſit, Coninck
133 *q.* 80. *art.* 8. *n.* 49. Verum enim eſt, quod magis ad
ipſiuſmet Sacramenti reverentiam ſpectet, ſi de die de-
feratur ad ægros, quam intempeſta nocte, Coninck *d.*
n. 51. nihilominus neceſſitati ſuccurrendum eſt; ne-
que in hoc poteſt dari certa regula. Advertere tamen
debet Parochus ad hanc poſitivam neceſſitatem, extra
quam ſi Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtraret, non ſi-
134 ne peccato eſſet, quia contra præcepta Rubricæ incon-
ſulto, & ſine ratione ageret.
135 Quarto. De Clericis aſſociantibus. Providus Tarine
advertens, quod non ſemper haberi poſſunt Clerici, præ-
ſertim in locis ruralibus, ſubſtituit alios miniſtros, qui
illorum vices ſuppleant, ex ea regula quod miniſtri im-
pediti vices ſuppleantur a viciniori, Urloya *p.* 2. *d.* 25. *n.*
7. *T.* 4. In quo caſu quiſque de populo poteſt deferre lu-
mina, & res neceſſarias.
136 Quinto. De Aquæ Benedicta. Alio loco de Aqua be-
nedicta ſermo erit, cum de ejus benedictione verba erunt
facienda. Modo Parochus advertere debet, ut ſecum de-
ferat hanc Aquam, præſertim ad domus, in quibus ra-
tionabiliter poterit credere, quod non adſit, ut in ruſti-
cis domibus evenire ſolet. Si vero certo ſciat, hanc in
illo loco paratam eſſe, abſtinebit ab ea ferenda: atta-
men ſecum afferet aſperſorium, ut in illo poſſit uti aſper-
gendo cum dicit: *Pax huic domui, &c.* Hoc Aſperſo-
137 rium ex quacumque materia confici poteſt, etiam ex li-
gno, a pilis, ex herbis prout antiquitus, Penvin. *de lud.
Circ. l.* 4. *cap.* 8. Aſpergillum etiam nuncupatur: de quo
vide quæ ſcribit Macrius *in Hierolex.*
138 Inſervit Aqua benedicta ad multa officia, ut ad illius
particularem Rubricam dicemus, *De ordine eam facien-
di, &c.* Pro nunc ſciendum eſt, ex Aquæ hujus lotione
indicari Chriſti fidelibus qualis eſſe debeat cor illorum in
conſpectu Domini, ut per Iſajam *cap.* 1. *Lava a mali-
tia cor tuum, &c.* Inter effectus hujus Sacræ inſtitutio-
nis primus eſt, ut Anima mundetur a maculis venialium
peccatorum, ut declarat Alexand. PP. *in Can. Aquam,
de conſecr. diſt.* 3. ubi Canoniſta, &c. & quamvis mul-
ti velint hoc contingere ex opere operantis, eſt quoque
ſatis probata opinio, id fieri ex opere operato, ex relat.
per Greg. de Valentia, *t.* 4. *diſp.* 7. *qu.* 4. Inſervit ad ef-
fugandos Dæmones, & Incantationes, ut *in d. c. Aquam,
&c.* necnon valet ad corporis ſanitatem, & ad alia ſimi-
lia, ut de tali effectu exoratur Deus in illius benedictio-
ne, prout in formula. Vide quot in inſtanti ſanati ſint
ſola Aquæ benedictæ aſperſione apud Caſal. *dict. c.* 36.
Igitur cum ad ſuum finem omnia ab Eccleſia inſtituta
ſint, Aqua hæc non in vanum adhibetur ante adminiſtra-
tionem Sanctiſſimi Viatici. Infirmi enim animam purga- 139
re debet a peccatis, & quamvis Sacramentum cum ve-
nialibus ſtare poſſit, nihilominus dignitas Sanctiſſimæ
Euchariſtiæ, cor omnino mundum requirit. Inſuper cum
in illa hora, quæ ad exitum prope eſt, Diabolus tan-
quam Leo rugiens circumeat quærens quem devoret, fu-
gantur ejus inſidiæ ab hac Aqua. Denique ſi Dei volun-
tas eſt, ut Infirmus convaleſcat, valet ad reſtituendam
ſalutem corpori.
Sexto. Burſa in hac ſupellectili locum habet cum 140
corporali. Illa quoque neceſſaria ſunt ad rite, & recte
miniſtrandum Viaticum. Burſa (quæ albi coloris eſſe
deberet) ad cuſtodiam Corporalis: Corporale vero ad il-
lud explicandum ſupra menſam prope lectum Infirmi,
ut in illo deponatur Pyxis. Meminerint Parochi, lau-
dabile eſſe, ſi hæc Burſa ad nihil aliud inſerviat, & 141
omnino ſit e Sacris Veſtibus Altaris ſeparata, & ſemper
in ſe contineat unum Corporale album, & mundum,
quod non ſemper evenit in Burſis Miſſæ inſervienti-
bus.
Septimo. Dicendum eſt de Purificatorio, de quo ni-
hil in antiquis inveniſſe teſtatur Gav. *dict. p.* 2. *t.* 1.
lit. i. Eſt Linteolus, quo calix tergitur, & purificatur, 142
qui benedici non ſolet, Suarez 3. *diſt.* 81. *ſect.* 8. nam
antiquitus, ut ait Macrius non erat in uſu, cum Ma-
nipulus ad hoc inſerviret. In ejus medio ſolet Crux ecu 143
deſignari, ut a cæteris linteolis pro Sacrificio præparatis
diſtinguatur.
Definitio Macrii nimis compendioſa eſt, quia non
tantum inſervit ad tergendum, & purificandum Ca-
licem, ſed etiam ad tergenda labia Sacerdotis, &
digitos. Ideoque ad hunc finem defertur in Communione
ad Infirmos, nempe ut illo tergat digitos poſt ablutio-
nem factam, peracta Communione. Solet deferri hoc 144
Purificatorium in Burſa cum Corporali, ſi illud non te-
neat Sacerdos pedi Pyxidis involutum ad illam commodius
ſtringendam.

Octa-

145 Octavo. De Libro Rituali mentio eſt. Et Rubrica
concordat cum jam alibi dictis in Titulo de Sacramen-
torum adminiſtratione, ut Ritus ſervet, & cæremonias
in eo præſcriptas quod non ita facile ageret, ſi utere-
tur alio libro.
146 Nono. Remanet dicendum de Campanula jugiter pul-
ſanda. Hæc manualis, & portatilis eſſe debet, pulſatur-
que ad cultum Sanctiſſimi Sacramenti, ut diximus in
hoc eodem titulo, §. 9. Proprie iſta debet præcedere
147 quoſcumque in hac proceſſione, & fit, ut ejus ſonitu fre-
quenti admoneatur Populus ad occurrendum, ſeu ad a-
ctum venerationis præſtandum, dum tranſit per vias SS.
Sacramentum, ſicuti in Veteri Teſtamento Levitæ tem-
pore Sacrificii tubis clangebant argenteis, quorum ſoni-
tu Populus provocabatur ad adorandum, Durand. *l. 4. c.*
41. Gavant. *d. p. 2. c. 9. lit. h.*
Pro coronide, & ad eruditionem Lectoris, hoc ad- 148
dam: Campanulæ ad uſum Viatici in Civitate Ferrariæ
gratis elargiuntur ſingulis Eccleſiis Parochialibus quan-
documque occurrat, a magno Noſocomio S. Annæ, ex
inſtitutione, & vigore legati facti ab Alphonſo Duce
Ferrariæ in ejus condito Teſtamento ſub die 26. Octob.
1534. ex rogitibus Jo: Bapt. Sarachi Notarii, & Duca-
lis Cancellerii.

§. XV. Succedant deinde deferentes intortitia, &c.

149 Procedant bini bini iſti deferentes Intortitia, ſeu luminaria, & eunt Miniſtri, ut pari paſſu gradiantur, non vero diſgregatim.

§. XVI. Poſtremo Sacerdos Sacramentum geſtans elevatum ante pectus ſub Umbella, dicens Pſalmum *Miſerere mei Deus*, & alios Pſalmos, & Cantica.

150 Tamquam dignior, locum hunc tenere debet Sacer-
dos: ſi enim inter prærogativas Sacerdotis eſt, quod ho-
mines divinos faciat, Beyer. *de Hierarchia Eccl. ac Præ-
eminentia Sacerdot. qu. 7. cap.* 10. multo magis quodam-
modo divinizatur per proximitatem Dei, quem in ma-
nibus tenet.
De modo tenendi Sacramentum elevatum ante pectus
jam diximus Paragraphis 8. & 12. ac etiam de Umbel-
la deferenda. Reſtat, ut de Pſalmis, & Canticis ali-
quid dicamus.
151 Rubrica primo loco aſſignat Pſalm. *Miſerere*, qui eſt
Pœnitentialis, & vere convenit huic miniſterio, in quo
pro Infirmo communicando impetrari debet Divina mi-
152 ſeratio. Si iſte Pſalmus juxta itineris longitudinem non
ſufficeret, alii Pſalmi Pœnitentiales reciteri poſſunt: &
ſi rurſus tempus ſupereſſet, Cantica ſuperaddantur, qua-
lia ſunt illud trium Puerorum *Benedicite omnia opera Do-
mini Domino*; ſeu illud Ezechiæ: *Ego dixi, In dimidio* 153
dierum meorum, &c. & alia hujuſmodi, quæ in Sacris
Bibliis habentur, & quotidie in Divinis Officiis cantan-
tur. An vero iſti Pſalmi, & iſta Cantica canenda ſint 154
in tono, & cantu, ſtandum eſt loci conſuetudini. In
cultioribus Civitatibus, & Eccleſiis utique cantantur mo-
re Chorali, & ſesto tono.
Porro in locis ruralibus, ubi deſunt miniſtri Eccleſia-
ſtici, & Clerici, qui valeant alternatim reſpondere in
recitatione Pſalmorum, & Canticorum, quia ut pluri- 155
mum Populus rudis eſt, conſuetudo viget recitandi Ro-
ſarium Beatiſſ. Mariæ Virginis, ut ſolus ſit Sacerdos,
qui cantet, & cæteri in ſilentio ita progrediantur.

§. XVII. Quod ſi longius, aut difficilius iter obeundum ſit, & fortaſſe etiam equitandum, neceſſe erit vas, in quo Sacramentum defertur, Burſa decenter ornata, & ad collum appenſa, apte includere, & ita ad pectus alligare, atque obſtringere, ut neque decidere, neque Pyxide excuti Sacramentum queat.

In neceſſitate equitandi, pro delatione Sacramenti,
156 curare debet Sacerdos, ut equus manſuetus ſit, & doci-
lis, non vero audax, acer, indomitus, & ſternax, ne
ſe periculo labendi exponat. Quod de equo diximus, di-
catur de quocumque alio quadrupede apto ad equitan-
dum. Si vero Parochus vel equitare nequeat, vel artem
inſiſtendi equo non calleat, vel timeat ſui, in hoc caſu,
omni labore, & incommodo ſpreto, pedibus eat eo mo-
do quo poteſt, identidem ſe ſiſtendo ſibi opus fuerit ad
ſe reſtaurandum.
Burſa, de qua hic loquitur Rubrica, non eſt eadem
ac illa, in qua reponitur Corporale, & ad Altare inſer- 157
vit, ſed eſt plicabilis, & manualis, quæ proprie Mun-
tica, ſeu *Biſaccia* appellatur ad inſtar Marſupii, ut be-
ne clauſam, & cuſtoditam teneat Pyxidem, ſeu cuſto-
diam, & capſulam Sacramenti ad evitandam agitatio-
nem, ſeu excuſſionem Particulæ in itinere.

§. XVIII. Ingrediens vero locum, ubi jacet Infirmus, dicat: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.*

158 Juxta illud Div. Lucæ 10. *In quamcumque domum in-
traveritis, primum dicite: Pax huic domui, &c.* Et ſi-
gnificat pacificum ejus qui venit, & ſalutat, adventum,
Maldonat. in *Matth.* 10. Ita in Geneſi habemus, *cap.*
43. *At ille reſpondit, Pax vobiſcum: nolite pavere, &*
Judic. 6. *Pax tecum, ne timeas, &c.*

§. XIX. Tum depoſitum Sacramentum ſuper menſa, ſuppoſito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus; & mox accepta aqua benedicta, aſpergit infirmum, & cubiculum, dicens Antiphonam, *Aſperges me Domine*, &c. & primum verſum Pſalmi, *Miſerere mei*, cum *Gloria Patri*, &c. Deinde repetitur Antiphona, *Aſperges me, &c.*

In Sacerdotali ad uſum Eccleſiæ Brixinenſis (*Breſſe-
159 non*) edito de anno 1640. advertitur, ut ſit Populus in-
ſtructus ad actus reverentiales præſtandos Sanctiſſimo Sa-
cramento, dum hoc ad infirmos defertur: nempe: ut
Sacerdote cum Vener. Sacramento tranſeunte, idem po-
pulus caput nudet, genua flectat, elevatis, ac conjunctis
manibus Deum ſalutet, adoret, oretque pro Infirmo.
160 Genuflexio Sacerdotis impoſita in hac Rubrica debet
eſſe totalis, quia manus habet liberas, non vero junctis
pollice, & indice prout in Miſſa; atque ideo facile ſur-
gere valet.
Aſperſio fit circa lectum Infirmi, & poſtea per totum 161
locum ubi jacet, ad morbos pellendos, & Dæmones fu-
gandos: valet inſuper, ut majori puritate æger Sacram.
ſuſcipiat. V. *Aſperges, &c.* ex Pſal. *Miſerere*, &c. Ga-
vant. *d. p. 4. t. 19.*

§. XX. His dictis, accedat ad infirmum, ut cognoſcat an ſit bene diſpoſitus ad ſuſcipiendum Sacrum Viaticum, & utrum velit aliqua peccata confiteri, & illum audiat, atque abſolvat, quamvis prius deberet eſſe rite confeſſus, niſi neceſſitas aliter urgeat.

162 Regulariter Sacramentum Viatici ad Infirmos non de-
fertur primo Parochi acceſſu, nam ſi Infirmus debet di-
gnoſci an ſit capax hujus Sacramenti, & an ſit morti
proximus, alia viſitatio præcedere debet, in qua ſi gra-
163 viter laborare compertus ſit, Pœnitentiæ Sacramentum
debet illi prius miniſtrari: nihilominus, cum memoria
hominis ſatis labilis ſit, dari poteſt caſus, quod æger a-
licujus peccati reminiſcentiam habeat, tunc ſolummo-
do, quando exhibetur illi Euchariſtia ſuſcipienda. Ideo
Rubrica noſtra præcipit, ut Parochus accedat ad Infir- 164
mum, & petat, an aliquid dicere habeat circa conſcien-
tiam ſuam.

166 Sed non ad hoc tantum debet fieri iſte acceſſus: opus eſt etiam, ut oculatitur videat, an Infirmus perſiſtat in bona voluntate ſuſcipiendi Sacramentum, vel mente ſana ſit, non delirans, non ſomnolentus, non faſtidioſus, non demum impotens ad recte percipiendum quid agat: poteſt enim dari caſus, quod intermedio tempore a Confeſſione ad Communionem, totaliter ſenſibus deſtituatur, atque ideo incapax ſit hujus Sacramenti.

166 De Infirmo confiteri volente in actu Communionis affert caſum Benett. *d. Conſil.* 2. *nu.* 8. & eſt, Si Parochus deferens Communionem Infirmo, qui velit ſe iterum confiteri, ſciat, illum eſſe prolixum in narrandis peccatis, ita ut ſolitus ſit non ſe expedire a confeſſione neque per dimidium horæ: dicit Granad. *in* 3. *p. S. Thomæ, contr.* 2. *tr.* 9. *diſp.* 5. *ſect.* 1. quod poſſit Parochus monere, ut eliciat actum contritionis, illum communicare, & differre in reditu Confeſſionem: ſin autem urgeat caſus, audiat quæ poteſt, & facta generali accuſatione cæterorum, eum abſolvat, & ſtatim Divino Pane reficiat. In praxi vero iſta ſententia non omni approbatione digna eſt, quia Sacramentum non patitur incommodum, & adſtantes pigere, aut tædere non debet præſtolari in caſu tantæ neceſſitatis. Ultra quam quod contritionis actus imponitur Peccatori tunc quando haberi non poteſt Confeſſarius, vel peccata nequeunt exprimi a confitente, vel tandem tempus confitendi non remanet. Sed in noſtro caſu tum adeſt Confeſſarius, tum peccata exprimi poſſunt, tum tempus ſupereſt ſufficiens ad confeſſionem faciendam. Tutior eſt ſententia *Sacramentalis Brixinenſis, cap.* 6. *num.* 8. *diſt.* 5. quod in hoc caſu de Sacramento Euchariſtiæ loquendo, & de Infirmo interrogando, præcipit ut Parochus interroget Infirmum ſecreto, an adhuc aliquid ei occurrat confitendum? Si nihil, eum communicat: ſin ali- 167
quid, vel ſi nondum confeſſus fuit, remotis aſtantibus, & Oſtio clauſo (ſi Vir eſt) excipiat Infirmi confeſſionem etiam prolixam, atque impoſita ſalutari Pœnitentia, abſolvat. De facto per illa verba Rubricæ, *niſi neceſſitas aliter urgeat*: Videtur, quod Rubrica diſpenſet Parochum ab auditione longæ confeſſionis: Sed hæc neceſſitas eſſe non poteſt, niſi tunc quando in extremo articulo mortis ſit conſtitutus Infirmus. In hoc caſu contritio Infirmi ſufficiat; ſed incapax quoque fortaſſe erit ſuſcipiendi Sacram Communionem. Quomodocum. que ſe res habeat, integritas confeſſionis remitti poteſt, 168
ut poſſit moribundus ſumere Viaticum, ut docet Paſqua. lig. *Tam.* 1. *quæſt.* 453. *num.* 6.

§. XXI. Poſtea facta de more confeſſione generali, ſive ab infirmo, ſive ejus nomine ab alio: Sacerdos dicit: *Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, &c.*

169 De recitatione *Confiteor* loquitur Rubrica, & vocatur Confeſſio generalis quia omnia peccata in ſe continet, dum dicit: *Cogitatione, Verbo, & Opere*. Sed iſta eſt Confeſſio ſummaria in epilogum, & pro forma tantum, nec per ſe ſufficiens, ſi deſit vera cordis contritio.

Notandum, quod hic Sacerdos dicit: *Miſereatur tui, &c.* non *Miſereatur veſtri, &c.* ut in Communione ad 170
Altare, & ratio eſſe poteſt quia hæc miniſtratio Sacramenti non eſt cum Miſſa connexa: In Miſſa omnes adſtantes participes ſunt communionis Sacerdotis: in Viatico vero ſolus Infirmus, ut alibi diximus.

§. XXII. Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de Vaſculo, atque illud elevans, oſtendit infirmo, dicens. *Ecce Agnus Dei*, &c. & more ſolito ter dicat: *Domine, non ſum dignus*, &c. & more ſolito dicat eadem verba ſaltem ſemel, ſubmiſſa voce.

171 De hoc Ritu ſatis dictum eſt *in Rubrica* 4. Paragraphi 5. 6. 7. 8. Tituli antecedentis. Hic unice ſuperadditur, quod Infirmus ſimul cum Sacerdote dicat eadem verba, ſaltem ſemel ſubmiſſa voce, & hoc ad majorem humilitatem demonſtrandam, atque ad vere oſtendendam cordis compunctionem.

Sacerdos enim pro ſe ipſo non pronunciat illa verba, cum tunc ipſe non communicet; ſed nomine Infirmi ita loquitur. Si apud Deum ergo habeant hæc verba vim, inſtrumentaliter a Sacerdote prolata, majorem ſane vim habebunt ſi ab eodemmet Infirmo, qui communicare vult, proferantur.

§. XXIII. Tum Sacerdos dans infirmo Euchariſtiam, dicat: Accipe Frater (vel Soror) Viaticum Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti qui te cuſtodiat, &c.

172 Hæc eſt formula ſtatuta ab Eccleſia in adminiſtratione Euchariſtiæ ad Infirmos morti proximos, quæ verba
173 non ſunt omittenda a Sacerdote Communionem per Viaticum præbente, quia valde eſſe proficua ex opere operantis, tamquam ab Eccleſia ordinata, movente, & docente illam Spiritu S. docet Clericat. *d. dec.* 19. *nu.* 2. cum multis ab eo allegatis, & præcipue cum Card. Brancat. *in cit. opuſc. de Sacr. Viatico, pag.* 156.
174 Debent etiam clare exprimi iſta verba, ut Infirmo innoteſcat, ſe in via eſſe ad æternitatem, & ita valeat ſe præparare ad ſumendum hoc Sacramentum pro cuſtodia, & defenſione ſui itineris. De facto S. Carolus, 175
Act. p. 4. jubet ut Parochus interroget Infirmum, an Sanctiſſimum Corpus Domini ſumere velit, & ſi pro Viatico dandum ſit, id quoque exprimet: ad quod pie, devoteque ſumendum paucis verbis inflammabit. Si ergo debet illi exprimere, quod pro Viatico præbetur illi Sacra Euchariſtia, debet quoque in actu illam præbendi, alta voce hoc idem manifeſtare.

§. XXIV. Si vero Communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario: Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c.

176 Vide quæ ſuperius diximus *ad Rubr.* 4. §. 9. Reaſſumitur formula præſcripta *in ordine miniſtrandi Communionem in Eccleſia*, quando Infirmus morbo chronico laborat, & non eſt in periculo mortis, quia reputatur tamquam ſanus, ſed impotens adeundi Eccleſiam.

§. XXV. Quod ſi mors immineat, & periculum ſit in mora, tunc dicto, Miſereatur, &c. prædictis precibus omnibus, vel ex parte omiſſis, ei ſtatim Viaticum præbeatur.

177 Eſt aliquis recens Author, qui aſſerit hanc exceptionem difficillime in praxi poni poſſe: ſi enim, ait ipſe,
178 adeſt tale periculum imminentis mortis, ut ſi recitentur antedictæ Preces, quæ breves ſunt, timeatur non amplius ſupereſſe tempus præbendi Viaticum, Communio juxta hujus Authoris opinionem, non eſt illi præbenda, quia Sanctiſſima Euchariſtia exponitur periculo, ut vix ſumpta æger moriatur, nec valeat ſpecies Sacramentales conſumare. Verum hæc ſingularis opinio nullo modo eſt
179 admittenda, quia opponitur communi Theologorum ſententiæ, Univerſalis Eccleſiæ praxi, prædictæ Ritualis
180 regulæ, & Canonicis ſanctionibus. Etenim *can. is qui* 8. *cap.* 26. *quæſt.* 6. habetur: *Is qui in infirmitate Pœnitentiam petit, ſi caſu, dum ad eum invitatus Sacerdos venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel ſi in phreneſim converſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam: & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.* Nullum eſt igitur abſurdum Euchariſtiam præbere illi, qui brevi eſt moriturus ita, ut non valeat vivens ſpecies Sacramentales conſumere, quæ permanere poſſunt inalteratæ in humano ſtomacho per unius horæ ſpatium juxta opinionem nonnullorum Doctorum, qui allegantur a Clericato, *deciſ. viceſima quinta, num.* 7.

§. XXVI. Poſtea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens, & Infirmo detur ablutio. Deinde dicat. ℣. Dominus vobiſcum.

Nihil

181 Nihil dicit in hac ablutione digitorum Sacerdos ad dif-
ferentiam ablutionis, quæ fit in Miſſa ſupra Calicem
quando dicuntur Orationes : *Quod ore ſumpſimus*, &c.
ſeu *Corpus tuum, Domine*, &c. quæ Orationes univerſo-
rum fidelium Communionem amplectuntur.
182 Præcipitur ablutio, ſed non aſſignatur, an facienda ſit
Vino, vel Aqua. Cum vero §. 11. hujus Tituli præce-
perit, ut duo Vaſcula præparentur, alterum cum Vino,
alterum cum Aqua ad faciendam hanc ablutionem, vi-
183 detur quod ad libitum reliquerit Sacerdotis, ablui in
quo magis ſibi libuerit. Nihilominus laudabilius eſt, ut
184 Aqua ſe abluat, non vino; eo quia ſi poſt ablutionem
de more præbendum eſt Vinum illud Infirmo, nuper
communicato (utſi aliquantulum Sacramentum palato æ-
groti adhæſerit, valeat illud diluere, & deglutire) po-
teſt avenire, quod Vini cauſe, plura ſymptomata recru-
deſcant, & alia de novo naſcantur, ut in talli laboran-
tibus, inflammatione, delirio, phræneſi, effectu hyſteri-
co in fœminis, & hujuſmodi; in quibus caſibus prorſus 185
Vini uſus a Medicis prohibetur, non autem Aquæ, ra-
tione morbi, Benett. *d. in Add. ad Paroch.* §. 2. *num.*
52. *& corollar.* 2. n. 2. Poteſt etiam dari, quod Aquæ 186
potus noceat; & in hoc caſu vel ablutionem ſecum de-
feret Sacerdos ad reponendam in Sacrario, vel igni tra-
dat. Tutior modus faciendi hanc ablutionem eſſet ſi im-
merſo aliquantiſper Purificatorio in Vaſe Vini, ſeu A-
quæ parato, Sacerdos lino illo madido digitos abluat uno
tempore, & tergat; nam ſi infirmus ebibere debet il-
lam Aquam, vel illud Vinum in quo Sacerdos digitos
immerſerit, poteſt evenire ut nauſee afficiatur in ſtoma-
co, & ſcandalum oriatur. Quod evenire nequit per im-
merſionem Purificatorii. Laudabilem hanc praxim didici
ab eximio Sacerdote Carolo Lenzio Centenſi, in hac
mea inſigni Collegiata S. Blaſii Sacrarum cæremoniarum
peritiſſimo præfecto.

§. XXVII. His expletis, ſi altera Particula Sacramenti ſuperfuerit (ſupereſſe autem ſemper debet, præterquam in caſu jam dicto) genuflectit, ſurgit, & accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo ſignum Crucis ſuper Infirmum, nihil dicens, & reverenter illud deferens, ordine quo venerat, revertitur ad Eccleſiam, dicendo Pſalmum, *Laudate Dominum de cælis*, & alios Pſalmos, & Hymnos, prout tempus feret.

Jam diximus, in Pyxide debere Sacerdotem ponere
187 duas, vel tres Particulas conſecratas, variis de cauſis,
ſed præcipue, ut ſaltem una remaneat in dicta Pixide,
& deferetur in reditu ad Eccleſiam, ad hoc ut Populus
comitetur proceſſionaliter cum veneratione eadem præ-
ſtita in acceſſu ad Infirmum. Si vero iter longum ſit,
& magni incommodi, ſufficit ſi una Particula afferatur,
ut ſuo loco diximus: Sed hæc pro exceptione habenda
ſunt. Regula generalis eſt, ut ſaltem una Particola con-
ſecrata ſuperſit, ad Eccleſiam raportanda: in tali caſu,
188 priuſquam Parochus diſcedat, non debet Infirmum non
benedictum relinquere: ideoque accepta Pyxide, & ea
cum Velo humerali cooperta, benedicere debet Infir-
189 mum, faciendo ſignum Crucis erga eum, ſed nihil di-
cendo. Quare in illo loco taceat, Textus non dicit;
credo tamen quod hæc ſit regula generalis ſemper te-
cendi quando Benedictio fit cum Sacramento, ut in Ti-
190 tulo *de Benedictionibus* dicemus. De facto ſi in manu
Sacerdotis eſt omnium benedictionum, & bonorum lar-
gitor, inutilis, & ſupervecanea videtur omnis expreſſio
Benedicentis, cum ſit Deus, qui benedicat, non autem
Sacerdos. Verum aliquis dicet: Tunc cum per Sacerdo-
tem porrigitur Sacra Particula, fit ab eo Crucis ſignum,
& ab eodem dicitur, vel *Corpus Domini noſtri*, &c. vel
Accipe Viaticum, &c. ergo non ſemper ſilet Sacerdos in
191 benedicendo cum Sacramento. Cui reſpondeo, illam
vere eſſe Benedictionem, quæ impertitur a Sacerdote
cum Sacramento, ſed verba tunc prolata non eſſe ver-
ba benedicentia, vel Benedictioni congrua, ſed depreca-
toria, & pro bono omine: impetrativo enim, ſeu de-
precativo modo loquitur dicens: *Accipe*: *cuſtodiat*, &
hujuſmodi.
Huic tamen opinioni contraria eſt præſcriptio facta a 192
S. Carolo *Act. p.* 4. *in Ordine miniſtrandi Euchariſtiam
infirmis*: ubi loquens de benedictione cum Sacramento
facienda dicit: Qua Oratione peracta, genuflectit, Py-
xidem utraque manu tenens, ſignum Crucis verſus po-
pulum adhibet, benedicens his verbis: *Benedicat vos o-
mnipotens Deus*, ✠ *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus San-
ctus*.
Accepta itaque Pyxide, ſeu Vaſculo cum Sacramento
revertitur per eandem viam, & eo ordine, quo proceſ-
ſit, ad Eccleſiam; circa quem ritum nihil habeo adden- 193
dum, quod dictum alibi non ſit quando locuti fuimus
de modo deferendi Viaticum ad Infirmum. Omnia e-
nim, & ſingula, quæ illuc facta ſunt, & hic ſervari de-
bent.
Unice Pſalmi, Cantica, & aliæ Orationes, & preces 194
mutandæ veniunt, & per hoc præcipit Rubrica, ut in
reditu ad Eccleſiam recitet Parochus Pſalmum *Laudate
Dominum de cælis*, & alios Pſalmos, & Hymnos. Pſal-
mus, *Laudate*, &c. eſt encomiaſticum, & pro gratia-
rum actione ſolet adhiberi cum cæteris pſalmis, qui ad
Laudes dicuntur intra horas Canonicas; unde fit, quod
etiam cani poſſunt cæteri Pſalmi in hoc itinere, prout
tempus feret.
Quoad Hymnos, reticendus non eſt *Pange lingua glo-
rioſi Corporis Myſterium*, & cæteri alii, qui in Officio
Corporis Chriſti recitari ſolent. Si vero Populus, (ut
avenire ſolet in locis foraneis) ignoret tum Pſalmos,
tum Hymnos, recitari poteſt Roſarium Beatiſſimæ Vir-
ginis, ut alias diximus. Nonnulli quoque cantare ſolent
Hymnum S. Ambroſii, & Auguſtini, nempe *Te Deum*,
&c.

§. XXVIII. Cum pervenerit ad Eccleſiam, ponit Sacramentum ſuper Altare, adorat, deinde dicit : ℣. *Panem de Cælo*, &c.

Si non adſit Corporale explicatum ſuper Altare, ex-
plicetur illud, quod allatum eſt in Burſa ad Infirmum,
& ſuper illo reponetur Sacramentum: Deinde ad extre-
mum gradum Altaris Sacerdos genoflecaus adorat, ut in-
195 terim populus Eccleſiam plene ingrediatur. Hæc adora-
tio facienda eſt, ut diximus, genibus flexis, capite de-
tecto, & manibus junctis ante pectus.
196 Nonnulli ſolent hoc loco intonare Hymni partem: *Tan-
tum ergo Sacramentum*; quam totus Populus cantando
proſequitur, ſed Rubrica hoc non præcipit, quia fortaſſe
197 ſupponit talem Hymnum totum per anteactum cantatum
fuiſſe in Proceſſione, nempe *Pange lingua*, &c. atque
ideo immediate ſubjungitur verſiculus, *Panem de Cælo*,
&c. qui eſt conſuetus poſt talem Hymnum.
Dominus Vobiſcum. Licet a Rubrica aſſignetur, ut di- 198
catur, tamen in nova Inſtructione ab Urbe miſſa ad fun-
ctiones Euchariſticas, ſub Clemente XI. Pontifice ſub-
lata fuit hæc dictio de mandato S. R. C. Semper tamen
in editione Ritualis plures facta retenta fuit antiqua Con-
ſuetudo, & ubique legitur, potiſſimum in hac occaſione
SS. Viatici.

§. XXIX. Deinde annuntiat Indulgentias a Summis Pontificibus conceſſas Sanctiſſimum Sacramentum comitantibus.

Inſurgere debet Sacerdos, & ſe ad Populum convertere,
re, advertens ne terga vertat Sacramento adhuc expoſi-
199 to extra Tabernaculum, & Indulgentias annuntiare alta
voce. Plures ſunt iſtæ Indulgentiæ e diverſis Pontifici-
200 bus conceſſæ, quas tamen ſingillatim enumerare non de-
bet tunc Sacerdos; ſed generice loquendo, ſufficit ut di-
cat, omnes, & ſingulos, qui in aſſociatione Sanctiſſi-
mi Sacramenti ad infirmum interfuere, ſi id digne fece-
rint, lucratos eſſe omnes Indulgentias illis conceſſas a
Summis Pontificibus Urbano IV. Martino V. & aliis,
quas refert Brancat. *d. de Viatico*, & *Bullarium Roma-
num*. Summi enim Pontifices maxime ſtuduerunt, ut
digna, & decora adminiſtratio SS. Viatici fieret, & per
hoc populis intereſſentibus Indulgentias plurimas con-
tulere, quas decet ut annuntiet Parochus paucis verbis,
cohortans populum, ut in religioſo illo inſtituto perſe-
veret, atque ita fideles in pace dimittet. *Act. p.* 4. *Or-
do min. Euch. Sacr. Infirmis*. Si annunciationi Indulgen-
tiarum Parochus voluerit alia verba ſuperaddere, pote-
rit fideles ad devotionem excitare erga SS. Euchariſtiam,
eos monendo, ut in caſu periculoſæ Infirmitatis ſolliciti
ſint ad tantum Sacramentum poſtulandum. Poterit et-
iam ſuadere ut in actu Benedictionis Populus orat pro
ſalute tam ſpirituali Infirmi nuper communicati, quam
corporali.

§. XXX.

§. XXX. Poſtea cum Sacramento in Pyxide, velo cooperta faciat ſignum Crucis ſuper populum, nihil dicens. Poſtremo illud in loco ſuo reponat.

201 Benedicere debet Sacerdos Populum eodem modo, quo benedixit Infirmum communicatum, nihil dicens, & cum Pyxide, Velo humerali cooperta; tempore hujus benedictionis pulſatur Campanula, ut Populus longe diſtans advertat, & humiliter ſe proſtrat; quod non fit in cubiculo Infirmi, quia ibi omnes facile advertere poſſunt, & Benedictio tantummodo impertitur Infirmo.

Poſtremo, repoſitio Sacramenti debet fieri in loco, a quo prius extractum eſt, nempe in Tabernaculo, Piiuſquam claudat, genuflectit, & adorat: eſtque hæc ultima ſalutatio, quæ tunc fit Sacramento: quo tempore moderni fideles dicendam introduxere quandam brevem Italicam cantilenam, duobus verſiculis contentam, a Populo cantandam; hujuſmodi. *Laudato ogni momento ſia il Santiſſimo Sacramento*; vel: *Vi adoro ogni momento; O vivo Pan del Ciel, gran Sacramento*; ſeu alias ſimiles a Sacris Miſſionariis inventas, & pietati Fidelium propoſitas.

§. XXXI. Quod ſi ob difficultatem, aut longitudinem itineris; vel quia ea qua deceat veneratione, Sacramentum ad Eccleſiam commode reportari non poteſt, ſumpta fuerit una tantum Particula conſecrata, ut dictum eſt: tunc ea Infirmo adminiſtrata, Sacerdos, prædictis precibus recitatis, eum manu benedicit, & una cum aliis privato habitu, extinctis luminibus, Umbella demiſſa, latente Pyxide, ad Eccleſiam, vel Domum quiſque ſuam revertatur.

Difficultates plurimæ oriri ſolent in caſu a Rubrica allato, & de illis loquuti ſumus in hoc Titulo §. 12. unde
202 remanet tantummodo aliquid dicendum de Benedictione, quam manu faciendam jubet Rubrica: non enim amplius Sacramentum habet, cum quo benedicat.

Si vero debeat quoque Sacerdos tacere in hac benedictione, & nihil dicere, Rubrica non docet: nihilominus ego animadvertens, quod in communione facienda a fidelibus ad Altare, poſt reconditum Sacramentum, Sacerdos convertens ſe ad Populum, benedicit manu extenta, dicens, *Benedictio Dei omnipotentis: Patris & Filii & Spiritus ſancti, &c.* opinor quod etiam in præſenti caſu communionis per Viaticum debeant a Sacerdote dici eadem verba verſus Infirmum, eo magis quia S. Carolus *Act.* 4. ut diximus §. 27. adhibenda docet verba. Certe in utroque loco Sacramentum non amplius apparet, nec diſcrimen invenire valeo, cur in uno loco loqui debeat, & in alio tacere, cum in utroque militet eadem ratio benedicendi pro dimittendis in pace fidelibus adſtantibus.

Quoad privatum habitum, & depoſitionem aliarum rerum, quæ huic functioni inſerviunt, loquitur clarius S. Carolus *Act.* 4. *loco citato*, dum dicit: *Si quando ſine Sa-*
203 *cra Hoſtia redibit, Parochus antequam domo ægroti abſcedat, lumina extingui jubebit: ſuperpelliceum, ſtolam, tintinnabulum, Umbellam non adhibebit: Pyxidem palam non deferet.* Equidem in hoc caſu miniſtri intereſſe debent, qui totam hanc ſupellectilem ad Eccleſiam deferant decenter reconditam, & ſine contemptu. Quare non niſi laudabile erit ſi Parochus in habitu privato, nempe ſua Clericali ordinaria veſte indutus, ad Eccleſiam perducatur a ſuperenarratis Miniſtris; nam hæc aſſociatio inſerviet etiam ad bonam cuſtodiam habendam Sacrarum ſupellectilium, præcipue tunc cum in manus Ruſticarum 204
Perſonarum inciderint, quæ non diſtinguunt Æra lupinis.

In Urbibus celſioribus, & ubi iter breve, necnon quando Sanctiſſimum Viaticum ad Eccleſiaſticas, ſeu Re- 205
ligioſas Perſonas defertur, ſolet etiam adhiberi Thuribulum cum Incenſo, quo Clericus Parochum præcedens, frequenti agitatione Sacram Hoſtiam incenſet, tam in adeundo, quam in redeundo, & ante benedictionem, necnon & in actu benedictionis.

Poſtremo advertere debet Parochus, tunc cum ad aliquem Sacerdotem defert Sanctiſſimum Viaticum, ſecum 206
quoque Stolam albi coloris deferendam eſſe ſeparatam a propria, quam ipſe adhibet, ut illam ad collum circumponat ejuſdem Sacerdotis tunc cum communicat, prout jam diximus in *Titulo XXIV. §. 11. horum Commentariorum*.

Et quoniam in Parochiis multæ vaſtitatis quandoque 207
fit, quod Infirmus propera, & ſollicita Viatici refectione indigeat, multoque ſpatio diſtat ejus domus ab Eccleſia Parochiali, proviſum fuit per Summum Pontificem Innocentium XII. anno 1695. in peculiari Conſtitutione, ſeu edicto in magno Bullario inſerto (*Addit. ad Bullar. p. 1. f. 29. Conſt. CVI.*) ut Eccleſiæ Regularium, ſi in circuitu Parochiæ adſint, præſtent, & præſtare teneantur commodum Parochis, extrahendi SS. Euchariſtiam Infirmis præbendam pro Viatico, nec denegare, aut impedire audeant uſum adeo ſalutaris Sacramenti ſub prætextu privilegiorum, aut alterius cujuſcumque exceptionis, quibus omnibus Pontifex in hoc caſu derogare intendit, imperando, & jubendo verbis illis in edicto, ſeu conſtitutione inſertis, *Vogliamo, e comandiamo, che non ſia denegato, &c.*

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS,

TITULUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Quare hæc Unctio vocetur extrema?*
2 *Octo Unctiones in uſu eſſe ſolent in Eccleſia.*
3 *Eſt Sacramentum Evangelicæ Legis.*
4 *Conſtat ex Oleo Sacro, & precibus.*
5 *Quare Chriſtus reliquerit hoc Sacramentum Eccleſiæ?*
6 *Cæremoniæ omnes ad unum referuntur.*
7 *A quo fuerit inſtitutum hoc Sacramentum.*
8 *Non eſt explicatum quo tempore inſtitutum fuerit.*
9 *Ubi, & quando Chriſtus inſtituerit hoc Sacramentum?*
10 *Cur Evangeliſtæ non meminerint hujus Inſtitutionis?*
11 *Non omnia quæ tenet Eccleſia, habentur in Sacra Scriptura.*
12 *Sacramentum miniſtrandum a Presbyteris Eccleſiæ.*
13 *Presbyteri an debeant eſſe plures in hac adminiſtratione?*
14 *Scriptura quandoque utitur numero plurali pro ſingulari.*
15 *Cauſa finalis hujus Sacramenti eſt curatio Animæ.*
16 *Curatio tamen a venialibus, non vero a mortalibus.*
17 *Et ad tollendas reliquias peccati.*
18 *Quænam ſint Peccatorum reliquiæ?*
19 *De fine primario inſtitutionis hujus Sacramenti.*
20 *Secundus effectus eſt conſummatio Pœnitentiæ.*
21 *Tertius effectus eſt ſalus temporalis.*
22 *Extrema Unctio non eſt danda cuicumque Infirmo.*
23 *Sed iis qui periculoſe ægrotant.*
24 *Periculum vitæ eſſe poteſt in principio, & in fine ægritudinis.*
25 *Non ſemper attendenda eſt Medici peritia.*
26 *Sanis miniſtrari non poteſt nec licite, nec valide.*
27 *Parochus non debet expectare articulum mortis, ut miniſtret.*
28 *Utilius eſt miniſtrare dum Infirmus eſt integris ſenſibus.*
29 *Quando eſt ruina preceps, facienda ſunt quæ fieri poſſunt.*
30 *Prius miniſtrandum eſt Infirmo Sacramentum Pœnitentiæ.*
31 *Secundo Sacramentum Euchariſtiæ.*
32 *Aliquando Extrema Unctio miniſtrata fuit ante Viaticum.*
33 *Euchariſtia eſt finis, & perfectio omnium Sacramentorum.*
34 *Aliquando miniſtrare Extremam Unctionem ante Pœnitentiam fuit utile.*
35 *Tutior regula eſt prius miniſtrare Pœnitentiam*

36 *Effe-*

36 *Effectus Sacramenti eſt augere gratiam.*
37 *Vaſculum pro Oleo Sancto.*
38 *Cuſtodia ſub qua reponi debet Oleum Infirmorum.*
39 *Non debet collocari in quocumque alio loco.*
40 *Feneſtellam debet habere ſeparatam ſibi ſoli.*
41 *Debet feneſtella eſſe in loco, in quo adſit Tabernaculum cum Sacramento.*
42 *Feneſtellæ forma & figura.*
43 *Littera inſcribenda ſupra feneſtellam.*
44 *Vaſculum Olei ex argento, vel ſtanno eſſe debet.*
45 *Littera ſculpenda in ventre Vaſis.*
46 *Capſula hujus Vaſculi.*
47 *Burſa ſerica pro tendendo hoc Vaſculo.*
48 *Baſis hujus Burſæ qualis eſſe debeat?*
49 *Oleum debet eſſe illo anno benedictum.*
50 *Oleo veteri valide, ſed illicite miniſtratur.*
51 *Oleum vetus poteſt adhiberi in caſu juſtæ neceſſitatis.*
52 *Peccat Miniſter qui illud adhibeat abſque neceſſitate.*
53 *Si deficiat Oleum novum, poteſt adhiberi Oleum vetus.*
54 *Vetus Oleum comburi poteſt in lampadibus Sanctiſſimi Sacramenti.*
55 *Quomodo immiſceri poſſit Oleum non conſecratum cum conſecrato?*
56 *Effuſio Olei evitanda.*
57 *Oleum in bombacio imbibendum.*
58 *Quinam ſint capaces hujus Unctionis?*
59 *Infantes non ſunt capaces hujus Sacramenti.*
60 *Uſus rationis quando regulariter ſuperveniat?*
61 *In qua ætate pueri ſint capaces Extremæ Unctionis?*
62 *In dubio uſus rationis poteſt miniſtrari ſub conditione.*
63 *Sed ſemper quando puer ſit in mortis periculo.*
64 *Senes poſſunt ſemper muniri hoc Sacramento.*
65 *Caterva morborum multiplex.*
66 *Qui ſani petierunt, ungendi etiam ſi extra mentem ſint.*
67 *Qui Chriſtiane vixerunt, ungendi etiam ſi non petant.*
68 *Amentes a nativitate comparantur infantibus.*
69 *Phrenetici & delirantes ungendi, ſecluſo periculo irreverentiæ.*
70 *Phrenetici ligandi ſunt, ad hoc ut quiete miniſtretur Sacramentum.*
71 *Quatuor ordines perſonarum arcentur a ſuſceptione Extremæ Unctionis.*
72 *Impœnitentes quinam ſint?*
73 *Manifeſti peccatores.*
74 *Excommunicati.*
75 *Nondum baptizati.*
76 *Præſumptio ſufficit pro illis miniſtrando Oleo Sancto.*
77 *Qui periculo ſe exponunt, non dicuntur infirmi, ideo iis non miniſtrandum.*
78 *Sacramentum hoc eſt inſtitutum pro morituris ex infirmitate.*
79 *Puerperæ ungi poſſunt, ſi partus ſit valde periculoſus.*
80 *Reis capite damnatis non miniſtranda Extrema Unctio.*
81 *Quia non poteſt hoc Sacramentum illis prodeſſe ad ſalutem corporis.*
82 *In aliquo caſu poteſt miniſtrari reis plectendis.*
83 *Caſus exponuntur.*
84 *In tormento rota poteſt miniſtrari.*
85 *Magiſtratus ſæcularis non poteſt hoc prohibere.*
86 *Objectiones ſolvuntur.*
87 *An damnatis miniſtrandum ſit per Parochum?*
88 *Orationes omitti poſſunt in periculo extremo.*
89 *Si ſupervixerit æger, ſupplendæ ſunt orationes.*
90 *Mortuus non eſt capax Sacramenti.*
91 *Si dum ungitur quis moritur, non amplius procedendum.*
92 *Oleum Sanctum poteſt deferri una cum Viatico.*
93 *Poſt Sacerdotem, Diaconus eſt dignior miniſter.*
94 *Diaconus deferre poteſt Oleum infirmorum.*
95 *Oleum Sanctum ſi deferatur cum Viatico, debet deferri occulte.*
96 *Oleum Sanctum iterari non debet in eadem infirmitate.*
97 *Niſi æger convaluerit a primo decubitu.*
98 *Diſputatio orta circa hoc inter Pium PP. II. & Epiſcopum Roverellam.*
99 *Quinque ſunt partes corporis humani ungendæ.*
100 *Intelliguntur quinque ſenſuum inſtrumenta.*
101 *Pedes, & renes cadunt ſub quinque ſenſibus.*
102 *Senſus ut quo delinquere poſſint?*
103 *Lumborum delectatio an ſit ſenſus ſeparatus a quinque aliis?*
104 *Ratio horum quinque unctionum.*
105 *Unctiones eſſentiales quinque.*
106 *Unctiones integrales duæ.*
107 *Lumbi in fœminis non unguntur etiam ſi petierint.*
108 *In Viris omittitur unctio lumborum, ſed nulla ratione.*
109 *Unctiones lumborum ſuppleri non debent in alia parte.*
110 *Manus Sacerdotum inunguntur exterius, & quare?*
111 *Opinio, & rationes contrariæ.*
112 *Tactus habet ſuam vim in interiori parte manus.*
113 *Unctio externa fit ob dignitatem Sacerdotalem.*
114 *Unctio per ſaltum eſt valida.*
115 *Forma impleri debet in toto tempore Unctionis cujuſque ſenſus.*
116 *Mutili aliquo membro quomodo ungendi?*
117 *Qui abundant aliquo ſenſu prout monſtroſi quomodo ungendi?*
118 *Mutili ungendi ſunt in parte proximiori.*
119 *Abundantes in principaliori parte, ſeu membro ungendi.*
120 *Homo peccare poteſt per potentias internas.*
121 *Forma hujus Sacramenti vocatur precatio.*
122 *Tradita fuit a Concilio Florentino.*
123 *Forma varia antiquitus adhibita.*
124 *Repetitur forma, mutato nomine ſenſus.*
125 *Non eſt de neceſſitate Sacramenti ſervare ordinem in ungendo.*

UNCTIO hæc vocatur extrema, tum quia applicari ſolet homini in extremo vitæ laboranti, tum 1
quia eſt extrema in ordine ad illas octo unctiones, quæ in uſu eſſe ſolent apud Eccleſiam Catholicam; & quas 2
enumerat, & explicat Clericat. *de Extr. Unct. dec. 61. num. 3.*

Aliis nominibus etiam appellatur, & primo: *Oleum Sanctum*, *Euchølog. Græc. Sanctum Chriſmatis Oleum.* Ut Innoc. III. *Epiſt. ad Decent. Oratio cum Oleo*, ut Græci vocant: *Pœnitentiæ conſummativum*, Concil. Trid. *ſeſſ. 14. de eod. Sacr.* Denique Unctio Infirmorum, ut idem Concilium: ſed commune, & univerſale nomen in Eccleſia Catholica eſt: *Extrema Unctio.*

§. I. Extremæ Unctionis Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, tamquam cæleſtis medicina, non Animæ ſolum, ſed etiam corpori ſalutaris, omni ſtudio ac diligentia periculoſe ægrotantibus adhibendum eſt; & eo quidem tempore, ſi fieri poſſit, cum illis adhuc integra mens, & ratio viget: ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipſi etiam ſuam fidem, ac piam animi voluntatem conferre poſſint, dum Sacro liniuntur Oleo.

Sacramentum Evangelicæ legis proprie dictum hoc
3 eſſe notat Victorellus in ſuo peculiari Tractatu *de Sacr. Extremæ Unctionis Sacramento*, *Patavii* 1609. atque hoc aſſerit ex teſtimonio *Concilii Vormat. can. 72. Florentini*,
4 & aliorum ab eo allegatorum, *pag. 5.* Conſtat autem ex Sacri Olei Unctione, & Sacerdotali prece; quæ unctio, licet in plures partes diviſa ſit, tamen unum conſtituit Sacramentum.

Ob id Extremæ Unctionis Sacramentum a Chriſto eſt
5 relictum Eccleſiæ, ut Fideles, ſicut in ingreſſu in Orbem Sacramento initiantur, & admittuntur: ita in egreſſu Sacramento juventur, & dimittantur. Atque ideo cæremoniæ omnes eo referuntur, ut infirmus juvetur tum ad morbum facilius tolerandum, tum ad felicius
6 e vita migrandum, Cardin. Valer. *Theſaur. pier. inſtit. pag. 233.*

7 De inſtitutione hujus Sacramenti multi multa dicunt. Nonnulli ſatis graves Theologi illam tribuunt Apoſtolis, Victorell. *dict. p. 2.* Alii Innocentio I. Pontifici, ſed a Chriſto inſtitutum fuiſſe, & a S. Jacobo promulgatum, & commendatum, dogma fidei eſt, Concil. Trident. *Can. 1.*

Quo tempore vero inſtitutum fuerit, non eſſe explo- 8
ratum, aſſerit idem Victorell. *loc. cit.* Quare attenta certa inſtitutione hujus Sacramenti a Chriſto Domino facta, diſputant Scholaſtici, ubi, & quando Chriſtus Dominus illud inſtituerit? Circa hoc quæſitum duas affert præcipuas Theologorum opiniones Clericat. *dict. deciſ. 63. n. 2.*

Prima eſt, quod Chriſtus Dominus illud inſtituerit, 9
quando miſit Apoſtolos ad prædicandum cum poteſtate ſanandi infirmos per Sacram Olei unctionem, ut legitur apud Sanctum Marcum 6. *Et ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.*

Secunda opinio eſt, quod fuerit inſtitutum a Chriſto Domino poſt ejus Reſurrectionem, ſtatim ac inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, nempe quando dedit Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata per illa verba, Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, & hanc eſſe opinionem probabiliorem, & magis rationi conſentaneam docet idem Clericat. *loc. cit. num. 8. & 9.* qui ſatis erudite cum Maſtrio *diſp. 6. n. 7.* & cum Cardin. de Lauræa, *diſput. 11. n. 8.* reſpondet objectioni, & 10
inſtantiæ, cur Evangeliſtæ non meminerint expreſ-
ſe, ac

fe, ac diſtinctæ inſtitutionis hujus Sacramenti? nam o-
11 mnia, quæ tenet, & tenuis Eccleſia, habentur in Scri-
ptura, ſed ex eis multa per traditiones accepta ſunt,
Certa de hoc loquitur Apoſtolus Jacobus, *in ep. cap. 5.*
dum dicit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyte-*
ros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in
12 *nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum; &*
alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remitten-
tur ei.
13 Nonnulli opinantur, quod per ly *Presbyteros Eccleſiæ,*
intelligi debeat, hoc Sacramentum miniſtrari debere per
plures Sacerdotes eodem tempore, Sarnell. *ep. Eccl. T.*
6. ep. 21. num. 2. ſed hoc dictum eſt ex conſueto ſty-
lo Sacræ Scripturæ, quæ quandoque numerum pluralem
14 adhibet pro ſingulari. Sic Matth. 27. legitur: *Idipſum,*
& latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei,
quando unus erat tantummodo malus latro, qui Chriſto
improperabat, S. Auguſtin. *lib. 3. de conſenſu Evangeliſta-*
rum. Verba Apoſtoli mirabiliter explicat ſuperenancia-
tus Cardin. Valerius *loc. cit.* & præcipue illa, *oratio fi-*
dei; Alleviabit; Remittentur ei &c.
15 Cauſa finalis hujus Sacramenti eſt curatio animæ a
peccatis venialibus, quia mortalia alia Sacramenta indi-
16 gent, nempe Pœnitentia. Si enim Extrema Unctio re-
mitteret peccata mortalia, quaſi fruſtraneum eſſet Sacra-
mentum Pœnitentiæ, nam per hanc Unctionem facilius
haberi poſſet. Hæc docet Scot. *in 4. Sentent. diſt. 23.*
qua eſt unica B. dum exactiſſimam, & completam de-
finitionem dat hujus Sacramenti, his verbis: *Eſt unctio*
hominis infirmi pœnitentis facta in determinatis partibus
corporis a Sacerdote, ſimul verba certa cum intentione de-
bita proferente, ex inſtitutione divina, efficaciter ſignifi-
cans curationem finalem venialium, cum oleo conſecrato
ab Epiſcopo. Verum S. Thom. *in ſuppl. quæſt. 1. art. 2.*
quæſtiunc. 1. vult hoc Sacramentum primario eſſe inſti-
17 tutum ad tollendas reliquias peccati: Quænam autem
ſint hæ reliquiæ docet Coninck *de Extr. Unct. diſp. 19.*
18 *d. 5. num. 17.* unde eruit hanc Concluſionem *num. 18.*
hoc Sacramentum eſſe primario inſtitutum, ut per gra-
19 tiam habitualem, quatenus habet adjunctas actuales,
huic effectui proprias, animum infirmi, vi morbi infir-
matum, ac tapore quodam depreſſum roboret, & exci-
tet ad ſpem, & fervorem ſpiritualem, & eum præparet
ad fortiter ſuſtinendos Diaboli inſultus, qui nos tunc
maxime impugnat. Ita Suarez *diſp. 41. ſect. 1. num. 11.*
& videtur expreſſa ſententia Tridentini, *ſeſſ. 14. in*
proœmio de Extr. Unct.
20 Item alius effectus hujus Sacramenti eſt, & a Coninck
vocatur ſecundarius, *num. 19. ibid.* delere peccata, quæ
per alia Sacramenta deleri non poſſunt, & pœnas pec-
cato remiſſo teſtantes: nam per Trid. vocatur *conſum-*
mativum Pœnitentiæ.
Inſuper alia cauſa finalis, ſeu alius effectus eſt confer-
te corporis ſalutem, non vero abſolute, ſed interdum, 21
& ſub condiſione ſi ſaluti Animæ, ſecundum divinam
providentiam expediat. Ideoque dicit hic Rubrica no-
ſtra, eſſe medicinam non ſolum animæ, ſed etiam cor-
pori ſalutarem; quod item dicit S. Thom. *3. p. in ſuppl.*
quæſt. 30. art. 2. his verbis: *Ex hoc Sacramento non*
ſemper ſequitur corporis ſanatio; ſed quando expedit ad
ſpiritualem ſanationem; & tunc ſemper eam inducit, dum-
modo non ſit impedimentum ex parte recipientis. Multa
exempla de ſanitate corporis adepta per Sacramentum
Extremæ Unctionis a graviter decumbentibus affert Go-
bet. allegat. a Clericat. *d. deciſ. 82. n. 17.*
Attamen non cuicumque infirmo danda eſt Extrema
Unctio; ſed illis tantummodo qui periculoſe, & gravi- 22
ter ægrotent: unde inquit Barboſ. *de pot. Paroc. p. 2.*
cap. 22. num. 14. miniſtrandam eſſe cum Parochus vide- 23
rit hominem de vita periclitari. Iſtud periculum poteſt
in principio morbi, vel in fine evenire, ideoque debet 24
bene advertere cum omni ſtudio, ac diligentia quando
adſit tale periculum: datur enim quandoque caſus in quo
poterit ſtatim in principio morbi eam miniſtrare, etſi
diuturnior morbus videatur, Barboſ. *dict. num. 21.* nec
ſemper attendenda eſt Medici peritia, quando probabili-
ter dubitetur, an homo in periculo mortis ſit: homo 25
nempe infirmus, non homo ſanus eſt; equidem ſanis,
ſeu perſonis in ſanitate corporali conſtitutis, Extrema
Unctio nec licite, nec valida miniſtrari poteſt, ut con-
corditer docent Doctores cum Clericat. *dict. dec. 79. n.*
2. & ſi miniſtraretur, Sacerdos peccaret, & puniendus 26
eſſet, Clericat. *deciſ. 74. num. 3*
Debet inſuper Parochus hoc Sacramentum adminiſtra-
turus advertere, bonum eſſe expectare articulum, quo
infirmus omni prorſus ſenſu careat, aut quo omnino 27
ipſius deſperata ſit ſalus. Ita Nald. *in Summ. Verbo Extr.*
Unctio n. 1. Coninck *diſp. 19. dub. 7. n. 25.* & alii apud
Barboſ. *num. 19.* Sed utilius eſt miniſtrare dum infirmus
adhuc eſt integris ſenſibus, ut majori cum devotione, 28
& fructu illud ſuſcipiat. Stat etiam pro mea ſententia
Lucas Cerracchinus in Florentina Univerſitate Theolo-
gus in ſua diſſertatione Theologico-dogmatica Florentiæ
impreſſa anno 1737. qui non expectandas eſſe poſtremas
vitæ periodos in infirmo pro miniſtrando Sacramento
Extremæ Unctionis validiſſimis rationibus comprobavit
contra nonnullos diverſæ opinionis ſcriptores.

§. II. In quo illud in primis, ex generali Eccleſiæ conſuetudine obſervandum eſt, ut ſi tempus, & infirmi conditio permittat, ante extremam Unctionem Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta infirmis præbeantur.

Quando infirmitas ſua periodo procedit, tunc omnia
29 rite, & recte præſtari poſſunt: ſed quando ruina eſt
præceps, tunc quæ fieri poſſunt, non quæ deberent,
præſtanda ſunt. Ideo Rubrica dicit: *Si tempus, & in-*
30 *firmi conditio permittat.* Equidem regula generalis eſt,
ut infirmo prius miniſtretur Sacramentum pœnitentiæ,
31 deinde (ſi nullum impedimentum adſit) Sacramentum
Euchariſtiæ, & eſt de veteri more Eccleſiæ; cui con-
ſuetudini applicanda ſunt illa verba Caſalii *d. p. 2. cap.*
32. ubi dicit; *nec rationem pœnitentiæ, nec communionis*
gratiam denegandam eſſe infirmo ante oleum Sanctum.
Notandum tamen eſt: quod Rituale, hanc anticipa-
tionem Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ponit de conſuetu-
dine: quamvis enim Extrema Unctio ultimum locum
inter Sacramenta habeat, & ſit Sacramentum exeuntium,
& totius vitæ Chriſtianæ conſummativum, Durant. *de*
Rit. Eccl. l. 1. c. 2. num. 23. Suar. *d. diſp. 44. ſect. 1.*
32 *num. 8.* nihilominus quibuſdam in locis olim ante Via-
ticum dari ſolitam fuiſſe extremam Unctionem colligitur
ex *cap. ab infirmis 26. quæſt. 7.* nec ſine ratione hoc fa-
ctum fuiſſe, & fieri debere explicat Barboſ. *d. p. 2.*
33 *cap. 22. num. 36.* quia Euchariſtia finis eſt, ac perfectio
reliquorum Sacramentorum, quam proinde decet animæ
præbere, poſtquam aliis Sacramentis plene purgata eſt:
ſignificat enim Viaticum, dandum eſſe Animæ mox mi-
graturæ; unde idem Barboſa credit, non eſſe peccatum
mortale conferre Sacramentum hoc infirmo, antequam
34 ſuſceperit Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quia
infirmus poteſt per contritionem ſe diſponere ad ſuſci-
piendum hoc Sacramentum; tum quia aliquando fieri
poteſt, ut quis ſuſcipere valeat extremam Unctionem,
non vero Pœnitentiam, vel Euchariſtiam, ut quando
aliquis patitur vomitum, vel repente morbo correptus
in lethargum incidit, nec dat ſigna petendæ pœniten-
tiæ. Nihilominus, ut ait Rubrica, conſuetudo ſervanda
eſt, quæ pro laudabili habetur. Vide Trullench. *l. 6.*
cap. unic. dub. 4. num. 10. Clericatus vero *dec. 80.*
num. 1. 2. & 3. multis rationibus monitus tenet opi-
nionem contrariam, & dicit, debere Parochum, ante-
quam hoc Sacramentum miniſtret infirmo, ejus confeſ-
ſionem Sacramentalem audire, & abſolutionem dare, po-
tiſſimum ſi in illa infirmitate ipſemet infirmus non fue- 35
rit confeſſus peccata ſua, adeo ut ſpectet ad Parochum
ipſum advertere, ut nemo conſcius peccati mortalis, hoc
Sacramentum recipiat, niſi prius animam ſuam per con-
feſſionem emundaverit: nam ſi effectus Sacramenti eſt, in-
ter alios, augere gratiam, quomodo augebitur iſta gra-
tia in eo, qui nullam gratiam habet, imo obicem ha-
bet ad illam recipiendam? 36
Plura etiam de hoc argumento habentur in Victorell.
d. p. 53. qui concludit, decere eſſe, præmittere Confeſ-
ſionem, & Euchariſtiam; quod etiam poſtulat uſus. I-
gitur ab hac Eccleſiæ conſuetudine, cum neceſſitas aliud
non poſtulet, recedere minime decet. Non arbitramur
tamen lethale facinus, ægrotum contritum, ante Con-
feſſionis, Euchariſtiæque myſteria, Sacro Oleo liniri,
Victorell. *d. f. 56.*

§. III. Habeat igitur Parochus loco nitido, & decenter ornato, in vaſe argenteo, ſeu ſtanneo, diligenter cuſtoditum ſacrum Oleum infirmorum, quod ſingulis annis, feria 5. in Cœna Domini ab Epiſcopo benedictum, veteri combuſto, renovandum eſt. Id tamen ſi forte infra annum, aliquo modo ita deficiat, ut ſufficere non poſſe videatur, neque aliud benedictum haberi queat, medico oleo non benedicto, in minore quantitate ſuperinfuſo, reparari poteſt.

De

37 De Vaſculis pro Oleo Sancto, de ejus renovatione,
& ſupplemento, ſi deſit, necnon de ejus combuſtione
ſatis diximus in explicatione Tituli *de Sacris Oleis*, &
38 *aliis requiſitis*. Remanet, ut aliquid dicamus de loco,
ſeu cuſtodia, in qua reponitur Oleum Infirmorum. Hoc
Oleum ſuum habere debet Repoſitorium ſeparatum a
quocumque alio loco; nam neque in Fonte baptiſmali,
39 neque in Tabernaculo, neque in Reliquiarum Sacrarum
cuſtodia reponi debet, *Prov. t. p. 2.*
40 Feneſtellam propriam, atque ad hoc unice paratam
habere debet Oleum infirmorum, quam nonnulli vocant
Armarium. Proprie ſita debet eſſe hæc feneſtella in pa-
riete Eccleſiæ ad cornu Evangelii Altaris majoris, ſeu
41 lo quo adſit Tabernaculum cum SS. Euchariſtia, adeo
ut particeps ſit luminis ardentis in Lampade ante San-
ctiſſimam Euchariſtiam, Synod. Fav. Card. a Verme,
42 *p. 1. pag.* 80. 81. Ejus altitudo a terra, ſit quanta ſuf-
ficiat ad commode eam aperiendam ſine ope vel ſcalæ,
vel ſuppedanei: quadratæ formæ ſit, & amplitudo ejus
quanta ad opem ſufficiat, intus ex aſſeribus ſit contexta
bene levigatis, ſerico coopertis, coloris violacei. Extra
vero ſit picturæ auxilio diſtincta a quibuſcumque aliis
feneſtellis, quæ in illa Eccleſia ſint. Oſtiolum habeat
ex ligno quod bene claudat, cum ſera, & clave, extra
43 quod picta ſit Burſa rubea, & ſubtus litteris majuſcu-
lis hæc verba legantur: SANCTUM OLEUM INFIR-
MORUM.
44 Hæc de feneſtella, ſiva cuſtodia Sancti Olei: modo
de Vaſculo dicendum, quod ex argento, vel ſtanno eſſe
45 oportet, cum ſuo operculo ejuſdem metalli. Litteræ ve-
ro in ventre Vaſculi ſunt hæc, EXTR. UNCT. hoc
46 eſt: *Extremæ Unctionis*. Sed hoc Vas indiget, ut ope-
riatur in quadam capſula rotunda talis menſuræ, ut u-
nice capiat illud, & ſit intus ſubſuta ſerico violaceo;
extra vero cooperta corio colorato; & ſi libet, auro,
47 vel argento obſignata. Inſuper alio tegmine indiget hoc
Vaſculum, nempe Burſa ſerica coloris violacei, dupli-
citer ſubſuta, cum ſuis funiculis ſericis, ejuſdem colo-
48 ris, ad illam obſtringendam collo Sacerdotis, dum ad
Infirmos pergit. Baſis, ſeu fundus hujus Burſæ ſit ro-
tundus, planus, & non mollis, ſed ſubdurus, & va-
leat ad in ſe perpendiculariter ſemper obſervandum Vas,
dum in itinere portatur. Hoc modo in loco nitido, &
decenter ornato cuſtoditur Sacrum Oleum Infirmorum
ex præſcriptione S. Caroli *Act. Ecc. Med.* & Cavallerii,
Rect. Eccleſ. Tit. 9. *n.* 2. 4. & 5.
49 Debet eſſe hoc Oleum illo anno benedictum ab Epi-
ſcopo in feria 5. Cœnæ Domini; quia quamvis Docto-
res allegati per Clericat. *deciſ.* 65. *nu.* 16. concludant,
50 valide poſſe adminiſtrari Sacramentum extremæ Unctio-
nis cum Oleo veteri benedicto, idest annis præteritis
conſecrato, nihilominus illicita ſemper fit, quia eſt con-
tra præceptum de ſingulis annis comburendo veteri O- 51
leo, & novo conſecrando: At tamen in caſu neceſſitatis;
deficiente novo, poterit adhiberi Oleum benedictum ve-
tus ſi adſit, & nondum proviſum ſit de novo, juxta re-
ſponſum *S. C. Epiſc.* 20. *Maji* 1590. apud Gavant. in
Manual. Ep. verbo Extrema unctio, *n.* 10. & docet Diana
coord. t. 2. *tr.* 4. *reſol.* 8. §. 5. ubi Doctores cumulat,
quibus adhærent Salmanticenſes *tr.* 7. *cap.* 2. *n.* 10. 15. 52
ex Clericat. *dec.* 65. *nu.* 16. Attamen ſi neceſſitate non
urgeatur Parochus adhibens vetus Oleum, non videtur
a Peccato excuſandus, Barboſ. *dict. p.* 2. *cap.* 32. *num.* 25.
quia debet Oleum eſſe benedictum eo anno, ut præci-
pitur in *cap. litteris, de conſecr. diſt.* 3. Si vero Paro- 53
chus careat Oleo noviter benedicto, ob aliquem fortui-
tum caſum, adeo ut illa deficientia abſque ſua culpa ſit,
poterit vetere Oleo morituros ungere, uſque dum no-
vum ipſi ab Epiſcopo tranſmiſſum fuerit, Zambran. *c.*
5. *dub.* 4. *n.* 15. Ugolin. §. 2. *num.* 2. Layman. *tract.*
8. *cap.* 5. *num.* 4. ubi advertit, per allegat. a Barboſ.
dict. l. quod ſi adveniente novo, ex vetere aliquid re-
manſerit, ponendum eſt, ut comburatur in lampadibus 54
Eccleſiæ, quæ ante Venerabile Sacramentum ardent.
Quoad admixtionem Olei non conſecrati cum conſecra- 55
to, cavendum eſt, ut quod additur, ſit minoris quanti-
tatis conſecrato; & advertenda ſunt quæ alibi diximus
in Titulo *de Sanctis Oleis*, §. 3. cum Poſſevino, Fuſco,
Bonacina, Barboſa, & aliis Doctoribus, ſed in ſpecie Bar-
boſa præter alios animadvertendus eſt. Satis curioſa quæſtio
promovetur in gloſſ. ad Decret. Gratian. *P. p. diſt.* 5. *c.* 3.
Illud ſuperfluum *Rubr. Oleo Sanctificato*. Ungere an poſ-
ſit quis Oleo non conſecrato? Numquid confert hoc Sa-
cramentum ſi quis inungit Oleo non conſecrato? Vide-
tur quod ſic: quia & Baptiſmus confertur in Aqua non
conſecrata, *de conſec. diſt.* 4. *c. ſi quis*. Alii dicunt con-
tra; nec eſt ſimile, quia vis Baptiſmi tota eſt in ver-
bis, hæc autem vis eſt in re ipſa, ſcilicet in Oleo. S.
Thom. 3. *p. q.* 72. 3. & 4. *ſent. diſt.* 7. *q. c.* 2. 3. Sed illa ra-
tio calumniam habet Extr. *de Bap. c. pen.* Verum uti-
que eſt quod Aqua non conſecrata valide confertur Ba-
ptiſmus, quia Eccleſia Sacramentum tantæ & ſummæ
neceſſitatis noluit limitare ad ſolam Aquam conſecra-
tam, quæ ut plurimum ſub cuſtodia eſt, nec a quocum-
que haberi poteſt, prout Aqua communis in neceſſitate
Baptiſmi. Sed cum extrema Unctio non ſit Sacramen-
tum neceſſarium neceſſitate medii, adeo ut unuſquiſque
ſalvari poſſit abſque illa, ideo ob dignitatem majeſtatem-
que Sacramenti, Eccleſia ad hoc deſtinavit tantummo-
do Oleum conſecratum.

§. IV. Oleum porro ipſum vel per ſe ſolum, vel in bombacio, ſeu re ſimili ſervari poteſt: ſed ad evitandum effuſionis periculum, multo commodius ad infirmos defertur in bombacio.

In Titulo *de Sacris Oleis*, ſatis diximus circa hanc
56 materiam, ad evitandum periculum effuſionis Olei:
Certe ſi hæc cautela valet in ulla occaſione, eſt in de-
latione Olei Sancti ad Infirmos; non enim in alio O-
leorum Sacrorum uſu vaſa huc illuc tam ſæpe transfe-
runtur, quam in extrema Unctione. Nihilominus pro
quocumque eorum uſu eſt ſatis utilis eorum immerſio in 57
bombac. ſeu lino, ſeu ſpongia, &c.

§. V. Debet autem hoc Sacramentum Infirmis præberi, qui cum ad uſum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, & iis qui præ ſenio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam ſine alia infirmitate.

58 Conditio neceſſaria in homine recepturo Sacramentum
extremæ Unctionis eſt, quod ſit capax talis Sacramen-
59 ti: ſed Infantes, qui uſum rationis non habent, hanc
conditionem adimplere non poſſunt; ergo illis non eſt
adminiſtrandum per allegat. a Clericat. *dec.* 70. *per tot.*
cum variis Doctoribus videndis ea gratia ob multas ra-
tiones, quas adducunt.
60 Uſus rationis, ut alibi diximus, ad ſeptimum uſque
annum perducitur. Verum ſi aliquis quæreret, in qua
ætate pueri cenſeantur habere uſum rationis, & capaci-
tatem Sacramenti extremæ Unctionis: dicam cum Nat-
61 bona *de ætate*, *ann.* 7. *q.* 8. duas eſſe opiniones Theo-
logorum: Prima perducit Infantes ad annum duodeci-
mum, quando ſcilicet capaces ſunt ſumendi Sacram Eu-
chariſtiam: Secunda docet, ut attendantur anni, in qui-
bus Pueri ſunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ, & in-
cipiunt confiteri culpas ſuas, id eſt in ſexto, vel in ſepti-
mo anno, ſecundum majorem, vel minorem vivacita-
tem intellectus eorumdem, ob illam ſupra allatam ratio-
nem, quod Sacramentum hoc eſt conſummativum Pœ-
nitentiæ, & cui hæc miniſtratur, eo magis illud confer-
ri poteſt. Laym. *l.* 6. *tr.* 7. *c.* 4. *n.* 2. & alii apud Clericat.
dec. 18. *nu.* 57. qui inter duas has opiniones, hanc po-
ſtremam eſſe amplectendam docet cum Gobat. *tr.* 8. *n.*
822.
Nihilominus, ſi Parochus ſit dubius, an puer habeat
uſum rationis, & an ſit capax, vel non hujus Sacra-
menti, debet illud miniſtrare ſub conditione, *Si capax es.* 62
Ita Sanch. *diſp.* 27. *n.* 27. & alii apud Clericat. *d. l. nu.*
18. Tota hæc doctrina intelligenda eſt, ſi Puer, vel alius 63
quivis ſit in mortis periculo ob infirmitatem, ut ſatis
abunde dictum eſt in §. 5. hujus Tituli. Senes unice
privilegiati ſunt, ſed decrepiti, & qui deficere videntur 64
per reſolutionem, abſque ulla infirmitate, niſi compu-
tari velit infirmitas ætatis innata axioma illud tritiſſi-
mum: *Senectus ipſa eſt morbus*. Ratio hujus privilegii
videtur eſſe, quia iſti parvis etiam paſſionibus, & mor-
bis moriuntur, & ſine dolore, quia defectus caloris cau-
ſat in eis quamdam inſenſibilitatem, ut ex Ariſtotele *de*
Juvent. & Senectute, *cap.* 14. *art.* 5. *n.* 4. & 5. & Maur.
t. 4. *p.* 704. prout etiam notat Clericat. *d. dec.* 70. *nu.*
28. Barboſa *d. c.* 22. *n.* 18.

§. VI. Infirmis autem qui, dum ſana mente, & integris ſenſibus eſſent, illud petierunt, ſeu veriſimiliter petiiſſent, ſeu dederint ſigna contritionis, etiamſi

deinde

deinde loquelam amiſerint, vel amentes effecti ſint, vel delirent, aut non ſentiant, nihilominus præbeatur.

65 Multiplex morborum caterva, miſeratione dignum ho-
minem reddit. Sæpe eorum cauſa fit, ut qui omnibus
numeris chriſtiane vixit, moriatur Sacramentorum auxi-
lio deſtitutus: nihilominus, etſi aliquando, ob ſubitum
morbum, impedimentum linguæ detur, ſi vita morien-
66 tis, quantum fert humana fragilitas, vere fuit acta in
fide, & religione, Sacramentum Extremæ Unctionis
non denegari cuipiam præcipit Sancta Mater Eccleſia.
Unde ait Barboſa *d. p. 2. cap.* 22. *n.* 13. miniſtrandum eſ-
ſe hoc Sacramentum diuturno tempore amentibus, aut
phreneſi laborantibus, modo priuſquam in talem amen-
67 tiæ ſtatum perveniſſent, Sacramentum hoc ſaltem inter-
pretative deſideraverint: ſi nimirum Chriſtiane vixerint,
atque ſalutis ſuæ memores fuerint, quod quidem præſu-
mendum, niſi contrarium appareat, Henriq. *l.* 3. *c.* 13.
§. 1. Poſſev. *c.* 9. *n.* 4.
Qui vero a nativitate amentes, & inſani ſunt, ac 68
numquam lucida habuerunt intervalla, comparantur In-
fantibus, & non eſſe iis Sacramentum miniſtrandum tra-
dit Bonacina *punct.* 5. *n.* 2. & 3. cum aliis apud Barboſ.
loco citato. Secus vero alii Doctores ſentiunt, Fernand.
p. 3. *c.* 10. §. 1. *n.* 9. Attamen tutior ſententia eſt, quod
hujuſmodi amentibus a nativitate, qui numquam lucida
habuerunt intervalla, non ſit miniſtrandum, quia non
ſunt capaces peccati actualis.
Rubrica itaque intelligenda eſt de Amentibus, Phre-
neticis, delirantibus, & mutis ob vehementiam infirmi-
tatis, qui ante morbum ſana mente erant, & integris
ſenſibus, atque Chriſtiane vixerint, niſi notorie aliter
uſque dum appareret.

§. VII. Sed ſi Infirmus, dum phreneſi aut amentia laborat, veriſimiliter poſſet quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, niſi periculum tollatur omnino.

In Titulo de SS. Euchariſtiæ Sacramento ad §. 10. ve-
tiram ſuis, ne miniſtraretur Sacra Euchariſtia amenti-
bus, & phreneticis ob periculum ſcandali, & irreveren-
69 tiæ. Modo idem repetitur in Sacramento Extremæ Un-
ctionis: & ſane difficile eſt in phrenetico, & deliranti
impedire, ne acta irreverentiæ promat tunc, cum men-
te delirat, nec diſtinguit Sacrum a non Sacro. Ideoque
Rubrica præſens præcipit rationabiliter, ne inungantur
hujuſmodi phrenetici, niſi periculum irreverentiæ tolla-
tur omnino. Difficultas eſt de modo tenendo ad tollen-
dum hoc periculum. Barboſa cum variis Theologis *d. l.*
libere dicit, hujuſmodi phreneticos, ſi reſiſtant, eſſe li- 70
gandos, & hoc aliquando facere eſſe neceſſarium, quan-
do phrenetici non poſſent recipere aliud Sacramentum
niſi Extremam Unctionem. Vide Dianam *p.* 1. *tract. de
celebrat. Miſſ. Reſolut.* 78. *in fine*.

§. VIII. Impœnitentibus vero, & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis, penitus denegetur.

71 Quatuor ordines Perſonarum arcentur ab uſu Extre-
mæ Unctionis: Impœnitentes: Manifeſti Peccatores:
Excommunicati: & nondum baptizati, de quibus ſin-
gillatim infra; & primo
72 Impœnitentes ſunt qui cum publice peccaverint, nul-
lum pœnitentiæ ſignum dederunt, adeo ut a peccato
ſuo receſſiſſe nemini notum ſit, Gobat. *tr.* 7. *n.* 602.
73 Manifeſti peccatores ſunt qui in actu mortaliter pec-
caminoſo morte correpti ſunt, aut actualiter peccando,
ſenſibus deſtituuntur, verbi gratia, in fornicatione, in
blaſphemia, in furto &c.
74 Excommunicati ſunt qui cenſura publica innodati,
adhuc abſoluti non ſunt, de quibus fuſius verba fecimus
in Sacramento Pœnitentiæ.
75 Nondum baptizati denique ſunt incapaces Sacramenti
Extremæ Unctionis, quia ſolus homo baptizatus eſt ſub-
jectum illius, Barboſ. *p.* 2. *c.* 22. *n.* 4. cum enim Baptiſ-
mus ſit fundamentum Sacramentorum, *C. Veniens* 3. *de
Presbyt. non baptiz. t.* 43. non valet habere aditum ad
alia Sacramenta qui prius per hoc non intravit, cum
Baptiſmus ſit qui hominem cæterorum Sacramentorum
capacem reddit.
Illi omnes incapaces ſunt Sacramenti Extremæ Un-
ctionis, ut ſuſtinent plures Doctores a Clericat. *deciſ.*
80. allegat. Nihilominus recentiores Theologi ab eodem
Clericato adducti, *ibid. nu.* 5. & 6. cum fundamento,
quod de quocumque Chriſtiano poſſit prudenter præſu-
mi, in periculo, ſeu articulo mortis, conſtitutum quem-
piam fidelem (loquor de tribus primo acceptis, non
autem de non baptizato) interius corde ſuo dolere de
peccatis, & efflagitare Sacramenta, ut æternam ſalutem
conſequatur; ideoque in voto ſunt, ut ſit ſufficiens præ-
ſumptio pro miniſtrando eidem hoc Sacramento, ideoque 76
recte operari qui præſumptive miniſtraret Impœnitenti,
manifeſto peccatori, & excommunicato in mortis arti-
culo conſtitutis. Diana ipſe receſſit ab opinione ſua,
Coord. *T.* 1. *tract.* 4. *reſol.* 65. & cum multis Authori-
bus ab eo congeſtis, affirmavit, non eſſe illicitam Sa-
cramentorum miniſtrationem eidem morienti, quam-
vis deſtitutus ſit ſenſibus actualiter peccando. Eſt enim
pie credendum, quod etiam peſſimus peccator, ſe vici-
num morti ſentiens, conetur actum ſaltem Attritionis
in corde elicere, ut ſalvetur. Hoc non obſtante, Tex-
tus noſter clare loquitur, prohibens talem adminiſtratio-
nem, qui Textus cum per conſenſum Eccleſiæ Univer-
ſalis ſancitus ſit, eſt magis attendendus, quam opinio
Doctorum licet Claſſicorum.

§. IX. Non miniſtretur etiam prælium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula ſubituris, aut reis ultimo ſupplicio mox afficiendis, aut pueris rationis uſum non habentibus.

Jam diximus, quod ſanis, ſive Perſonis in ſanitate
corporali conſtitutis Extrema Unctio neque licite, ne-
que valide miniſtrari poteſt, ut unanimiter docent Do-
77 ctores cum Clericat. *d. dec.* 79. *n.* 1. Inter illos corporis
ſanitate gaudentes connumerantur (licet ſe exponant
aliquo periculo) illi qui magnam, & periculoſam na-
vigationem ſuſcipiunt, in qua alias alii mortui ſunt; ul-
terius illi qui prælium dubium ineunt, peregrinationem
ad barbaras gentes ſtatuunt, mulieres in puerperio, nec
non alii in ſimilibus periculis, in quibus probabiliter
ſint morituri. Illi omnes ungendi non ſunt Oleo Ex-
tremæ Unctionis ob tale periculum, & ratio eſt, quia
78 hoc Sacramentum inſtitutum eſt pro morituris tantum-
modo ex infirmitate, ut D. Jacobi ſonant verba, &
Concil. Florentini, & Tridentini locis citatis.
79 Attamen Puerperæ veniunt excipiendæ, quæ ob par-
tus difficultatem, ac nimios, diuturnoſque dolores, con-
ſtitutæ ſunt in probabili vitæ diſcrimine, Diana Coord.
Tom. 2. *tract.* 4. *reſol.* 49. & alii allegat. per Clericat.
deciſ. 79. *n.* 22. inter quos Gobat. *tract.* 8. *a n.* 843. *& ſeq.*
advertit quod talis mulier puerpera non eſt ungenda O-
leo Sacro in ordinario partus periculo; ſed ubi illud ſit
ingens, & ex judicio Medicorum agatur de diſcrimine
vitæ.
80 Inſuper hoc Sacramentum Extremæ Unctionis non
eſt miniſtrandum Reis capite damnatis, S. Thom. *in* 4.
ſent. diſt. 23. *q.* 2. Covarruv. *l.* 2. *var. reſol. c.* 1. *n.* 11. Si-
manca *de Cath. Inſt. t.* 57. *n.* 16. & ſuper eo notles Caſſa-
canius *in notis*, *n.* 16. quia tale Sacramentum non poteſt 81
illis prodeſſe ad ſalutem corporis, Bellet. *p.* 1. §. 1. *nu.*
48. Victorell. *fol.* 42. & ultimo loco P. Manasa, *Notti
Malinconiche*, *Interr.* 35. Igitur regula eſt, a Doctori-
bus, & univerſali conſuetudine approbata, ſed habet ſuas
exceptiones: Poſſunt enim dari caſus, in quibus etiam
infelices Rei a Carnifice trucidandi, liniri poſſint Oleo 82
Sancto, & muniri hoc Sacramento, ut notat idem Ma-
nara, *l. c.*
Duos caſus affert Gobat. *tract.* 8. *n.* 847. 848. ex Cle- 83
ricat. *d. l. n.* 34. 35. Primus eſt quando damnatus ad mor-
tem, antequam ſententia executioni demandetur, ita,
& taliter gravi morbo correptus, ut timeatur ejus
mors ante executionem ſententiæ, quia vere tunc eſt
infirmus cum periculo, ut ait Eſcobar. *Probl.* 30. Simi-
lem caſum habuit piiſſima Schola Conſolatorum Ferrariæ
anno 1681. *die* 14. *Auguſti*. Quidam Bernardinus Caval-
lari celebris homicida, a Birruariis in actu capturæ le-
thaliter vulneratus, ad Carceres ductus, ob gravitatem
delicti, ſtatim capite damnatus fuit; ſed cum vulnus in-
crudeſceret, & de affectu ſpaſmodico timeretur, qui
eum brevi tempore necaret, ante executionem ſenten-
tiæ, de Conſilio Phyſicorum, & conſolatorum, qui eum
in Capella Carcerum confortabantur, miniſtrata illi
fuit

fuit Extrema Unctio, quia vere erat corpore graviter infirmus, & in proximo periculo mortis naturalis, ante mortem violentam.

84 Secundus caſus eſt (in Italia vero non uſitatus) quando Reorum, præcipue homicidarum, artus, brachia, femora, tibiæ, ac pectus franguntur rota, ferro prominente armata. In hac carnificina ſæpius accidit, ut Reus, fractis oſſibus, implexus rotæ, poſt illam horribilem confractionem diu vivet, quandoque per biduum, & triduum. In hoc caſu non cenſetur prohibitum miſero illi Sacramentum hoc miniſtrare: & ratio eſt, quia in tali caſu ſuperviventiæ, poſt fracturam oſſium, Reus ipſe morti proximus eſt, ob ſuſcepta vulnera, & ob oſſifragium, ut notat Caſtropalaus, et Tanneius; quos citet, & ſequitur ipſemet Gobat. *dict. l.* & Clericat. *ib.* ſubdens in nihilo offendi reverentiam Sacramenti exhibiti in illo patibuli loco, quia nullus plene locus determina-
85 tus eſt pro hac inunctione, neque Magiſtratum ſæcularem poſſe id prohibere; cum ſit actio mere ſpiritualis, nihil nocens publicæ juſtitiæ.

Nonnullos etiam audivi aſſerere, Sacramentum hoc non miniſtrari morte plectendis ob irreverentiam, quæ eidem Sacramento præberetur, dum Reus pedibus inunctis Sacro Oleo, calcaret humum in itinere ad Patibulum. Sed hæc ratio ſatis frigida eſt; nam quod non fit ob contemptum, nullo modo eſt reprehenſibile: alioquin & Infirmis manus ligari deberent poſt Sanctam Unctionem, ne iiſdem manibus unctis aliquid indecens, & ſordidum pertractarent.

86 Nec obſtat objectio, quæ ab aliquibus Doctoribus fieri ſolet, nempe in morti damnatis aliquem effectum hujus Sacramenti poſſe verificari, nempe Animæ ſalutem, ſeu purgationem peccatorum; concedatur, inquiunt ipſi, quod corporis ſanitas, ob imminentem ſententiæ irrevocabilis executionem, deſperata ſit; non par hoc tamen eſt, ut Animæ ſalus acquiri non poſſit per purgationem peccatorum: ergo ſaltem pro hoc effectu habendo, impertienda eſt Extrema Unctio capite plectendis: ſi enim fruſtratur unus finis, nempe ſalus corporalis, non fruſtratur alter, & quidem potior, qui eſt ſalus Animæ, pro qua Deus paſſus eſt: Cui objectioni reſpondeo: Sacramenta non eſſe incertitudini probabiliter negativæ committenda, ut docet Stephanus a S. Gregorio *de pœnit. cap.* 9. Sed in hoc caſu Sacramentum exponeretur huic moraliter indiſpenſabili certitudini; ergo ab illius adminiſtratione abſtinendum eſt. De facto eadem ratio militaret etiam pro Infantibus uſum rationis non habentibus, nam ſi peccatorum purgatio in iis verificari non poſſet, poſſet utique evenire alter effectus ſanitatis corporalis, & tamen Eccleſia, ut in antecedenti §. 5. demonſtravimus, prohibet, ne miniſtretur hoc Sacramentum iis, qui ad uſum rationis non pervenerint, eo quia alter effectus purgationis peccatorum haberi non poteſt. Igitur in caſu quoque damnati ad mortem, cum alter effectus haberi nequeat, non debet committi hoc Sacramentum certæ fruſtrationi unius ſuorum effectuum.

Difficultas eſt, an hujuſmodi condemnato Infirmo, & 87
morti proximo debeat miniſtrari hoc Sacramentum per Parochum, vel per quemlibet alium Sacerdotem, puta Capellanum Confraternitatis mortis, vel per Sacerdotem conſolatorem? Doctores in hoc conſentiunt, competere hoc munus proprio carceratorum Parocho, nempe loci, in quo degunt Carcerati, etiamſi ſit Regularis. Ita Em. Sa, *verbo, Extrema Unctio*, Quint. *Singular. tract.* 5. *ſing.* 3. *nu.* 7. cum Manate *noct. malincon. Interr.* 36. & ratio eſt, quia ſtatim ac carceratus eſt Infirmus, indiget Sacramentis, & fit ſubditus Parocho, & quodammodo extra juriſdictionem magiſtratuum ſæcularium. Ultraquemquod Oleum Infirmorum, cum unice penes Parochum ſervetur, ad aliam Perſonam recurſus haberi non poteſt in ſimili caſu, niſi ad Parochum; nec privilegia particularia Societatis mortis, ſeu conſolatorum derogant juribus Parochialibus, niſi ſpecifice loquantur.

§. X. Si quis autem laborat in extremis, & periculum immineat, ne decedat antequam finiantur unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco: *Per iſtam Sanctam Unctionem*, &c. ut infra: deinde, ſi adhuc ſupervivat, dicantur Orationes prætermiſſæ, ſuo loco poſitæ.

88 Cum materia, & forma ſint quæ conſtituunt hoc Sacramentum; nempe Oleum, miniſtratio, ſeu Unctio, & verba prolata in actu Unctionis; ſufficit, ut hæc tantum tria habeantur; cætera enim ſunt acceſſoria, & ſine illis poteſt Sacramentum ſtare: ideoque ſi omittantur Orationes, & preces ſtatutæ in caſu neceſſitatis, & licite, & valide hoc fieret. *Act. pag.* 4. Si vero tempus poſt Unctionem ſuppetat, Orationes, & preces prætermiſſæ 89
ſupplendæ ſunt, intellige tam de antecedentibus, quam de ſubſequentibus, ut ita Ritus adimpleatur aliquo modo. Orationes enim, & Pſalmi non poſſunt in hac adminiſtratione omitti, abſque peccati incurſu, Barboſ. *dict. nu.* 39. niſi periculum videatur eſſe in mora; quod idem eſt ac in caſu neceſſitatis.

§. XI. Si vero dum inungitur, Infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, & prædictas Orationes omittat.

90 Mortuus Homo Sacramenti capax non eſt; unde recte præcipit textus noſter, ut Sacerdos deſiſtat ab Unctione, quia hæc nullum effectum habere poteſt. Circa quod Thomiſtæ, quos cumulat Maſtrius relatus a Cleric. *dec.* 46. *num.* 8. aſſerunt, quod ſi æger moriatur ante completam quintam unctionem, Sacramentum remanet invalidum, & ex eo nullum conſequetur effectum. Quod & docuit noviſſime Gonet. *tom.* 5. *tr.* 6. *diſp.* 1. *de Extr. Unct. n.* 30. *& ſeqq.*

§. XII. Quod ſi dubitet, an vivat adhuc, unctionem proſequatur ſub conditione, pronuntiando formam, dicens: *Si vivis: Per iſtam ſanctam unctionem*, &c.

91 Conditio nihil ponit in eſſe, & valet ad quantum valere poteſt, ideo in hoc caſu non eſt omittenda, quia Sacerdos non poteſt deponere dubium, utrum Infirmus vivat, necne: & ſi viveret, multum juvare poſſet iſta Unctio: Si vero non viveret, nihil noceret. Vide quæ diximus in Baptiſmo, & Pœnitentia ſub conditione miniſtratis in ſuis Titulis.

§. XIII. Si autem acciderit, Infirmum poſt peccatorum ſuorum confeſſionem ad exitum vitæ properare, tunc cum Sacro Viatico poterit & Oleum Infirmorum ad eum deferri, per ipſum Sacerdotem, qui defert Sacram Euchariſtiam: ſi tamen alius Presbyter, vel Diaconus, qui Oleum Sanctum deferat, haberi poſſit, per ipſum deferatur; qui ſuperpelliceo indutus, cum Oleo ſacro occulte delato ſequatur Sacerdotem Viaticum portantem, & poſtquam Infirmus Viaticum ſumpſerit, inungatur a Sacerdote.

92 Præcepit hoc etiam S. Carolus, *Act.* 4. *de Sacramento Extremæ Unctionis*, his verbis: *Cum ad Ægrum valde periculoſe ægrotantem Sacram Euchariſtiam pro Viatico fert, Vaſculum etiam Sacræ Unctionis afferat, præſertim ſi* (& hoc Rubricę noſtrę neceſſario addendum erat) *Infirmi domicilium ab Eccleſia longe abeſt: Ut ſi morbi vis magis ingraveſcret, in tempore miniſtret.*

Memini me in primo Titulo dixiſſe, quantę utilitatis ſit, ſi vocatus Parochus ad Infirmum graviter 93
laborantem, exiens ab Eccleſia, ſive a domo ſua (a qua abeſſe non debet) ſemper ſecum deferat Vaſculum Olei Sancti, ad Infirmum inungendum, ſi opus erit. Iſtud Vaſculum poteſt ab ipſo Sacerdote deferri ſi ſolus ipſe ſit in adminiſtratione Euchariſtię, nec adſit

94 ſit ſaltem Diaconus, cui hoc Officium tradat: dixi *Diaconus*, quia poſt Sacerdotem unice Diaconus eſt dignior miniſter in Eccleſia Dei. Cæterum ſi ſit ſimplex Clericus, non peccabit, nec indigne feret, cum non aliud Officium gerat, quam portitoris, non autem miniſtratoris. Si enim, ut ſuo loco diximus, ſufficit, quod ſit Clericus, qui accedat ad deferenda Olea Sacra de loco, ubi conſecrata fuere, ad locum, ubi fieri debet Benedictio Fontis, nulla eſt diſparitas, cum modo idem officium præſtare nequeat in hac neceſſitate. In Titulo *de Sacris Oleis* §. 8. Verba ſatis clara ſunt: dicunt enim: *Parochus, quantum fieri poteſt, curet, ne per Laicos, ſed per ſe, vel per alium Sacerdotem, vel ſaltem per alium Eccleſiæ miniſtrum, hæc Olea deferantur:* Ecce quomodo de Sacerdote loquitur, non de Diacono; ſed de quocumque alio Eccleſiæ miniſtro.

95 Iſte Diaconus debet eſſe indutus ſuperpelliceo, abſque quo habitu non decet ferre Sacramentum: quamvis enim occulte debeat illud tenere, attamen ſubdole fieret, ſi abſque hac Sacra Veſte incederet. Verum eſt, quod ſi cæteri, & diverſi alii Eccleſiaſtici Miniſtri adeſſent, omnes quotquot eſſent, deberent ſimiliter ſuperpelliceo indui, unde non diſtingueretur inter illos quiſnam deferret Sacramentum Sancti Olei, eo magis quia, ut præſcribit Rubrica, debet occulte deferri. Sed locus eſt, qui hujuſmodi miniſtrum e cæteris diſtinguit: cæteri enim præcedere debent Parochum, ſive Sacerdotem Euchariſtiam portantem, ut pariter docet Rubrica: iſte ſolus poſt Parochum debet ſequi cum Oleo. Hæc diſtinctio non ſine myſterio ſtatuta eſt, ſed fit ob excellentiam Sacramenti, quod ipſe defert, & quod locum ſuum diſtinctum habere debet in ordine ad alios Miniſtros. Principalis locus datur Sacramento Euchariſtiæ: minus principalis vero Sacramento minori, & ab ipſomet Chriſto in Euchariſtia contento, inſtituto.

§. XIV. In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, niſi diuturna ſit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidit.

96 Ad hoc ut iterum eidem Infirmo miniſtretur Extrema Unctio, Medicorum judicio, idem Infirmus prius eſſe debet extra probabile, ſeu propinquum mortis periculum, & de novo in morbum periculoſum incidiſſe, mutata corporis valetudine; & hoc poteſt fieri quamvis intervallum non longum temporis, ſed paucarum hebdomadarum interceſſerit, dummodo prudenter cenſeatur
97 diverſus ſtatus, diverſum periculum, & diverſa diſpoſitio ad moriendum, Henriquez. *lib.* 3. *cap.* p. §. 3. Ledeſma, *part.* 1. *cap.* 8. Coninck *diſp.* 19. a nu. 26. & alii apud Barb. *dict. part.* 2. *cap.* 22. nu. 38. Abſolute igitur loquendo, poteſt hoc Sacramentum ab eodem Infirmo ſuſcipi pluries, quia non imprimit Characterem, non tamen durante eodem morbi periculo, ſive ſtatu, quia pro toto illo tempore cenſetur ſufficienter ſuum effectum operari, Coninck *d. loc.*

De hujus Sacramenti iteratione acriter olim diſputatum 98
fuit inter Pium II. Summum Pontificem, & Laurentium Roverellam Epiſcopum Ferrar. ut notat Ciaccon. *T.* 2. *p.* 1005. Ughell. *addit. T.* 2. *p.* 551. *Gloſ. in c. Illud* 3. *diſt.* 95.

§. XV. Quinque vero corporis partes præcipue ungi debent, quas veluti ſenſuum inſtrumenta, homini natura tribuit: nempe oculi, aures, nares, os & manus: attamen pedes etiam, & renes ungendi ſunt: Sed renum unctio in mulieribus, honeſtatis gratia, ſemper omittitur, atque etiam in viris quando infirmus commode moveri non poteſt. Sed ſive in mulieribus, ſive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.

99 Aſſignat Rubrica quinque corporis humani partes inungendas, & poſtea enumerat ſeptem. Verum hæc non eſt contradictio; cum enim per quinque partes intelli-
100 gantur quinque ſenſuum inſtrumenta, duæ illæ partes adjunctæ relationem habent ad aliquem illorum quinque ſenſuum. Per oculos, nares, aures, os, & manus, intelliguntur ſenſus Viſus, Odoratus, Auditus, Guſtus, & Tactus, cum quibus homo incidere poteſt in pecca-
101 tum, Eugen. IV. *in Conc. Florent.* Per pedes vero, & renes, non de novis, & diverſis ſenſibus intelligit, ſed de duobus ex illis: Pedes enim cadere poſſunt ſub ſenſu tactus, & renes ſub ſenſu non tam tactus, quam delectationis. Pes greſſu delinquere poteſt, & Renes per lumborum delectationem, ideo in verbis formæ dicitur
102 de Pedibus: *Quidquid per greſſum deliquiſti*, & de renibus: *Quidquid per lumborum delectationem deliquiſti*, aliqui dicunt: *Per ardorem libidinis*, Panormitan. *Barv. not. de Extr. Unct.* nu. 3. Sunt tamen nonnulli Philoſo-
103 phi recentiores, qui lumborum delectationem, & actum venereum, eſſe ſenſum aucupantur a quinque conſuetis humanis ſenſibus diverſum, & de per ſe. Quidquid ſit de hoc, ut ad myſterium, & ſignificationem harum un-
104 ctionum deveniamus, inſtituit pia Mater Eccleſia, ut ungerentur illæ partes ad medelam cuique ſenſui applicandam. Senſus enim ſunt cognitionis fontes, & quædam quaſi ſcelerum origines, cum humana cognitio ortum habeat a ſenſu, S. Thom. 4. *diſt.* 23. *qu.* 2. *art.* 3. Victorell. *pag.* 61. Imo Sacramentale Brixinen. *d. de Extrema Unctione*, §. 8. de Renibus loquendo dicit: Ungendi ſunt lumbi, ſive Renes: in his enim vigent peccatorum radices, quibus proinde medicinam adhiberi convenit.
105 Quinque igitur eſſentiales Unctiones ſunt in hoc Sacramento, & duæ integrales tantum, quæ ſunt Pedum,
106 & Lumborum; quarum poſtrema, ut plurimum in Viris omittitur, ſemper vero in Fœminis, honeſtatis gratia. Sed ſi Fœminæ efflagitarent ungi quoque in lumbis, 107
non eſſent audiendæ a prudenti Parocho, cui non deerit modus illis ſuadendi, ut abſtineant ab hac unctione: nullo enim pacto in uſu poni debet vana, & pene ridicula, ſi non audax doctrina Victorell. *d. pag.* 62. qui de unctione lumborum loquens (pudet quaſi dicere) hæc ait: *Si ſæcularis Fœminæ hæc unctione leniendæ ſit, prope umbilicum iunge; ibi locus luxuriæ ſedes in Fœmina, fortitudo illius in umbilico ventris ejus*, Job. 40.

In Viris vero, cur ut plurimum prætermittatur hæc 108
unctio lumborum, penitus ignoro. Secluſo incommodo, quod nonniſi in pluſquam graviſſime laborantibus occurrere poteſt, facilis uſus eſt, ungendo ab utroque latere lumbos: & hoc faciliſſime mihi accidit, dum per ſeptennium Præfectus eſſem in nobili Noſocomio *Batiutorum* 109
Alborum nuncupato hic Ferrariæ, & innumeros Viros Sacro Oleo, non minus in aliis partibus, quam in lumbis inunxi, & nonnullos audivi hoc præcipue poſtulantes.

Atque hoc loco, nequeo tacere de prava, ſcandaloſa, & omnino rejicienda opinione ſuperallegati Victorelli, qui ad *pag.* 62. ejus Tractationis *de Sancto Extremæ Unctionis Sacramento*: ait: *Si ſæcularis Fœmina hac Unctione leniendæ ſit, prope umbilicum iunge, ibi locus luxuriæ ſedes in Fœmina*, ex S. Greg. *homil.* 33. An ne pejus audiri poteſt? Honeſtatem Mulieris æquiparat honeſtati Hominis, ſubdens: *Hanc unctionem in Fœminis prætermiſſam, in Viris quoque prætermittas: nam idem Ordo, & Ritus cum utriſque uſurpandus*. Sed quomodo hæc? ego dico, quod hoc admiſſo, ſi non debent inungi renes ægrotantium, ſive non poſſunt abſque gravi incommodo, neque debent inungi partes illis viciniores: ideo prætermittenda hæc unctio; nec pro lumbis ungendum pectus Fœminæ, ut aliqui faciunt juxta ſententiam Panormitani, *de Extr. Unct.* §. 2.

§. XVI. Manus vero, quæ reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur.

110 Hoc fit, quia Sacerdotes in palma manuum uncti jam ſunt ab Epiſcopo in ordinatione Sacerdotii, ideo infra palmam, vel in exteriori manus parte ungi ſolent: *Sacramentale Brixinen. d.* §. 8. Barboſa *d. n.* 32. & alii ab
111 eo allegati, inter quos Palud. in 4. *diſt.* 23. *q.* 3. *art.* 3. *conc.* 5. non approbans ſupra adductam rationem, dicens nihil referre, ſi Sacerdos etiam in ipſis palmis inungeretur, cum hæc Unctio ab altera diverſa ſit, & Sacerdotes utique poſſe per ſenſum tactus peccata commiſiſſe; qui ta-
112 ctus ſenſus cenſetur habere præcipuam ſedem in interiori parte manus. Nec ſolus eſt Paludanus citatus, qui excludit hanc rationem: eſt & Archangelus Rubeus in 4. *Sent.* allegat. a Victorell. *p.* 62. qui eam reprobat, dicens inſulſam eſſe rationem præventivæ Unctionis in conſecratione, quia in Extrema Unctione non linitur Oleo Sacerdos, ut iterum conſecretur. Ultraquamquod Unctio in exteriore manus parte non adimplet ſignificationem formæ, quæ dicit: *quidquid per tactum deliquiſti*; tactus enim in interiori manus parte majorem vim habet. Cenſet igitur hic Author, Sacerdotis quoque manus interius liniendas eſſe. Verum nimis facile reſiſtit determinationi Eccleſiaſticæ, & ab univerſa Eccleſia,

& a Summis Pontificibus approbatæ ; & ideo hæc ſententia amplecti nequaquam debet, nec praxi demandanda, cum obſtet Rituali.

Ego aliam a me excogitatam rationem adducam ; & 113 erit. Inungitur Sacerdoti manus in parte exteriori, at ſi ſenſibus in illo actu, Sacerdos valeat, advertat dignitatem ſuam, per quam ab aliis quibuſcumque diſtinguitur, & ſic peccatorum ſuorum a manibus ſuis commiſſorum pœniteat: quarum manuum uſum habitum in conſecratione, & tacto divini Corporis Chriſti, ad alium nefandum uſum convertere non debuerat. De facto manus Sacerdotum, omni veneratione dignæ ſunt tam ob Sacram Unctionem, quem ob familiarem tactum Sanctiſſimæ Eucheriſtiæ: unde digniſſimus P. Antonius Moline Author *Inſtructionis pro Sacerdotibus*, ſolebat dicere: Sacerdotum manus, ſi fieri poſſet, debuiſſe continuo, ſaltem in chirotecis teneri, ne quid profanum ullo unquam tempore pertractarent.

§. XVII. Dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria ſunt, Sacerdos ungit, caveat ne altero ipſorum inungendo, Sacramenti formam prius abſolvat, quam ambo hujuſmodi paria membra perunxerit.

Hæc advertentia eſt ad majorem Sacramenti majeſtatem, & decorem, non autem de neceſſitate Sacramenti, ſicuti neque ordo in ungendo, quia mutato ordine, 114 adhuc completa manet ſignificatio, ut per Poſſevin. *c. 9. num.* 14. Bonac. *qu. unic. punct.* 2. n. 20. & Barboſa *d. n.* 28. Si enim in ungendo, v. gr. oculum unum, 115 abſolveretur tota forma, & ſingula ejus verba, quærenti quæſo forma, ſeu quæ verba remanerent pro inunctione alterius oculi?

§. XVIII. Si quis autem ſit aliquo membro mutilatus, pars illi loco proxima inungatur, eadem verborum forma.

116 Mutilationes in toto corpore accidere poſſunt, & membra obtruncari: unde quærendum eſt, quid agendum a Sacerdote, ſi infirmus Oleo Sancto ungendus careret aliquo ſenſu? Creſcit ulterius difficultas ſi ungendus abun-117 daret ſenſibus, ſeu ſenſuum inſtrumentis, & plures, v. g. quam duas manus haberet, & ſimilia ; vel ſi ille vitioſus, & imperfectus fuerit a nativitate, ut nuſquam uſum habuerit hujuſmodi inſtrumentorum?

118 In his caſibus Rubrica docet, quod hujuſmodi homo ſit ungendus in parte proximiori organo deficienti ; & ita communiter tenent Doctores, quos citat, & refert Diana *p. 5. tr. 6. reſol.* 11. *op. coord.* cui Cleric. *ibid. dec.* 67. n. 9. addit S. Th. *in ſuppl.* 3. *p. qu.* 32. *art.* 7. S. Bonav. *in* 4. *diſt.* 23. *p.* 2. *q.* 3. *& alios*.

119 Si vero iſti abundent ſenſibus, hoc eſt habeant tres manus, tres vel quatuor pedes (ut in monſtris potiſſimum datur) ungendum eſt membrum illud, quo magis ſeni aſi ſunt, vel quod magis in naturali parte corporis collocatum eſt, adeo ut, dempto membro ſuperfluo, corpus bene, & perfecte organizatum dici poſſet.

Quod ſi numquam uſum habuerint membrorum, v. g. numquam viderint, numquam audierint, vel tetigerint, &c. organo deficiente, vel inutili, quomodo verificari poſſunt verba formæ: *quidquid per viſum, auditum, tactum, &c. deliquiſti*? Cui reſpondeo, Hominem non ſolum peccare poſſe per inſtrumenta ſenſuum, ſed per potentias internas, quas habet in Anima. Animæ enim 120 non ſolum operatur per organa corporalia, ſed etiam per potentias non organicas internas, quarum ipſa Anima eſt ſubjectum, S. Thom. *p.* 1. *qu.* 77. *art.* 5. & Compluten. *l. c. de Anima*, *qu.* 3. §. 1. & 2. *diſput.* 6.

Itaque quamvis cæcus non videat organo oculorum, debent tamen oculi inungi propter peccandi concupiſcentiam. *Sacram. Beinin. d.* §. 8. quia interius cupit videre, & ex illo deſiderio, ſi immoderatum ſit, poteſt naſci peccatum, quod expiatione indigeat. Quod de oculis dixi, intelligatur de auribus, de manibus, pedibus, &c. quia licet hæc inſtrumenta deſint, attamen per deſiderium circa illa, peccare quis poteſt.

Porro in ungendis partibus vicinioribus membro mutilo, conſueta forma adhiberi debet, eo quia potentialiter cenſeri debet adeſſe id, quod deeſt.

§. XIX. Hujus autem Sacramenti forma, qua Sancta Romana Eccleſia utitur, ſolemnis illa precatio eſt, quam Sacerdos ad ſingulas unctiones adhibet, cum ait, &c.

Hac uſque de materia ſive proxima, ſive remota, & de ſubjecto hujus Sacramenti Rubrica loquuta eſt: modo 121 nonnulla dicit de forma, quæ a Rituali vocatur *Precatio*; unde deprecativa deberet dici: Attamen ſuper hoc nonnulli Auctores contendunt, ut apud Coninck *d. dub.* 4. & apud Clericat. *d. dec.* 66. *a num.* 1. *ad* 16. Sed non video, cur tam fervens quæſtio exoriri debeat, cum textus Rubricæ clare loquatur dicens: *Precatio*, non *Indicatio*: unde deprecativo, non imperativo, ſeu indicativo modo, ea debere uti Sacerdotes deſumere debemus: Ratio multiplex eſt, ſed præcipue eruitur ex verbis S. Jacobi: *Orent ſuper eum, &c.* quam approbat S. Thomas *in ſupplemento*, *qu.* 29. *art.* 8. Barboſa *de poteſtate Parochi*, *n.* 35. §. *ſit autem*, & Clericatus in enuntiato loco, *n.* 7.

§. XX. Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per Viſum, ſive per Auditum, &c. deliquiſti. ℞. Amen.

Hæc forma tradita eſt a Concilio Florentino, in De-122 cret. Eugenii IV. & a Trident. *ſeſſ.* 14. *de Extr. Unct. cap.* 1. Vide apud Clericatum alias varias formas, qui-123 bus in variis Eccleſiis antiquitus Parochi utebantur, *decr.* 68. *per tot.* Repetitur hæc forma in Unctione cujuſcumque ſenſus mutato tamen nomine ſenſus, ſeu organi, 124 ſive membri, quod inungitur : atque hoc ex neceſſitate præcepti, Barboſa *dict. num.* 34. qui alterius ait, *num.* 125 28. in quinque ſenſibus ungendis, non eſſe neceſſarium ordinem ſervare de neceſſitate Sacramenti, quia mutato ordine, adhuc completa manet ſignificatio, Poſſevin. *dict. cap.* 9. *num.* 14. Vide ſignificationem Verborum hujus formæ apud Coninck *dict. diſp.* 19. *dub.* 4. *numer.* 14. 15.

Nonnulli in caſu ultimæ agoniæ, quando tempus non ſuppetet omnes, & ſingulas Unctiones faciendi in moribundo, unicam Unctionem faciunt in fronte morientis, formam quinque ſenſuum conglomerando, hoc pacto. *Per iſtam Sanctam Unctionem, &c. Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per Viſum, Auditum, Odoratum, Guſtum, Locutionem, Tactum, & Greſſum. Amen.* Quæ forma compendioſa, ob eandem neceſſitatem, utique valet, ſed a Rituali non indicatur : & a conſuetudine eſt tantummodo introducta, & approbata. In quo hoc eſt advertendum, nempe Verbum *deliquiſti* debere anteponi aliis verbis poſt *quidquid*: nam ſi æger moreretur ante verbum *deliquiſti* prolatum, Unctio nulla eſſet.

O R D O
MINISTRANDI SACRAMENTUM
EXTREMÆ UNCTIONIS.
TITULUS VIGESIMUS OCTAVUS.

S U M M A R I U M.

1 *An Laici miniſtrare poſſint Sacramentum Extremæ Unctionis?*
2 *Solus Sacerdos eſt Miniſter hujus Sacramenti.*
3 *Parocho ex juſtitia, ratione Officii incumbit illud miniſtrare.*
4 *Parochus peccat ſi neget ſine cauſa miniſtrare illud Infirmo.*
5 *Quivis Sacerdos valide miniſtrat hoc Sacramentum.*
6 *Solus Parochus extra neceſſitatem poteſt miniſtrare.*
7 *Religioſi abſque licentia Parochi miniſtrantes, excommunicantur.*
8 *Alii Sacerdotes graviter peccant.*
9 *Mappa candida ſupra menſam paranda in cubiculo Infirmi.*
10 *Altare extemporaneum efformandum in cubiculo Ægroti.*
11 *Patinula pro floccis Goſſypii paranda.*
12 *Bombacium deferri debet a Parocho.*
13 *Bombacium partitur in ſeptem globulos, ſeu floccos,*
14 *Flocci ſinguli reponendi poſt ſingulas unctiones.*
15 *Medulla Panis eſt maxime abſterſiva.*
16 *Quare Panis, & non alia materia proponatur ab Eccleſia?*
17 *Digiti Sacerdotis poſt unctionem lavandi.*
18 *Lumen accendi debet in adminiſtratione hujus Sacramenti,*
19 *Candela accenſa paranda pro hac adminiſtratione.*
20 *Lumina non ex Candelis ſebaceis, neque ex Oleo.*
21 *Membra Infirmi inungenda, prius lavanda ſi commode fieri poſſit.*
22 *Res parandæ prius indicandæ ſunt Miniſtro, ſeu aſſiſtenti Infirmis.*
23 *Adminiſtratio hujus Sacramenti non facienda ſubdole.*
24 *Modus pergendi ad Infirmum cum Oleo Sancto,*
25 *Adminiſtratio debet fieri omni decenti pompa.*
26 *Penuria miniſtrorum nocet huic decori.*
27 *Clericum ſaltem unum adhibere debet Parochus.*
28 *Si non habeatur miniſter, Parochus procedat ſolus.*
29 *Oleum Sanctum non defertur ſine lumine.*
30 *Oleum Sanctum in cubiculo Parochi non ſervandum.*
31 *Permittitur quando adſit feneſtella bene parata.*
32 *Crux ſine haſta deferenda eſt in delatione Olei Sancti.*
33 *Quare ſine haſta?*
34 *Pro Cruce nihil exigendum, neque ſponte oblatum.*
35 *Sudariolum in aliquibus locis exigebatur.*
36 *Iſte abuſus a S. C. R. ſublatus fuit per Decretum.*
37 *Miniſter neceſſario habendus pro deferenda Sacra ſupellectili.*
38 *Quomodo ſe gerere debeat Sacerdos equitando cum Oleo Sancto?*
39 *Burſa pendere debet ante pectus.*
40 *Campanula non eſt pulſanda in delatione Olei Sancti.*
41 *Niſi deferatur ſimul cum Sacramento Euchariſtiæ.*
42 *Campana Eccleſiæ pulſanda tantum pro convocando Clero.*
43 *Cotta & Stola veſtienda eſt in domo Infirmi.*
44 *Sine Cotta & Stola neque in caſu neceſſitatis miniſtrari poteſt.*
45 *Crux exhibenda Infirmo, ut eam deoſculetur.*
46 *Loca quandoque adſunt, in quibus nihil Chriſtiani apparet.*
47 *Aqua benedicta, & Aſperſorium deferenda.*
48 *Religioſi, & Viri boni paucis verbis ſuadendi ad ſuſcipiendum Sacramentum.*
49 *Viri libertini infirmi, verbis ſuavibus monendi.*
50 *Spes virtus maxime corroboranda in Infirmis.*
51 *Fidei quoque virtus ſuſcitanda exemplo Apoſtolorum.*
52 *Preces adhibendæ, & præmittendæ pro ſalute Infirmi,*
53 *Orationes quæ dici non poſſent in adminiſtratione, ſupplendæ in Eccleſia.*
54 *Confeſſio generalis facienda per Confiteor.*
55 *Poteſt recitari Confiteor vernacula lingua.*
56 *Si Infirmus non valet, fiat per miniſtrum adſtantem,*
57 *Pſalmi Pœnitentiales recitandi ab adſtantibus.*
58 *Litaniæ poſſunt omitti.*
59 *Si Adſtantes ignorent Pſalmos, poſſunt recitare Pater, & Ave.*
60 *Miniſtratio hujus Sacramenti habet initium a Signo Crucis.*
61 *Prima actio vocatur manuum impoſitio.*
62 *Quid ſignificet manuum impoſitio?*
63 *Eſt exorciſmus contra poteſtatem Diaboli.*
64 *Acolythi officium in hac miniſtratione.*
65 *Si nullus Acolythus adſit, fiant omnia per Sacerdotem miniſtrum.*
66 *Pollex intingendus eſt Oleo in ſummitate tantum.*
67 *Ungues miniſtri perpoliri prius debent, & reſcindi.*
68 *Inſtante morte, omnia fieri poſſunt per unicam actionem,*
69 *Crucis ſignum adhibetur in cunctis Sacramentis.*
70 *Quare prima unctio fiat in oculis?*
71 *Ut commode inungantur, debent claudi.*
72 *Si non ſervaretur Ordo, adhuc completa eſſet ſignificatio,*
73 *Forma hujus Sacramenti ſignificatio.*
74 *Verba:* Per miſericordiam *ſunt neceſſaria.*
75 *Terſio partium inunctarum facienda a miniſtro,*
76 *Bombacium non debet reponi in Burſa eadem,*
77 *Alia Burſa ad hoc deſtinata haberi debet,*
78 *Aures in qua parte inungendæ?*
79 *Nares quomodo ungendæ?*
80 *Os per unicam unctionem liniri debet,*
81 *Sufficit ut labium unum inungatur,*
82 *Manus in media palma ungendæ,*
83 *Sacerdos in exteriori parte manus inungitur,*
84 *Pedes ungendi ad Metatarſum.*
85 *Vel in parte, quæ commode porrigi poteſt.*
86 *Lumbi quomodo ungendi?*
87 *Sufficit unctio ſupra Os Iſchion,*
88 *Leviter tangenda eſt hæc pars, ob titillationem,*
89 *Oleum reponendum, & tergendus digitus pollex,*
90 *Orationes immediate poſt Unctionem.*
91 *Infirmus non dimittendus inſalutatus.*
92 *Verba conſolatoria dicenda a Sacerdote diſceſſuro.*
93 *Religioſis, & bene moratis Viris pauca dicenda ſunt,*
94 *Aqua Benedicta & Crux relinquantur apud Infirmum.*
95 *In Noſocomiis poſt Sacramentationem Cruces ponuntur ad pedes Infirmi.*
96 *Alia ſupellectilis non relinquenda in domo Infirmi.*
97 *Familiares monendi ut ſeſſante morbo Parochum avocent.*
98 *Parochus viſitare debet Infirmum ſemel, & bis in die,*
99 *Si mors ſit imminens, diſcedere non debet.*
100 *Animæ commendatio non facienda niſi in Agone Infirmi,*

BENE inſtructus Parochus circa ea, quæ generaliter, & pro Theologica doctrina ſufficiunt ad miniſtrationem Sacramenti Extremæ Unctionis, opus eſt, ut practice quoque edoceatur, ad rite, ac recte executioni demandanda quæ ex doctrinarum fonte potavit. Igitur ſequenti modo præſcribitur Ordo miniſtrandi hoc Sacramentum,

§. I. Sacerdos igitur hoc Sacramentum miniſtraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud Infirmum menſam mappa candida coopertam: itemque Vas, in quo ſit Bombacium, ſeu quid ſimile in ſeptem globulos diſtinctum, ad abſtergendas partes inunctas: medullam Panis ad detergendos digitos, & Aquam ad abluendas Sacerdotis manus; ceream item candelam, quæ deinde accenſa, ipſi ungenti lumen præbeat. Denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum miniſtretur.

1 Quamvis inter Theologos quæſtio ſatis famoſa ſit: An Laici in caſu neceſſitatis poſſint miniſtrare Infirmo Sacramentum Extremæ Unctionis, attamen de fide te-
2 nendum eſt, ſolum Sacerdotem eſſe Miniſtrum legitimum hujus Sacramenti, adeo ut, nullo unquam caſu qui ſit Sacerdote inferior, poſſit illud miniſtrare, & ſi miniſtret, illicite, & invalide id faciat. Eugen. IV. *in Conſt. XIX. Exultate*, §. 14. Conc. Trid. *ſeſſ. 14. de Sacr. Extr. Unct. c. 1. can. 4.*

Inter Sacerdotes vero Parochus ratione officii ſui, 3
ex

ex juſtitia obligatur hoc Sacramentum ad Fidelium ſalu-
4 tem a Chriſto inſtitutum ſubditis miniſtrare, adeo ut
mortaliter peccat, ſi petenti neget, vel differat ſine cau-
ſa, & excuſatione, cum probabili periculo, ne interim
Infirmus decedat, Navar. *Manual. c.* 25. *n.* 131. Triel-
leuch. *dub.* 2. *n.* 8. & alii apud Barboſ. *d. t.* 22. *nu.* 10.
5 Circa quæ notat Coninck *diſp.* 19. *dub.* 9. *n.* 28. etſi qui-
vis Sacerdos valide hoc Sacramentum conferat, cum non
ſit actus juriſdictionis, extra neceſſitatem tamen ſolus
6 Paſtor, ſeu Parochus, vel alius, cum ejus licentia,
id licite confert; quia conferre Sacramenta eſt officium
7 Paſtoris. Unde Religioſi, qui ſine licentia proprii Pa-
rochi hoc Sacramentum miniſtrant, excommunicantur,
8 Clem. 1. *de Privileg.* Alii quidem Sacerdotes graviter
peccent; non tamen excommunicantur, quia nullo jure
id probatur.

In neceſſitate tamen quando alias Infirmus moriturus
eſſet ſine hoc Sacramento, quivis Sacerdos poſſet illud
miniſtrare, quamvis ſciret Parochum id ægre fore latu-
rum; quia nullo modo cenſendum eſt Eccleſiam velle
Infirmum cum tanto ſuo damno obligare, et a nullo
alio quam a ſuo Parocho, ſine hujus licentia, hoc Sa-
cramentum ſuſcipere, cum ejus ſalus poſſet hoc modo
periclitari, Suar. *diſp.* 44. *ſect.* 2. *nu.* 3.

9 Circa munditiam, & nitorem in adminiſtratione hu-
jus Sacramenti, *Acta Mediol.* multa afferunt ſuo loco:
Mappa candida a Rituali præſcripta efformare debet quod-
10 dam Altare extemporaneum, & pro interim. Si enim
locus alius tanto Sacramento convenit, eſt Altare.

11 *Vas* quoque parandum eſt. Illud Vas proprie debet eſ-
ſe patinula, ut ſic commodius diſtribuantur flocci ex goſ-
ſipio, ſeu bombacio, aut ex ſtuppa: quod bombacium
12 deferri debet ab ipſo Parocho: ſæpe enim iſto carent
13 pauperes. Diſtinguitur, ſeu partitur in ſeptem globulos
illud bombacium juxta ſeptem partes inungendas in In-
firmo: ſed cum conſuetudo ſit non inungendi lumbos,
ſufficit, ſi dividatur in ſex partes, quarum quæque inſer-
vit pro utroque pari membro, ſeu organo inuncto: uni-
co enim flocco abſtergendi ſunt ambo oculi, ambæ au-
res, ambæ manus, &c. atque unus floccus reponendus 14
eſt poſt quamlibet unctionem, & alter aſſumendus.

Inſuper *Medulla Panis* paranda eſt, quia eſt valde abſ- 15
terſiva, & obvia in quacumque domo, ideoque ab Ec- 16
cleſia ob talem facilitatem proponitur.

Aqua pariter parari debet: nam poſt fricationem digi- 17
torum cum medulla Panis debet Sacerdos digitos ſuos la-
vare, ut perfecte ab Oleo mundentur, S. Carolus *Act.* 4.
ita hæc præſcribit: *Parochus digitum pollicem, quo unxit,
medulla Panis bene fricet, & Aqua abluat in Vaſe ſupra-
dicto: tum manutergio abſtergit: ablutionem vero Aquæ
cum micis refert in Sacrarium.*

Candela ſimiliter in prompto ſit; nam etiamſi de die 18
miniſtretur hoc Sacramentum, neceſſe eſt, ut adhibeatur
lumen, non ſolum ad dignitatem Sacramenti, quia in 19
menſa deberet poni candela, & non una deberet eſſe,
ſed binæ in hoc caſu. Adhibet hoc lumen Sacerdos ad
bene diſcernendas partes inunctas, & ad illas tergendas.

Debet ulterius eſſe cerea iſta Candela, non ſebacea, ad 20
decentiam miniſterii, & ad evitandas inunctiones, & ma-
culas e pinguedinis ſtillicidio. Multo minus eſſe debet lu-
cerna cum oleo ad evitandam pariter effuſionem, & ma-
culas: debet enim omni munditie, & nitore adminiſtra-
ri hoc Sacramentum; unde non niſi laudabile eſſet ſi par-
tes Infirmi inungendæ prius abluerentur ab omni ſorde, 21
quantum fieri poſſet commode, & ſine periculo Infirmi,
ad Sacri Olei reverentiam, *Act. p.* 4.

Demum ſciendum eſt, ut notat *Sacerd. Brixinen.* §. 14. 22
quod de harum ſingularum rerum præparatione, Parochus
monere poterit eum, qui Extremæ Unctionis adminiſtra-
tione ab Infirmo miſſus procuravit.

§. II. Deinde convocatis Clericis, ſeu Miniſtris, vel ſaltem uno Clerico, qui Crucem ſine haſta, Aquam benedictam cum Aſperſorio, & Librum Ritualem deferat, ipſe Parochus decenter accipit Vas Sacri Olei Infirmorum, ſacculo ſerico violacei coloris incluſum, illudque caute deferat, ne effundi poſſit.

23 Utinam hoc ritu procederent hodie Parochi in admi-
niſtratione hujus Sacramenti, nec quaſi furtim ad illud
miniſtrandum pergerent! Certe major veneratio, & re-
verentia illi adhiberetur. S. Carolus, *Act.* 4. hunc ordi-
24 nem illud miniſtrandi præcepit: *Parochus vocatus ad mi-
niſtrandum Sacramentum Extremæ Unctionis, &c. ut Paro-
chiæ ſuæ fideles excitet ad orandum pro Infirmo, & convocet
Eccleſiæ ſuæ Sacerdotes, Clericoſve, quorum miniſterio in
adminiſtratione utatur, Campanæ ſignum dandum curabit,
quod a ſigno Communionis diſtinguetur.* Unde clare pa-
25 tet, hanc adminiſtrationem fieri debere omni decenti
pompa, ac ſolemnitate. Attamen ſegnities, & incuria
Sacerdotum, & Clericorum in Civitatibus, & penuria
eorumdem miniſtrorum in locis foraneis, cogit Parochos
pergere ſolos ad hanc adminiſtrationem, omni ſupellecti-
26 le gravatos, etiam noctis tempore, & tali inceſſu, ut
ad omne aliud peragendum videantur incedere. Sed ad
Rubricam.

27 Unum ſaltem Miniſtrum Clericum ſi haberi poſſit,
adhibere debet Parochus; alioquin ſolus etiam Sacerdos
28 Extremam Unctionem conferens, reliqua omnia perage-
re poterit, & hæc videtur eſſe reſponſio Alexandri III.
*in c. quæ ſicut, de verb. ſignif. juncta gloſſ. ibi verb. et-
iam ſolus*, relat. a Barboſ. cum aliis Doctoribus, *p.* 2.
cap. 22. *num.* 43. & Paſqualig. *dict. T.* 1. *q.* 339. *n.* 2.

Rubrica noſtra non loquitur de lumine, & de reponendo
per Parochum Sacro Oleo in locum ſuum. Sed Barboſ. *d. l.
n.* 44. cum Poſſevin. *c.* 9. *n.* 12. admonet Parochum, non
29 debere ſine lumine Extremam Unctionem deferre, obſer-
vando in hoc proprii Epiſcopatus Conſtitutiones: & exi-
ſtimat venialiter tantum peccare illum, qui ſic ferat ſine
cauſa: qui vero cum cauſa, nullatenus; & addit (ſeclu-
ſa Epiſcopi Conſtitutione) non bene agere eumdem Pa-
rochum dubitantem de nocte ſe vocandum fore pro In-
30 firmo periclitante, ſi veſpere ferat Oleum ad ſuum Cu-
biculum, ut vocatus expeditius procedat: Vel ſi de no-
cte reverſus ab adminiſtratione Sacramenti, Oleum non
reponat in conſueta feneſtella, ſeu Repoſitorio Eccleſiæ,
ſed retineat in cubiculo uſque mane: nullum tamen
mortale peccatum contraheret citra ſcandalum vel pericu-
lum alicujus irreverentiæ. De facto Corſett. *dict. de Extr.* 31
Unct. p. 2. *c.* 6. *ſect.* 1. *n.* 16. aſſerens *Conc.* 2. *Prov. S.
Caroli*, permittit Parochis domi aliquando habere San-
ctum Oleum Infirmorum, ſi feneſtellam in ipſa domo, loco
decenti, ac tuto conſtructam, panno ſerico circumve-
ſtiant, ut in honore ſit, & recte cuſtodiatur.

De Cruce modo ſermo erit; & credo, quod non ob
aliam rationem in hoc caſu deferatur Crux ſine haſta, 32
niſi ob commoditatem ingrediendi domos, cubicula, &
ſaliendi ſcalas in ædibus Infirmorum. Crux ſine haſta de- 33
fertur etiam in ſepeliendis Infantibus, ſed ob aliam ra-
tionem, ut ſuo loco dicemus.

Pro hac Cruce, quæ defertur ad Infirmos, occaſione 34
Extremæ Unctionis, mos erat in Diœceſi Senogallien.
ut Parochi prætenderent quoddam ſudariolum, ſeu Ve-
lum; & quatenus hujuſmodi ſudariolum eis non placeret, 35
exigerent Julium unum. Quæ conſuetudo diſcuſſa in S.
C. *Concilii die* 24. *Maji* 1710. propoſito hoc dubio: *An* 36
*debeatur Velum, ſeu illius pretium in adminiſtratione Olei
Sancti, caſu, &c.* Reſponſum fuit negative, neque et-
iam a ſponte dantibus poſſe recipi; per allegat. ab Ur-
ſaya, *diſcept. Eccl. t.* 2. *diſp.* 18. *n.* 42. quod concordare
videtur cum Innocentiana Taxa adducta a Pignatell.
t. 8. *conſult.* 11.

De Aqua Benedicta, Aſperſorio, Rituali, Vaſe Olei 37
Sancti, & ſacculo ſerico, diximus ſuo loco in Titulo an-
tecedenti; tantummodo venit dicendum de neceſſitate
habendi miniſtrum, qui totam hanc ſupellectilem defe-
rat in aſſociatione Sacerdotis; cui poteſt etiam ſuper-
addi Cotta, & Stola, ſi Parochus non publice ince-
dat.

§. III. Quod ſi longius iter peragendum, aut etiam equitandum ſit, vel alias adſit periculum effuſionis, Vas Olei ſacculo, aut burſa incluſum, ut dictum eſt, ad collum appendat, ut commodius, & ſecurius perferat. Procedat autem ſine ſonitu campanulæ.

38 Quæ diximus de Sacramento Euchariſtiæ in caſu ſimi-
li, habeantur tamquam dicta etiam pro Sacramento Ex-
tremæ Unctionis, ſi cum eo equitandum ſit. De Burſa,
& Sacculo quoque diximus nonnulla in §. 3. Tituli an-
tecedentis. Unice addo, advertendum eſſe dum porta-
tur hoc Sacramentum collo appenſum, debere Bur-
39 ſam pendere ante pectus Sacerdotis, non ad ventrem,
ſeu poſt terga, Caval. *dict. t.* 9. *numer.* 4. *Comment. ad Rituale.*

Campanula unice pulſanda, & adhibenda eſt in defe- 40
renda Euchariſtia: quod ſi una cum Euchariſtia deferatur
etiam aliud Sacramentum, ut diximus in §. 13. antece-
dentis Tituli, tunc Tintinnabulum pulſatur non ratione
Olei Sancti, ſed ratione Euchariſtiæ. Cum autem ſe- 41
paratim portatur Oleum Sanctum, omittatur Campanu-

læ ſonus per viam, ne Populus genibus flexis illud ado-
ret. Ut enim alia quædam Sacramenta, ita & hoc ſola
capitis aperitione honorare ſufficit: afferatur tamen ſem-
per cum magna reverentia, Briein. d. de Extr. Unct. §. 12.

Campanam Eccleſiæ pulſandam utique pro hoc Sacra- 42
mento præſcripſit S. Carolus loco ſupracitato, ſed pro
convocando Clero, non autem per viam, dum ad Infir-
mum defertur Sacramentum.

§. IV. Cum perventum fuerit ad locum ubi jacet Infirmus, Sacerdos intrans cubiculum dicit: *Pax huic domui*, &c.

Quæ hic dicenda eſſent, dicta jam ſunt in Titulo antecedenti, §. 17.

§. V. Deinde poſito Oleo ſuper menſam, ſuperpelliceo, ſtolaque violacei coloris indutus, ægroto Crucem pie deoſculandam porrigit: Mox in modum Crucis, eum Aqua benedicta, & cubiculum, & circumſtantes aſpergit, dicens Antiphonam: *Aſperges*. &c.

Verba hujus §. clare demonſtrant, Sacerdotem, gene-
43 raliter loquendo, non debere eſſe indutum Stola, & Cot-
te dum defert hoc Sacramentum, ſi Rubrica eſſigeat, in
hoc loco, tempus hujuſmodi veſtes induendi: atque hæc,
meo videri, optima inſtitutio eſt: non enim laudabile du-
co, quod Parochus ex improviſo appareat coram Infirmo
Sacris Veſtibus indutus. Acceſſus hoc modo factus plures
Infirmos deterruit, & ad mortem pene duxit ob ſubitum
conceptum timorem moriendi. Ideo ſatius duco eſſe, ſi
Parochus ſuis conſuetis Veſtibus communibus primo ac-
cedat ad Infirmum, & illum ſuaviter moneat de immi-
nenti periculo, & ad bono animo ſuſcipiendum Sacra-
mentum inducat. His peractis, tunc deponere debet
Oleum ſuper Menſam paratam, & deinde induere ſuper-
pelliceum, & Stolam, ut rite, & recte miniſtret.
De ſuperpelliceo, & Stola in his commentariis ſæpius
ſermonem habuimus; diximuſque eſſe hæc proprie indu-
menta Sacerdotum in adminiſtratione Sacramentorum.
44 Dura circa hoc eſt ſententia Laymen. *dict. tract.* 8. *c.* 8.
num. 1. relat. a Barboſa d. n. 41. qui dicit, non licere,
etiam in caſu neceſſitatis adminiſtrare hoc Sacramentum,

non adhibitis Veſtibus ab Eccleſia præſcriptis. Certe ca-
ſus neceſſitatis a multis excuſat.
Prima actio in adminiſtratione hujus Sacramenti, Cru-
cem reſpicit; idem Textus ait, Crucem pie deoſculandam
tradi debere Infirmo. Si Crux, de qua ſupra in §. 2. ſit 45
cum Parocho, hæc exhibenda eſt, ut eam oſculetur In-
firmus, niſi alia adſit ad cubile, vel ad manus ipſius.
Evenire enim ſolet, ut in aliquo loco nihil Chriſtianum 46
redolens penitus inveniatur: non Crux, non Aqua be-
nedicta, non Imago ulla veneranda. Circa quod memi-
ni, me olim cum digniſſimo Parocho pro adminiſtratio-
ne hujus Sacramenti perrexiſſe ad domum cujuſdam Bir-
reerit, & nihil Sacrum in ejus cubiculo, ſeu ad ejus cu-
bile inveniſſe: imo, loco Crucis, & Aſpergilli, pende-
re prope lectulum Infirmi manicas ferreas, enſem, &
ſcloppulos, maxima omnium noſtrum admiratione. Equi-
dem neceſſarie illic aret Crux, Aqua benedicta, & Aſ- 47
perſorium, nec in vanum hæc omnia ſecum detulerat
prudens Parochus.
De Benedictione, & Aſperſione vide quæ diximus in
Titulo *de SS. Viatico*, §. 17. Ideoque modo nihil.

§. VI. Quod ſi ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat.

Pariter de hoc ſatis dictum eſt in eodem Titulo, §. 20. nec aliud addendum.

§. VII. Deinde piis verbis illum conſoletur, & de hujus Sacramenti vi, atque efficacia, ſi tempus ferat, breviter admoneat; & quantum opus ſit, ejus animum confirmet, & in ſpem erigat Vitæ æternæ.

48 Juxta qualitates, & conditiones infirmorum facienda
ſunt quæ a Rubrica præſcribuntur. In Viris Religioſis,
bene moratis, & rectis ſuadendis ad hoc Sacramentum,
pauca adhibenda ſunt, & gravia verba. In Viris au-
tem libertinæ vitæ, & non bene moratis, ſuavioribus
49 verbis utendum a Parocho, ne deterreat illos, & in
deſperationem inducat.
50 Præter alia, quæ de vi, ſalutaribuſque fructibus hu-
jus Sacramenti exponet Parochus Infirmo, illud etiam
perſuadebit, ut ea fide ſe ungendum præbeat, qua o-

lim qui a Sacris Apoſtolis ſanandi erant, ſe ipſos offer-
re conſueverunt. In primis autem Animæ ſalus, deinde
etiam corporis valetudo cum conditione, ſi ad æternam 51
gloriam profutura ſit, expetenda eſt.
Ulterius cum nullum aliud omnino ſit Sacramentum,
quod pluribus precibus miniſtretur, cum illo tempore 52
indigeant Fideles magni auxilii, ideo Parochus, & Mi-
niſtri promittent Infirmo, ſe quoque operam daturos ſuis
deprecationibus ad impetrandam divinæ Miſericordiæ
opem.

§. VIII. Poſtea dicat Verſiculum, *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, &c.

53 Si tempus non ſuppetet recitandi has preces, con
ſulit Barboſa cum aliis Doctoribus, Orationes, &

Pſalmos poſtea in Eccleſia ſuppleri poſſe, *numer.* 17
& 42.

§. IX. Quæ Orationes, ſi tempus non patiatur, ex parte, vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta confeſſione generali, latino, vel vulgari ſermone, Sacerdos dicat: *Miſereatur tui*, &c. *Indulgentiam*, &c.

Supplendæ ſunt poſt adminiſtratum Sacramentum iſtæ
Orationes, ſi æger vivat, ut diximus in antecedenti pa-
ragrapho.
54 Confeſſio eſt eadem, de qua in præteritis explicatis Sa-
cramentis ſatis diximus, nempe *Confiteor*, &c. Quam

Confeſſionem quiſque recitare poteſt ſua vernacula lingua:
eſt enim Oratio communis. De facto in Sacerdotali Bri- 55
xin. habetur Confiteor Germanica lingua conſcriptum,
pag. 190. & recitari poteſt ſive ab Infirmo, ſive a Mi- 56
niſtris, ſeu Adſtantibus, nomine Infirmi.

§. X. Antequam Parochus incipiat ungere Infirmum, moneat adſtantes, ut pro illo orent; & ubi commodum fuerit, pro loco, & tempore, & adſtantium numero, vel qualitate, recitent ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis, vel alias preces, dum ipſe Unctionis Sacramentum adminiſtrat. Mox dicat: *In nomine Patris*, ✠ *& Filii*, ✠ *& Spiritus* ✠ *Sancti*.

Jam diximus in §. 8. nullum eſſe Sacramentum aliud,
quod pluribus precibus miniſtretur quam hoc. Ecce mo-
57 do initium precum publicarum, quæ ab adſtantibus fieri
debent per ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, & Litanias,
58 quas tamen exiſtimat, ex præcepto Eccleſiæ, non eſſe
neceſſarias, Bonac. *q. un. punct.* 6. *nu.* 7. Barboſ. *d. n.* 41.
De Pſalmis Pœnitentialibus, & Litaniis ſuo loco di-
cemus, modo tractandum eſt de ſupplemento harum pre-

cum, ſi non adeſſet Populus, qui hos Pſalmos recitare va-
leret, utpote ſæpiſſime detur in Villis, & Oppidis. In hoc
caſu ſi Parochus illos recitare nequeat (Eſt enim tunc
temporis ad aliud miniſterium intentus, & alia verba de-
bet promere) credo quod ſufficiat, ſi dicti Adſtantes reci- 59
tent alternatim *Pater*, & *Ave*. Donec expedite ſit inun-
ctio Infirmi. De facto Sacerdotale Brix. *p.* 192. utitur his
verbis in ſua inſtructione: *hos ipſos, vel alias preces recita-
ra*

re poſſit: unde patet, quod poſſint tales Orationes pro
loco, & tempore, & adſtantium numero, & qualitate
mutari.
60 Miniſtratio itaqua hujus Sacramenti initium ſumit e
Signo Crucis, cum quo per auxilium SS. Trinitatis in-
choatur quodcumque opus Chriſtianum a Fidelibus, ut
bono aventu ad finem ſuum perveniat. Hæc prima actio
61 Impoſitio manuum appellatur: quamvis enim Rituale non
exprimat ſuper quam Perſonam fieri debeat hoc triplex
ſignum Crucis, nihilominus Sacerdotale Brixien. ſatis
clare docet fieri debere ſuper Infirmum cum manu dextera:
62 & iſta elevatio manus eſt ad imitandam antiquam
manuum impoſitionem, quam faciebant Apoſtoli ſuper
ægros, ad illos ſanandos, prout loquitur Evangelium: *Su-
per ægros manus imponent, & bene habebunt.*
Ad alium finem etiam fiebat elevatio, ſeu impoſi-
tio manuum, nempe ad infundendum Spiritum San-
ctum, ad conſecrandum, & ad alia; circa quæ vide
Durant. *de Sacr. Rit.* Proprie illa actio, ſeu illa Ora-
tio (de qua in præſenti Rubrica) eſt exorciſmus contra 63
poteſtatem Diaboli in anima commorantis propter pecca-
ta, cujus cauſa quandoque, & ſæpiſſime infirmitates ori-
untur in humano corpore, S. Chryſoſt. *hom.* 38. *in* 8.
Matth.

§. XI. Deinde intincto pollice in Oleo Sancto, in modum Crucis inungit Infirmum in partibus hic ſubſcriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum, &c.

Expeditus Sacerdos ab antedicta Oratione, ad actum
unctionis devenire debet, pro quo advertit Corſett. *ſect.*
64 1. *num.* 7. quod ipſe Sacerdos, ſi adſint alii miniſtri,
per ſe nihil in manibus teneat, ſed Acolythus librum
habeat, alter Candelam, alter vero Vaſculum Olei a
65 dextris ejus; & ſic nihil aliud peragere habeat, quam
ungere. Ubi vero non adſint Miniſtri, ipſe Vaſculum
apertum, & tenere debet manu ſiniſtra, non nudum, ſed
purificatorio involutum ad evitandam effuſionem.
66 Ad hoc ut iſta effuſio non eveniat, ſufficit, ut Sacer-
dos intingat ſummitatem pollicis, ubi adeſt ejuſdem di-
67 giti pulpula, non vero unguis. Et notandum, unguem
ejuſdem pollicis non debere eſſe adeo prolixum, & pro-
ductum, ut Oleum ſub eo latere poſſit.
Inſtante morte, ſi dubitetur, Infirmum, priuſquam 68
abſolvatur totaliter Extrema Unctio, moriturum, pot-
erit Sacerdos unicam partem ungere ſub formula quin-
que ſenſuum, etiam ſine conſueto ſigno Crucis, Corſatt.
d. ſect. 1. *n.* 16. Vide in fine antecedentis Tituli.
Crucis ſignum adhibetur in cunctis Sacramentis mini- 69
ſtrandis, quia cum ortum ſuum habeant a Chriſti San-
guine in Cruce effuſo, non melius exprimi poteſt eorum
fons, & origo.

§. XII. *Per iſtam Sanctam Unctionem,* ✠ *& ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus,* &c.

70 Ab oculis incipi debet hæc Unctio, quia oculi cuſto-
des ſenſuum appellantur a S. Ambroſio *in Examer.* & Fa-
neſtræ Animæ, per quas intrat Diabolus.
71 Ut commode inungantur oculi, debent claudi, &
Unctio fieri ſuper ambas palpebras. Sed ſi ab alio ſenſu,
ſeu organo commodius inciperetur hæc Unctio, non ſer-
vato ordine a Rituali præſcripto, adhuc complete re-
72 manerat ſignificatio: iſte enim ordo non eſt neceſſa-
rius neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti, Poſſevin. *d.*
c. 9. *num.* 14.
73 Quoad ſignificationem formæ: *Per iſtam Sanctam Un-
ctionem, &c.* notandum eſt, efficaciam Sacramenti nol-
lo modo pendere ex vi Orationis Sacerdotis, prout eſt
opus operantis, ſed ex vi promiſſionis Chriſti, quare
non minus habet infallibilem effectum, quam alia Sacra-
menta, Coninck *d. diſp.* 19. *dub.* 4. *n.* 14.
Ulterius cum eodem Doctore notandum; Verba illa 74
Per ſuam piiſſimam miſericordiam, non poſſe ſine gravi
ſimo peccato omitti, ſecundum omnes; utrum autem
ſint eſſentialia, non ſatis conſtat: videntur enim ſatis
intelligi ſub verbo *Indulgeat*, quod ſignificat miſeratio-
nem, Coninck *d. n.* 15.

§. XIII. Miniſter vero, ſi eſt in Sacris, vel ipſemet Sacerdos, poſt quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei ſimilis, eaque in Vaſe mundo reponat, & ad Eccleſiam poſtea deferat, comburat, cineresque projiciat in Sacrarium.

De hac abſterſione diximus in §. 2. hujus Tituli, &
75 de ejus Miniſtro, qui ſaltem debet eſſe Subdiaconus,
quia ſic eſt propior ad Sacramenta: ſecus vero ſi non
adſit, peragatur hæc abſterſio ab ipſomet Sacerdote un-
gente.
76 Pro repoſitione autem bombacii, ſeu alterius mate-
riæ, quæ huic abſterſioni inſervivit, advertere debet,
non debere bombacium reponi in Burſa eadem, in qua
portatur Vas Olei Sancti, quoniam, cum materia pro-
culdubio uncta ſit, male inſervit ad inungendam Bur-
ſam, ſeu thecam ipſiuſmet Vaſculi: a quo abuſu valde
cuperem, ut Parochi abſtinerent: ideo aliud Vaſculum, 77
ſeu aliam Burſam ad hoc deſtinatam habere deberent,
in qua reponerent Bombacium perunctum, & mices Pa-
nis, cum quo digitos expolierunt.

§. XIV. Ad Aures; ad Nares; ad Os, compreſſis labiis; Ad Manus. Et adverte, quod Sacerdotibus, ut dictum eſt, manus non inunguntur interius, ſed exterius. Ad Pedes; Ad Lumbos, ſive Renes. Hæc autem Unctio ad Lumbos, ut dictum eſt, omittitur ſemper in Fœminis, & etiam in Viris, qui ob infirmitatem vix, aut ſine periculo moveri non poſſunt.

78 *Ad aures.* Scilicet in lobulo, vel ima auricola; non
in helice, vel alveolo ejuſdem, ut facilius abſtergi
poſſit.
79 *Ad nares.* Nempe ad narices, quæ ſunt Naſi alæ la-
terales, ad evitandam ſternutationem, quæ aliter faciendo,
facile oriretur.
80 *Ad os, compreſſis labiis.* In hoc loco Unctio una eſſe
debet, cum qua utraque labia tangentur, atque ideo di-
cit Rubrica: *compreſſis labiis*, quia ſic commode fieri
poteſt. Sed ſi Infirmus non audiret, & eſſet in agone
poſitus, ore hianti, tunc Sacerdos non debet curare, ut
labia comprimantur, ne clauſo ora, reſpiratio intercluda-
81 tur, cum magno Infirmi periculo, ſed ſufficit, ut labium
ſeu ſuperius, ſeu inferius ungat ad libitum ſuum.
82 *Ad manus.* Hoc eſt in media palma utriuſque manus,
83 hæc enim tota comprehendit ſenſorium tactus. De Sa-
cerdote in exteriori parte manuum inungendo jam di-
ctum fuit in §. 16. *Tituli antecedentis.*
Ad pedes. Unctio Pedum fieri ſolet in Infirmis ad 84
metatarſum pedis, quod vulgo dicitur *collo del piede*. Si
vero Infirmus non valeat pedes movere præ laxitudine 85
ex morbo proveniente, ungatur ea pars, quæ commode
magis præſtat.
Ad lumbos. Quando in Viris fieri commode poſſit 86
hæc Unctio, ſufficit, ut inungentur latere ſupra ſum-
mam coxendicem, ſeu ſupra Os Iſchion, ſed leviter, 87
ne a tactu illius adeo ſenſitivæ partis, ſuboriatur, ut
facile eſt, improviſa titillatio, & exinde vel tuſſis, vel 88
aliud incommodum.
De non ungendis Fœminis ad lumbos, vide quæ ſcri-
pſimus in §. 15. Tituli antecedentis; ubi clare tracta-
tur hæc materia.

§. XV. Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit: *Kyrie eleiſon*, &c.

89 Prius tamen reponere debet Sacrum Oleum, & ſimi-
liter abſtergere digitum ſuum inunctum, necnon ſibi ma-
90 nus lavare, & abſtergere. Attamen ne multum diſſet
ad- miniſtratio Sacramenti, ſeu Unctio ab applicatione,
quæ fit mediantibus ſequentibus Precibus, & Orationi-
bus, poterit Sacerdos tantummodo deponere Vaſculum

Comment. ad Rituale. G 3 Olei

Olei Sancti, & digitum inunctum caute geſtare, ne aliquid tangat; & interim proſequi Orationes præſcriptas, transferans ablutionem, ſeu abſterſionem manus ad finem Orationum, & Precum. Ita etiam præſcribit Sacerdotale Brixinen. *cap.* 2. de hoc Sacramento: atque hoc præcipue ſervari debet ſi æger ad mortem præcipiti paſſu progrederetur.

Orationibus, & precibus præſcriptis in Rituali abſolutis, Sacerdos lavet manus, digitos tergat cum medulla panis, & omnia reponat in Sacculo, ſeu Vaſe ad id parato. Inſuper Oleum in ſua theca bene claudat, & in Burſam immittat, ſuſpendatque eam noviter ad collum, ut ad Eccleſiam ſuam deferat, & in locum ſuum conſuetum recondat.

§. XVI. Ad extremum, pro Perſonæ qualitate, ſalutaria monita breviter præbere poterit, quibus Infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, & ad fugandas Dæmonum tentationes roboretur.

91 Decet poſt Sacramenti adminiſtrationem, ut inſalutatus non dimittatur Infirmus; ideoque ad illum accedens Sacerdos, vultu compoſito inter lætitiam, & gravita-
92 tem, hortetur placide, & verbis ſuavibus, ut morbum hunc patienter ferat: in hac Cruce glorietur uſque ad mortem, fortiter certet, nec Diabolo tentanti locum det. Mortis, ac Paſſionis Chriſti JESU memor ſit; necnon Sanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis, quibus communitus eſt, innitatur, Beatiſſimam Virginem, Sanctos Patronos ſuos, & Angelum Cuſtodem ſuum ſedulo invocet, Sacerd. Brixin. *c.* 21. *p.* 200.

Hæc tamen monita præbenda ſunt præcipue iis, qui aſſueti non eſſent in vita ad eliciendos ſimiles actus. 93
Religioſis vero, & bene moratis Viris, ſufficit, ut breviter innuantur. Nihilominus in caſu agonis non illaudabile eſſet eadem repetere Viris etiam pietate inſignibus: inſerviunt enim ad illos excutiendos, ſi mentis torpore laborarent, nec tam facile ex ſe poſſent ſimiles actus habere.

§. XVII. Denique Aquam benedictam, & Crucem, niſi aliam habeat, coram eo relinquet, ut illam frequenter aſpiciat, & pro ſua devotione oſculetur, & amplectatur.

94 Facilis eſt ubique Benedictio Aquæ, ideo ſi relinquere nolit Sacerdos Aquam e ſe delatam, novam benedicat, ut illam frequenter adhibeat Infirmus ad fugandas Diaboli tentationes.

Item Crux relinquenda eſt cum Imagine Cruxifixi, ut ex memoria Paſſionis ejus conſoletur, videns quanta, & qualia paſſus ſit Chriſtus Jeſus Deus, & Homo pro ſalute Animarum noſtrarum.

95 In Noſocomiis, ſeu Infirmorum Hoſpitalibus ſtatim ac Sacramenta miniſtrata ſunt alicui Infirmo, illi præbetur Crux tenenda, vel ad pedes plantata, vel ad latus, ut facile illam intueatur.

Præter Crucem, & Aquam benedictam, nihil aliud re- 96
linquere debet Sacerdos in domo Infirmi: non Cottam, non Stolam, non Rituale, ne e Famelis in illa degentibus, ſeu a Pueris pertractentur; ſecus vero ſi in illa domo habitaret aliquis Sacerdos, vel Clericus, tunc relinqui poſſunt, ut ab illis cuſtodiri, & rite ſervari poſſint.

§. XVIII. Admoneat etiam domeſticos, & miniſtros infirmi, ut ſi morbus ingraveſcat, vel Infirmus incipiat agonizare, ſtatim ipſum Parochum accerſant, ut morientem adjuvet, ejuſque Animam Deo commendet: Sed ſi mors immineat, priuſquam diſcedat Sacerdos, Animam Deo rite commendabit.

Adminiſtrato Sacremento Extremæ Unctionis, nihil pro illo tunc remanet agendum a Parocho, uſque dum Infirmus in eodem ſtatu permanet. Nova obligatio illi tantum injungitur ſi morbus ingraveſcat; & de hac mu-
97 tatione moneri debet a familiaribus, ut præſto ſit ad
98 commendandam illius Animam. Proprie vero ipſe Parochus recuſare non debet illum viſitare ſemel, & bis in die ex juſtitia, ut communiter docent Doctores. Quod ſi viderit mortem illi imminere (quod facile dignoſcitur) tunc non diſcedat, ſed ad commendationem Ani-
99 mæ procedat, prout a Rituali præſcribitur. Si vero non ſit æger morti proximus, non debet in illo tunc Parochus Animam illius commendere, quia non eſt in tranſitu, ſeu in mortis agone. Quod ſatis intempeſtive ſolent facere nonnulli, qui ut tempus commodum captent, nec redeundi incommodum patiantur, ex eo quod ibi ſunt ad Extremam Unctionem miniſtrandam, ſubito ad commendationem Animæ tranſitum faciunt, uno, & eodem contextu, & quaſi per modum unius: qui abuſus intolerabilis eſt: commendatio enim Animæ, 100
tunc cum non eſt in proximo diſceſſu, quaſi ad nihilum valet, quia extra tempus, & inopportune.

§. XIX. Quæ autem pertinent ad Viſitationem, curamque Infirmorum, & ad juvandos morientes, ad commendationem Animæ, & ad exequias, infra ſuis locis præſcribuntur.

Atque ideo & nos ſuo loco, de his tractabimus, animadverſioneſque faciemus, cum nihil hic ex facere præſtet.

S E P T E M P S A L M I

P Œ N I T E N T I A L E S

C U M L I T A N I I S.

T I T U L U S V I G E S I M U S N O N U S.

S U M M A R I U M.

1 *Pſalmi Pœnitentiales, ex univerſo Pſalterio Davidico collecti.*
2 *Quare vocentur Pœnitentiales?*
3 *Fuerunt in uſu ante tempora Divi Auguſtini.*
4 *Peccata hominum ſeptem modis remittuntur.*
5 *Peccata capitalia ſeptem ſunt.*
6 *Quare ſeptem Pſalmi recitentur flexis genibus.*
7 *Quandoque recitantur ambulando in Proceſſionibus.*
8 *Ad quid recitentur in miniſtratione Extremæ Unctionis.*
9 *Non eſt de precepto iſta recitatio in hoc loco.*
10 *Boni effectus derivati a recitatione horum Pſalmorum.*
11 *Abſolute olim inchoabantur.*
12 *Antiphona:* Ne Reminiſcaris *deſumpta ex Tobia.*
13 *Litania quid ſignificet?*
14 *Non dicitur Letania, et nonnulli perperam ſcribunt.*
15 *Quotuplex ſit Litania?*
16 *Majores, cur ita appellentur?*
17 *Minores, quare ſic dictæ?*
18 *Breves, cur tali modo nuncupentur?*
19 *Opinio Auctoris circa Litaniarum diviſiones.*
20 *Litania hoc loco ſumitur pro invocatione Sanctorum.*
21 *Antiquitus Litaniæ erant multiformes.*
22 *Sancti Titulares non poſſunt addi in Litaniis abſque licentia.*
23 ℣. A flagello Terræmotus *ſuperadditus a Clemente XI.*
24 *S. Joſeph nomen additum in Litaniis a Benedicto XIII.*
25 Pater noſter *cur dicatur ſecrete?*
26 *Pſalmus poſt Litanias eſt exultationis.*

IN

IN Adminiſtratione Sacramenti Extremæ Unctionis
facta eſt mentio de Pſalmis Pœnitentialibus reciten-
dis in Cubiculo Infirmi ab adſtantibus, uſque dum Sa-
cerdos munere ſuo fungitur circa inunctionem Infirmi.
Modo Rituale noſtrum illos Pſalmos per extenſum ex-
hibet, una cum Litaniis ſubſequenter poſt Pſalmos
recitandis, ut hoc pacto facilius ad manus ſint tum
Sacerdotis miniſtrantis, tum Populi adſtantis.
Quæ recitatio Pſalmorum inſervit ad Divinam opem
implorandam pro Infirmo graviter laborante, qui for-
taſſe in ſingulis ſenſibus captus, & deſtitutus non valet
pro ſe orare.

§. I. Pro Infirmis, dum Sacro liniuntur Oleo, ſeu pro alia neceſſitate, dicuntur flexis genibus.

1 De iſtis Pſalmis, qui Pœnitentiales vocantur, & col-
lecti ſunt ex 150. Pſalmis Davidicis, plura ſcripſit Gav. t. 2.
ſect. 9. c. 4. Corſett. *Ind. rationale*, *verbo Pſalmi*. Rubeus,
l. 3. c. 35. & alii, ex quibus quæ ſequuntur, deſumpſi.
2 Inſtituti ſunt iſti Pſalmi, & Pœnitentiales vocantur,
3 eo quia ad Pœnitentiam nos movent. Videntur fuiſſe
in uſu ante tempora S. Auguſtini, qui cum morti pro-
ximus eſſet, eos legiſſe fertur.
4 Septem vero ſunt, quia totidem modis remittuntur
peccata noſtra, nempe Baptiſmo, Martyrio, Eleemoſy-
na, dimittendo aliis, convertendo alios, abundantia Cha-
5 ritatis, & Pœnitentia. Pariter ſeptem ſunt juxta ſeptem
peccata capitalia, & in illis omnibus agitur de Pœni-
tentia.
6 Recitantur flexis genibus, eo quia diſpoſiti ſunt ad
placandam Dei iram erga Peccatores, ſi cum humilitate
recitentur, Corſett. *ib.* Sed non ſemper genibus flexis
7 recitantur: quandoque ambulando in Proceſſionibus can-
tantur, & tunc quoque ad impetrandam Divinam mi-
ſericordiam inſerviunt, quia Proceſſio eſt actio impetra-
tiva, & deprecatoria, ut ſuo loco in Titulo de Proceſ-
ſionibus dicendum erit. Modo ſufficit, ut ſciant Reli-
gioſi, poſſe recitari iſtos Pſalmos tum ſtando, tum deam-
bulando.
In caſu, & occaſione Extremæ Unctionis, debent re- 8
citari a circumſtantibus, non autem de præcepto; quia
iſti Pſalmi non ſunt neceſſarii, nec pariter Sacramenti;
neque Eccleſia intelligit obligare aliquem indiſpenſabi- 9
liter ad hanc recitationem, Bonac. *quæſt. unic. punct. 6.*
num. 7.
Optima tamen res eſt (ſi adſint in cubiculo Infirmi
Perſonæ aptæ ad hanc recitationem) eos plene, & alter-
natim pſallere, ad demonſtrandum, quod alter alterius 10
onera portare debet, Corſett. *d. Verb. Pſalmi*. Ultraquam-
quod recitando illos Pſalmos, adſtantes a variis allocutio-
nibus abſtinent, quæ dum Sacerdos Sacramentum mini-
ſtrat, adeo deformes, & diſſonæ ſunt, & eundem mi-
niſtrum maxime diſtrahunt, & perturbant.

§. II. Antiphona. *Ne reminiſcaris, Domine, delicta noſtra, &c.*
§. III. Litaniæ. *Kyrie eleiſon, &c.*

11 Abſolute olim inchoabantur iſti Pſalmi ex Radul. *prop.*
25. Sed Gavant. *d. l. n. 4.* dicit, quod in Breviario Mſ.
1550. præmittitur Antiphona illa ſumpta de Tobiæ Li-
12 bro. Notat inſuper d. Gavant. *l. c.* quod quilibet horum
Pſalmorum concluditur cum *Gloria Patri*, *&c.* nempe cum
Trinitatis glorificatione, a qua ſperatur divina Gratia per
Pœnitentiam. Gratia vero dicitur *Gloria Dei*. Rom. 3.
13 Litania (non Lætania, ut nonnulli putant, eo quia
lætania ſignificat diem lætitiæ. Macri *Hierolex.*) eſt pro-
14 prie ſupplicatio, Rogatio, atque Proceſſio. Dividitur in
15 majorem, & minorem, ſeu brevem; unde legimus, re-
citari debere modo Litanias majores, modo minores,
modo breves in divinis Officiis.
16 Majores nuncupari Litanias exiſtimat Macrius *frater*,
quia illis cantando, in Urbe ad S. Mariam Majorem
17 progrediebatur, & minores quia ad minorem Sanctam Ma-
18 riam Proceſſio dirigebatur. Sed ego puto, Litanias ma-
19 jores appellatas eſſe illas quæ invocant Sanctos omnes e
quocumque Ordine, ut ſunt illæ de quibus nunc Rubri-
ca noſtra loquitur. Minores vero, ſeu Breves, illas,
quæ in Miſſali præſcribuntur recitandæ Sabbato Sancto,
quia minorem, & breviorem numerum Sanctorum invo
cant. De facto illæ ultimæ, per hoc Rituale, in Titu-
lo *de benedictione Fontis Baptiſmalis*, §. 3. appellantur
Litania brevior.
20 Communiter hodie Litania eſt Invocatio Sanctorum,
qua Eccleſia uti ſolet: qui uſus non fuit ante S. Hie-
ronymi tempora, ut vult Valaf. *de Reb. Eccl. cap.* 28.
Circa quas Litanias advertendum eſt cum Gavanto, Ma-
crio, Corſetto, & aliis, quod Litaniis a S. Pio Papa V. 21
reformatis (antiquitus enim multiformes erant) non poſ-
ſunt ſine licentia Sedis Apoſtolicæ alii Sancti ſimiles 22
ſuperaddi, juxta reſponſ. *Sacr. Rit. Cong. ad Canonicos*
Regien. ſub die 22. Martii 1631. Multo minus poſſunt
Sancti non canonizati adjungi, Bellar. *de Sanct. Beati-*
tud. Quod nedum publice, ſed nec privatim fieri poſſe
docet Sanch. *l. 2. c. 3.* Item Clemens VIII. anno 1601.
publico decreto prohibuit ne imprimerentur, neve in Ec-
cleſia Catholica canerentur aliæ Litaniæ niſi conſuetæ
de Sanctis, & de B. Maria Lauretana. Quod decretum
nuper, nempe hoc anno 1727. *ſub die 1. Septembris* re-
novatum fuit, ſub iiſdem pœnis obſervandum a Sanctiſ-
ſimo Benedicto XIII.
Quoad Litanias de Beata Maria Virgine, ſciendum eſt,
quod iis addi non poſſunt alia attributa, ſeu nomina Ma-
riæ Virginis, Corſ. *Tr. 1. p. 1. c. 18. n. 16.*
In majoribus vero de recenti additus fuit verſiculus *A* 23
flagello Terræmotus de mandato, non autem per decretum,
Sanctiſs. Pontificis Clementis XI. anno 1703. quo Romæ
Terræmotus inſævire cœperat. Pariter nomen Sanctiſſi-
mi Joſeph ſponſi Beatæ Mariæ Virginis inſertum fuit in 24
iiſdem Litaniis anno 1726. eodem Summo Pontifice Be-
nedicto XIII. mandante. Sed de Litaniis majoribus lu-
culenter verba faciemus in Titulo *de Proceſſionibus*, *&*
de Litaniis majoribus. Ideoque hic ſatis.

§. IV. *Pater noſter*, &c. Secreto, &c.

25 Secreto dicitur Pater noſter uſque ad, *Et ne nos indu-*
cas in tentationem excluſive, ut quiſque oret pro ſuo libi-
tu, & neceſſitate; illique petitioni magis innitatur, quæ
magis eum juvet, Gavant. *T. 2. ſect. 4. c. 6. n. 10.*
Pſalmus 69. poſt Litanias, olim erat diverſus, Gavant. 26
T. 2. ſect. 9. cap. 3. num. 11. eſt Pſalmus exultationis, &
recitatur pro gratia, & commemoratione gratiæ tamquam
acceptæ, Bellarm. in *Pſ. 69.*

DE VISITATIONE
ET CURA INFIRMORUM.
TITULUS TRIGESIMUS.

SUMMARIUM.

1 Mancinius *ſcripſit optime in hac materia.*
2 *Inſtitutio Clericorum Reg. miniſtrantium Infirmis val-*
de utilis.
3 *Adhuc in Parochis viget obligatio viſitandi ſuos Infir-*
mos.
4 Parochi *tenentur de jure viſitare Infirmos ſuæ Paro-*
chiæ.
5 *Sacerdotum munus eſt Animas juvare.*
6 *Parochus non debet expectare, ut vocetur ad Infirmum.*
7 *Parochus debet inveſtigare Infirmos, & accedere ad*
eos.
8 *Populus admoneri debet, ut advocet Parochum quando*
quis infirmatur.
9 *Catalogus Infirmorum habendus a Parocho.*
10 *Regula Concilii Agathenſis pro Infirmis.*
11 *Legitimum impedimentum diſpenſat Parochum ab omni*
munere.
12 *Impedimenta legitima enumerantur.*
13 *Parochus ſi habet infirmos cum periculo, non debet va-*
gari.
14 *Abſens tenetur ſubſtituere aliquem Sacerdotem ido-*
neum.
15 *Laici quo ad bene conſolandum, & inſtruendum Infir-*
mum ſufficiunt.

16 *Nuſquam Parochus ſolus accedat ad Infirmos.*
17 *Parochus an teneatur præſtare eleemoſynas pauperibus infirmis?*
18 *Liber de Charitate Ludovici Antonii Muratorii laudatus.*
19 *Penſiones e Beneficiis Curatis ſublatæ a Benedicto XIII.*
20 *Archiconfraternitas Charitatis Romæ inſtituta.*
21 *Illius onera, & munera.*
22 *Salus Animæ præcipue quærenda eſt in Infirmo.*
23 *Libri conſolatorii adhibendi in hoc opere.*
24 *Infirmi ad Confeſſionem cito ſuadendi, & inducendi.*
25 *Conſtitutio Benedicti XIII. pro Medicis viſitantibus Infirmos.*
26 *Medici obligationes, & caſus, qui occurrere poſſunt.*
27 *Præſtigia non adhibenda pro curandis Infirmis.*
28 *Abortus vitandi, & ipſo jure damnati.*
29 *Etiam ſi ſolummodo procurentur, non ſequuto effectu.*
30 *Medicamenta Circulatorum, & Fœminarum non ſumenda.*
31 *Gravitas infirmi plerumque periculum vitæ non advertunt.*
32 *Parochus veritatem teneatur revelare Infirmo.*
33 *Parocho non ſufficit ut inſtructus ſit in ſola Theologia morali.*
34 *Artem ſuadendi callere debet.*
35 *Ad movendos pertinaces, verbis, & orationibus utendum.*
36 *Humilitas maxime valet ad fugandum Diabolum.*
37 *Tentationes Infirmi revelanda Confeſſario.*
38 *Confeſſarius remedia apta tentatis præbere debet.*
39 *Exorciſmis uti poteſt contra pertinaces.*
40 *Crucis Myſteria varia.*
41 *Crux ponenda ante oculos Infirmi.*
42 *Imagines Sacræ ponendæ coram Infirmis.*
43 *Aqua benedicta debet eſſe ad lectulum Infirmi.*
44 *Aqua benedicta violenter aſpergendi Infirmi ſomnolenti.*
45 *Verſiculi Pſalmorum proponendi Viris Religioſis.*
46 *Oratio Dominicalis,* Ave Maria, Credo *proponi debent rudibus.*
47 *Martyrum exempla proponenda Infirmis.*
48 *Libri cum Imaginibus Martyrum apud Conſolatores domunatorum.*
49 *Sacerdos advertere debet, ne ſit moleſtus Infirmis.*
50 *Miſſa valet.*
51 *Quænam Miſſa ſit celebranda pro Infirmis?*
52 *Miſſa ad poſtulandam gratiam bene moriendi.*
53 *Teſtamentum omittere ſine cauſa eſt peccatum.*
54 *Maxime quando teſtari oportet ad exonerandam conſcientiam.*
55 *In aliis caſibus nullum peccatum eſt.*
56 *Juſtum eſt legata inſtituere favore Animæ ſuæ.*
57 *Religioſi qui ſuadent Teſtamenta, caveant ne pro ſe petant, neque ad Sepulturam eligendam Infirmos cogant.*
58 *Legata pia perpetua quantum noceant?*
59 *Valetudine recuperata gratiæ agendæ ſunt Deo.*
60 *Precum & Orationum recitandarum œconomia, & tempus.*
61 *Motus corporeus Infirmi obſervandi a Parocho in acceſſu.*
62 *Salutandus ſuaviter eſt Infirmus.*
63 *Pax danda domi habitantibus.*
64 *Aſperſiones Aquæ benedictæ antiquiſſimi uſus.*
65 *Pſalmi recitandi ad lectulum ægroti.*
66 *Significationes iſtorum Pſalmorum.*
67 *Verſiculus* Gloria Patri *quando inſtitutus?*
68 *Evangelia, Pſalmi legendi ad lectum Infirmi.*
69 *Sacerdos quidam totum Pſalterium ſibi legere fecit in agone.*
70 *Signa in fronte facienda dum legitur Evangelium.*
71 *Vir debet ſe ſignare.*
72 *Fœmina non debet ſignari a Sacerdote.*
73 *Evangelia quinque præſcripta ut legantur Infirmo.*
74 *Eorum explicatio.*
75 *Manuum impoſitio facta a Sacerdote Infirmis.*
76 *Benedictio particularis danda Infirmis.*
77 *Benedictio unica ſufficit pluribus in uno lecto jacentibus.*
78 *Orationes, & Preces non ſunt de præcepto.*

OPTIME in hac materia ſcripſit P. Jacobus Manciul Cl. R. Miniſt. Infirm. in ſuo bipartito Tractatu inſcripto, *Practica viſitandi infirmos*. Cujus operis ſecunda pars locupletata a Laurentio Cutilio Monacho S. Benedicti, optime utique ad praxim noſtram facit, adeo ut in hoc Titulo fere nihil quod novitatem ſapiat, ſuperaddere ad ejus applicationem habeam. 1
Enim vero piiſſimum Inſtitutum Clericorum Regularium miniſtrantium Infirmis valde in Eccleſia Dei prodeſt ad levamen, tam Infirmorum, pro quorum ſalute enixe laborant, & inſudant, quam Parochorum, quibus unice antiquitus incumbebat onus viſitandi Infirmos pro ſpirituali medicina. 2
Attamen hoc non obſtante, adhuc in Parochis perdurat hæc obligatio, nec per inſtitutionem tam piæ Religionis, huc uſque unquam Canonem, neque conſtitutionem, ſeu legem ullam Pontificiam audivi, per quam Parochi diſpenſentur ab obligatione adeundi ſuos Infirmos, poſt etiam adminiſtrationem Sacramentorum, ſive quæ præſtet illis facultatem relinquendi Infirmos ſuos aliorum miniſtrorum cuſtodiæ, qui licet integerrimæ Vitæ, & ſummæ pietatis ſint, attamen Paſtores illarum Ovium non ſunt, nec ad illos pertinet de jure, quemadmodum ad 3
Parochum, cura, & cuſtodia ovium ſuarum. Ultra quam quod facilius cognoſcunt iſtæ vocem Parochi ſui, quia vere paſtor eſt, & pertinet ad eum de ovibus ſuis nominetim. 4

Igitur quæ a Rituali noſtro præſcripta ſunt circa viſitationem Infirmorum, hic explicabimus, intentionem noſtram unice ad Parochos dirigendo, qui tenentur, ubi neceſſe fuerit, ad ſuos Infirmos accedere, eoſque opportunis remediis juvare: ad quam rem in promptu ſemper habere debent argumenta ad animum conſolandum, & erga res divinas, ac æternas exercendum. 5

Inſuper hortari debent Infirmum, ut peccatorum ſuorum dolore concepto, in Divinam miſericordiam concipiat ſpem, atque Infirmitatis ſuæ moleſtias, ipſamque mortem Deo, in ſatisfactionem pro peccatis ſuis offerat; atque alia allegata a Barboſa, *d. p.* t. c. 7. *num.* 27. Sed ut ad Textum deveniamus.

§. I. Parochus in primis meminiſſe debet, non poſtremas eſſe muneris ſui partes ægrotantium curam habere. Quare cum primum noverit, quempiam ex Fidelibus curæ ſuæ commiſſis, ægrotare, non expectabit, ut ad eum vocetur; ſed ultro ad illum accedat: idque non ſemel tantum, ſed ſæpius, quatenus opus fuerit; horteturque Parochianos ſuos, ut ipſum admoneant, cum aliquem in Parochia ſua ægrotare contigerit, præcipue ſi morbus gravior fuerit.

Inter obligationes Parochorum, locum habet Viſitatio, & cura Infirmorum ut ſupra diximus cum Barboſa, quia animas fidelium juvandi proprium eſt Sacerdotum munus. Verum in Parochiis magnæ amplitudinis
6 difficile eſt omnes Infirmos, ſtatim ac periclitantur, noſſe; nihilominus tenetur Parochus ad omnem curam adhibendam, ut notitia ſibi præbeatur; tunc enim quando dixit Salvator: *Faciam vos fieri piſcatores hominum*, Marc. 1. dixit, ut ſervaretur Metaphora: Piſcatores ſunt qui quærunt Piſces; non autem Piſces qui quærant Piſcatores: & hoc maxime in praxi exequi debet, quia metaphora ad ſalvandas Animas, ſpiritualiter dicta fuit.
Igitur ipſe Parochus debet inveſtigare, & accedere, nec non viſitare Infirmum, quamvis ipſum non noverit, & 7
novus ſit in ſua Parochia, Mancin. *d. pract.* 2. nec illum pigere debet, plaries hoc facere: quod ut facilius aſſequatur, munus erit Parochi admonere populum ad Altare, ut ſtatim ac aliquis in gravem morbum inciderit, vel aliquem incidiſſe illi notum fuerit, ad acceſſendum Parochum accelerent; nuſquam enim fruſtranea, & inutilis eſt viſitatio Parochi, & ſemper bonum ſemen ſeminare poterit. 8

§. II. Ad hoc juvabit, præſertim in amplis Parochiis, ægrotorum notam, ſeu catalogum habere, ut cujuſque ſtatum, & conditionem agnoſcat, eorumque memoriam facilius retinere, & illis opportune ſubvenire poſſit.

Generaliter loquendo, juvat catalogum, & notam In-
9 firmorum haberi a Parocho; ſed in praxi difficile poni poteſt. Tutior, & facilior regula eſt ea, quæ in Concilio Agathenſi olim pie cauta eſt, relata a S. Carolo, *Act.* 4. *Parochus præſtare curet, ut Miſſa celebrata, ſi quos in Parochiali vicinia habet, frequenter,* 10
atque adeo quotidie, cum per alias Parochialis curæ ſuæ occupationes poteſt, viſitet; eiſdemque præſtet, prout eſſe viderit, officia charitatis, & ſolicitudinis Parochiali muneri ſuo conjuncta. Quamobrem non expectabit, uſ-

que

quo dem ab ægroto vocetur; ſed ipſe ultro ad eum veniet: Parochiales item ſuos, & univerſe, & ſigillatim, ſæpenumero, prout occaſio feret, hoc monebit, ut ſe excerſant, tum primum aliquis in febrim, morbumve inciderit: Et alia quæ ibi ſequuntur ad rem noſtram facientia.

§. III. Quod ſi Parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures ſunt, viſitationi interdum vacare non poteſt, id præſtandum curabit per alios Sacerdotes, ſi quos habet in Parochia ſua, aut ſaltem per laicos homines pios, & Chriſtiana charitate præditos.

11 Legitimum impedimentum diſpenſat Parochum ab omni munere ſibi debito: ſed iſtud impedimentum debet tale eſſe, ut vere circa rem miniſtrandam detineatur, 12 & ulterius debet eſſe verum, & probatum: puta ſi ob inimicitias capitales, de domo ſua exire non poſſet, vel ob infirmitatem gravem, non autem levem, vel ſi detentus eſſet in aliquo loco, unde neque per vim egredi valeret, Barboſ. *de Canon. & dignit. c. 39. n. 18.*

Majus impedimentum tamen eſt abſentia a Domo, vel a Parochia ſua; quæ abſentia debet eſſe rationabilis, & cum licentia obtenta ab Ordinario, loquendo de abſentia a Parochia: a Domo vero poteſt quandoque abeſſe pro opportunitate negotiorum ſuorum, & rei familiaris: quamvis enim debeat Parochus talem ſui copiam facere, ut indigentes non careant neceſſaria præſentia; attamen non ita arctatur, ut debeat manere quaſi in 13 compedibus, Barboſ. *de pot. Par. p. 5. c. 8. nu. 43.* niſi habeat infirmos graves, quia tunc neque vagari debet per Parochiam, ſed in Domo propria manere: poteſt enim dari caſus, ut requiratur ab Infirmis, & eo non reperto, moriantur ſine Sacramentis.

Pro regula tamen generali habetur, Parochum, juſta 14 de cauſa abeſſe volentem, ſive a Domo, ſive a Parochia, ſive cum licentia, ſive abſque ea, teneri ſubſtituere Sacerdotem approbatum, qui pro ſe Populo inſerviat, Concil. Trid. *c. 1.* & tradit Poſſevin. *c. 2. n. 13.*

Cura major circa hoc haberi debet in Parochiis ruralibus, in quibus ſolet eſſe Sacerdotum idoneorum penuria. In hoc caſu (loquor de ſimplici viſitatione, & aſſiſtentia præſtanda Infirmis jam per Sacramenta munitis) difficile eſt quod deſit aliquis pius Sacerdos, licet non doctus; vel devotus Laicus, qui & præſtet quæ ſufficiant ac confortandum Infirmum, & ad illi ſuadendam Pa- 15 tientiæ virtutem, atque ſpem in Domino.

§. IV. Ægrotos viſitans, ea qua decet Sacerdotes Domini, honeſtate, & gravitate, ſe habeat, ut non ægris ſolum, ſed ſibi, & domeſticis verbo, & exemplo proſit ad ſalutem.

16 Optimum conſilium eſt, ut Parochus nuſquam ſolus accedat ſi poteſt ad Infirmos, adeo ut ſaltem, ſaltem unum habeat extraneum in illa domo, in quam intrat. Ita fiet, ut omnis occaſio ſcandali evitetur, & vere omnia miniſtrentur cum gravitate, & honeſtate, etiam ſi domus in lupanari eſſet poſita. Ita ſuis Parochis loquebatur, & conſilium dabat ſuaviſſimus Antiſtes Genevenſis S. Franciſcus de Sales, prout legitur in ejus Actis.

§. V. Eorum vero præcipuam curam geret, qui humanis auxiliis deſtituti, benigni, ac providi Paſtoris charitatem, & operam requirunt. Quibus ſi non poteſt ipſe ſuccurrere de ſuo, & eleemoſynas illis, prout debet, ſi facultas ſuppetit, erogare, quantum fieri poteſt, ſive per Charitatis, vel alterius nominis Confraternitatem, ſi in ea Civitate, vel loco fuerit, ſive per privatas, ſive per publicas collectas & eleemoſynas, illorum neceſſitatibus ſuccurrendum curabit.

17 Satis ampla quæſtio eſt inter Theologos morales, an Parochus teneatur cum magno ſuo incommodo præſtare eleemoſynas Pauperibus ſibi ſubjectis.

Tota difficultas eſt vere determinare quota pars illis debeatur de redditibus Eccleſiæ. Vide abſque ulla diſputatione, & attende Lector, quæ de charitate erga proximum ſuum, luculentiſſima nuper ſcripſit Doctiſſimus 18 Ludovicus Antonius Muratorius in libro Italice inſcripto -- *della Carità Chriſtiana*: & pro certo habeto, ſi Parochus es, omnem tergiverſationem a te excuſſurum, qua ab exercitio quotidiano tantæ virtutis detinearis. Deo immortali gratiarum copia danda eſt, qui Sanctiſſimum Pontificem Benedictum XIII. divino afflatu excitavit, ut lacrymabile, intolerabileque Penſionum onus a quibuſcumque curam Animarum habentibus Beneficiis, impoſterum auferret, peculiari ſua Conſtitutione emanata, 19 & condita Romæ, *anno* 1724. *octavo Idus Septembris*, quæ incipit: *Quanta Paſtoribus, &c.* Exinde ſublata hac deteſtanda (ſunt verba ipſiuſmet conſtitutionis) Beneficiorum Eccleſiaſticorum onerationo, Paſtores Animarum commodius valebunt non tantum Eccleſiarum ſuarum indigentiæ, ſed & Pauperum ſuorum *præſertim Infirmorum*, neceſſitati ſubvenire, ex eo quod honeſtæ, & congruæ ipſorum Parochorum ſuſtentationi ſupererit.

Supplet Romæ huic indigentiæ Confraternitas Chari- 20 tatis, quæ erecta a Julio Cardin. Mediceo approbata fuit a Papa X. in Conſtitutione 37. *edita anno* 1520. quæ incipit: *Illius &c.* Onus hujus Confraternitatis eſt præ- 21 cipue ſuccurrendi Egenis mendicare erubeſcentibus: Enixius tamen Carceratorum ſubventioni ſtudet, Pauperibuſque Eleemoſynas profuſius elargitur. In Italia per varias Urbes divulgata eſt hæc Confraternitas, atque inſtituta, cum aggregatione ad Archiconfraternitatem Romæ fundatam.

Ulterius collectæ fieri ſolent, ex antiquiſſima inſtitutione ad ſubveniendos Infirmos, qui in Communione fidelium ſunt, Caſal. *cap. 66.*

§. VI. In primis autem ſpiritualem ægrotantium curam ſuſcipiat; omnemque diligentiam in eo ponat, ut in via ſalutis eos dirigat, atque a diabolicis inſidiis, ſalutarium adjumentorum præſidio defendat, ac tueatur.

22 Salus Animæ primo, & principaliter, quærenda eſt in Infirmis, quia tunc temporis Diabolus circuit, ut devoret, atque ut a deſperata corporis ſalute, ad deſperandam illam quoque Animæ, ægrum perducat.

§. VII. Accedat autem ad ægrotum ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad perſuadendum apta: ac præſertim Sanctorum exempla, quæ plurimum valent; quibus eum in Domino conſoletur, excitet, ac recreet. Horteturque, ut omnem ſpem ſuam in Deo ponat, peccatorum ſuorum pœniteat, divinam miſericordiam imploret, & infirmitatis pœnas, tamquam paternam Dei viſitationem, patienter ferat, & ad ſalutem ſuam proveniſſe credat, ut vitam, moreſque ſuos melius inſtituat.

23 De conſolandis Infirmis, & Tribulatis plura habentur in S. Cypriani operibus, quæ a Parocho percurrenda ſunt, ut animum ſuum inſtruat ad prompte reſpondendum Infirmi lamentationibus, & inſtantiis. Inſuper non deſunt alia Volumina a piis Fidelibus edita ad hoc laudabile opus exercendum. Nuper Romæ prodiit aureus libellus inſcriptus: *Motivi pii, e Criſtiani per indurre l'Anima in qualſiſia afflizione, a riceverla con ſommeſſione, con piacere, e profitto*, 1726. Cujus operis Author, quamvis latitare exoptaverit; attamen ex ſui ipſiuſmet calamo, & ſtylo revelatus eſt. Archiepiſcopali fulget dignitate, & primogenitæ in Italia Eccleſiæ nuper præerat, pietate, & zelo Animarum inſignis.

§. VIII.

§. VIII. Deinde, qua par eſt, prudentia, & charitate, hominem ad ſacram confeſſionem inducat, & confitentem audiat, etiamſi velit totius vitæ peccata confiteri; ac ſi opus fuerit, tam Infirmo, quam ejus familiaribus, vel propinquis in memoriam revocet, quod Lateranenſis Concilii, ac plurium ſummorum Pontificum decretis cavetur ſub gravibus pœnis, ne Medici ultra tertiam vicem ægrotos viſitent, niſi prius ipſis certo conſtet, illos Confeſſionis Sacramento rite expiatos fuiſſe.

24 Nuper circa hoc, Conſtitutiones antiquas renovavit, novaſque ſuperaddidit in Concilio Romano Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIII. anno 1725. quarum una, quæ ad Medicos, & Infirmos ſpectat, hic eſt utiliter omnino recenſenda, ut omnibus innoteſcat, ne ejus ignorantiam præſumant Parochi ad rite, & recte miniſterium ſuum implendum circa Confeſſiones Infirmorum. Verba Conſtitutionis ſunt, *Tit. 32. c. 1. de Pœnitentiis, & remiſſionibus*, prout infra.
25 *Saluberrima quamvis alia Innocentii III. Conſtitutione in Concilio Generali, (Lateranen. IV. Can. 22. 1215. in cap. Cum infirmitatis) declaratum fuiſſe legatur, corporales nonnunquam Infirmitates ex peccato provenire, propter quod Medicis optime fuit ibi conſilio præceptum, ut cum eos ad Infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, ut Medicos advocent Animarum; quatenus quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus; poſtquam Infirmo fuerit de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur: Statutum hoc nihilominus tam ſanctum, & ſalutare in dies communi videtur ab uſu, dum frequenter gravi cum Animarum præjudicio evenire dolemus, quod morbo ingraveſcente, plures ex hac vita Sacramentali ſine confeſſione demigrant. Nos igitur Epiſcopis omnibus jubemus, ut decretalem ipſam Innocentianam, & Conſtitutionem S. Pii V. quæ incipit: Super Gregem Dominicum, &c. (anno 1566.) ſuper hoc etiam emanatam, invigilent omnimoda obſervari, impoſita contra Medicos excommunicationis pœna ſibi reſervata, ſi tertiam poſt Infirmi viſitationem, ab Infirmi cura non abſtineant, Infirmus dum uſque ipſe Pœnitentiæ non ſuſceperit Sacramentum, quod Confeſſarius, relicta apud ægrotantem ſchedula, ejus manu ſubſcripta teſtari teneatur.* De hac Medici obligatione, & de nonnullis caſibus circa eam occur- 26
rere ſolitis, late differit Benett. *in Append. ad Joann. Baſcarin. Opus Medico morale*.

§. IX. Illud præterea diligenter ſervari curabit, ne quis pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, vel adhibeat, quod in detrimentum Animæ convertatur.

27 Intelligit Rubrica hæc de non adhibendis præſtigiis pro curanda Infirmitate, ſeu de non uſu faciendis reme-
28 diis in detrimentum Animæ prout eſſet abortus, qui ipſo jure damnatus eſt, etiam ſi ſolummodo procuretur,
29 licet non ſequuto effectu. Inſuper relationem habet ad medicamenta non a Medicis præſtita, ſed a Circulatoribus, & Fœmellis, quæ quandoque ſolent uti rebus ſu- 30
perſtitioſis, & animæ ſaluti nocentibus ob pactum tacitum cum Dæmone, vel ob alias rationes, de quibus Delrio, Torreblanca, & alii diffuſe loquuntur, *in diſquiſitionibus*, & in *Tractatu de magia*.

§. X. Ubi vero periculum immineat, Parochus monebit ægrotum, ne Dæmonum aſtutia, neque Medicorum pollicitationibus, neque Propinquorum, aut Amicorum blanditiis ſe ullo modo decipi ſinat, quominus ea, quæ ad Animæ ſalutem pertinent, opportune procuret, & qua par eſt devotione, & celeritate Sancta Sacramenta, dum ſana mens eſt, integrique ſenſus, religioſe ſuſcipiat, citra ſallacem illam, ac pernicioſam procraſtinationem, quæ plurimos ad æterna ſupplicia perduxit, in dieſque, fallente Diabolo, perducit.

31 Ut plurimum qui graviter, & cum periculo mortis laborant, periculum proprium ignorant, ſeque dicunt bene ſe habere: quod maxima fallacia eſt. Hinc originem habet illa tarditas in recipiendis Sacramentis, adeo ut ſint hæc poſtea miniſtranda feſtinanter, imo præcipitanter, & quandoque dum Infirmus non tota mente ſanus, & integer eſt. Quapropter Parocho incumbit, (ſi nullus adſit qui hoc officium præſtare velit) veritatem In- 32
firmo revelare, & ſtatum periculoſum aperire, ut ſedulo cogitet ea, quæ pro ſalute Animæ neceſſaria ſunt. Scio equidem odioſum eſſe hoc officium, ſed præſtat ut tale ſit; nam ex hoc malo ſolet multum bonum evenire, ſi in tempore fiat.

§. XI. Quod ſi æger aliquis, hortationibus, ac monitis Sacerdotum, vel Amicorum, & domeſticorum conſiliis adduci non poteſt, ut velit peccata ſua confiteri, tunc non omnino deſperanda res eſt; ſed quamdiu ille vivit, repetendæ ſunt frequentes, variæ, & efficaces Sacerdotum, & aliorum piorum hominum exhortationes; proponendaque æternæ ſalutis damna, & ſempiternæ mortis ſupplicia; oſtendendaque immenſa Dei miſericordia, eum ad pœnitentiam provocantis, ad ignoſcendum paratiſſimi. Adhibendæ ſunt etiam tum privatæ, tum publicæ ad Deum preces, ad divinam gratiam impetrandam pro ſalute miſeri decumbentis.

33 Ex hoc apparet evidenter, non debere Parochum in ſola Theologia Morali eſſe bene inſtructum, ſed neceſ-
34 ſitatem habere artis ſuaſoriæ, ne deficiant illi verba, rationes, & argumenta ad bene perſuadendum, tunc quando opus eſt.
35 Verbis primo utendum eſt ad convincendos pertinaces; deinde Orationibus; ſed præ cæteris ultimus modus validior eſt, a quo abhorrere non debent tum Parochus, tum adſtantes. Itaque genibus flexis, & omni humilitate jacentes, tam Parochus, quam domeſtici, & ſi qui alii ſint, orent ſuper eum enixis precibus, ut audiantur, & videantur a pertinaci infirmo. Cum enim pernicioſiſſima inſtigatio hæc ſit Dæmonis ſuperbiæ patris, maxime va- 36
lent ad eam profligandam actus humilitatis: nam inquit Apoſtolus Jacob. 1. *Orate invicem, ut ſalvemini: multum enim valet deprecatio juſti aſſidua*. Alia ſuper hoc addit advertenda Doctiſſimus Jo. Dominicus Auliſius, *Inſtitut. Adjuvandi morientes*, *cap. 27*.

§. XII. Videbit denique Sacerdos, quibus potiſſimum tentationibus, aut pravis opinionibus æger ſit ſubjectus; eique, prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibebit.

37 Confeſſario omnes poſſunt tentationes innoteſcere, quibus æger ſubjectus ſit. Quicumque alius Sacerdos, niſi maxima conſuetudine, & familiaritate ſit ſecum conjun-
38 ctus, in obſcurum jacet. Confeſſarius igitur apta remedia tentationibus aptabit, quæ tentationes, in articulo mortis maxime ſolent inſurgere, cum illud tempus ſit tenebrarum. Opportuna remedia ſubminiſtranda docet idem Auliſius, *part. 1. cap. 36.* quibus invidiſſimus ſalutis noſtræ adverſarius funditus evertitur. His adhibitis porro abſque levamine, poterit devenire Sacerdos ad exorciſmos adverſus Dæmones, quorum exorciſmorum ope for- 39
taſſe dabitur fugare Dæmonem, Animum Infirmi tentationibus occupantem.

§. XIII. Sacras Imagines Chriſti Domini Crucifixi, Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti, quem æger præcipue veneratur, ob oculos ejus apponi curabit. Vaſculum item adſit Aquæ benedictæ, qua frequenter aſpergatur.

Inquit ad hanc rem valde opportune Horatius, *Art. Poet. Segnius irritant animos demiſſa per aures, quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, &c.* Sed ſapientius
40 ſcripſit S. Chryſoſtomus, *Hom. 25. Crux adverſus Dæmones triumphus: Crux devictio Diabolo: Crux ſuſtentatio inopum: Crux ſpes deſperatorum*; & Caſſianus *in Pſal. 4. Crux eſt humilium tutela invicta; ſuperborum dejectio: Victoria Chriſti: perditio Diaboli: Infernorum deſtructio:
42 Cæleſtium confirmatio, &c.* Quæ Crux ſi ante oculos Infirmi ponatur, facile eum movebit ad conſiderandum Chriſti Sanguinem, qui pro noſtra ſalute effuſus in illa
43 eſt. Item Imago Beatæ Mariæ Virginis, quæ cum ſit refugium Peccatorum, afflictum conſolabitur. Pariter effigies alicujus Sancti ejus tutelaris, & Patroni ad hoc juvabit: cum enim illi Infirmus ſeſe commendaverit reliquo vitæ tempore, multo magis ſe devovebit in dubio, periculiſque pleno mortis conflictu, Auliſ. *d. cap.* 9.
Inſuper Aqua benedicta adſit, qua irrorentur tam In- 41
firmus, quam qui adſtant, & hoc ſæpiſſime ob maximas, & innumeras virtutes ejus ad fugandos, ac proſternendos Dæmones; & ut proximi puriores fiant. Ultimo loco dicam, optimos effectus me vidiſſe productos, ſi quandoque in faciem æger, vehementi vibratione Aquæ benedictæ aſpergatur: excutitur enim a ſomnifero 44
lethargo ſæpius a Dæmoniaca occupatione proveniente.

§. XIV. Proponet etiam ægrotanti, prout ejus conditio feret, aliquas breves Orationes, & pias mentis ad Deum excitationes; præſertim verſiculos e Pſalmorum Libro, vel Orationem Dominicalem, & Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, vel Paſſionis Domini noſtri meditationem, & Sanctorum martyria, & exempla, ac cæleſtis gloriæ beatitudinem. Hæc tamen opportune, & diſcrete ſuggerantur, ne ægroto moleſtia, ſed levamen afferatur.

45 Religioſis, Doctis, & litteratis Viris, proponendi ſunt verſiculi ex Pſalmis, qui plures ſunt, & in quocumque libro de aſſiſtentia morientibus præſtanda, paſſim leguntur; & præſertim in Sacerdotal. Brixinen. *pag.* 203.
46 Rudibus vero Viris, & Fœminis optimum conſilium eſt proponere recitationem Orationis Dominicæ, vel Salutationis Angelicæ, ſive Symboli Fidei, per quæ in ægroto Fides vivificatur. Inſuper invocationem Sanctiſſimi Nominis Jeſu, & Mariæ, prout in Vita fieri ſolet a piis Chriſti fidelibus.
47 Exempla Sanctorum Martyrum frequentiſſima ſunt, & valent præcipue ſi recordentur Infirmis, qui maximis do-
48 loribus cruciantur in corpore. Laudabilem conſuetudinem hic prætermittendam non duco, Scholæ noſtræ Conſolatorum Archiconfraternitatis Mortis, quæ dum pium officium præſtat conſolandi morti damnatos, binos libros, ſatis vetuſtos, ſed affabre pictos, apertos tenet in menſa, ad quam damnati accumbunt, in quibus libris varii Martyrum inſigniorum Cruciatus apparent. Illi tempore opportuno inviſendi, & evolvendi ipſis traduntur, piiſque verbis carnificinæ illæ explicantur; ut ſic & ipſi mortem hilari vultu ſubeant, & tormentis æquo animo ſe ſubmittant, tot inſignium Martyrum exemplo.
Advertat Sacerdos, ne nimis frequenter proponendo 49
ægrotis Orationes & meditationes, illis moleſtus ſit. Non omne tempus ad hoc valet: prudentia pii Miniſtri opportunitatem decernere debet, & iis uti cum moderamine: facile enim nocet frequens allocutio, ſi præcipue Infirmus capitis dolore crucietur.

§. XV. Conſoletur Infirmum, dicens, ſe pro eo in Miſſæ Sacrificio, & aliis Precibus oraturum, curaturumque, ut alii itidem pro eo faciant, idque re ipſa præſtabit.

50 Gavant. *dict. p. 2. tit. 8. lit. p.*, §. *hoc loco, &c.* conciliando Doctores dicit, valorem Miſſæ eſſe infinitum in radice, ſed ad impetrandum, & ad alios effectus, finitum in terminis, quia finite de eo omnes participant, minuſque, vel magis, pro minori, vel majori devotione cujuſque concurrentis ad Miſſæ Sacrificium, S. Th. 3. *p. q. 79. art.* 4.
51 Quænam Miſſa celebranda ſit in hoc caſu, ſatis patet ex ipſo Miſſali Romano, in quo aſſignatur *Miſſa pro Infirmis*; & inſuper Orationes diverſæ dicendæ in ea pro Infirmo, qui proximus ſit morti, vel in agone poſitus. Aliæ inſuper ſunt magnæ efficaciæ, nempe illa *de Paſſione Domini*; vel *de Beata Maria*; *Pro remiſſione peccatorum*, & ultimo loco non omittenda illa eſt: *Ad poſtu-* 52
landam gratiam bene moriendi, quam Clemens XI. P. M. approbavit, & celebrari indulſit anno 1706. ad enixas preces Magni Ducis Hetruriæ. Plura de Miſſa infirmorum celebranda affert Manara: *Notti Malanconiche. Interrog.* 197.

§. XVI. Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, ægroto ſuadeat, ut dum integra mente eſt, rem ſuam omnem recte conſtituat, & Teſtamentum faciat. Si quid habeat alienum, reſtituat, & ad remedium animæ ſuæ pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, diſponat. Sed hæc ſuggerendo, omnis avaritiæ nota caveatur.

53 Teſtamentum ultro, ſine cauſa, omittere, peccatum eſſe teſtatur Molin. *t. 1. de Juſt. diſp.* 135. quando teſtari
54 oporteat ad exonerandam propriam conſcientiam: ut accideret ſi ære alieno gravaretur Infirmus, & ſi hoc authenticis tabellis non exprimatur, creditoribus non ſolverentur debita, aut non ſine magno eorum labore, & ſumptu.
Pariter grave peccatum eſſet, inteſtatum ex hac vita decedere, quando id patefacere neceſſe eſſet, quod retectum, grave damnum proximo pareret: Et demum quoties odia, iræ, ſcandala, ſimultates, & lites ſuboriretur, rejecto codicillo, ſeu Teſtamento, culpa non mediocris eſſet, omni ſcriptura poſthabita, tacitum occumbere.
55 Quod ſi nullum horum periculum adeſſet, nec ſimilium, neutiquam mortali culpæ ſubjaceret is, qui ſponte ſua, teſtamento cederet. Quamvis, & recta ratio, & aliorum fere omnium commune, ac tritum exemplum exigat, ut is qui morti proximus eſt, nonnihil leget in
56 favorem Animæ ſuæ, juxta bonorum, quæ poſſidet, quantitatem, & emergentes circumſtantias: nec aliunde certo conſtat, id ſufficienter præſtiturum Hæredem, Anhſius *d. p.* t. *c.* 18.
Verum dum hoc Infirmis ſuadent Parochi, ſive alii
57 Sacerdotes, caveant, ne pro Eccleſia ſua aliquid petant,
58 & præcipue legata pia perpetua. Ex hoc enim fit; ut, quæ hæc potiſſima ratio eſt, propter quam familiares, & Hæredes, ſæpe ſæpius de die in diem differant in accerſendo Parocho, ſeu Viro Religioſo ad Infirmum, timentes, ne per illorum perſuaſionem, fiat, ut hæreditas tota, colorato titulo ſuffragiorum pro Anima ſua ad Eccleſiam perveniat; & ſic facultates ab Hærede ſperetæ diſtrahantur.
Hic opportune ſcribendum puto aliquid de ſepulturæ electione, de qua cum Infirmis ſolent quandoque ſermonem habere Parochi, & etiam Regulares. Pauca tamen dicam, ſed utilia tantum, & neceſſaria; quum diffuſe de hoc argumento, ad opportunitatem, nuper ſcripſerim in Voto habito, & typis evulgato *Venet.* apud *Tavernin.* 1751. in 4. Patet Canon Bonifacii Papæ VIII. & Clementis V. quod habetur *VI. Decretal. lib.* III. *tit.* XI. *Animarum &c.* & in *Clementina Cupientes & de Pœnis. Quoad liberam ſepulturam „ Non poſſe neque „ Regulares, neque Parochos inducere aliquem ad vovendum, ſeu jurandum, ſeu aliàs promittendum, ut apud „ eorum Eccleſias ſepulturam eligant, &c.* Ubi notandum, quod Clauſula illa (*ſeu aliàs*) apud multos D. D. interpretatur non poſſe iſtam inductionem fieri *neque blandis verbis*, neque *ſuadendo*, neque *deprecando*, neque *hortando*. Quod ſi ſecus fiat, incurris in interminatam maledictionem æternam. Modus loquendi
de

de ſepultura ad infirmos, ſeu Teſtatores, eſt hic: *Vis ſepeliri in Parochia, vel in alia eccleſia?* Sed ſi hanc ſecundam eccleſiam ſpecialiter nominaret, iſta electio tamquam facta per ſuggeſtionem nullius eſt momenti. *Ricc. Prax. Tom.* 1. *Reſol.* 573. *num.* 2. *& Lavor. T.* 1. *tit.* 2. *c.* 11. *num.* 5.

§. XVII. Hortetur denique, ut ſi convaluerit, ante omnia ad Eccleſiam veniat, ubi Deo gratias agat de reſtituta valetudine, & Sacram Communionem pie ſuſcipiat, ac deinceps meliorem vitæ diſciplinam teneat.

59 Dignum, & juſtum eſt, ut ſalutis Authori, poſt ſalutem adeptam, gratiæ, & quidem plurimæ reddantur, non tantum verbis, ſed opere, quod præſtari poterit per Infirmum ſaluti reſtitutum, ſi ad Eccleſiam accedens Sacram Communionem ſuſcipiat: Hæc enim antidotum eſt, quod a novo lapſu reſervat Animam, & ſimul corpus, Molin. *Inſt. Cat.* 20.

§. XVIII. Sequentes Preces omnes, vel ex parte, prout tempus, & ægrotorum conditio feret, arbitrio Sacerdotis, dici, vel omitti poſſunt.

60 Duo hic notantur: Tempus, & Conditio. Tempus erit quando Infirmus non adeo præcipitantet ad mortem acceleret, ut vix pro adminiſtrandis Sacramentis tempus habeatur. Conditio vero ægrotorum, erit advertenda hoc modo: Si Aſſiſtentes, & pii Religioſi deſint, qui Infirmum conſolari nequeant, tunc has preces recitare poterit Sacerdos ſuperveniens: Inſuper ſi Infirmus ex ſe actus pios promat, & Orationibus incumbat, ut Religioſi, & Docti Viri ſolent, tunc abſtinere poterit Sacerdos a recitatione harum precum, & Orationum, ne interrumpat, & diſtrahat Infirmum ex corde orantem. Cæterum in locis, ubi adſunt pii Miniſtri aſſiſtentes, non pigebit has Orationes perlegere, & ubi Infirmus lethargo opprimatur, vel nihil de ſua æterna ſalute loquatur, optimum conſilium erit eas alta voce bis, & ter replicare.

§. XIX. Sacerdos igitur Infirmi cubiculum ingreſſus, primum dicat: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.* Mox Infirmum, & lectum ejus, & cubiculum aſpergat Aqua benedicta, dicens Antiphonam: *Aſperges me Domine, &c.*

61 Auliſius *dict. p.* 1. *cap.* 7. laudat, ut Sacerdos, antequam verſiculum *Pax huic domui, &c.* pronuntiet, ſolerter obſervet Infirmi motus, actiones, affectus, impetus, & id genus alia, neque repente ad finem, ob quem
62 advenit, erumpat, ſed primum conſalutet ægrum, & circumſtantes moderate, & ex Divina charitate amantes: deinde utatur illis verbis: *Pax huic domui, &c.*
63 quæ ſalutatio conformis eſt Chriſti præcepto: *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Matth.* 10. S. Paulus enim tanti Magiſtri inſignis diſcipulus, cum primum Romanos affatus eſt, di- 64
xit: *Gratia vobis, & pax a Domino Noſtro Jeſu Chriſto.* Rom. 1. Item S. Petrus inquit: *Gratia vobis, & pax adimpleatur, in cognitione Dei, & Chriſti Jeſu Domini noſtri.*

De Aqua benedicta alias diximus, & ſuo loco plura dicenda remanent. Aſperſio hæc, quæ fit ſuper Infirmos, vetuſtiſſimi moris in Eccleſia eſt, & miræ efficacitatis ad Dæmonis impetum reprimendum, & alia diverſa pericula avertenda, Auliſ. *d. l.*

§. XX. Deinde erga Infirmum officium ſuum præſtet, ut ſupra dictum eſt. Quo præſtito, vel antequam diſcedat, dicere poterit ſupra Infirmum aliquem Pſalmum ex quatuor prioribus Pœnitentialibus, vel Pſalmum, *Qui habitat in adjutorio Altiſſimi* cum *Gloria Patri* in fine: poſtea dicat, *Kyrie eleiſon.*

Officium, quod præſtare debet Sacerdos, ſeu Parochus erga Infirmum, jam ſupra dictum eſt *in* §§. 7. 8. *& ſeqq.* a quibus expeditus, præſcribuntur dicendi nonnulli Pſalmi: & ideo ſunt quatuor priores pœnitentiales, quia
65 cæteris magis apti ſunt ad Infirmos, & dicuntur *Pſalmi miſerationis* in veteri Sacramentali Ferrarienſi recognito
66 a Joan. Fontana Epiſcopo anno 1608. Pſalmus vero *Qui habitat, &c.* eſt 90. & ideo præſcribitur, quia eſt cohortatio ad fiduciam in Dei auxilium firmiſſime collocandam, Bellarmin. *in Pſ.* 90. *arg.*

Id enim in principio ponitur, & per totum Pſalmum variis rationibus confirmatur: Iſque ad initium noctis dicitur, ut, Deo protegente, nocturna pericula, hoc armati clypeo, propulſemus.

De *Gloria Patri, &c.* alibi diximus ſignificationes 67
litterales, & myſticas. Verſiculus iſte compoſitus fuit a Nicæna Synodo, imo ab Apoſtolis fluxiſſe probat Baron. *ann.* 325. Nicænumque Concilium addidiſſe *Sicut erat, &c.* Additur in fine cujuſque Pſalmi ex Inſtitutione Damaſi, Gavant. *T.* 2. *ſect.* 5. *c.* 4. *n.* 4. *& cap.* 8. *n.* 11.

§. XXI. Qui ſequuntur Pſalmi, & Evangelia, cum Precibus, pro temporis etiam opportunitate, & ægrotantium pio deſiderio, Sacerdotis arbitrio dici poterunt.

68 Ad libitum Sacerdotis, & ægrotantis aſſignantur iſti Pſalmi, & ſequentia Evangelia. Nonnullos ego vidi Religioſos in extremo labore poſitos maxime gaudere ex Pſalmorum auditione; & inſignem Antiſtitem graviter infirmum, ad ſuum cubile acceſſiſſe ſcio quemdam ju-
venem Clericum pauperem, ſed bene, interpunctateque 69
legentem, ut totum ſibi Pſalterium quotidie, prope lectulum perlegeret, cum quo de eleemoſyna convenit, unius Julii pro quolibet Pſalmo (erat enim ſatis dives) atque ita, donec æger expiraverit Animam, factum eſt.

§. XXII. Dum Sacerdos dicit: *Sequentia Sancti Evangelii*, faciat ſignum Crucis, de more, ſuper ſe in fronte, ore, & in pectore, ſimiliter ſuper Infirmum, ſi fuerit maſculus, & is ob infirmitatem non poteſt ſe ſignare. Si autem fuerit fœmina, dum Sacerdos ſe ſignat, illa per ſemetipſam in locis prædictis ſe ſignet, ſi poteſt: ſi vero non poteſt, alia mulier eam ſignet, & hoc idem in ſequentibus Evangeliis ſervetur.

70 Ordo Romanus jubet, ut Sacerdos Evangelium perlegens ſignet ſe ipſum. Signa in fronte & pectore fiunt, ut qui ſe ſignat, ſe oſtendat Chriſti diſcipulum, cujus Evangelium non erubeſcit, & malas cogitationes de corde pellat, Alcuin. *de celebr. Miſſ.* De ſigno in ore, quo confeſſio Verbi Dei fiat ad ſalutem, meminit Honor. *in Gemma, l.* 1. *c.* 23. Pollice vero tantum fiunt hæc ſigna, non cum indice, & pollice conjunctis in formam Crucis, ut aliqui male autumant. Ita Gavant. *p.* 1. *Tit.* 6. *litt. d.*
71 Eadem ſigna fieri debent ab Infirmo ſi fuerit maſculus, & valeat. Secus vero, a quocumque adſtante fieri poſſunt. Si vero fuerit fœmina, ab hujuſmodi ſigno
ſuper eam faciendo, abſtinere debet Sacerdos, honeſta- 72
tis cauſa: cum enim tangi debeat os, & pectus, non decet, ut manus Sacerdotalis ad illas partes ſe extendat, præcipue vero ad pectus, eo quia nihil impedit quin mulier tangatur in ore, cum ſæpe accidat os illi tangere in adminiſtratione Euchariſtiæ, & de neceſſitate, in Sacramento extremæ Unctionis. Tutior regula tamen eſt, quæ a Rituali præſcribitur, ut ſi mulier per ſe non valeat, hoc præſtet alia fœmina.

Quinque Evangelia a Rituali in hoc loco præſcripta 73
ad hoc ut legantur ſuper Infirmo; fere omnia ad infirmitatem, & ad ſalutem pertinent. Primum loquitur de Puero Centurionis a Chriſto ſaluti reſtituto: Secun- 74
dum

dum tractat de poteſtate Apoſtolis a Chriſto tradita ſanandi Infirmos: Tertium loquitur de Socru Simonis, quæ tenebatur magnis febribus, & a Chriſto ſanata fuit. Quartum hiſtoriam affert de probatica Piſcina, & de Languido ibi jacente, quem Chriſtus ab antiqua infirmitate liberavit. Demum quintum eſt initium Evangelii S. Joannis, quod in Liturgia S. Petri appellatur *Plenitudo legis, & Prophetarum*: in eo enim de adventu Chriſti, & de Verbo incarnato ſatis alte ſermo habetur.

Hoc Evangelium in Eccleſia Dei ſæpius uſu venit: illo utimur in conjurationibus contra Dæmonem, in fugandis Tempeſtatibus aereis, & in aliis caſibus, eo quia in illo Myſterium Dominicæ Incarnationis, quod horrent Dæmones, clare exprimitur per illa vere adoranda Verba, *Verbum Caro factum eſt*; ad quæ genuflexio eſt facienda, ut adoretur illud myſterium, & ut exemplo Filii Dei humilietur Homo, Gavant. *p. 2. tit. 52. litt. a.*

§. XXIII. Completa Oratione ultima, Sacerdos imponat dexteram manum ſuper caput Infirmi, & dicat: *Super ægros, &c.*

75 Uſus imponendi manus a Chriſti authoritate, ut alibi diximus, deſumptus eſt, qui in Marc. 16. dixit Apoſtolis, & credentibus: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Ob varias rationes etiam fit manuum impoſitio ab Epiſcopo, prout in Pontificali, &c.

§. XXIV. Poſtea benedicens Infirmum ſubjungat, dicens: *Benedictio, &c.* Deinde aſpergat eum Aqua benedicta, &c.

76 Benedictio hæc diverſa eſt ab illa quæ datur in Miſſa, eo quia eſt particularis, non univerſalis, ut ex ipſis verbis clare patet, & inſtituta eſt ab Eccleſia, ut inſerviat extra Sacrificium, Aulif. *ibid.* Aſperſio cum Aqua benedicta demum fit rationibus, & cauſis jam ſupra in alio paragrapho adnotatis.

§. XXV. Si fuerint plures Infirmi in eodem cubiculo, vel loco, Preces, & Orationes prædictæ dicantur ſuper eos in numero plurali.

77 Quamvis diverſæ naturæ poſſint eſſe infirmitates, quæ detinent diverſos infirmos in eodem cubili, attamen una benedictio pro omnibus generice valet, cum nulla ſit infirmitas, quæ ab hujuſmodi precibus fugari non poſſit, per virtutem a Deo illis traditam.

§. XXVI. Quæ omnia etiam poterunt, arbitrio Sacerdotis, breviora fieri.

78 Hinc patet, quod iſtæ Orationes, & preces ſuper Infirmum non ſunt de præcepto faciendæ a Sacerdote, ſed quando tempus, conditio, & occaſio id ſuadet: non enim ſunt Sacramenta, ſed Sacramentalia, ad quorum miniſtrationem Parochus tam rigoroſe non tenetur, Filiucc. *T. 1. tr. 6. c. 5.*

MODUS JUVANDI MORIENTES,

TITULUS TRIGESIMUS PRIMUS:

SUMMARIUM.

1 *Morientes quomodo juvandi ſint?*
2 *Parochus ex frequenti viſitatione poteſt dignoſcere ſtatum Infirmi.*
3 *Frequentes Viſitationes poſſunt practicari in Civitatibus.*
4 *Non vero in Parochiis ruralibus.*
5 *Preces inſtitutæ ab Eccleſia ante commendationem Animæ.*
6 *Tempus mortis vocatur tempus Indulgentiarum.*
7 *Debet tunc haberi recurſus ad Indulgentias.*
8 *Indulgentiæ omnes fontem unum agnoſcunt Summum Pontificem.*
9 *Per Filiationem ſpiritualem multi aggregantur Religionibus.*
10 *Indulgentiæ impetratæ ab Infirmo debent revelari Parocho.*
11 *Infirmus deſtitutus ſenſu poteſt lucrari Indulgentias.*
12 *Intentio actualis, ſeu virtualis non requiritur ad acquirendas Indulgentias.*
13 *Si quis petierit Indulgentiam cum peccato, non eſt ſacrilegus.*
14 *Cardinales ſolent mittere Sacerdotem ad elargiendam Indulgentiam.*
15 *Qui miſſus eſt, debet adhibere Cottam, & Stolam.*
16 *Formula qua utebantur qui miſſi fuerant a Card. de Verme.*
17 *Multæ Indulgentiæ lucrantur cum ſimplici Invocatione Nominis Jeſu.*
18 *Momenta ultima in Infirmo ſunt magni ponderis.*
19 *Poteſtatis, & Profeſſio fidei facienda.*
20 *Profeſſio fidei præcipue eſt facienda ab Epiſcopis imminente morte.*
21 *Spes Theologica habet locum in Viatore.*
22 *Præceptum ſpei non omni tempore obligat.*
23 *Propoſitio damnata de non eliciendo Actu fidei.*
24 *Dolere ob Amorem Dei, eſt actus perfecti doloris.*
25 *Moribundus parcere debet omnibus de proximo ſuo.*
26 *Debet veniam poſtulare ab offenſis.*
27 *Moleſtia morbi toleranda in Pœnitentiam peccatorum.*
28 *Non omnis Infirmitas eſt ad mortem.*
29 *Spes vitæ non danda Infirmo graviter laboranti.*
30 *Orationes jaculatoriæ ad quid inſerviant?*
31 *Pſalmi ſunt fontes Orationum jaculatoriarum.*
32 *Orationes in quacumque lingua haberi poſſunt.*
33 *Oratio in communi valde eſt accepta Deo.*
34 *Orationes ſunt genibus flexis facienda.*
35 *Domeſtici infirmi graviter laborantis recedere debent ab ejus lectulo.*

FACTA mentio huc uſque eſt de præparatione Infirmi ad mortem: modo de ipſo Infirmo moriente 1
verba præſtat facienda noſtrum Rituale. Jam in uno ex antecedentibus Titulis dictum fuit, debere Parochum admonere domeſticos, & Miniſtros, ſeu Aſſiſtentes, quod ſi morbus ingraveſcat, vel Infirmus agonizare inceperit, ſtatim ipſum Parochum accerſant, ut morientem adjuvet. Modo Rituale docet modum juvandi morientem.
Pro cujus documento dicam, ex frequenti viſitatione a 2
Parocho facta, poſſe ei facile evenire, ut abſque eo quod vocetur, ipſemet ſit, qui gravem, & ultimum ſtatum Infirmi dignoſcat.

§. I. Ingraveſcente morbo, Parochus infirmum frequentius viſitabit, & ad ſalutem diligenter juvare non deſinet: monebitque, inſtante periculo, ſe confeſtim vocari, ut in tempore præſto ſit morienti, ſumptoque Sanctiſſimo Viatico, & Sacra Unctione adhibita, ſi periculum immineat, ſtatim commendationis Animæ Officium præſtabit, de quo infra. Sed ſi tempus ſuppetat, ſequentia pietatis officia præſtare poterit, ſi ita expedire judicaverit, pro conditione Perſonæ.

3 Hæc frequentia in viſitandis Infirmis præſcripta, poteſt quidem in Civitatibus faciliter præſtari, ſed non in
4 Villis, ſeu locis foraneis ob magnam quandoque diſtantiam ab Eccleſia ad domum Infirmi: nihilominus totis viribus conari debet Parochus, ut ſollicite has Infirmorum domos viſitet, etiam poſt adminiſtrata Sacramenta.

Poſ-

Poſito itaque, quod Infirmus videatur morti proxi-
mus, adhibitis, & miniſtratis, ut diximus, Sacramen-
tis Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis,
non aliud ſupereſt, niſi ut ad commendationem Animæ
deveniatur. Verum ſi prudenter judicetur etiam aliquod
temporis ſpatium ſupereſſe, ne fruſtranea ſit viſitatio a
Parocho facta, atque ne tempus vacuum, & infructuo-
ſum relinquatur, tunc cum omnia momenta maximi
ponderis ſint, pia mater Eccleſia nonnullas pias, & de- 5
votas orationes docet, & actus fructuoſos, quibus Infir-
mus detineatur in illa neceſſitate, donec in agone po-
natur, quo tempore ad commendationem Animæ de-
veniendum eſt, ſi ita prudenti Parocho videbitur.

§. II. Ac primo, ſi ægrotus Indulgentiam legitima authoritate conceſſam conſequi poſſit, eam illi reducat ad mentem, proponatque quid ad eam conſequendam agi debeat, præſertim, ut contrito corde, Sanctiſſimum Nomen Jeſu ſemel, vel ſæpius invocet.

6 Tempus mortis, miſericordiæ, atque Indulgentiæ tem-
pus vocatur a Dionyſ. Carthuſ. *Noviſs.* 1. ideo ut In-
firmi Anima, donec in corpore eſt, expietur etiam ab
omni levi culpa, & pœnas in Purgatorio tolerandas im-
7 minuat, ad Indulgentias a Summis Pontificibus conceſ-
ſas recurrendum eſt.

Plurimæ equidem iſtæ ſunt, ſed omnes fontem unum
8 agnoſcunt, nempe ſummum Pontificem Romanum, qui
cum ſit Theſauri meritorum Chriſti, & Sanctorum cu-
ſtos, ipſe ſolus facultatem habet illum aperiendi, di-
ſtribuendique fidelibus; eo quia poteſtas clavium Eccle-
ſiæ, reſpectu Theſauri Indulgentiarum reſidet præciſe
penes eum; Lezana *verb. Indulg.* n. 15. S. Thom. *in*
4. *d.* 20. *qu.* 1. *art.* 3. & alii Doctores communiter.

Detur igitur caſus, quod ægroto diſpenſatæ fuerint In-
dulgentiæ lucrandæ in articulo mortis, vel per filiatio-
9 nem ſpiritualem, qua multi variis Religionibus aggre-
gantur, vel per aggregationem alicui Confraternitati,
vel per recitationem alicujus Orationis, ſive per tradi-
tionem alicujus Imaginis, ſive demum aliquo alio modo,
ut eſſet ſi Prælatus accepiſſet numerum Indulgentiarum
conferendarum in tali articulo, & applicandarum diver-
ſis perſonis, vel Papa ipſe conceſſiſſet alicui, viva vo-
ce, limitatas Indulgentias, pro ſecunda, vel tertia ge-
neratione ſupplicantis, debet Parocho, vel Sacerdoti aſ-
10 ſiſtenti id revelari, ut opera impoſita ipſe æger adim-
plere poſſit; quamvis etiam Indulgentiæ concedantur,
minimo, vel nullo impoſito onere. Super hoc videndus
eſt ex gratia doctiſſimus Tractatus Jo: Chryſoſtomi Phi-
lippini Cl. Regul. Veronenſis. inſcript. *Filiatio Spiritua-
lis, impreſſ. Venet.* 1686. multa, & varia doctrina re-
fertus.

11 Quod ſi æger ſenſibus deſtitutus eſſet, adeo ut non
perciperet, nihilominus Indulgentias lucrari poſſet, quia
Summus Pontifex ſæpe concedit Indulgentiam plenariam
moribundis, ſenſibus jam deſtitutis, qui nihil amplius
percipiunt, neque talem gratiam ſciunt ſibi elargitam
eſſe, & tamen illam lucrantur. Ex quo patet, ad ac- 12
quirendam Indulgentiam, neque actualem, neque vir-
tualem intentionem neceſſariam eſſe: unde Paſqualig.
Prax. Magni Jubilæi, q. 34. *n.* 10. dicit, Indulgentias
conceſſas moribundis, & pro quibus non injungitur opus
aliquod peragendum, ipſis applicari poſſe, etiam ſenſi-
bus deſtitutis, quamvis illas prius nuſquam petierint,
ut apud eundem affirmant Suarez, Acoſta, Rodriguez,
Villalobos, Quintanadvenas, & Bonacina: ſufficit enim,
ut capaces Indulgentiarum ſint in ſtatu gratiæ: ſi vero
non eſſent, non propterea (inquit Paſqualig. *loco citat.*) 13
committitur ſacrilegium: Unde etiam applicari poterunt
Phreneticis, Amentibus, Furioſis, & quibuſcumque
Baptizatis, Philippin. *d.* 6. 2. *dub.* 5. *n.* 94.

His poſitis, ſi Sacerdos mittatur e Cardinali cum fa-
cultate ægrotum benedicendi, & Indulgentiam illi im- 14
pertiendi in articulo mortis, hoc ritu debet id præſtare.
Superpelliceo, & Stola violacei coloris indutus, dictoque
per Miniſtrum *Confiteor*, dicere debet: *Miſereatur, &c.*
Indulgentiam, &c. & deinde hæc, quæ ſequuntur, juxta 15
laudabilem formulam a Cardin. de Verme ol. m Ferrariæ
Epiſcopo recolendæ memoriæ præſcriptam, prout infra,
videlicet: *Auctoritate Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ,*
ab Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinali N. mihi de-
mandata, impertior tibi ✠ Benedictionem Pontificiam cum 16
omnibus Indulgentiis ſolitis, & conſuetis. In nomine Pa-
tris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Multæ Indulgentiæ ſunt, quæ lucrantur cum brevi
invocatione tantummodo Sanctiſſimi nominis Jeſu. Hoc 17
facile inſinuari poteſt Infirmo, ut, quam ſæpius poſſit,
illud ineffabile nomen repetat, & in extremo agone ul-
tima ſit hæc vox, quæ ab illo, ſaltem corde, ſi non ore,
promatur.

§. III. Deinde hortetur Infirmum, & excitet, ut, dum mente viget, eliciat actus Fidei, & Charitatis, aliarumque Virtutum, nempe, &c.

18 Momenta ultima in Infirmo magni momenti ſunt,
& ponderis; atque ideo inutiliter profundenda non eſ-
ſent. Igitur dum mente, & ſenſibus valet, hortandus
eſt, ut reviviſcere faciat actus Chriſtianos ſaltem in cor-
de ſuo, nam ſi corpore languet, cor uſque ad ultimum,
in robore ſuo eſt, atque agere poteſt quæcumque a vo-
luntate ei proponantur.

§. IV. Ut firmiter credat omnes articulos Fidei, & quidquid S. R. E. Catholica, & Apoſtolica credit, & docet.

19 Hæc eſt quædam Proteſtatio, & Profeſſio Fidei, quæ
ſemper, ſed præcipue in articulo mortis, eſt a Fidelibus
20 facienda: Nihilominus Fidei profeſſio unice præcipitur
Epiſcopis cum extremum diem ſuum appropinquare co-
gnoverint, & eſt facienda ab illis antequam communi-
cent cum Rochetto, & Stola, coram Sanctiſſimo Sa-
cramento: *Cærem. Ep. l.* 2. *c.* 38.

§. V. Ut ſperet, Chriſtum Dominum noſtrum pro ſua immenſa clementia ſibi fore propitium, & merito ejus Sanctiſſimæ Paſſionis, & per interceſſionem Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum, ſe vitam æternam conſecuturum.

21 Spes Theologica, ſicut & fides in Viatore tantum-
modo locum habent, non in comprehenſore, & Gratia
Dei principalior cauſa eſt, quam noſtra merita, cum ea
ipſa ſint ex Dei gratia. Verum non omni tempore præ-
ceptum Spei, ſed certis caſibus obligat, ſicuti & præ- 22
ceptum fidei exercendæ, contra quam virtutem opponi-
tur deſperatio, Layman. *l.* 2. *tr.* 1. *n.* 1. 7.

§. VI. Ut toto corde diligat, & maxime diligere cupiat Dominum Deum, ea dilectione, qua illum diligunt Beati, Sanctique omnes.

23 Prima inter propoſitiones a Sanctiſſ. Alexandro PP.
VII. damnatas hæc eſt: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ*
tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis,
ex vi Præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinen-
tium. Quare qui eam teneret, in maximo errore eſſet:
nam Præceptum negativum de non odiendo Deo ſemper
obligat, ſed affirmativum diligendi, certis temporibus;
quorum præcipuum eſt, cum primum homo, uſum ra-
tionis adeptus Deum, tamquam ultimum finem ſuper-
naturalem, per fidem ſufficienter cognovit; longam mo-
ram trahere non debet, quin illud voluntate acceptet,
& omnia opera in eum referat. Eundemque actum ſæ-
pius in Vitæ decurſu Homo exercere debet. Charitas
enim eſt Virtus perfectiſſima, ac veluti forma, & Re-
gina aliarum virtutum, Laym. *l.* 2. *t.* 3. *c.* 1. *n.* 1. & 6.

§. VII. Ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offenſa, qualitercumque contra Dominum Deum, & proximum commiſſa.

24 Actus perfectiſſimi doloris eſt dolere de peccatis ob
amorem Dei, & vocatur contritio, ut communiter DD.
Iſte actus cum charitatem amplectatur, ſæpiſſime repe-
tendus eſſet ab Infirmo.

§. VIII.

§. VIII. Ut ex corde, ob amorem Dei parcat omnibus, qui ſibi quoquomodo fuerint moleſti, ac inimici.

25 Hoc eſt præceptum Dei, ut Homines diligantur invicem, & Theologice iſte amor vocatur charitas erga proximum, ad cujus menſuram parcet nobis Deus: adeo præcipue inculcanda eſt hujuſmodi venia iis, qui occiſi ab aggreſſore moriuntur, nec aliud in mente tunc habent, quam vindictam contra hoſtem ſuum.

§. IX. Ut ab iis veniam poſtulet, quos aliquando dictis, aut factis offendit.

26 Actus iſte eliciendus eſt ab Infirmo, etiam ſi illi qui fuerunt ab eo offenſi, præſentes non ſint. Virtus enim ſatis laudabilis eſt, & magni facienda.

§. X. Ut quem patitur dolorem, & morbi moleſtiam, propter Deum, in Pœnitentiam peccatorum ſuorum patienter toleret.

27 Tolerantia in adverſis dolorem levem facit. Felix qui Crucem ſuam ante Crucem Domini intuetur, Kemp. *de Imitat. Chriſti*, *l.* 3. *c.* 17. Iſta oblatio Domino facta ſæpenumero peccata venialia delet, & pœnas in Purgatorio tolerandas imminuit: quare commonendus eſt Infirmus, ut offerat Deo Crucem ſuam.

§. XI. Ut ſi Dominus illi ſalutem corporis præſtare dignabitur, proponat de cætero, pro viribus ſuis, a peccatis cavere, & ejus mandata ſervare.

28 Non omnis infirmitas eſt ad mortem: ideo ſæpius
29 convaleſcunt, & inſurgunt Infirmi. Si tamen morbus graviſſimus ſit, tanta ſpe non ſunt conſolandi, quia facile deſiſtunt ab operibus virtuoſis, & ab actibus meritoriis. Nimis ad vitam ſervandam proclivis natura eſt, & ſemper uſque ultimum ſpes vitæ perdurat. Unde ſi Sacerdos illi adſtans, aliquid de valetudine loquatur, exiguus igniculus ſpei reviviſcet, & e mortis metu Infirmum diſtrahet cum maximo æternæ ſalutis periculo.

§. XII. Hortetur preterea, ut eo modo, quo poteſt, ſaltem ex corde, ita per intervalla precetur, &c.

30 Orationes jaculatoriæ potiſſimum inſerviunt ad ſuſcitandos in Anima pios affectus; ideo nonnulli Pſalmorum, & precum verſiculi hic aſſignantur, qui facilius per ora Fidelium percurrunt, non eo quia iſtos tantummodo repetere debeat Infirmus, ſeu non eo quia hos unice adhibeat Sacerdos ad excitandum animum Infirmi, ſed ut iſtos, utpote faciliores, & obvios inſinuet dicendos ab ægroto. Multi, & quidem plurimi verſiculi in Pſalterio reperiuntur, quorum ſignificationes maxime 31 conferunt ad implorandum Divinum auxilium, & Dei miſericordiam, necnon ad cordis compunctionem demonſtrandam, quos ad libitum Sacerdotis, ſeu Infirmi relinquo, & legi poſſunt in fine explicationis Pſ. *Miſerere* a P. Paulo Segneri editæ.

§. XIII. Hæc, & his ſimilia poterit prudens Sacerdos, vulgari, ſeu latino ſermone, pro Perſonæ captu, morienti ſuggerere. *

32 Non ideo exponuntur iſti verſiculi latino idiomate, quia eodem exprimi debeant ab Infirmo, ſed quia tales reperiuntur in Pſalmis inſerti, & in Orationibus ab Eccleſia approbatis. Quocumque idiomate pronunciari poſſunt, & ſi infirmi latinam linguam ignorent, dici poſſunt materna lingua. Vide ampliſſimum *Sacerdotale Brixinenſis Eccleſiæ*, de quo ſæpius in his Commentariis mentio eſt, cum Orationibus linguæ, & charactere Germanico conſcriptis. Item alios libellos linguæ Gallica, quibus utuntur Sacerdotes in illis Regionibus. Hi enim verſiculi, & preces non ſunt de exceptis, adeo ut nequeat adhiberi niſi idiomate latino. Denique hoc obſervandum eſt, quod, cum dicantur ad profectum, & ſubſidium Infirmi, melius eſt, ut & ipſe intelligat quid loquatur.

* *In Rituali Romano quod benedicti XIV. juſſu Romæ primum an. 1752. editum eſt, & deinde Remondinianis typis Venetiis recuſum hoc anno 1762. hic loci adjectus eſt* Modus pro opportunitate temporis ſervandus ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis conſtitutis, ab his, qui facultatem habent a Sede Apoſtolica delegatam. *Hujuſmodi Ritum Auctor noſter prætermiſit propterea quod cum novam ſuam editionem ſecundis curis adornavit, nondum in Rituali Romano inſertus erat. Si quis illum, rubricaſque ad eum attinentes cognoſcere cupiat, idem Rituale a Benedicto XIV. locupletatum adeat.*

§. XIV. Deinde ſequentes Preces, quanta poterit, majore devotione dicat; admoneatque domeſticos, & circumſtantes, ut ſimul orent pro moriente.

33 Oratio in communi magis Deo accepta eſt, quia emet multiplicatos Interceſſores, Innoc. III. *de Sacr. Miſſa*. Cumque ſpecifice in caſu a Rubrica præſcripto, tractetur de Anima morientis Deo commendanda, ceſſat particularis vox ægroti, & pro ea remanent ſuffectæ voces Sacerdotum, & Fidelium adſtantium, quibus incumbit reſpondere quando occurrit in Litaniarum & aliarum precum recitatione. Hæc Oratio, ut majori devotione dicatur, recitabitur genibus flexis, quia iſte vere eſt actus 34 venerationis, & pœnitentiæ, ut alibi dicimus.

Si demum domeſtici, & familiares reſiſtere non valeant (ut ſæpiſſime datur) ob gemitus, & dolorem, melius erit ut recedant cum ejulatibus ſuis, ne morientem a recta intentione divertant. Plura circa hæc vide in Paſqualig. *de Privilegio morientium*, *per totum*.

ORDO

ORDO
COMMENDATIONIS
ANIMÆ,

TITULUS TRIGESIMUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

1 *Mors eſt momentum, a quo pendet æternitas.*
2 *Preces inſtituta ad finem juvandi morientem.*
3 *Iſte ordo inſertus eſt in Breviario, ut ſit manualis.*
4 *Uſus commendandi Animam eſt antiquior S. Gregorio.*
5 *Antiqui utebantur variis Benedictionibus.*
6 *Quicumque Sacerdos poteſt commendare Animam fideli morienti.*
7 *Miniſtri, & Clerici neceſſarii in commendatione Animæ.*
8 *In Clauſura monaſteriorum non adhibentur miniſtri.*
9 *Veſtis propria Sacerdotis commendantis Animam.*
10 *Sacerdotes quare veſtiendi ante Infirmi cubiculum?*
11 *Candela accendenda in commendatione Animæ.*
12 *An iſta Candela debeat eſſe benedicta?*
13 *Fideles tenere ſolent candelam appenſam ad lectum.*
14 *Candela juvat in agone morientem.*
15 *Oratio quare fiat genibus flexis?*
16 *Litaniæ breves quare ſic dictæ?*
17 *Litaniæ breves dicebantur in Exequiis, & in Miſſa.*
18 *Litaniæ breves reformatæ a Benedicto Papa XIII.*
19 *Reſpondetur ſingulis verſiculis:* Ora pro eo, *&c.*
20 *Agon quid ſignificet?*
21 *Quodnam dicatur tempus Agonis?*
22 *Certa regula hujus temporis dari non poteſt.*
23 *Regulæ generales pro dignoſcendo tempore Agonis.*
24 Proficiſcere, *&c. eſt magna, & ultima denunciatio facta morienti.*
25 *Hæc denunciatio pronuncianda eſt graviter.*
26 *Cur in nomine Mariæ Virginis non fiat hæc denunciatio?*
27 *Oratio in Commendatione Animæ a D. Petro Damiano compoſita.*
28 Amen *quid ſignificet, & quare dicatur?*
29 *Tormenta paſſa a Sancta Thecla.*
30 *Theatrum pro virgine eſt magnum tormentum.*
31 *Numerus Orationum dicendarum præſcribi non poteſt.*
32 *Orationes, & Preces in commendatione Animæ poſſunt replicari.*
33 *Oratio facta a Chriſto Patri ſuo.*
34 *Paſſio Chriſti cur legatur morienti in agone?*
35 *Oratio de Paſſione dicenda ab ægroto, ſi valet.*
36 *Quivis alius pro moriente poteſt illam recitare.*
37 *Pſalmi dicendi in agone, & eorum ſignificatio.*
38 *Trium piorum Orationum Author.*
39 *Indulgentiæ aſſerta pro recitatione harum trium Orationum.*
40 *Sunt meditandæ a moriente, ſi valet.*

GRANDE momentum, a quo pendet æternitas, illud eſt, in quo fit animæ a corpore ſeparatio: ideoque nihil magis curandum eſt ab homine, quam felix ex hac vita exitus. Quapropter ſtudendum eſt a miniſtro Eccleſiæ, ut Actus ultimus Infirmi morientis ita claudatur, & abſolvatur, ut ſpes æternæ ſalutis poſt illum remaneat. Ad hunc finem itaque pia mater Eccleſia inſtituit has 2 ultimas preces ſuper Infirmum dicendas, virtute quarum Anima illius ad æternam beatitudinem deducatur. 1

Priuſquam vero ad explicationem Rubricarum hujus Tituli deveniamus, nonnulla dicenda ſunt ex Gavant. *p. 2. ſect. 9. c. 5. de ordine commendationis Animæ*; quoad originem, & inſtitutionem harum Orationum, & precum, de quibus a dicto Gavanto ſermo habitus fuit, eo quia talis *Ordo* non tantum in hoc libro Rituali inſertus eſt, ſed in Breviario Romano etiam. Ut enim quilibet Sa- 3
cerdos ad manus habeat hunc ordinem, neceſſitate præſertim urgente, in calce Breviarii ſuperadditus eſt, ſi deſit Rituale.

4 Uſus autem commendandi Animas Fidelium in earum exitu eſt antiquior Sanct. Gregorio, qui de eo meminit, *Hom. in Evang.* 37. Sed exempla adducta ad ejus antiquum uſum comprobandum e Gavanto, nihil aliud probant, 5
niſi quod Antiqui ad commendandas Animas utebantur variis benedictionibus, non autem precibus, & Orationibus hic inſertis, quas tamen in antiquis Manuſcriptis obſervavit ita coordinatas, excepta mutatione quorundam Sanctorum in Litaniis brevibus. Sed hæc ſatis ſint circa inſtitutionem harum precum, & hujus ordinis.

§. I. Parochus ad decedentis Animæ commendationem accedens, Clericum ſaltem unum, ſi poteſt, ſecum habeat: qui deferat Vaſculum Aquæ benedictæ, ſuperpelliceum, & ſtolam violaceam, quibus ipſe Sacerdos ante infirmi cubiculum indutus, locum ingrediens, dicat: *Pax huic domui, &c.* Deinde aſpergat ægrotum, lectum, & circumſtantes Aqua benedicta dicens: *Aſperges me, Domine, &c.*

6 Quamvis in Rituali hoc officium commendandi Animas, Parochus aſſignetur (quia cum hæc quoque ſit cura Animæ, ad Animarum Curatum ſpectare debet) nihilominus cuicumque Sacerdoti, nedum Parocho, datur facultas commendandi Animas Deo in hora mortis, & in tranſitu earum, Gavant. *l. c.*

7 In quo opere exercendo miniſtri ſubalterni ſunt neceſſarii. Plures diximus de neceſſitate miniſtrorum aſſociantium Parochum: hic denuo repetitur, tam pro ſervitio deferendi ſupellectilem Sacram, quam pro reſpondendo precibus, & Orationibus: Quandoque enim fit, ut non adſint niſi Pueri, & Fœminæ, quæ ad nihilum valent, niſi ut plorent, & ejulent.

8 Et nota, quod de ingreſſu in monaſteria non intelligit Rubrica, quoniam Clericus ibi adhibendus non eſt, & piæ Sanctimoniales valent reſpondere, & adjuvare, ubi opus fuerit.

Si Clericus non adſit, per ſe ad omnia ſufficere debet Sacerdos, eo magis quia Cotta, & Stola non magni ponderis ſunt, ut portentur; & Aqua benedici facile poteſt in quacumque domo.

Veſtis itaque Sacerdotis propria pro commendatione 9
Animæ eſt Cotta, & Stola. Alcuinus *cap. antepenult. relat. a Gavant. loc. cit.* meminit hujus indumenti: quamvis enim commendatio Animæ non ſit Sacramentum, ſed Sacramentale, attamen decet, ut habitu, & Sacerdotali Veſte accedat Dei miniſter etiam in Sacramentalibus.

Quod poſtea ante Infirmi Cubiculum induere ſe de- 10
beat Sacerdos, hoc fortaſſe fit, ut majorem venerationem inferat morienti, ſi viderit Sacerdotem ad ſe venientem Sacris Veſtibus ornatum; ille enim mutatio de una in aliam veſtem ante oculos Infirmi deformitatem parere poteſt.

Primo Sacerdos ſalutet eum Pace, dicens: *Pax huic domui, &c.* De iſta ſalutatione, & aſperſione jam diximus in *Titulo de Viſitatione, & cura Infirmorum*, §. 19. Meminit hujus Ritus etiam Alcuin. *loc. cit.*

§. II. Poſtea Salvatoris noſtri Crucifixi Imaginem ægroto oſculandam præbeat, verbis efficacibus eum ad ſpem æternæ ſalutis erigens, ipſamque Imaginem coram eo ponat, ut illam aſpiciens, ſalutis ſuæ ſpem ſumat.

Pariter de Cruce deoſculanda mentionem facit Alcuin. *loco ſupracit.* Et jam in antecedenti Titulo *de modo juvandi morientes* ſatis dictum eſt de hac Cruce, ſeu Imagine Chriſti Crucifixi, & de verbis efficacibus ad erigendam in Infirmo, & moriente ſpem æternæ ſalutis.

§. III. Deinde accenſa candela, genibus flexis, cum omnibus circumſtantibus, breves Litanias devote recitet, in hunc modum: *Kyrie eleiſon, &c.*

11 Si non adſit hæc Candela in domo Infirmi morientis, omnem curam adhibere debet Sacerdos, ut de ea provideatur: nec magni diſpendii eſſet ſi ipſe Parochus eam ſecum deferret, quando deeſſe prævident.

Vide-

Videtur, quod iſta Candela debeat eſſe benedicta, at-
que ad hoc, ut plurimum pii Fideles utuntur Candela
cum Benedictiona Roſarii Beatiſſimæ Virginis ob devo-
tionem. Poteſt eſſa etiam benedicta in die Purificatio-
nis, & huic neceſſitati (ſi benedicta Candela non ad-
ſit) ſuccurrit Eccleſia, præſcribens Benedictionem Can-
delarum extra diem Purificationis Beatæ Mariæ Virgi-
nis, ut ſuo loco dicemus, quæ Benedictio quandocum-
que a Sacerdote fieri poteſt. Inſuper Fideles, qui de e-
13 xitu Animæ ſuæ curam habent, appenſam prope cubile
tenent Candelam benedictam, toto vitæ ſuo tempore,
ut ad opus hoc præſto ſit; & tunc de novo benedicen-
da non eſt.
14 Iſta Candela Cruci conſociata mirifice juvat morien-
tem ex inſtituto Apoſtolico, & illam adhibuiſſe Apo-
ſtolos in obitu Sanctæ Marthæ Hoſpitæ Chriſti Domini
refert S. Antoninus *p.* 1. *t.* 6. *cap.* 20. Gavant. *l. c. nu.*
5. ubi etiam de Crucis effectibus coram moriente loqui-
tur cum Tobia *p.* 1. *c.* 66.
15 Commendatio Animæ fit a Sacerdote ſtando, unice
vero genuflectit in recitatione Litaniarum. Et fit ad
imitationem Chriſti Patientis, & Orantis, *qui proci-
dit in faciem ſuam orans*. Matth. 26.
Modo de Litaniis. Breves appellantur iſtæ Litaniæ ad 16
diſtinctionem Litaniarum majorum, quæ poſt Pſalmos
Pœnitentiales, & alibi recitantur. De quibus alias di-
ximus. In antiquis Mſſ. eas vidiſſe teſtatur Gavant. *l.
c.* excepta nomenclatura, ſeu invocatione quorum-
dam Sanctorum. Iſtæ Litaniæ ne dicantur in exequiis 17
mortuorum, neque in Miſſis ſolemnibus pro Defunctis,
ut olim mos erat, monet Coſcet. *d. Tract.* 2. *p.* 2. *c.* 9.
n. 3. *in Addit.* quibus etiam nuper, Sanctiſſimus Pon- 18
tifex Benedictus XIII. ſuperaddidit nomen, & Invoca-
tionem Sancti Joſeph Sponſi B. M. V. ad magis magiſ.
qua augendum erga prædictum Sanctum, adeo debitam,
& proficuam Fidelibus devotionem; necnon ad validiſ-
ſimum ejus patrocinium, ampliato cultu, ſolemnius, &
frequentius in agone mortis invocandum, & demeren-
dum: prout in motu proprio ſub die 10. Decembris
1726. Reſpondatur cuicumque verſiculo ab adſtantibus;
Ora pro eo, ſeu *Intercedite pro eo*, ſive *Parce ei Domi-* 19
ne: vel *Libera eum Domine*; quia tota Oratio in illa
occaſione fit pro æterna ſalute morientis, non autem
pro Orantibus.

§. IV. Deinde cum in agone ſui exitus Anima anxiatur, dicantur ſequentes orationes, &c.

20 Cus proximus exitus Animarum e corpore humano
appellatus ſit Agon, adeo ut apud Fideles ſi ſermo ſit
de Homine in Agone poſito, ſemper intelligatur de
mortis articulo, credo, quod ſit, quia proprie *Agon* ſi-
gnificat certamen, & contentioſam luctam, e qua non
datur receſſus, abſque eo quod Anima ſeparetur e cor-
pore: ideo proverbium græcum invaluit pro extrema,
& ingruente neceſſitate: *Nunc Agon eſt*. Equidem in
homine moriente hoc certamen verificatur, cum Anima
quodammodo cum corpore luctetur, contendendo ſepa-
rationem, & invicem diviſionem harum duarum partium
Hominem conſtituentium. Dura enim diviſio eſt, &
aſpera; ex quo illud dictum fuit. Regum 1. c. 15. *Sic-
cine ſeparas amara Mors?*
21 Tempus Agonis itaque extremum tempus eſt Vitæ
Hominis, ad quod dignoſcendum, ut ferventius preces
effundat, & oret pro eo Sacerdos, certa regula dari non
poteſt, cum vel peritiſſimi Medici in hoc ſæpe halluci-
22 nentur. Aliquando enim quis morti proximus videtur,
& poſt dies moritur: aliquando quis ſanus dicitur,
& repente expirat. Faſſus fuit hanc veritatem diligen-
tiſſimus Mancini d. in ejus Praxi *viſitandi Infirmos, p.* 2.
23 *pract.* 11. Nihilominus viſum ſibi fuit utile fore, aliquas
Regulas generales ex iis, quas alias obſervaverat, addu-
cere, e quibus non mediocris cognitio in hac materia
eruitur, ad quas Lectorem, & Parochum remitto, cum
facile ſit volumen Mancini præ manibus habere.
24 Verbum illud *Proficiſcere Anima Chriſtiana, &c.* eſt
prima denunciatio, quæ fit Animæ, ut corpus deſerat,
& ab illo ſeparetur, atque ad ſuam æternitatem ſe con-
ferat. Vere terribilis denunciatio, ad quam morientes
bonis ſenſibus præditos non raro vidi contremiſcere, &
25 gelido ſudore perfundi. Quapropter Sacerdos illa verba
graviter pronunciare debet, ut vere a moriente, ſi fieri
poteſt, audiatur.
Continet hæc denunciatio compendium Litaniarum
jam recitatarum, & omnium Ordinum Hierarchicorum,
quorum in Litaniis facta eſt per nomina enumeratio, a
Sanctiſſima Trinitate initium ſumens, & uſque ad San-
ctas Virgines, & omnes Sanctos, & Sanctas Dei de-
ſcendens, & procedens, ſervato ordine Litaniarum. Uni-
26 ca mentio deeſt Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, de qua nul-
la alia commemoratio fit in hac commendatione Animæ,
niſi in Litaniis per verba *Sancta Maria. Ora pro eo, &c.*
Quod cur ita factum ſit, penitus ignoro, nec apud Scri-
ptorem aliquem rationem ullam, huc uſque adinvenire
mihi conceſſum eſt. Certe inter Orationes morientium,
antiquitus, quinque Orationes ad Mariam Virginem e-
numerabantur in antiquo Rituali Taurinenſi impreſſo
uſque de anno 1589. quæ poſtea in Romano ſub Paulo
V. Summo Pontifice, locum non habuere.
*O intemerata, & in æternum benedicta Virgo Maria to-
tius anguſtiæ adjutrix, ſuccurre nobis dulciter, & conce-
de famulo tuo N. fratri noſtro, tuam glorioſiſſimam fa-
ciem in ultima neceſſitate ſua, & diſperde omnes inimi-
cos ejus, in virtute dulciſſimi filii tui D. N. J. C. & ſan-
cta crucie: & defende eum potenter a dracone infernali,
& a viſione, & ab omni fraude malorum Spirituum: &
Libera eum de omni anguſtia corporis, & animæ, ut Lau-
des dicat domino Deo in ſæcula ſæculorum, Amen.*

Oratio.

Sancte Michael Arcangele &c.

Hæc Oratio ad B. V. Mariam extat in antiquo Manu-
ſcripto Codice inſcripto -- *De arte, & ſcientia bene
moriendi*, apud me, cum plurimis aliis Orationibus recitan-
dis in Agone, inter quas -- *Proficiſcere Anima Chriſtiana*
&c. & aliæ nonnullæ, quæ in Rituali Romano pariter
inſertæ perleguntur, & communiter recitantur hodie in
fidelium agone. Ex quo patet deſertam ſemper non fuiſſe
B. Virginem Mariam in ſupplicationibus pro felici tran-
ſitu Animarum ſaltem apud antiquos, licet in recentiori
Ritualis Rom. reformatione, de eadem Sanctiſſima mo-
rientium adjutrice nulla videatur haberi conſideratio in
Orationibus, ſed tantummodo brevis habeatur invocatio
in ſerie hierarchica brevium Litaniarum tunc cum poſt
tertium Kyrie eleyſon ſubſequitur *Sancta Maria* &c.
Oratio *Commendo te omnipotenti Deo, &c.* eſt integra 27
epiſtola, quam S. Petrus Damiani ſcripſit Amico ſuo
morienti, ut facile dignoſci poteſt ex ejus operibus jam
impreſſis *T.* 1. *lib.* 8. *ep.* 15. n. 150. de qua meminit Ga-
vant. *d. loco cit. n.* 4.
Cuicumque verſiculo, ſeu ſupplicationi in hac Oratio- 28
ne contentæ reſpondetur per adſtantes, *Amen*, per quod
verbum affirmant id, quod a Sacerdote pronunciatum
eſt. Meminit hujus Ritus reſpondendi *Amen* S. Augu-
ſtin. *epiſt.* 178. *& tract.* 4. in *Joann.* Vox hebræa eſt,
quæ ſignificat apud nos idem, quod *Fiat*. Et uſurpatur
in deprecationibus a tempore uſque Apoſtolorum 1. *Cor.*
14. tam a Græcis, quam a Latinis, & numquam fuit
immutata, Gavant. *T.* 1. *s.* 9. *n.* 17.
Enuncientur in illis precibus tormenta tria atrociſſi- 29
ma a S. Thecla tolerata in ejus martyrio, his verbis:
*Et ſicut beatiſſimam Theclam Virginem, & Martyrem
tuam, de tribus atrociſſimis tormentis liberaſti, ſic, &c.*
Iſta tormenta confirmantur a Baron. in *not. ad Martyro-
log. Rom. ſub die* 23. *Septembris*, fueruntque Ignis, Thea-
trum, & Beſtiæ. Sed Gavantus loco ſupra dicto mira-
tus, quod Baronius non explicet quodnam in Theatro
paſſa ſit tormentum diſtinctum a Beſtiarum faucibus,
quaſi non aliud daretur tormentum in Theatro, niſi il-
lud Beſtiarum: & tamen Gallon. *de Martyrum Cruciati-
bus*, alias exponit carnificinas, quibus in Theatris ex-
ponebantur Chriſtifideles pro Fide. Si non aliud tormen- 30
tum ſuſtinuiſſet hæc tenella Virgo, illud eſſet quod ſola
exponeretur inſultationibus Populi, & præcipue lictorum.
Vide Tertullian. *de Theatro*, & alia iuncores tormenta
abſque Sanguinis effuſione, quæ Virginibus infligeban-
tur. S. Cyprianus indicat Theclam in agone mortis no-
minari *in orat. pro Martyribus & in die Paſſionis*; quam
ſequuti ſunt in hoc Ritu eodem SS. Terentius, & So-
cii, monente eodem Baronio, ſub an. 47.

§. V. Si vero diutius laborat Anima, poterit legi ſuper eum Evangelium Sancti Joannis, &c.

Hora exitus cum ſit, ut diximus, incerta, difficile
dari poteſt, & præſcribi norma, & numerus Oratio-
31 num dicendarum: Ideo ſi Anima Infirmi morientis ad-
huc in agone laboret, Eccleſia præſcripſit alias preces,
& Orationes dicendas per modum ſubſidii. Sicuti enim,
ſi plene recitatis his Orationibus, adhuc moriens vivat,
32 poſſunt repeti, & iterum recitari jam recitatæ, ita ſi
infirmus vere moriatur ante complementum illarum,
iſtæ obtruncari, & finiri debent: Eccleſia itaque potius
abundare in hoc voluit quam deficere.
Evangelio, ſeu Hiſtoriæ Paſſionis Dominicæ per S. 33
Joannem Evangeliſtam conſcriptæ voluit Eccleſia, ut præ-
cederet Oratio a Chriſto facta ante ejus agonem, in qua
præter alia, adeſt illa excelſæ, & infinitæ miſericordiæ, &
charitatis expreſſio: *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi
ſum ego, & illi ſint mecum*, Joann. 17. a qua moriens ma-

gnæ conſolationis argumentum deſumere poteſt, pro æterna ſui ſalute.

Paſſionis Chriſti memoria hoc loco fructuoſiſſime legitur, quia per illam ſalvi facti ſumus, P. Damian. ep. 6. l. 7. 34

§. VI. Oratio ad Dominum Jeſum Chriſtum de ſingulis articulis Paſſionis ejus, dicenda a moriente, vel ab alio pro eo. ℣. *Adoramus &c.*

35 Supponit in hoc caſu Textus noſter, quod moriens integer ſtatu mentis, & ſenſuum ſit, quod loqui poſſit, utpote quia veriæ Infirmitates dantur, quæ mentem, & linguam liberas relinquunt Infirmis, uſque ad ultimum Vitæ momentum. Dum igitur hoc caſu, moriens de per ſe, vel a Sacerdote monitus, poteſt hanc Orationem recitare, quæ cum ſingulos Paſſionis articulos commemoret, poteſt in animo recitantis ſuſcitare compunctionem cordis, adeo dulcites, & ſuaviter, necnon compendioſe, ſed clare in illa exprimuntur ea, quæ in Dominica Paſſione evenere. Semper recordari debemus Paſſionis, & aerumnarum laborum Salvatoris, ſed præcipue in exitu Animæ, pro cujus Redemptione paſſus eſt, Rho in *Paſſ. Dom. Præmedit. p. 4.* Quapropter ſi moriens legere non valeat, ipſe Sacerdos, de verbo ad verbum, Orationem illi recitet, cum pauſa, non defatigando morientem in illo ſtatu tanti periculi.

Eo magis apparet neceſſitas dicendæ talis Orationis ab ipſomet Infirmo ſi proprio nomine nuncupari debet, ut demonſtrant illa verba, *Libera me*, vel ſi alius dicit pro eo, *Libera famulum tuum a pœnis, &c.* Alius etiam præter Sacerdotem, poteſt illam recitare pro moriente, 36 unde non opus eſt, ut ſemper ſit Sacerdos qui recitet.

§. VII. Dici præterea poſſunt ſequentes Pſalmi: *Confitemini Domino. Beati Immaculati. Retribue, &c.*

37 Ne, durante agone morientis, Orationes, & preces deſint, addit Rituale etiam iſtos tres Pſalmos. Prior de miſericordia Dei loquitur. Alter de munditie cordis. Tertius vero de Animæ deſiderio fruendi bona cœleſtia, ut explicat Aygnanus.

§. VIII. Tres piæ, & utiles morientibus orationes, cum tribus *Pater*, & tribus *Ave Maria*, in agone recitandæ, &c.

38 Quiſnam fuerit harum trium piarum Orationum Author, juvat ſcire. In quodam libro inſcripto, .. *Sacra Baptizandi Inſtitutio juxta Sancta Romana Ecleſia, &c.* impreſſ. *Auguſtæ Taurinorum* 1589. *ad pag.* 13. habentur hæc præciſa verba ad modum Rubricæ conſcripta: *Cum Homo eſt in agonia mortis, legendæ ſunt ſequentes Orationes. §. Erat quidam Papa, qui dum ad extrema veniſſet, interrogat Capellanum ſuum, Virum idoneum, & devotum, quem plurimum diligebat: quibus ſuffragiis poſt mortem ſuam vellet apud Deum juvare. Qui reſpondit: quod omnibus modis, quibus poſſet: & quæcumque juberet pro ſalute animæ ſuæ facere vellet. Et Papa ait: Non peto aliquod a te ſubſidium: niſi dum videris me in agonia poſitum; Dominicam Orationem pro me, tribus vicibus dicas: qui ſibi libentiſſime promiſit hoc. Ad quem Papa, cum primum Pater noſter dixeris: dic in memoria agonia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut infra patebit. Cum ſecundum Pater noſter dixeris, dic in memoriam omnium Paſſionum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut infra. Cum dixeris tertium Pater noſter, dic in honorem ineffabilis Charitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut infra. His dictis promiſit Capellanus hæc omnia ſe libenter facturum, quod & fecit cum diligentia, & devotione qua potuit. Poſt mortem reverſus eſt Papa ſplendidus ad eum, & rutilans, gratias immenſas ſibi referens, & dicens ab omni pœna ſe eſſe liberatum. Nam poſt primum Pater noſter, Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſudorem ſuum ſanguineum pro me Patri oſtendens, omnem meam propulſavit anguſtiam. Poſt ſecundum Pater noſter, pro amaritudinem omnium Paſſionum ſuarum, omnia peccata mea, ut nubem delevit. Poſt tertium Pater noſter, per Charitatem ſuam Cœles reſeravit, & me cum gaudia introduxit.*

Ex hac Revelatione a dicto Capellano pluribus manifeſtata, & per varias Orbis partes divulgata, factum eſt, ut introducta ſit conſuetudo eumdem modum tenendi in orando pie, & devote circa morientes, cum validiſſima ſpe, quod Oratio hoc modo facta, valeat Homines ab inſidiis Diaboli liberare, & illis Regna Cœlorum aperire.

Hujus Hiſtoriæ Fides ſit penes Authorem ſuum. Ego nec addo, nec imminuo. Scio etiam alios Scriptores eam referre, & præcipue Aniſium ſupra allegatum, *p.* 1. *c.* 38. *p.* 297. qui eam reperiſſe ſcribit in quodam Libello vulgari idiomate conſcripto ab Auguſtino Sellio, cui titulus *Conforto degli Agonizzanti*. In margine vero hæc habentur. *Proceſſ. de F. Predic.*

Audivi etiam, ſed neſcio quo fundamento, Indulgen- 39 tias nonnullas applicatas fuiſſe a quodam Summo Pontifice morientibus, pro recitatione harum Orationum, ſed huc uſque hoc non audeo affirmare, ſciens quam facile homines in hujuſmodi rebus errare poſſint.

Certum tamen eſt, quod iſtæ Orationes multam pie- 40 tatem redolent, & maximos fructus parere poſſunt ad ſalutem Animæ Infirmi morientis: ideoque omni fiducia recitandæ ſunt, & ſi valeat, ab ægro moriente recitandæ, ſeu ſaltem meditandæ in extremo agone, quando Hominum ſpes unice in Deo eſt reponenda.

IN EXPIRATIONE.

TITULUS TRIGESIMUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

1 *Articulus mortis eſt quando moriens agit Animam.*
2 *Signa demonſtrantia exitum Animæ ſunt æquivoca.*
3 *Tutior regula eſt nunquam deſerere Infirmum.*
4 *Si exitus manifeſtatur, tunc inſtanter orandum.*
5 *Moriens de raro poteſt pronunciare verba.*
6 *Niſi moriatur morte violenta.*
7 *Jeſu nomen repetendum eſt.*
8 *Ad aures Infirmi conclamanda eſt Vox Jeſu.*
9 *Etiam in morientibus de mandato Judicum.*
10 *Campana pulſanda in exitu morientis.*
11 *Confraternitas Agonizantium.*
12 *Non ita facile credi debet, morientem expiraſſe Animam.*
13 *Experientia multis modis facienda.*
14 *Sacerdos non immediate deſerere debet lectum morientis.*
15 *Adſtantes interim invitandi ad recitationem orationum.*
16 Subvenite *eſt deprecatio dicenda poſt expirationem.*
17 *Ejus antiquitas, & uſus.*
18 *Hoc Reſponſorium bis pro quocumque defuncto recitatur.*
19 *Campana denuo pulſanda poſt tranſitum.*
20 *Debet pulſari diverſimode quoad modum.*
21 *Nomina varia ſigni dandi cum Campana in expiratione.*
22 *Eleemoſyna danda pro hoc ſigno.*
23 *Non exigenda niſi ſignum detur.*
24 *Datur etiam ab Eccleſiis Confraternitatum.*
25 *Campana non pulſantur in morte Infantium.*
26 *Pſalmus.* De profundis *recitandus quando Campana pulſatur.*
27 Ave Maria *pro mortuis.*
28 *Cadaver quomodo componi debeat in ſuo cubiculo?*
29 *Maſculi Maſculos, Fœminæ Fœminas curare debent.*
30 *De Balſamatione Cadaverum.*
31 *A Phyſicis peritis hoc fieri debet.*
32 *Viſcera reponenda in Urna, & ſepelienda in loco Sacro.*
33 *Epitaphium poni poteſt Viſceribus; prout extat Ferrariæ.*
34 *Quid agendum poſt Balſamationem.*
35 *Locus decens, in quo collocari debet Cadaver in Domo.*
36 *Cadaver ſine lumine non deferendum.*
37 *Lumen hoc quid ſignificet?*
38 *Lucernæ ſepulchrales antiquorum.*
39 *Crux ſupra pectus Cadaveris ponenda, & quid ſignificet?*
40 *Quacumque palea componere valet Crucem.*
41 *Manus Defuncti in modum Crucis componendæ.*
42 *Sudariolum aliqui ponebant infra manus Defuncti.*
43 *Quod a Sacra Rituum Cong. prohibitum fuit.*

44 A.

44 *Aqua benedicta quid præſtet Cadaveribus?*
45 *Oratio facienda in domo defuncti pro ejus Anima.*
46 *Fideles antiquitus vigilabant in oratione.*
47 *Vigiliæ mortuorum unde ortum habeant?*
48 *Parochus verba conſolatoria dicere debet domeſticis defuncti.*
49 *Luctus immoderati prohibentur.*
50 *Præficæ olim conducebantur ut ſupra mortuos flerent.*
51 *Vigiliæ hodiernæ fiunt de nocte.*
52 *Abuſus circa has Vigilias deteſtati.*
53 *Luſus & comeſſationes prohibitæ, occaſione hujuſmodi Vigiliarum.*
54 *Cuſtodia Cadaverum habenda: vel transferenda ſunt ad aliquam Eccleſiam.*

LATE patet, quod vere ille dicitur, & eſt articulus 1 mortis, quando moriens agit Animam: ſed ſigna, quæ demonſtrent hunc exitum fore proximum, omnia æquivoca ſunt, nec indubitata. Mancinus *d. Pract.* tt. 2 aſſignat interruptam reſpirationem, pulſum languidum, oculos ſemiapertos, & alia, ſed ab illis ſignis, ſe quoque non raro deluſum fuiſſe aſſerit. Tutior regula pro Sacerdote, ſeu Miniſtro aſſiſtente eſt ut nunquam deſe- 3 rat Infirmi lectulum, tunc quando de vicina morte iu firmi prudenter tremendum ſit. Ita docuit Venerabilis ille P. Camillus de Lellis piiſſimi, & utiliſſimi ordinis Miniſt. Infirm. Inſtitutor.

Nihilominus dari poteſt quod ea ſignis certis, & in- 4 dubitatis tempus expirandi appareat, & manifeſtetur. In hoc caſu audiamus quid doceat Rituale.

§. I. Cum vero tempus expirandi inſtiterit, tunc maxime ab omnibus circumſtantibus, flexis genibus, vehementer Orationi inſtandum eſt, &c.

Præcipit igitur Textus, ut tunc maxime ab omnibus circumſtantibus, flexis genibus vehementer Orationi inſtandum ſit: ubi nota gravia, & magni momenti verba, quibus utitur, nempe: *Maxime*, *vehementer*, & *inſtandum*, quæ ſignificant, grandem tunc eſſe neceſſitatem, ut moriens adjuvetur.

§. II. Ipſe vero moriens, ſi poteſt, dicat, vel ſi non poteſt, Aſſiſtens, ſive Sacerdos pro eo clara voce pronunciet *Jeſu*: *Jeſu*: *Jeſu*: Quod, & ea quæ ſequuntur, ad illius aures, ſi videbitur, etiam ſæpius repetat, *In manus tuas Domine*, &c.

5 De raro contingit ut moriens, in actu expirationis valeat pronunciare verbum, ſi morte naturali, & ex 6 infirmitate moriatur. Sed ſi morte violenta (eo quia Infirmitas eum ſenſu privat) valet dicere verba, & non pauca; unde præſertim Morti damnatis repeten- 7 da ſunt illa Sanctiſſima verba *Jeſu*, *Jeſu*, *Jeſu*, quia illa vere audiunt, & in inſtanti quo a Carnifice obtruncantur, ſeu ſuffocantur, omnes ſenſus integros habent. Infirmis vero, ſeu morientibus morte naturali, illa verborum Sanctorum repetitio fieri poteſt etiam ad au- 8 res, ſed ut plurimum morbus impedit ſenſus, adeo ut nihil percipere valeant. Nihilominus ad bonum finem, & ad melius, juvat illis ad aures clamare, ut ſaltem corde, ſi valent, invocent nomen *Jeſu*, & actus pios ad ſui juvamen eliciant, ut Indulgentias lucrentur a Sixto V. conceſſas anno 1587. & a Benedicto XIII. renovatas anno 1728.

Hoc unum addam ad inſtructionem illorum, qui 9 morti damnatos conſolandi pium Officium exercent; nempe ut advertant quam laudabile ſit repetere, & quidam alta voce, nomina *Jeſu*, & *Mariæ* ad aures morte plectendi, tunc etiam quando jam demiſſus eſt, & pendet e laqueo, ſed adhuc vivit; quia etſi ille capax non judicetur amplius, aliquid neque boni, neque mali agendi, attamen vivit adhuc, donec Anima a corpore ſeparetur. Interim ſpectator Populus hoc deſiderat, ne videantur Conſolatores deſerere miſerrimum illum in illo extremo fine ſubventu ſaltem ſpirituali.

§. III. Tunc ubi vigeat pia conſuetudo, pulſetur Campana Parochialis Eccleſiæ aliquibus ictibus, ad ſignificandum Fidelibus in Urbe, vel loco, aut extra in ſuburbanis exiſtentibus inſtantem mortem expirantis ægroti, ut pro eo Deum rogare poſſint.

10 Pia admodum eſt hæc conſuetudo pulſandi Campanam in exitu morientis, ſed non univerſalis; & fit, ut populus audiens pro Agonizante oret, Coſlett. *Ind. Raynaud.* verbo *Campanæ*.

11 Inſtituta eſt etiam aliquibus in locis pia Confraternitas nuncupata Agonizantium, cui qui aſſociantur, tenentur recitare nonnullas Preces in actu tranſitus alicujus fidelis ex hac Vita: atque ideo ſolet dari ſignum conveniens, & ſtatutis ictibus, ut fideles noſcant, illud eſſe ſignum pro agone morientis.

§. IV. Egreſſa Anima de corpore, ſtatim dicatur hoc Reſponſorium: *Subvenite Sancti Dei*, &c.

12 Oportet, ut Parochus, ſive Sacerdos, qui morienti adſtat, non adeo facile credat illum expiratum eſſe, & animam illius a ſuo corpore ſeparatam. Multis modis 13 fieri ſolet experientia an vere adhuc vivat: ſed quoniam in manu Sacerdotis tunc debet eſſe Candela (non enim tenenda eſt ab Infirmo in illo inſtanti, quia manus languentes illam non valent valide perſtringere) cum qua accenſa cœpit opus commendationis Animæ, & cum qua ſignare, & benedicere morientem in actu expirationis, laudabile eſt, illam admovere debe ante ad os morientis cum flamma accenſa, & attente obſervare an flamma moveatur, vel ab aſpiratione ulla ex ore morientis proveniente agitetur.

14 Inſuper Lectum morientis, ſeu mortui deſerere non debet Sacerdos, ſed Orationem ſuam, & circumſtantium producere longius per aliquod temporis ſpatium, ad hoc ut videat, an poſt exſpirationem, quæ poſtrema adjudicata fuit, alia, & alia quoque ſubſequatur per intervallum, ut ſæpe accidit, & ut advertit Mancin. *loco citato*; qui monet, quod ad occupandum fructuoſe, illud, licet breve temporis ſpatium, poteſt 15 invitare circumſtantes, ut recitent mature, & non feſtinanter tres Orationes Dominicas, & tot Salutationes Angelicas ad honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, ſeu trium Clavorum, quibus Redemptor Cruci affixus fuit.

Cognita, & perfecta veritate de expiratione, immediate Sacerdos inchoare debet Precem: *Subvenite Sancti Dei*, &c. quæ eſt antiquiſſima, & habetur etiam in 16 Antiphonario S. Gregorii allegat. a Gavant. *T. 2. ſect. 9. c. 6. num. 6.* & eſt veluti principium exequiarum de- 17 functi.

Circa quod non inutile ſcitu eſt, hoc Reſponſorium 18 bis pro quocumque defuncto recitari: Nam immediate recitatur poſt expirationem; & noviter ad ingreſſum Eccleſiæ, dum cadaver effertur; & hoc non inutiliter, nec ſine cauſa.

In domo Defuncti recitatur privatim: in Eccleſia vero publice: In domo invocantur Angeli tutelares loci, in Eccleſia cuſtodes Eccleſiæ: In domo eſt immediata recitatio poſt expirationem, ut Angeli ſubveniant, & occurrant illi: In Eccleſia eſt mediata, & fit, ut uniantur ſimul Preces Fidelium ex tuto: quandoquidem poſt expirationem hoc fit ea charitate, ut Animæ illico ſuccurratur.

§. V. Interim detur Campana Signum tranſitus defuncti, pro loci conſuetudine, ut audientes, pro ejus Anima Deum precentur.

19 Iterum Campana pulſanda ſtatuitur, ut qui eam au- 20 diunt, orent pro Anima defuncti, Beda *l. 4. c. 23.* Signum hoc debet dari diverſimode a quocumque alio, ut facilius audientes illud, cognoſcant quid illo ſono ſignificetur. Ideo textus dicit: *De conſuetudine*, non quoad ſonum, quia in quacumque Parochiali Eccleſia, hoc ex ritu fieri debet, ſed quoad modum, & prolixitatem ſonitus.

21 Variis nominibus ſignum hoc, in diverſis Regionibus nuncupatur: Alii *Tranſitum*: alii *Extremum*: alii *Ave Maria mortuorum*: alii diverſimode, & ubique ad hunc finem, ut effundantur Preces pro defuncto.

Comment. ad Rituale.

In Taxis funerum per varias Synodos præſcriptis, aſ- 22 ſignatur emolumentum, ſeu eleemoſyna danda Eccleſiæ, ſeu illius Campanario, pro hoc ſigno Tranſitus: quæ eleemoſyna ab aliquibus rigoroſe exigitur, quamvis nullum datum ſit ſignum cum Campana, ob deſuetudinem: ſed 23 injuſte hoc exigunt tales miniſtri, quia de Opere non præſtito, ſeu

to, ſeu de labore non inſumpto nulla merces ſperari de-
24 bet. Solet dari hoc ſignum etiam in Eccleſiis non Pa-
rochialibus, in quibus inſtituta ſit aliqua pia Confrater-
nitas, quando defunctus ſit unus ex ſodalibus, ad hoc
ut cæteris conſortialibus innoteſcat, & Indulgentias aſ-
ſignatas lucrentur.

In morte Innocentum, ſeu Infantium non pulſantur
25 Campanæ ad populum admonendum, ut pro illis oret,
quia talium eſt Regnum cælorum, Lavorius *Variar. lu-
cubr. T. 1. tit. 2. c. 3. n. 82.* apud quem multiplicem
eruditionem invenies circa hunc Campanarum ſonum,
& alia ſepulchralia.

Pro Corollario addam id, quod circa hunc ritum pul-
ſandi Campanas in morte alicujus fidelis, præſcripſit S.
Carolus, *Act. p. 1. Prov. 3.* his verbis: *Cum nullum
pietatis officium Parochus in eorum, qui fides, curaque
ſuæ commiſſi ſunt, ſalute adjuvanda, prætermittere ullo
unquam tempore debeat, tum hoc etiam, cudite Parochia- 26
lis cujuſpiam incolæ morte præſtet, ut ſtatim Pſalmum
De profundis, ſancte dicat, & omni animi pietate, men-
teque ſupplici, Orationem ad hoc Officii genus pertinen-
tem habeat, ut dives in miſericordia ſua Deus, illius A-
nimæ miſereatur, cujus etiam ipſe, in die iræ, rationem
eſt redditurus. Ut vero a fidelibus pro mortuo Oratio fiet, 27
idem ſignum det Campanæ ſono, quo ſignificatur: Ave
Maria, &c.* Hæc S. Carolus *loc. cit.* quæ a toto Chri-
ſtiano populo eſſent ſedulo animadvertenda, & executio-
ni demandanda.

§.IV. Deinde corpus, de more honeſte compoſitum, loco decenti, cum lumine collocetur; ac parva Crux ſuper pectus inter manus defuncti ponatur: aut ubi Crux deſit, manus in modum Crucis componantur: interdumque aſpergatur aqua benedicta: & interim donec efferatur, qui adſunt, ſive Sacerdotes, ſive alii, orabunt pro defuncto.

28 Honeſta compoſitio cadaveris erit, ſi ad modum ja-
centis ſupini ponetur, junctis pedibus, ac brachiis, ma-
nibuſque thoraci adnexis; non vero eo modo, quo mor-
tuus inventus ſit incompoſite jacens in ſuo lecto, ſed
oculis, & ore clauſis, lotiſque vultu, manibus, & pe-
dibus, necnon capillis, quoad fieri poſſit pectine diſcri-
minatis, & ſaltem camiſia corpori ſuperinducta. Hoc of-
ficium præſtare debent Familiares, & Domeſtici, Ma-
ſculis Maſculi, Fœminis vero fœminæ, ut modeſtia, ho-
29 neſtas, & decentia omnimode ſervetur. *Synod. Ferr.
Card. de Vermi, cap. de fun. ſepult.*

Si curam medicandi, ſeu balſamatione condiendi ca-
30 daver, aliquis ſibi ſumere velit, ut in Principibus, &
nobilibus evenire ſolet, atque ut antiquiſſimi moris eſt,
de quo vide eruditiſſimum opus doctiſſimi noſtra hac tem-
peſtate Phyſici Joſephi Lanzoni: *de Balſamatione cada-*
31 *verum*; hoc totum præſtari debet a peritis Phyſicis jux-
ta artis præcepta, quæ honeſtatem in Viris ad hoc ido-
neis ſupponunt.

In hoc caſu cute, ſeu interiora, & quæcumque vi-
32 ſcera nobiliora, quæ a cadavere extrahuntur, reponen-
da ſunt in urna ad hoc parata, & etiam quam fieri pot-
eſt, ſine ritu, ſepelienda in loco Sacro, vel in eodem
ſepulchro in quo cadaver humandum eſt, vel extra, ſi
defuncti corpus ad longinquas Regiones transferendum
eſſet, remanentibus in loco, ubi defunctus mortem ob-
iit, ejus exenteris: quæ ſi longe transferenda ſint, af-
fabre clauſa debent, & ſigillari, utpote in Viris prin-
cipibus fieri ſolet de Corde, quod ſepeliendum per ta-
bulas teſtamentarias quandoque mandant in aliquo Sa-
cello ſibi bene viſo, in teſtimonium religioſæ pietatis,
& devotionis.

Iſtis exenteris apponi poteſt etiam epitaphium, &
33 Inſcriptio tanquam ſepulchralis, ut factum fuiſſe conſtat
Ferrariæ in Templo S. Georgii extra muros, ubi in
Capella Sancti Maurelii, ad cornu Epiſtolæ, legitur
Epitaphium poſitum uſque ab anno 1511. Exenteris
olim Philiberti Montaſon Galli, qui in hoc Monaſterio
obiit, & corpus ſuum in Gallia ſepeliendum teſtamen-
to legavit. Verba epitaphii ſunt prout jacent, & a M.
Antonio Guarino in ejus Comp. Hiſt. *l. 6. pag. 397.*
referuntur.

PHILIBERTI MONTASONIS
GALLI. GALLICIQ. EXERCITUS
PRÆFECTI EXENTERIA.

Facta exenteratione, & balſamatione per peritos, con-
34 ſui debent partes ſectæ, & primo loco cranium ſi ſe-
ctum fuit, ut deforme non appareat caput defuncti tem-
pore exequiarum: deinde lavari debet totum corpus & a
ſanguine effuſo ob inciſionem mundari, atque ita de-
center, & honeſte ut ſupra diximus, componi in eo-
dem cubiculo, in quo deceſſit, prout conſuetudo eſt,
35 donec tempus ſuperveniat illud exponendi pro exequiis:
Alii ſupra linteum, alii ſupra ſtoream in terra ſtratam,
alii ſupra menſam juxta conditionem defuncti, circa
quod vide Kirchmann. *de funeribus*, Gyraldum noſtrum:
de vario ſepeliendi ritu. Lavorium, Caſalium, & alios
plures, qui de funeribus tractant.

Advertendum eſt inſuper, quod cadaver Viri fidelis,
36 ſeu fœminæ ſine lumine non eſt deferendum. Lumen
37 illud monet fidem defuncti, quæ neque per mortem
extincta eſt, Amal. *de Eccl. Off. l. 1. c. 17. 18.* Item
ponitur ad ſignificandum Animas vivere, & defunctos
eſſe filios lucis, necnon corpora eorum reſurrectura,
Lavor. *d. T. 1. tit. 2. cap. 3. n. 130.* Gentiles ad ſu-
perſtitionem accendebant Lucernas perpetuas, ut luce-
rent etiam in ſepulchris, Licetus *de Lucernis ſepulch.*
38 Quod & item fecerunt primæ ætatis Chriſtiani, abſque
tamen ulla ſuperſtitione, ſed ut aliquo modo illud ve-
rificaretur materialiter, quod ſpiritualiter intelligit Ec-
cleſia Dei quando dicit, *Lux æterna luceat eis Domine*,
vel *Lux perpetua luceat eis*; quare etiam in ſepulchris
antiquorum Chriſtianorum reperiuntur hujuſmodi lucer-
næ, cum ſignis, & hieroglyphicis Chriſtianæ Religionis,
quarum nonnullæ in meo Muſæo aſſervantur tam æneæ,
tum latertiæ.

Parva Crux imponitur ſuper pectus defuncti; & hoc
fit ad ſignificandum, illud Cadaver eſſe Chriſti fidelis, 39
atque ut demonſtretur per longitudinem Crucis profun-
ditas fidei in corde defuncti, Rupert. Abb. *de divin. off.
l. 6. c. 9.* allegat a Lavor. *ib. n. 172.* ubi multa de cru-
ce in funeribus.

Si vero Crux non adſit, manus defuncti componi
mandat textus in modum Crucis. Vere miſer locus iſte
eſt inter Chriſtianos, in quo Crux non reperiatur, vel
ubi modus, ſeu materia non habeatur, illam ex eo com-
ponendi: quodcumque lignum, quæcumque feſtuca, &
palea componere valet Crucem, ut ajebat olim celebris 40
B. Beatrix Eſtenſis. Vide ejus acta a me conſcripta &
typis edita Anno 1723. *cap. 11.* Dato itaque, quod ni-
hil inveniri poſſit, ex quo Crux effingi queat, præſcri-
bit Rubrica, ut manus defuncti in modum Crucis ſu-
pra pectus ejus componantur; qui uſus ſervabatur in 41
ſepeliendis antiquis Chriſtianis, & eſt multa laude di-
gnus, Lavor. d. & Caſal. *c. 66.*

Mos erat annis elapſis apud Tudertinos, Sudariolum
apponere ſupra manus junctas in pectore Cadaverum; 42
ſed habito recurſu ad *Sacr. Congreg. Conc.* ut declararet,
cujus juris tale Sudariolum eſſe deberet, Parochi ne, 43
vel Eccleſiæ, in qua humabatur Cadaver, mandavit il-
lud amplius non offerri cum Cadavere, Urſaya *diſcept.
Eccl. T. 4. diſc. 14. n. 43.*

Aſperſio Cadaveris cum Aqua benedicta ad multa ju-
vat, ut dicemus in Titulo *de Sepultura*. Modo unice 44
dicemus, hoc fieri, ne dæmones fidelium Orationes im-
pediant, & cadaveribus illudant, eaque corpora vexent,
ut habetur *in Rationale, l. 7. c. 35. n. 38.* Solent enim
Dæmones, ut ibi legitur, deſævire in corpora mortuo-
rum, ut quod nequiverunt in vita, ſaltem poſt mor-
tem agant.

Interim qui adſunt, orabunt pro defuncto. Iſta Ora-
tio in domibus privatis ſolet fieri die, noctuque, cum 45
ſaltem unius noctis tempore perdurare debeat Cadaver
in domo, in qua defunctus eſt homo, priuſquam effe-
ratur. Unde nocte, quæ præcedebat funus, vigilaſſe,
nocturnaſque vigilias in Pſalmis canendis egiſſe Veteres 46
narrat Greg. Nyſſen. *ad Olimp. de morte Macrinæ*, &
P. Damian. *ep. 5. cap. 6.* ex ſquo vigilias mortuorum
traxiſſe originem tradit Durant. *de Rit. Eccl. l. 1. c. 4.* 47
n. 14. qui inquit, Toloſæ interdiu Vigiliæ mortuorum
canuntur a Monachis circa corpus, in ædibus defuncti.
Et S. Chryſoſt. *Hom. 70. ad pop. Antioch.* relat. a La-
vor. *d. tit. 2. c. 3. n. 39.*

Cæterum circa morientem, opus Sacerdotis expletum
eſt. Diſcedens domum defuncti, nonnulla proferet ver- 48
ba domeſticis illius, quibus honeſto illos ſolamine levet,
& recreet, pollicens, ſe deprecaturum & pro mortui
Anima, & pro ipſiſmet eidem junctis ſanguine.

Iis etiam diſtincte inhibebit immoderatos luctus, &
immanes quoſdam geſtus, ſciſſionis capillorum, dilania- 49
tionis genarum, brachiorum denudationis, quæ omnia
valde reprehendit S. Chryſoſtomus, dicens, ſe quidem
non prohibere, mortuos lugere, ſed impudenter lugere,
nec lacrymari ſuper defunctum improbandum eſſe. Eum
quoque morem conducendi mulieres lugentes (qui haud
dubie ab Ethnicis deſumptus eſt, ut in mea diſſertatio- 50
ne de Præficis demonſtravi) acerbe reprehendit, & gra-
viter minatur, ſe ejuſmodi ab Eccleſia prohibiturum,
Hom. 61. in Joan.

Hodierno tempore de nocte fiunt vigiliæ mortuorum
in 51

in eodem Cubiculo ubi jacet Cadaver, ad cuſtodiendum illud, atque ad arcendos inſultus murium, aliarumque Beſtiarum, ne cadaver ab illis lædatur. Sed eodem tempore, & potiori cauſa, recitantur Preces, & Orationes pro ſalute Animæ illius, qui olim fuerat in illo carnis
52 habitaculo. In nonnullis Synodalibus conſtitutionibus prohibentur non hujuſmodi Vigiliæ, ſed contubernia, quæ hac occaſione fiunt in domibus Defunctorum a Perſonis cujuſcumque ſexus non ſine crapula, & comeſſa-
53 tionibus, ludiſque profanis, qui gentilitatem ſapiunt: & Deo dante, per Antiſtitum vigilantiam hodie ſublatus eſt tam pernicioſus abuſus e gremio Fidelium, nec niſi Orationibus, & Precibus vacant, qui ſuſtinent vigilias noctis in defunctorum cuſtodiam.

Si vero cadaveris cuſtodia haberi nequeat, vel maximi ſit incommodi hæredibus, vel habitantibus in Domo defuncti, ſatius erit illud ad aliquam Eccleſiam transfer-
54 re, ubi deponatur (non vero ſepeliatur) uſque ad horam translationis ad eccleſiam, in qua illud ſit ſepeliendum. Pro qua Depoſitione venit hic notandum id quod refert, & declarat P. Cavalieri in Agenda Defunctorum *cap. 15. dec. 10. 16. 18. 37. 42. & cap. 17. decr. 60.* ad noſtram materiam valde conſentaneum: nempe -- Hæredibus liberum eſt cadaver in qualibet Eccleſia deponere juxta ſequens S. R. C. reſponſum *ad quæſitum* -- An Hæredes Defunctorum ſint cogendi ad retinendum domi cadavera, uſque ad tempus illa ſepeliendi? An vero iiſdem Hæredibus liceat pro libito aſportare dicta cadavera e propriis domibus ad quamcumque Eccleſiam per modum depoſiti, uſque ad horam illa tumulandi etiam ſi eſſent ſepelienda in Eccleſiis Regularium, non obſtante diſſenſu Parochi, ſeu prohibitione ab eodem facta uti Vicario foraneo? -- S. R. S. Reſpondit -- *Petita, & etiam non obtenta licentia, poſſe cadavera deponi arbitria Hæredum in qualibet Eccleſia, uſque ad tempus illa proceſſionaliter deferendi ad Eccleſiam ſepulturæ* die 22. Junii & 13. Jul. 1675.

Hujuſmodi depoſitio cadaveris in qualibet Eccleſia, vel quocumque alio commodo, & honeſto loco, conſultum erit ut fiat privatim de nocte, vel ſummo mane; nec requiritur Crux, & præſentia Parochi: qui idcirco, licet in ſua Parochiali cadaver deponatur, ut inde ad Eccleſiam ſepulturæ transferatur, nihil exigere debet ratione depoſiti; perinde ac ſi minime deponeretur, nec hæredes cogere poteſt, ut pro defuncto Officium celebrari faciant in eadem Parochiali, prout celebratur in Eccleſia in qua Cadaver ſepelitur. Ita diſertiſſimus Cavalerius ll. ſupra citatis, cui Authori libenti animo adſtipulor: hoc unum tantummodo exoptans, ut in diebus meis (me extra cauſam ſtante) hoc videre mihi contingat, ut jurgia & diſſiquerula, & confucta auſcultare poſſim, & extemporanea remedia apud illos, quos latet hujuſmodi S. R. C. decretum.

D E E X E Q U I I S.

TITULUS TRIGESIMUS QUARTUS.

S U M M A R I U M.

1 *Eccleſia non obliviſcitur filiorum ſuorum, neque poſt obitum.*
2 *Ritus exequiarum ab Apoſtolis inſtituti.*
3 *Sepultura vocatur Aſylum mortis.*
4 *Sepulchrorum Violatores graviter puniuntur.*
5 *Exequiæ unde dictæ?*
6 *Variæ Authorum opiniones.*
7 *Cæremonia unde dicta? & de ejus Etymologia.*
8 *Opinio tutior Epiſcopi Sarnelli.*
9 *Jus celebrandi exequias non eſt Parochiale.*
10 *Obligatio ſepeliendi ſuos Parochianos incumbit Parocho.*
11 *Ex privilegio conceditur etiam Regularibus.*
12 *Ab Adminiſtratione Sacramentorum dependet jus ſepulturæ.*
13 *Exequiæ omnino ubi ſepelitur Cadaver, faciendæ.*
14 *Hæredes non poſſunt cogi ad illas iterandas in aliis Eccleſiis.*
15 *Modeſtia, & devotio adhibenda in Sacris Ritibus.*
16 *Mors magis timetur ab Hæredibus ob expenſas funerum.*
17 *Quæſtus aviditas pro funere prohibita.*
18 *Pactiones pro ſepultura prohibitæ.*
19 *Spontaneæ oblationes permittuntur.*
20 *Non eſt determinatum a jure tempus a morte ad ſepulturam.*
21 *Standum eſt conſuetudini loci, & Conſtitutionibus Synodalibus.*
22 *Aliqui aſſignant horas octo.*
23 *Alii ſtatuunt horas ſex.*
24 *In dubio an vere corpus ſit mortuum; conſule Medicum.*
25 *Morbi ſunt, per quos quis videtur mortuus, & non eſt.*
26 *Exempla illorum qui mortui videbantur, & non erant.*
27 *Non credendum aliquibus ſignis, quæ vitam demonſtrant.*
28 *Iſta ſigna ſunt æquivoca.*
29 *Caſus mortui deſudantis.*
30 *Alii præſcribunt horas viginti quatuor.*
31 *Mulieres puerperæ non ſepeliendæ niſi poſt horas triginta.*
32 *Similiter ii qui repentina morte occidunt.*
33 *Humatio ſolicita eſt ſignum exigui amoris apud domeſticos.*
34 *Cadavera ſi putreſcunt, cito ſepelienda.*
35 *Pariter cadavera illorum qui moriuntur morte violenta.*
36 *Corpus Chriſti antiquitus afferebatur pro mortuis.*
37 *Vetus Inſtitutum Miſſas celebrandi pro Cadaveribus.*
38 *Miſſa, & Officium præſente corpore poteſt celebrari die Dominica.*
39 *Corpus Defuncti non debet ſepeliri ſine Miſſa.*
40 *Omni tempore, præſente Cadavere poteſt celebrari pro Defuncto.*
41 *In Paraſceve Exequiæ fieri non poſſunt.*
42 *Corpus defuncti die Paſcha ſervari debet ad ſequentem diem.*
43 *In feſto duplici non poſſunt celebrari Miſſæ de Req.*
44 *Celebritas magna quænam ſit.*
Comment. ad Rituale.
45 *Miſſæ de Req. tolerari poſſunt in feſto duplici.*
46 *Muſica inſtrumenta non adhibenda in Miſſis Defunctorum.*
47 *Conſtitutio Benedicti XIII. ſuper hoc.*
48 *Miſſa Conventualis unde dicta?*
49 *Quid venias nomine Divinorum Officiorum?*
50 *Pro Officio quando dari ſolet eleemoſyna?*
51 *Anniverſaria quid ſint?*
52 *Taxæ ſtatuta pro ſepeliendis Defunctis.*
53 *Quarta funeralis perſolvenda.*
54 *Ante funus, & Exequias non paciſcendum.*
55 *Corpora non ſpolianda Cereis ante funus.*
56 *Taxa ſtatuta non eſt augenda.*
57 *Regulares uniformari debent Taxæ Synodali.*
58 *Cadaver ſemper ſub juriſdictione Ordinarii eſt.*
59 *Quidquid datur, eſt pro eleemoſyna, non pro pretio.*
60 *Exequiæ celebrandæ juxta qualitates, & facultates defuncti.*
61 *Pallia & ornamenta Altarium non adhibenda in funeribus.*
62 *Quandoque in magnis funeribus adhibentur.*
63 *Honeſtus modus ſervandus in funeribus.*
64 *Cerei accenſi adhibendi in funeribus.*
65 *Querimonia eſſe non debet de Taxa funerum.*
66 *Cura ponderis candelarum ſit apud hæredes.*
67 *Æqualitas ſervanda in Candelis.*
68 *Cerei dividendi pro æquali portione.*
69 *Superiori non danda Candela duplicata.*
70 *Sumptus modici pro defuncto locuplete non tolerandi.*
71 *Indigne aliquid ne committatur in Exequiis.*
72 *Candelæ eadem quæ diſtribuuntur, accendendæ.*
73 *Nulla pretii mentio facienda.*
74 *Qui Altari inſervit, de Altari vivere debet.*
75 *Pauperes omnino gratis ſepeliendi.*
76 *Parochi non debent eſſe judices paupertatis.*
77 *Miſericordiæ opera elucere debent in Parochis.*
78 *Qui denegaret ſepulturam Pauperi, puniendus.*
79 *Et qui ſine ritu ſepeliret.*
80 *Cadaver debitoris an debeat teneri inſepultum?*
81 *Sepultura Cadaverum nullo prætextu retardanda.*
82 *Libitinarii gratis debent ſepelire Pauperes.*
83 *Sepelire defunctos reputatur eleemoſyna.*
84 *Confraternitates hoc præſtare debent.*
85 *Cadavera antiquitus non ſepeliebantur in Civitatibus, neque in Eccleſiis.*
86 *Cæmeteria erant extra Urbes.*
87 *Poſt datam pacem in Urbe conſtituta ſunt.*
88 *Erant a Templis diſtincta Cæmeteria.*
89 *Cæmeterium unde dictum?*
90 *Opinio Authoris.*
91 *Antiqui ſepeliebant in Cæmeteriis tantum.*
92 *Quare prohibebantur Cadavera ſepeliri in Eccleſia?*
93 *Munditia in Eccleſiis eſt curanda.*
94 *Conceſſum fuit Viris præſtantibus ſepeliri in Eccleſia.*
95 *Succeſſivis temporibus facultas ampliata eſt pro Adultis.*
96 *Ratio hujus permiſſionis.*
97 *Gentiles prope vias condebant ſepulchra.*
98 *In Eccleſia permiſſum fuit ſepelire omnia Cadavera.*
99 *Crevit abuſus, ut ſepelirentur corpora prope Altaria.*

100 *Pius V. mandavit demoliri ſepulchra exiſtentia ſupra terram.*
101 *Conſtitutio S. Caroli ſuper hoc.*
102 *Adhuc ſepulchra alta videntur, non obſtante conſtitutione.*
103 *Permittuntur ſepulchra ad ornatum.*
104 *Sepulchra non conſtruenda prope Altare.*
105 *Celebrari non debet Miſſa ad Altare ubi adeſt ſepulchrum.*
106 *Diſtantia ſepulchrorum ab Altaribus quanta eſſe debeat?*
107 *Tumulari ſub Altari, eſt quædam declaratio ſanctitatis.*
108 *Pedale Altaris quid ſit?*
109 *Sepulchra non conſtruenda in Baptiſteriis.*
110 *Sepulchra Clericorum, & Sacerdotum, a Laicis ſeparata eſſe debent.*
111 *Iſta regula in Cœmeteriis non practicatur.*
112 *Sepulchra Virorum, & Mulierum ſeparata eſſe debent.*
113 *Intellige de iis qui ſepulturam non elegerunt.*
114 *In Avitis ſepulchris non currit hæc Regula.*
115 *Sepulchra Sacerdotum in nobiliori loco conſtrui debent.*
116 *Sacerdotes, & Clerici quomodo veſtiendi, ſi moriantur?*
117 *Opiniones adſunt in contrarium.*
118 *Sepultura eſt pars officii.*
119 *Calix non alligandus in manibus Sacerdotis defuncti.*
120 *Græci ungebant Cadavera Sacerdotum Oleo Sancto.*
121 *Veſtes Eccleſiaſticorum Perſonarum quales eſſe debeant?*
122 *Planeta albi coloris eſt ritus Ambroſiani in Defunctis.*
123 *Diaconus veſtiendus Diaconali more.*
124 *Subdiaconus Defunctus veſtibus Subdiaconalibus induendus.*
125 *Utrique Manipulum tenere debent.*
126 *Clerici debent veſtiri ſuperpelliceo, & Biretto.*
127 *Capilli Clerici defuncti tondendi, ſi longi ſint.*
128 *Cadaver in Eccleſia ſubjacet Juriſdictioni Ordinarii.*
129 *Cadaver ſine licentia Ordinarii exhumari nequit.*
130 *Limitationes variæ in hoc caſu.*
131 *Tranſlatione mortuorum violantur ſepulchra.*
132 *De jure illicita eſt tranſlatio cadaverum.*
133 *Gabella nulla debetur pro tranſlatione Cadaverum.*
134 *Facultas exhumandi poteſt denegari.*
135 *Exhumatio poteſt fieri pro cadaveris recognitione.*
136 *Exhumatio recognitione corporis delicti quomodo facienda?*
137 *Facultas impetranda eſt a S. Congr. quando Cadaver eſt Perſona Eccleſiaſtica.*
138 *Epiſcopus poteſt denegare licentiam.*
139 *Regulares non poſſunt exhumare cadaver ſine licentia.*
140 *De ſepeliendo Cadavere per modum depoſiti.*
141 *Fieri debet authenticum Inſtrumentum ſuper hoc.*
142 *Tunc prius debet dici Miſſa de Requie.*
143 *Cadaver Laici debet deferri a Laicis.*
144 *Sacerdotum cadavera a Clericis deferenda.*
145 *Qui ſunt in eadem dignitate, ſolent elevare Cadaver.*
146 *Mulieres in Villis deferri ſolent a mulieribus.*
147 *Pedes defuncti lateri debent eſſe verſus altare.*
148 *Caput Sacerdotis debet ſtare verſus Altare.*
149 *Quod fit in Exequiis, fit etiam in ſepulchris.*
150 *Modus antiquorum in collocandis Cadaveribus.*
151 *Cadavera ſupina deponenda ſunt.*
152 *Jus commune ſtatuit ſepulchrum cuique.*
153 *Cœmeterium eſt Sacrum vi benedictionis.*
154 *Benedictio requiritur ad conſtituendum locum Sacrum.*
155 *In caſu neceſſitatis poteſt quis ſepeliri in loco non ſacro.*
156 *Crux ad caput defuncti ponenda in Cœmeteriis.*
158 *Crux in ſepulchro non ſignificat juriſdictionem.*
159 *Cruces in capſa Defuncti pinguntur.*
160 *Signum* ☧ *in antiquis ſepulchris Chriſtianorum quid ſignificet?*
161 *Alio ſigno X ſignabantur ſepulchra.*
162 *Sepulchra Chriſtianorum ſemper ſignata nota fidelitatis.*

NEQUE poſt mortem, pia Mater Eccleſia oblivi- 1
ſcitur filiorum ſuorum, quos enutrivit, & exal-
tavit: Quapropter ritus, & cæremonias Sacras inſtituit,
quibus, non tantum corpori, ſed & Animæ defuncti le-
vamen adhiberetur. Nec nova inſtitutio hæc eſt, neque
abſque myſteriis ſuis: quippe vel ab ipſis Apoſtolis, vel 2
a primis Patribus magna cum ratione iſti Ritus inſtituti
fuere, Sacerd. Brixin. *de exeq. c.* 1. §. 1. Aſylum enim
mortis ſepultura a Tertulliano recte vocatur, adverſus 3
Donatiſtarum Aſſeclas ſcribente, qui ſepulta Chriſtiano-
rum & etiam Regum corpora effoderunt. Et certe gra- 4
viſſimæ pene in ſepulchrorum violatores vel ab ipſis Ethni-
cis Imperatoribus olim latæ fuerunt, Pamelius *ad
Tertul. Apolog.*

Exequiæ itaque, ſive Exſequiæ, a ſequendo dictæ ſunt.
More enim priſco, præcedebat funus, & ſequebantur 5
Homines, Terent. *Funus interim procedit: nos ſequimur.*
Vel potius ab exequendo, quæ Vox *Theſaur. v.* pro fu-
nerare eſt uſurpata, ut monet Turnebus *Adverſ. 9.* quam-
quam Fungerio, *Lex Philol.* prius etymon perplaceat. 6
Aliter definitur a *M. Martinio*: Officium funebre, quum
pompam funeris ex domo ſequimur ad ſepulturam; quæ
definitio magis cum rei natura concordare videtur.

§. I. Sacras Cæremonias, ac ritus, quibus ex antiquiſſima traditione, & Summorum Pontificum inſtitutis Sancta Mater Eccleſia Catholica in filiorum ſuorum exequiis uti ſolet, tamquam vera Religionis myſteria, Chriſtianæque pietatis ſigna, & fidelium mortuorum ſaluberrima ſuffragia, Parochi ſummo ſtudio ſervare debent, atque uſu retinere.

Sæpius de Cæremoniis locuti ſumus prout res Sacræ,
& Eccleſiaſticæ ſunt; ſed nunquam de etymologia, &
origine hujus vocis verbo fecimus. Ideo hic aliquid ei-
ca hoc mihi ſubdere viſum eſt. S. Thomas *2. 2. q. 90.*
7 allegatus a Sarnellio *T. 1. ep. 2.* ait: *Ordinatur Homo in
Deum, non ſolum per interiores actus mentis (qui ſunt,
credere, ſperare, & amare) ſed etiam per quædam exterio-
ra opera, quibus homo Divinam ſervitutem profitetur; &
iſta opera dicuntur ad cultum Dei pertinere; qui quidem
cultus, cæremonia vocatur, quaſi munia, ideſt dona Cere-
ris, quæ dicebatur Dea frugum, eo quod prima ex frugi-
bus, oblationes Deo afferebantur.*

8 Allegatus doctiſſimus Sarnell. *loco citato*, opinionem
ſuam effert ſatis laudabilem, & quæ rationi magis con-
ſona videtur contra quoſcumque Etymologiſtas ab eo ci-
tatos. Et eſt, quod vox *Cæremonia* ortum ſuum trahat a
Græca voce *Chære*, quæ eſt ſalutatio æquivalens *Ave, Sal-
ve &c.* & quia ſalutationes cum actu reverentiali ſemper
fiunt, ideo illi actus *Cæremoniæ* appellati ſunt. Videant
alii, ego hanc opinionem ſummopere approbo.

Quamvis jus celebrandi exequias pro defunctis poſt il-
9 lorum tumulationem non comprehendatur inter jura Pa-
rochialia, ut colligitur ex *dec. 552. part. 5. recent.* necnon
ex generalibus decretis ſeu *Reſolut. S. C. R. in Urbis, &
Orbis 19. Decembris 1693.* in quibus jura omnia Parochia-
lia diſtincte numerantur, ut videre eſt apud Monacell.
Form. t. 2. tit. 13. form. 1. a n. 46. attamen obligatio ſe-
10 peliendi ſuos Parochianos incumbit Parocho, & non al-
teri Sacerdoti, cujuſcumque gradus ſit, Machado *l. 4. p.
2. tr. 2. docum. 24. n. 1.* Barboſ. *de Off. & pot. Par. p. 2.
c. 22. num. 48.* Imo eſt conſtans concluſio, quod ſepelien-
di, & funerandi facultas a jure competat illi ſoli. *C. ſu-
11 per Cathedram, de ſepult. in 6. c. dudum, de ſep.* ex pri-
vilegio autem nonnullis Regularibus. *Ex conſt. 27. Leo-
nis X. & in extrav. Benedict. IX. inter cunctas, de pri-
vil. & conſt. Sixti IV. Pii V. & Gregorii XIII.* quibus
antea non erat permiſſum erigere Crucem in funeribus,
quia non habebant jus funerandi, Diediera *de fun. aſſoc.
n. 37. & alii.* Sed de regula generali, ab adminiſtratio- 12
ne Sacramentorum dependet jus ſepulturæ, ut obſervant
Gratian. *diſc. 198. num. 79.* & alii apud Urſaya *T. 2.
p. 2. d. 14. num. 27.*

Exequias vero non niſi in Eccleſiis, ubi ſepeliuntur 13
Cadavera, celebrari debere, nec poſſe cogi defunctorum
hæredes ad illas iterandas in alia Eccleſia, reſolvit *S. R.* 14
C. in una Ferrarien. 7. Septembris 1613. quam referunt,
& ſequuntur adducti per Pignatell. *conſ. 58. n. 5. tom. 5.*
& Nicol. *in floſc. verb. Sepultura*; & noviſſime *S. C.
Conc. in una Novarien. funerum 15. Martii 1704.* allegat.
ab Urſaya *T. 1. d. 28. n. 6.*

Per hoc quod non poſſint cogi hæredes Defuncti ad
iterandas in alia Eccleſia, diverſa a Parochiali, exequias,
non videtur ſublata difficultas orta nuper in quodam in-
ſigni Oppido, in quo celebratum fuit officium cum Miſ-
ſa pro defuncto, præſente corpore, in Eccleſia parochia-
li: quibus abſolutis, cum defunctus jam elegerit ſibi ſe-
pulturam in Eccleſia Regularium, tranſlato cadavere ad
illorum Eccleſiam ibi novum officium cum Miſſa cele-
bratum fuit, deinde cadaver humatum. Ad hoc non fue-
runt coacti Hæredes defuncti, immo ſua ſponte ipſi fue-
re, qui hunc duplicem honorem, ſive potius hoc duplex
ſuffragium poſtulavere: cui ſe valide oppoſuit Parochus
innixus rationi, & conſuetudini, quod exequiæ non niſi
in Eccleſia, ubi ſepeliri debet cadaver, perſolvi debeant.
Quare, ne retardaretur humatio Cadaveris, reſolutio hæc
ex tempore, & per modum accordi capta fuit, nempe,
ut in Eccleſia Parochiali, expleto Officio, & Miſſa, non
fieret *Abſolutio*, quæ finis exequiarum eſt, ſed illa ha-
beretur in Eccleſia Regularium priuſquam humaretur ca-
daver, ſoluta tamen conſueta Quarta funerali ipſi Paro-
cho. Iſta extemporanea reſolutio approbata poſtmodum
fuit ab Ordinario loci, cum vere non expletæ eſſent exe-
quiæ in prima Eccleſia, atque ideo iteratæ, ſeu dupli-
catæ eodem die dici non poſſent.

Quæ

Quod ſummo ſtudio ſervari debeant iſti Ritus in exequiis, probatur per Pignatall. *T. 4. Conſ.* 229. *n.* 5. Inter cæteros enim Chriſtianos ritus, quos de Funeribus recenſet Durand. *l.* 5. *cap.* 13. *a n.* 10. ex Sacra Scriptura, Conciliis, & Patribus, illi præcipui ſunt, quod mortui ſepeliantur, diligenter eorum exequiæ ornentur, & peragantur; ex S. Clemente *ep.* 1. *ad Jacobum fratrem Domini*; ex Origene *l.* 5. *c.* 8. *contra Celſum*; ex S. Hieronymo *l.* 1. *ep.* 15. *ad Paulam*; ex S. Auguſt. *l.* 5. *de Civit. c.* 13. *& ſerm.* 34. *de verb. Apoſt.* ubi ait, mortuos ſepeliendos pro cujuſque viribus.

§. II. His itaque præſtandis, qua par eſt, modeſtia, ac devotione ita ſe habebunt, ut ad defunctorum ſalutem, ſimulque ad vivorum pietatem, quemadmodum vere ſunt, non ad quæſtum, ejuſmodi ritus ſancte inſtituti eſſe videantur.

15 Modeſtia, & devotio in quocumque Eccleſiæ ritu adhibenda eſt, prout ſæpius in hoc opere diximus; decet enim res ſanctas ſancte tractari. Hic vero ubi de re tam triſti, & lugubri, ſed etiam pia agitur, magis augenda eſt iſta modeſtia, & devotio, duabus de cauſis, ut eſſerit textus; nempe quia de æterna defunctorum ſalute agitur, atque de vivorum pietate, & exemplo.

Nihilominus quia quandoque humanus animus contra omnia Eccleſiæ jura, & præter intentionem tam Sacri Ritus, magis movetur e quæſtu, quam a pietate, naſci ſolet, ut ab aliquibus magis timeatur mors conjuncti ob
16 expenſas funerum, quam ob amiſſionem perſonæ; quod provide intelligens Sancta Mater Eccleſia, prohibuit in caſu exequiarum iſtam quæſtus aviditatem, quæ omnem fructum humanarum precum deſtruit, Pignarell. *T.* 4. *d.* 229. *per totum*. Certum enim eſt, quod Sancti Patres, & Canones, atque Concilia, nullo tempore paſſe
17 ſunt, quod Clerici, & Presbyteri adminiſtrent ſepultu-
18 ras cum aliqua pactione, vel coacta ſolutione: numquam vero vetuerunt ne ſpontaneas oblationes in hanc cauſam
19 factas reciperent, Rot. *in Rom. funer.* 15. *Junii* 1699. coram Molines *n.* 12. 13. Monacell. *Append. dec.* 22.

§. III. Nullum corpus ſepeliatur, præſertim ſi mors repentina fuerit, niſi poſt debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus.

20 Hoc temporis ſpatium non eſſe in jure determinatum,
notat, & advertit Manzin. *in fine operis ſui*: ſed dicit
21 ſtandum eſſe conſuetudini locorum, ſeu Conſtitutionibus
Diœceſanis; multas enim Synodos vidi, in hoc temporis ſpatio aſſignando diſcrepantes. In aliquibus locis aſ-
22 ſignantur horæ octo, vel ad minus ſex, antequam Ca-
23 daver Sepulturæ tradatur. In dubio autem, an vere ſit
24 mortuus homo, conſula Medicum: quod ſi ſepeliendum
25 judicaverit, ſepeliatur, ita Poſſevin. *c.* 14. *n.* 1. Sunt
enim aliqui morbi, ex quibus infirmi videntur mortui,
& vere non ſunt: ut laborantes morbo apoplexiæ, cordis paſſionibus, & hujuſmodi; ut de aliquibus paſſim
legitur, qui mortui exiſtimabantur, & ſic inter mortuos
repoſiti, imo & perpetuæ Sepulturæ traditi, tamen ſubinde mortui minime erant. De quibus nonnulla exem-
26 pla ſcitu digna leguntur *in Vita Ven. P. Camilli de Lellis, l.* 2. *c.* 1. & apud Muſart. *Man. Paroch. p.* 2. *c.* 6.
n. 4. Necnon Pignatall. *T.* 4. *dec.* 29.
27 Nec minime credendum eſt aliquibus ſignis, per quæ
demonſtrantur Cadavera quandoque viventia: utpote ſunt,
ſudor emanans e fronte, atque e toto corpore, calor
diu in cadavere perdurans, color rubicundus, & vivax
in facie, ungues, & pili creſcentes, quia iſta quoque
28 ſunt ſigna æquivoca, quæ in Cadaveribus evenire ſolent.
Egomet vidi cadaver mulieris per tres dies continuos
29 ſudans in Noſocomio Battutorum Alborum Ferrariæ,
adeo ut per totum triduum opus fuerit illud inſepultum
tenere, ut ſatisfieret credulitati muliercularum adſtantium, quæ illud ſepelire impediebant.
Synodus Ferrarienſis ſub Cardin. de Verme, *p.* 2. *c.*
30 59. præcipit, non elapſis a morte ſepeliendi viginti quatuor horis, nullum cadaver humari debere: Mulieres
31 vero in partu defunctas, non elapſis a morte earumdem
32 triginta horis. Denique repentina morte ſurreptos, non
elapſis a morte quadraginta horis: ſuſpicandi enim defectus amoris erga defunctum videtur præbere argumen-
33 tum, qui ſollicite curat ſeparare ſe ab aſpectu defuncti.
De cadaveribus humanis non tam feſtinanter ſepeliendis nec exenterandis ſive tam cito balſamatione muniendis, ob caſus mirificos & inopinatos quos affert, extat
memoriale ad Regem Gallorum Jacobi Joannis Bruhier
edit. Pariſiis anno 1746. & relat. in Diario Italico Litteratorum *an.* 1748. *n.* 55. *fol.* 119.
Nihilominus datur quandoque caſus, ut neque ſex,
neque octo, neque (quod plus eſt) viginti, aut quadraginta horæ expectari poſſint: & tunc præcipue eſt
quando Cadavera, vix Anima ſeparata incipiunt putre-
34 ſcere, & fœtorem graviſſimum emittunt. Iſta ſigna putrefactionis clare demonſtrant Animam ceſſa e corpore
ſeparatam; ideoque tuto, & ſine aliquo metu poſſunt
hujuſmodi Cadavera ſepeliri, etiam poſt horam: quod
obſervatur communiter etiam in mortuis morte violenta.
Indubitanter annis elapſis a vivæ vocis oraculo Eminen. & Reveren. Card. Lambertini Bon. Archiepiſcopi
egomet audivi nullum determinatum tempus ſtabiliri
poſſe pro ſepultura humanorum cadaverum. Certa regula tamen eſt, ex ejuſdem vivæ vocis oraculo, putredinem, fœtorem, corruptionemque cadaveris indubitatum
35 mortis ſignum præmonſtrare: atque ideo in hoc caſu inoffenſo pede ſepeliri poſſunt cadavera.

§. IV. Quod antiquiſſimi eſt inſtituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Miſſa, præſente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam ſepulturæ tradatur.

36 Sacroſanctum Chriſti Corpus, & Sanguinem pro mortuis offerri, Apoſtolorum temporibus ſolitum fuiſſe teſtantur Clemens Romanus S. Petri diſcipulus, *lib. Conſt. Apoſt.* 6. *c.* 10. *& l.* 8. *c.* 4. Dionyſius Areopagita Diſcipulus S. Pauli, *Eccleſiaſt. Hierarch. l.* 1. *&* 2. S. Cyprianus, *l.* 4. *epiſt.* 5. & S. Joan. Chryſoſt. *in Ep. S. Pauli ad Phil. Hom.* 3. expreſſe affirmat, ita ab Apoſtolis ſancitum fuiſſe, S. Ambroſ. in *epiſt. ad Bonifacium PP.* S. Auguſt. in *lib. Confeſſ. & lib. de cura pro mortuis agenda*, *& lib. de Orig. Animarum contra Fauſtum Manichæum*. Hæc apud *Sacerd. Brixinen. d.* §. 2. Hoc totum dictum ſit ad demonſtrandum eſſe vetus inſtitutum celebrandi Miſſas præſente corpore, circa quod Franc. Maria Samuelli in ejus
37 *Prax. controv.* 8. *concl.* 15. *n.* 27. ait, Mortuorum Officia, & Miſſas diebus Dominicis poſſe celebrari, & aliis die-
38 bus feſtivis pro defunctis, quorum corpora adhuc ſuper terram ſunt: minime vero ſi fuerint ſepulta. *Ita S. R. C. in una Egitanen.* 4 *Maji* 1603. & hæc eſt praxis univerſalis.

§. V. Si quis die feſto ſit ſepeliendus, Miſſa propria pro defunctis præſente corpore celebrari poterit; dum tamen Conventualis Miſſa, & Officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obſtet.

Quæ ad explicationem hujus paragraphi ſufficiunt, videnda ſunt apud Gavant. *p.* 1. variis capitibus; e quo
Authore nonnulla deſumere, quæ ad noſtram rem fa-
39 ciunt, mihi liceat; & primo. Non debere corpus defuncti ſepeliri ſine Miſſa, ut ait Durand. *d. l.* 7. Et omni tempore, cadavere præſente, poſſe celebrari pro de-
40 functis, niſi in Paraſceve, quo die Corpus Chriſti immolari non debet; & eo caſu differendæ ſunt exequiæ
41 in craſtinum; in quo poſt Miſſam Sabbati Sancti, pot-
42 erat olim alia Miſſa celebrari pro defuncto; quod intellige juxta patrios mores Durandi, ubi utrinque viget
conſuetudo ſepeliendi defunctos ſimul cum Miſſa, &
numquam ſine ea, abſque ſcandalo.
Si quis autem in die Paſchæ moritur, corpus ejus
ſervetur in ſequentem diem, ob reverentiam Paſchæ.
Ita Gavant. *l. c.* Ubi notandum eſt pro explicatione
hujus paragraphi, intelligere Rubricam de Miſſa ſolemni, ſeu ut dicitur, Majori; non autem de Miſſa pri-
43 vata, quia Miſſæ privatæ etiam præſente corpore dici
nequeunt in Dominicis, neque duplicibus.
44 Loquitur inſuper Textus de magna diei celebritate.
Vel ſit iſta celebritas magna in univerſali Eccleſia, vel
in illa tantum, in qua ſepeliendum eſt Cadaver, ſemper eſt magna, ideoque ſicuti accipitur dies Paſchæ &
Pentecoſtes, ſeu Nativitatis Domini, quæ ſolemnitates
totam Eccleſiam reſpiciunt; ita accipiendus eſt dies Dedicationis vel Sancti titularis in Eccleſiis privatis, pro
quibus non datur major ſolemnitas particularis; & hoc
fit ne minuatur ſolemnitas feſti (& nota, quod feſta
intelliguntur hoc loco de præcepto, æqualia Dominicis)
ſuper omnes, lætitia Paſchalis minueretur, ſi in die Paſchæ hoc fieret; ergo abſtinendum eſt, S. Ignat. *Ep. ad Magneſ.*
Adde conſequenter, & a fortiori, neque celebrari

debere Miſſam Defunctorum, præſente corpore in die-
bus, in quibus nequa de duplici poteſt, utpote Hebdo-
mada major, non obſtante quod conſtitutio Apoſtolica
allegata a Gavanto *l. c.* horteur nos ad orandum pro
iis, qui pereunt, quæ verba apud SS. Patres importare
ſolent Sacrificium.
45 Sacra tamen Rituum Cong. tolerari poſſe cenſuit Miſ-
ſas de *Requiem* in duplici feſto, quod non ſit de præce-
pto, ut Teſtatorum voluntates adimpleantur, *t. Sept.*
1607. & rurſus 10. *Junii* 1626. non autem ad arbitrium
vivorum, ſed pro adimplenda lege Defunctorum.
Cavendum ulterius eſt, quod iſta Miſſa ſolemnis, quæ
etiam in feſtis duplicibus pro Defunctis celebrari poteſt,
præſente cadavere, non debet eſſe aſſociata muſicis in-
46 ſtrumentis. Sanctiſſimus enim Benedictus XIII. in ſuo
concilio Roman. *t.* 15. *c.* 6. prohibuit, ne in Miſſis De-
47 functorum Organa pulſentur, nec aliquid muſicum in-
ſtrumentum adhibeatur, ſub pœnis inflict. *in extrav. De-
cla, de Vita & honeſt. Cleric.* & in edicto Alexandri VII.
Anni 1665. Quæ Sanctio generalis eſt, & complectitur
etiam ſupera Principum, & Magnatum, non minus
quam S. R. E. Cardinalium, & Nobilium Virorum.
Miſſa Conventualis ſemper in quacumque Eccleſia eſt
dicenda, nec impedienda ab Officio Defuncti. Iſta Miſ- 48
ſa ita dicitur, quia fit pro conventu Populi, ut Miſſa
concordet cum Officio, quod ſemper fieri debet, *c. cum
creatura, de celeb. Miſſ.* ubi verbum *Mandamus*, obli-
gat ad mortale, Gavant. *d. p.* 1. *t.* 4. & neque omitti
poteſt pro Miſſa Defunctorum, *in d. c. cum creatura*,
&c.
Itaque Divina Officia impediri non debent. Nomine 49
Divinorum Officiorum venit hic non tantum Miſſa, ſed
& Horæ Canonicæ, Proceſſiones, Conciones, & quæ-
cumque aliæ functiones, quæ fieri debent de neceſſitate
in tali die: quæ officia anticipare, ſeu poſticipare pro
canenda Miſſa Defunctorum, præſente corpore, eſſet
inconveniens, & contra Ritum: quod tamen in uſu non
eſt.

§. VI. Caveant omnino Parochi, aliique Sacerdotes, ne ſepulturæ, vel exequiarum, ſeu anniverſarii mortuorum officii cauſa, quidquam paciſcantur, aut tamquam pretium exigant. Sed iis eleemoſynis contenti ſint, quæ aut probata conſuetudine dari ſolent, aut Ordinarius conſtituerit: neque permittant, ut pallia, aut alia Altaris ornamenta ad ornatum Feretri, vel Tumbæ adhibeantur.

50 Tria loca aſſignat Rubrica, in quibus Parochis, ſeu
Sacerdotibus Officium celebrantibus dari ſolet eleemoſy-
na: nempe Sepultura, Exequiæ, & Anniverſaria: pot-
eſt enim dari ſepultura ſine Exequiis, & poſſunt dari
Exequiæ, ſicuti Anniverſaria, ſine ſepultura; in quibus
omnibus aliquid ipſe contribui debeat illi Sacerdoti,
qui tale Officium celebrat.
51 Sepulturæ, & Exequiæ jam notæ ſunt: Anniverſaria
vero ſunt Officia illa, quæ celebrantur annuatim illa die,
in qua quolibet anno redit obitus, ſeu depoſitio mortui.
Dicit igitur Rubrica, quod Parochus, ſeu Sacerdos ni-
hil paciſci debet ſuper hoc, ſed ſtare conſuetudini, ſeu
52 conſtitutioni Ordinarii. De facto Synodi Diœceſanæ ſem-
per habent caput ſeparatum circa Taxas pro ſepeliendis
Defunctis, quia ſæpiſſime controverſiæ non exiguæ oriri
ſolent.
Superenunciatus SS. Pontifex Benedictus XIII. in eo-
dem Concilio Romano, Conſtitutionem edidit, quæ in-
cipit, *Romanus Pontifex*; qua decernitur, & mandatur,
53 ut in Italia, eique adjacentibus Inſulis, Parochis defun-
ctorum Quarta funeralis perſolvatur, & hoc ad elimi-
nandas controverſias, quæ oriri ſolent inter Parochos, &
Regulares ſuper hanc Quartam, de qua vide dictam con-
ſtitutionem.
54 De cetero abſurdum eſſet, ſi Parochus, vel quivis Sa-
cerdos, priuſquam exequias celebret, vel funus ducat,
peteret pretium, & paciſceretur: & quando in Regula-
55 rium Eccleſiis Defunctorum corpora eſſent tumulanda, ſi
Parochus ea prius ſpoliaret cereis, & intortitiis, quibus
ſtipantur; in pœnam hujus facinoris amitteret jus, quod
habet, & Quartam funeralem, nec non teneretur in in-
tegrum reſtituere cum cadavere quidquid abſtuliſſet. Ita
S. C. Ep. & Reg. 20. *Martii* 1643. quæ juſſit Parocho
cuidam, ut reſtitueret ceram, quam abſtulerat, cum
quidam defunctus ſepeliendus deferretur ad Eccleſiam Re-
gularium.
56 Præterea in quacumque diœceſi Taxa competens ſta-
tuta eſt pro exequiis, & funeribus, ultra quam Parochus
neque Aſſem exigere poteſt, neque menſuram, numerum,
& pondus ceræ augere.
In Civitate, & Diœceſi Ferrarienſi, poſt Synodum
habitam ab Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Card. Ruffo Epi
ſcopo, anno 1726. prodiit eodem mandante nova Taxa,
& reformatio funerum, & expenſarum in illis occurren-
tium, quæ prius pene intolerabiles erant: cui Taxæ de-
57 bent uniformari etiam Regulares, tunc quando in eorum
Eccleſiis cadavera, (non vero fratrum, ſeu familiarium
ſuorum) ſepeliuntur, tam in numero, & pondere ceræ,
quam in eleemoſyna pro ſono campanarum, aliiſque oc-
currentibus. Sicuti enim uniformabantur antiquis Taxis
per anteceſſores Epiſcopos ſtatutis, & præcipue illi de an-
no 1660. per Card. Dongium publicatæ, ita huic quo-
68 que parere debent. Et ratio eſt, quia Cadaver ſemper
ſub poteſtate, & juriſdictione Ordinarii eſt, etiam ſi hu-
matum ſit; *c. corpora Sanctorum de conſecr. d.* 2. Sed
Exequiæ fiunt circa cadaver, ergo Taxæ ad illud ſpectan-
tes factæ ab Ordinario intrant etiam Clauſtra Regularium.
Sed ut illæ Taxæ funerales circa expenſas in exequiis
defunctorum plene valeant, & attendendæ inviolabiliter
ſint a Parocho, neceſſe eſt, ut conſtitutæ ſint ab Ordi-
nario loci, non vero a Parochianis. Quod ſi a laicis pa-
rochianis ſtatutæ ſint, etiam cum conſenſu Parochi, omni-
no irritæ, & invalidæ eſſent. *Cap. cum laicis de reb. Eccl.
non alien.* & *l. quod ſi nolit.* in fine *ff. de ædil. edif.* cum
pluribus D. D. apud Samuel. *de Sepult. Tract.* t. *concl.* 13.
n. 19. *pag.* 233. Cum enim cadaver ſemper ſit ſub pote-
ſtate, & juriſdictione Epiſcopi, de conſequenti venit,
quod etiam ſub ejuſdem poteſtate ſit quidquid ad illius
humationem ſpectat; & in contrarium ſtatuere eſſet Or-
dinarii authoritatem lædere, qui ſemper in conſtitutioni-
bus ſynodalibus hanc Taxam inſerit, ſeu quod ſimile,
tanquam ſui proprii juris. Gavant. *Prax. Diœc. ſynodi*, *p.*
3. & *in Manual. epiſc.* ad verb. *exequiæ*, *ſub n.* 31. ubi ex
Concil. Prov. t. *Taxa fiat ab Epiſcopo de ſingulis, quæ in
hoc genere accidunt.* Unde clarius apparet, hoc munus
ſpectare tantum ad Epiſcopos. Immo nec poſſe Capitu-
lum ſibi arrogare hanc facultatem Taxæ funerum ad ſuum
libitum faciendi, decrevit S. C. Concilii relata a Mat-
thæucc. *Off. Eccl. c.* 20. §. 10.
Id totum, quod in Exequiis datur Parocho, haberi de- 59
bet pro eleemoſyna, non autem pro pretio. Quapropter
non eſſe reprehendendos Parochos ait Pignatell. *T.* 4. *dec.*
229. *num.* 20. ſi juxta laudabilem conſuetudinem, & Ta-
xam inſtant pro funeribus, & Exequiis celebrandis, ſe-
cundum qualitatem, & facultates Defunctorum, eaſque 60
curant obſervari ad præſcriptum Ritualis Romani, & *c.
Apoſtolicam, de Simon.* ac exigi illas eleemoſynas, quas
Ordinarii locorum conſtituerint, nam quod ſuum eſt,
petunt, & jure ſuo utuntur vigore conſuetudinis, quam
in materia funerum, totum facere probant adducti per
Gratian. *diſcept.* 94. *n.* 78 & Sperell. *deciſ.* 87. *num.* 24.
Ad id poſtea, quod dicit Rituale, non debere permit- 61
ti, ut Pallia, aut alia Altaris ornamenta, ad ornatum
Feretri, vel Tumbæ adhibeantur, neſcio quo pacto Re-
ctores Eccleſiarum huic legi ſint inobſequentes. In Tu-
mulis conſuetis, & quotidianis ſine cadavere, ut pluri-
mum quæque Eccleſia parata habet ſingula, & omnia
neceſſaria, nempe Candelabra ferrea, vel lignea nigro
colore picta, cenotaphium item ſimile, & alia ad funus
faciendum, parandumque in medio Eccleſiæ: ſed in fu-
neribus magnificis Virorum Principum, & nobilium,
necnon Eccleſiaſticarum Perſonarum, pro quibus Pegma-
ta, & lugubres Machinæ extolli ſolent, ſuper quas cada-
vera collocantur, quandoque neceſſitas urget, ut Cande-
labra Altarium in uſu veniant: Sed hoc ſemper eſt con- 62
tra Ritum, nec tolerari debet. Quod de Candelabris di-
co, intelligatur etiam de Palliis, Vaſis, Tobaleis, &c.
quæ Altari inſerviunt. Nec obſtat, quod in funeribus
Epiſcoporum, ſeu Cardinalium, circa corpus eorum vi-
deantur ſtrata Paſtoralia, Mitræ, Planetæ, atque alia inſignia,
quia hæc non ad inſerviendum Feretro ibi parantur, ſed ad di-
gnitatem defuncti demonſtrandam, tamquam ſpolia ipſius.

§. VII. Cum autem antiquiſſimi Ritus ſit Eccleſiaſtici Cereos accenſos, in exequiis, & funeribus deferre, caveant item, ne hujuſmodi ritus omittatur, ac ne quid avare, aut indigne in eo committatur.

In Exequiis, ſeu funeribus omitti non debet honeſtus
63 modus, qui ſemper ſervandus eſt Pignatell. *l. c. num.* 2.
Hic honeſtus modus eſt, ut adhibeantur in funere, ſeu
64 Exequiis, Cerei accenſi; ſemper enim, ajebat Div.
Clemens in *Conſt. Apoſt.* apud veteres Chriſtianos, injuria
mortuis tribui videbatur, ſi abſque Clericis, Pſalmis, ac
luminibus debitis ſepelirentur. Iſti Cerei accenduntur
non ex ſuperſtitione, ut effutiunt nonnulli hæretici apud
Æn.

Æn. Sylv. de Orig. Bohem. c. 35. ſed ad ſignificandum Animas vivère, & Defunctorum corpora reſurrectura. Vide multis hujus rei cauſas apud Rutil. Benzon. *epiſt. Lauretn. in ſpecul. Epiſc. & Curat. l.* 1. *diſp.* 2. *q.* 2. apud Pignatell. *ibid. n.* 16.

65 Ne appareat ulla Avaritiæ nota apud Parochos & Sacerdotes, ſeu Clericos Exequiis, & funeribus intereſſentes, nulla eſſe debet querimonia de Taxa funerum exi- 66 gua, neque de pondere, & menſure Candelarum, quarum cura unice apud Hæredes defuncti eſſe debet.

67 Circa numerum vero earum, ſtandum eſt conſuetudini, ſeu præſcriptioni Taxæ conſtitutæ ab Ordinario. De earum æqualitate, vide Pignatell. *T.* 3. *conſ.* 48. *n.* 9. & 13. Sed circa diſtributionem, ſeu compartitionem, dico Intortitia, Cereos, & Candeles, quæ per viam deferuntur circa Cadavera, in quibeſcumque privatis Eccleſiis, 68 dividendas eſſe pro æquali portione inter ipſos Parochos, & miniſtros aliarum Eccleſiarum quarumcumque etiam Regularium, in quibus ſepeliuntur. Ac propterea quando hujuſmodi Intortitia, ſeu Cerei, & Candelæ in præfatis Eccleſiis, pro celebrandis Divinis Officiis, præſente corpore, accenduntur, finito officio extinguendæ, & cuicumque medietas aſſignanda eſt, ut per Sel. *in Select. Canon. c.* 92. *n.* 15. ubi refert deciſum *in Cong. RR. DD. Præfectorum Urbis S. D. N. Urbano VIII. approbante ſub die* 21. *Martii* 1621. ex Barboſ. *Collect. in Concil. Trid.* 69 *Seſſ.* 25. *c.* 13. *n.* 9. Non per hoc tamen danda eſt duplicata Candela Superiori Religioſorum *ex Stat, Cler. c.* 6. §. 14. *in Addit.*

Hoc totum debet fieri juxta facultatem, & dignitatem Defuncti, a cujus hæredibus impenſæ regulantur, ut ſequendo *Tex. in l. ſi quis*, §. *ſumptus*, & *l. At ſi quis* §. *Æquum autem*, &c. *de Relig. & ſumpt. fun.* uno ore affirmant ibidem Repetentes ab Uſaya, *allegat. T.* 3. *p.* 1. *d.* 32. *nu.* 43. Neque id tantum ratione ipſorum hæredum, ſed etiam de jure naturæ, quod jubet defunctos funerari ex bono, & æquo; itaut Judex de ea æquitate cognoſcens, ſumptum omnino non debeat admittere modice factum, ſi forte in contumeliam defuncti hominis locupletis modice factus ſit, Alberic. de Ro- 70 ſat. *ad l.* 2. *ff. ad l. Falcid.* n. 3. Florian. a S. Petro *in d. l. ſi quis ſepulchrum*, §. *funus*, & *ſumptus funeris*, & quamvis aliqui id non ſervaverint, inquit Pignatell. *l. c. nu.* 13. non ideo poteſt concludi conſuetudo contraria, ſed potius violatio legis, quia prædicti actus non obſervantiæ, etiam ſi eſſent majoris partis, non ſunt actus inconcuſſi, ſed interrupti per ſententias in contrarium, quæ deſtruunt conſuetudinem; & tanquam actus contrarii, non ſinunt illam vivere, ac vigere, ad tradit. Per Bartol. *in l. ſemper in ſtipulat. in fin. ff. de Reg. Jur.* Sard. *Conſ.* 393. *n.* 23. & Rota coram Merlin. *dec.* 544. *n.* 3.

Verba Textus, *Ne quid indigne in eo committatur*, 71 intelligenda ſunt hoc pacto: Ne acceptas candelas inaccenſas reponas, & alias jam pene conſumptas adhibeas: 72 hæc enim magnæ avaritiæ nota eſt, & a Perſona Eccleſiaſtica penitus eliminanda. Cæterum juxta Regulam præſcriptam a Carolo Muſart. *in Manual. Paroch. p.* 2. *cap.* 6. *nu.* 5. unuſquiſque ſe gerere deberet. *Rogates mortuum, nulla pretii mentione facta, abſque moleſtia*, 73 *aut tergiverſatione ſepeliet: Si ii qui ſumptus facere debent, id quod conſuetudine, vel ſtatuta Epiſcopi juſtum eſt, non offerant, exigere poteris poſt aliquot dies funeris: ſi negent, expetire omnem aliam viam: ſi neque ſic, age jure coram tribunali Ordinarii.* Quidquid enim in Dei cultum, quidquid in miniſtrorum Chriſti ſubſtentationem cedit, non eſt dicendum ex Sacerdotum avaritia manare: qui enim Alteri ſervit, de Altari vivere debet, 74 *c. cum ſecundum, deprehend.* apud Lavor. *d. n.* 5. Niſi defuncti adeo pauperes ſint, ut iniquum videatur aliquid ſperare, prout dicemus propinqui in ſequenti.

Poſſunt etiam interpretari verba illa, *ne quid indigne in eo committatur &c.* reſpectu defuncti, & hæredum illius; quando e. g. Defunctus Teſtamento ſuo, ſeu aliter mandaverit corpus ſuum minime honorifice ſepeliri, prout decet. Propterea huic mandato obediendum non eſſe docet Samuel. *de Sepult. Tract.* 1. *concl.* 8. *n.* 51. cum multis D. D. ab eo allegatis; talis enim voluntas non eſt recta, ſed inepta circa funus, & idcirco non eſt obſervanda omnino: nam funeris ſumptus arbitrantur pro facultatibus, vel dignitate defuncti. *L. ſi qui* §. *ſumptus. de relig. & ſumpt.* Et licet iſtæ expenſæ potius moderari debeant, quam ultra vires extendi. Alberic. *l. nec amplius ff. ad l. falcidiam.* Attamen illa moderatio non debet eſſe tam vilis, & ſordida, ut nihil de dignitate, ſive de facultatibus defuncti appareat, prout eſſet ſi more pauperrimarum Perſonarum, exigua, vel nulla aſſociatione, vel unico lumine, vel quod ſordidius eſt, unica laterna, in Cæmeterio, ubi Pauperes tantum conduntur, ſepeliri, non in Eccleſia mandaverit, qui in magno honore ob dignitatem habitus eſſet, vel qui facultates haberet ducendi funus ſolemne. In hoc, & in ſimilibus caſibus voluntas Teſtatoris rejicitur *l. at ſi quis* §. *quod ergo. ff. de relig. & ſump. funer.* apud Samuel. *Tract.* 1. *Concl.* 9. *n.* 13. Hoc vere eſſet *indigne* aliquid committere, & tanta humilitate Parocho præjudicium inferre.

§. VIII. Pauperes vero, quibus mortuis, nihil aut ita parum ſupereſt, ut propriis impenſis humari non poſſint, gratis omnino ſepeliantur; ac debita lumina ſuis impenſis, ſi opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas, ſi fuerit, juxta loci conſuetudinem.

75 De Privilegiis Pauperum, & miſerabilium Perſonarum, egregia ſcripſerunt Lancellotus, & Velaſquez. Poſtremus vero circa funera, totius hanc materiam pertractavit *p.* 1. *q.* 4. *n.* 78. Circa quam advertere debent Parochi, & Sacerdotes, quibus commiſſa eſt cura ſepeliendi defun- 76 ctos, non debere ipſos eſſe Judices, an Paupertas ſit extrema, vel non: adeo ut qui remanent poſt defunctum, non valeant erogare quæ neceſſaria ſunt ad funus, niſi omnino ſpolientur rebus victui, & veſtitui neceſſariis. In hoc caſu eſſet addere afflictionem afflicto, quod non licere docuit ſuperallegatus Velaſquez *d. p.* 1. *q.* 117. *n.* 20. Sed nec Judex arbitrari poteſt ubi lex miſerabilem perſonam deſignat: *Ex text. in leg. unic. C.* 77 *quando Imperator. inter pupill. & vid.* eo magis, quia in Parochis pluſquam in aliis elucere debent miſericordiæ Opera, Laiuſc. *Theatr. Reg. verb. exeq. n.* 8.

De jure autem eſt, quod Parochus teneatur ſepelire ſuos mortuos, & gratis ubi ita ſit conſuetum, ut inhærendo Rituali noſtro reſolutum fuit a *S. R. C. in Caſſanen.* 5. *Maji* 1617. quam Reſolutionem referunt, & ſequuntur Paſſerin. *de ſtat. Hom. q.* 187. *art.* 4. *inſpect.* 3. *nu.* 166. Abb. Juſtinian. *in Addit. ad Novar. in ſumm. Bullar. ſ.* 12. a Moſtaz. *de conſ. Piis, l.* 6. *cap.* 3. *ſub n.* 46. ut poſſe recipere ſolitum dari, ubi eſt laudabilis conſuetudo aliquid tribuendi pro funere, petendo conſuetam largitionem poſt mortuum eſſe libere ſepultum. Ita Poſſevin. *c.* 24. *n.* 1. & 2. Machado *Perſ. confeſſ. l.* 4. *p.* 1. *tr.* 3. *doc.* 24. *n.* 2. Barboſa *p.* 3. *cap.* 26. *n.* 37. Qua propter puniendus 78 qui ſepulturam denegaret Pauperi, eo quia non habeat unde ſolvat pro cereis, & pro aſſociatione. Sepultura enim nemini eſt deneganda. Covar. *l. c. var. reſol. cap.* 1. *nu.* 10. Beller. *diſq. Cleric. p.* 1. *de Clerico debitore*, §. 11. *nu.* 34. Item ſi ſine lumine, & debitis exe- 79 quiis id faceret, ſed tantum permitteret Cadaver in foſſa humari: turpe enim eſt, neque ſatis Chriſtianum Pauperes mortuos, qui Theſaurum Chriſti ſunt, Tiraquell. *in tract. pia cauſa in præfat. verſ. item*, &c. nullo ritu ſacro duci, aut projici in locum non ſacrum, repugnat præcepto noſtri Textus, Muſart. *d. p.* 2. *c.* 6. *n.* 5. ubi dicit profecto offendi nonnullos, cum vident Pauperes nullo ritu efferri, & temere abjici, vel ſordide conquiri pro funere eleemoſynas; & docet, quod in tali caſu adeſſe debet ſaltem unus Sacerdos, qui brevi prece, leviter humo cadaver tegat, ne inſepultum obdormiat.

Quæri hic poſſet, an cadaver debitoris (qui ſi ære alieno gravatus ſit, certe pro Paupere haberi debet, Be- 80 nincaſa *Tract. de Paupertate*, *q.* 7. *ſpecial.* 8. *nu.* 24. Altograd. *conſ.* 42. *n.* 1. *l.* 1.) debeat inſepultum teneri pro debiti ſolutione, ſeu donec ſolvatur debitum: & negative reſolvit Covarruvias *l. c.* Beller. *p.* 1. §. 3. *nu.* 34. qui addit *n.* 38. impedientem humationem defuncti ob ejus debita, puniendum eſſe, *l. fin. & ibi authen. C. de ſepulch. violat.* Boer. *deciſ.* 87. n. 2. Sepulturæ enim mortuorum nullo prætextu retardari, aut impediri debet, 81 etiam compoſitionis, aut Quartæ funeralis cauſa, ut reſolvit *S. R. C. in una Caſſanen.* 5. *Maij* 1617. *& in altera Crotonien.* ut refert Barboſa *d. c.* 26. *n.* 55. nec non in una *Novarien. Funerum* 15. *Martii* 1704. allegat. ab Urſaya *T.* 4. *p.* 2. *d. n.* 152. cum nulla ratio id patiatur, Chriſtianæque pietati repugnans videatur, maxime vero pro pecuniarum intereſſe, cadaver humanum inſepultum remanere.

Non debent itaque gravari Parochi, & Sacerdotes in ſepeliendis Pauperibus gratis omnino, imo id perſuadere 82 debent etiam Libitinariis, & quibuſcumque illis, qui in ſepeliendis cadaveribus operam præſtant, ſeu pro ſono campanarum, ſeu pro feretri delatione, ſeu pro aperienda, & claudenda ſepultura, ſeu demum pro effodienda foveæ, vel deferendo cadavere: imo ipſemet, exempla

cha-

charitatis, præcedere debet, & exaltare alios, præſten-
do cereos, & quæcumque ſint ad hoc neceſſaria. Hoc
enim eſt vere opus Miſericordiæ, paſſim in Sacra Scri-
ptura fidelibus a Deo commendatum; reputaturque elee-
83 moſyna, Lavor. *d. tit.* 2. *c.* 14. *n.* 6. necnon opus juſti-
tiæ, quod in æterno Judicio Chriſtus (*Matt.* 25.) a-
gnoſcet, & approbabit, propter quod Regnum promiſ-
ſum decernet, juſtitiæque coronam reddet miſericordi-
bus, Marcatus. *Nuel. Catecheſ. lect.* 116. *p.* 478.

Si in Eccleſia illa Parochiali, vel in vicinatu adeſſet 84
pia Confraternitas, non tantum ad hoc opus ſepeliendi
mortuos inſtituta, ſed ſub quovis alio titulo, hoc præſta-
re deberet. Quicumque enim Confratres, qui Saccum
induunt, pœnitentiæ, & miſericordiæ veſtem gerunt.
Philippin. *Filiot. ſpic. c.* 22. unde erubeſcere non debent
in hoc tam pio opere gratis ubique exercendo, S. Gre-
gor. *Ser.* 1. *de conſol. mortuor.* Barbol. *p.* 3. *c.* 26. *n.* 4.

§. IX. Ubi viget antiqua conſuetudo ſepeliendi mortuos in Cœmeteriis, retineatur, & ubi fieri poteſt, reſtituatur: at vero cui locus ſepulturæ dabitur in Eccleſia, humi tantum detur. Cadavera autem prope Altaria non ſepeliantur.

85 Antiquitus per legem XII. Tabularum, cautum fuit,
ne cadavera intra Urbes ſepelirentur, *J. Conſ. in l.* 3.
§. Divus, ff. de ſepulchro violato, & in l. mortuorum,
C. de relig. & ſumpt. funer. Item de jure antiquo pro-
hibitum erat, ut in Eccleſia ullatenus humana corpora
conderentur: ideo Chriſtianorum Cœmeteria, primitus
86 extra Urbem fuiſſe notat Samuel. *de ſep. Tr.* 1. *contr.* 2.
concl. 1. Deinde poſt datam pacem, intra Urbes extitiſ-
87 ſe, ut de corpore Conſtantini Magni, & Honorii Im-
peratorum conſtat *l.* 2. *Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Iſta Cœ-
88 meteria erant a Templis diſtincta, ut *c.* 1. *de conſecr.
Eccl. c. ſi civitas, de ſent. excom.* & adhuc talia ſunt in
quacumque Eccleſia præſertim Parochiali.
89 Illud nomen *Cœmeterium*, diverſimode quoad ejus o-
riginem interpretantur. Vide ſupracitatum Samuel. *concl.*
90 9. & Macri *in Hierolex.* Ego puto, licet ſingulari opi-
nione, quod deducatur a *Cæmento*, & *Terra*, quia ex
lapidibus rudibus, ſuperimpoſita terra, componebantur
ſepulchra; ut videre eſt apud Kirkmann, & Girald. *de
ſepulturis, ſeu vario ſepeliendi ritu*. Sed ut iſtas erudi-
tiones relinquamus, quæ præcipue, & præciſe leguntur
in dicto opere Franciſci Mariæ Samuelli, ad noſtrum
Rituale me conferam.
91 Antiqua conſuetudo erat igitur ſepeliendi Cadavera
Fidelium in Cœmeteriis, non vero in Eccleſiis. Iſta
Cœmeteria nimis late interpretata fuere, dum *Rota in
Calaguritana de Amurio* 12. *Decembris* 1603. *coram Lu-
dovisio*, dixit prohibitionem juris antiqui de non ſepelien-
dis cadaveribus in Eccleſia, provenientem ex Concilio
Verenſi, Bracarenſi, & Moguntino allegat. a Samuel. *d.
Con.* 4. procedere tantum in Capella majori Eccleſiæ.
92 Ratio potiſſima hujus prohibitionis eſſe poterat, primo
quia ſepulchra jam fabrefacta non erant, ad ibi conden-
da Cadavera, nec ibi conveniens erat ita frequenter,
prout occurrere poterat, Pavimenta Eccleſiarum, quæ
antiquitus ex nobiliſſimo opere, & præſertim Muſivo
erant, deturpare, & deformare in effodiendis ſepulchris.
Secundo quia Cadaverum putredo ſemper cum fœtore
eſt, & dedecet in illo Sacro loco, venerando thimiama-
te ſæpiſſime perfuſo, & munditiam redolente, graveo-
lentia corpora condere; unde etiam ratio hæc vocatur
civilis a Lavorio *d. T.* 2. *c.* 5. *n.* 90. ne aer putreſieret,
& locus corrumperetur fœtore Cadaverum.
Tertio demum, quia a frequenti cadaverum huma-
tione, tam fœtor, quam humiditas provenire ſolet, &
ita non omnino ſanum habitaculum deveniret, prout e-
videnter hodie quoque dignoſcitur in Eccleſiis præſertim
Parochialibus, in quibus frequenter ſepeliuntur cadavera.
Proh, bone Deus! quam differunt ab illis Eccleſiis, in
quibus nulla ſepulchra effodiuntur!
Alteram rationem affert Samuel *dict. concl.* 6. & eſt
moralis: nempe quia Eccleſia eſt ſpecialiter Deo dicata,
cui mors ultra non dominabitur, & quoniam non decet
Defunctorum corpora tumulari, ubi quotidie divina ce-
lebrantur officia, ac Deus colitur, & veneratur, *c. nul-
lus* 13. *q.* 2. *c. præcipiens*.
Ad hanc munditiem igitur rationem habuit Rubrica
93 noſtra, & quantum in ſe eſt, ſtuduit, ut iſte laudabilis
modus ſepeliendi Cadavera tantummodo in Cœmeteriis
reſtituaretur, exemplo magni Ephræm Syri, qui teſta-
mento cavit de ſua ſepultura hoc pacto: *Ne ponatis me
in Domo Dei pone, aut ſub Altari: non enim decet Ver-
mem putredine ſcatentem in Sanctuario Domini reponi*. S.
Ephr. Teſt.
94 Tractu temporis autem conceſſum fuit aliquibus Per-
ſonis dignis, ac præſtantiſſimis, quæ pietatis laude, ac
geſtarum rerum magnitudine celebriores fuere, aliquan-
do, ut in Eccleſiis ſepelirentur, *c. nullus* 13. *q.* 2. ut de
nonnullis SS. Pontificibus, Imperatoribus, Epiſcopis, &
aliis perſonis Eccleſiaſticis legitur, Conc. Tribur. *c.* 17.
Evagr. *l.* 4. *c.* 3. & 30. Succeſſivis temporibus ampliata eſt
95 iſta tolerantia, & indultum omnibus Chriſti fidelibus, ſi-
ve Eccleſiaſticæ, ſive Laicæ fuerint Perſonæ, ut in Ec-
cleſiis, ſi vellent, tumularentur, *c. nullus* 13. *q.* 2. ubi
gloſſ. *ver. fideles. c. Eccleſiam, de conſecrat. diſt.* 1. *&
alibi plurimum*, ut notat Lavor. *dict. t.* 2. *c.* 5. *n.* 117.
& ratio hujus permiſſionis ab eodem Lavorio ibi addu-
96 citur, nempe ut Propinqui, & Amici ſepulturas inſpi-
cientes in Eccleſiæ, orent pro mortuis, & ſpecialiter

commendentur Sanctis, quibus Eccleſia dedicata eſt, *c.
cum gravis* 13. *q.* 2. *ubi gloſſ. & Turrecrem.*
Sed iſte ratio valet etiam ſi corpora ſepeliantur in
Cœmeteriis, ſeu ſepulturis Eccleſiæ contiguis, quæ Cœ-
meteria appellantur, *ex Innocent. c. abolenda, de Sepult.
& c. ſicut* 27. *quæſt.* 4. & ſi Cœmeterium permittatur
aliquantulum ab Eccleſia remotum propter fœtorem evi-
tandum, attamen ſemper, in adeundo Eccleſiam, inſpi-
ci poteſt, atque ita movere animum tranſeuntium, ſeu
ad Eccleſiam pergentium, ut orent pro mortuis, & di-
cant: *Benedictio Domini ſuper vos, &c.* quod inſpectum
fuit etiam apud Gentiles, qui prope viam condebant ſe-
pulchra in agris infœcundis, ut viatores mortalitatis mo- 97
nerentur, ita tamen, ut viam ipſa ſepulchra non im-
pedirent, *l.* 2. *ff. de loc. pub. & itin.*
Creſcente vero in dies Chriſtianorum Religione, om- 98
nium fidelium cadavera in Eccleſiis humari permiſſum
fuit, *c. ubicumque* 13. *q.* 2. *c. ſicut antiquitas* 17. *q.* 4. &
notat Lavor. *dict. tit.* 2. *c.* 8. *n.* 2. quod adeo abuſus inole-
vit, ut non ſolum in Eccleſiis, ſed etiam quodammo- 99
do ſuper Altaria corpora ponerentur. In nonnullis anti-
quis Templis reperiebantur Tumuli, atque Urnæ mar-
moreæ ſuper terram exiſtentes, ad parietes elevatæ, &
etiam Altari contiguæ, necnon ſuperpoſitæ loco Balda-
chini quibuſdam Altaribus, adeo ut & Templa ma-
gnopere impedirentur, & humanam ſuperbiam ad ſide-
ra uſque extollerent. Quapropter S. Pius V. in Conſtitu- 100
tione, Cum primum *Kalend. Aprilis* 1566. mandavit,
ut defunctorum corpora ſuper terram exiſtentia, in Tum-
bis profundis, infra terram collocarentur, cujus conſti-
tutionis verba ſunt, §. 6. *Et ut in Eccleſiis nihil inde-
cens relinquatur, iidem* (Ordinarii) *provideant, ut Ca-
pſæ omnes, & depoſita, ſeu alia Cadaverum conditoria
ſuper terram exiſtentia, omnino amoveantur, prout alias ſta-
tutum fuit; & Defunctorum corpora in Tumbis profundis
infra terram collocentur*. Quod ſervari volens in ſua Diœ-
ceſi S. Carolus, Conſtitutionem ſimilem graviſſimis ver-
bis humanam ambitionem deteſtantibus edidit *in Conc.
Prov.* 1. *p.* 2. hujuſmodi: *Non eſt ferenda noſtri temporis
inſolentia ſepulchrorum, in quibus putida cadavera, tan- 101
quam Sacrorum Corporum Reliquiæ, excelſo, & ornato lo-
co in Eccleſiis collocantur, circumque arma, & vexilla,
trophæa, & alia victoriæ ſigna, & monumenta ſuſpendun-
tur, ut jam non Divina Templa, ſed Caſtra bellica eſſe
videantur. Ambitioſam igitur hanc in mortuorum corpori-
bus decorandis arrogantiam deteſtantes, & Eccleſiarum de-
cori conſulentes, ejuſmodi ſepulchra excelſo loco poſita, &
ea quæ parietibus incluſa, vel adjuncta etiam in una pa-
rietum parte eminent, etſi marmorea, aut ærea ſint, ſive
illa corpora contegentes, ſive inania, & ibi tantum, ho-
noris cauſa, ſint conſtituta, & eorum omnis generis orna-
tum, & apparatum, ad tres menſes amoveri, ac tolli omni-
no jubemus, oſſaque ac cineres in Sacro loco, altius in ter-
ram defodi, ita conditos, ut ſepulchrum a ſolo non emineat.*
Item novo Decreto idem Sanctus Antiſtes ſancivit,
in Synodo Diœceſ. 4. *decr.* 37. his verbis: *Arma, Vexilla,
Trophæa, aliaque Victoriæ monumenta, ſepulchra quamvis
inania, in ſublimi loco collocata, aut e parietibus promi-
nentia, quæ ab Eccleſiis amoveri, decreto provinciali juſ-
ſimus, a Cœmeteriis item, & Sacris aliis locis amoveantur.
Nec vero iis ipſis locis impoſterum ædificentur, col-
locentur, affigantur, aut ſuſpendantur.*
Pariter, *Actor. part.* 4. *in Inſtruct. ad funera deducen-
da*, ſubjungit: *Et ſi cui locus ſepulturæ deinceps dabitur
in Eccleſia, humi tantum detur, & ſepulchrum, in quo
conditur, opere fornicato, cum reliquo Eccleſiæ pavimento
æquatum ſit, &c.*
Sed harum Conſtitutionum vigor, vel non fuit uni- 102
verſalis, vel neglectus fuit, multa enim Templa, &
quidem inſignia in Italia conſpiciuntur, tum antiquis,
tum novis Monumentis in ſublimi loco collocatis, oc-
cupata, quæ in dies novis, & recentibus Cadaveribus
implentur, quorum Monumentorum tolerantia forſitan
provenit ex *Decreto S. C. Epiſc.* emanato in una *Man-
tuana* 13. *Octob.* 1579. allegata a Nicolio *floſc. verb. Se-
pultura*, *nu.* 2. in quo de Conſtitutione Sancti Pii V.
ſuperannunciata, verba faciens, dicit: *Non tamen compre- 103
henduntur Monumenta Marmorea, muris, ſeu columnis ad-
hærentia, præſertim amotis Cadaveribus a locis altis, quæ*
hæc

hæc nullam indecentiam, imo magnum ornamentum afferunt Eccleſiis, ubi nota illud verbum *Præſertim*, per quod datur exceptio huic regulæ, ſed non per hoc tollitur omnino, quod non poſſint ibi collocari cadavera.

104 Inſuper prohibet Textus noſter, ne prope Altaria conſtruantur ſepulchra, cum enim Altaria Domini deceat Sanctitudo, tolerari non debet, ut prope illa conſtruantur Sepulchra, in quibus fœtentia cadavera humanæ miſeriæ teſtimonia reponantur; & ubi quotidie incenſa fumant, fœtor intolerabilis exhalet, atque ideo per *Canonem præcipiendum* 13. *q.* 2. habemus, quod Parochi, & Regulares in ſuis Eccleſiis non poſſint corpora Defunctorum ſepelire prope Altaria, aut ſub Altarium Bradellis. Ita etiam declaravit *S. Cong. Ep. & Reg.* 8. *Febr.* 1594. 13. *Septembr.* 1593. 2. *Maji* 1601. 10. *Novembr.* 1599. allegat. a Samuel. *d. Tr. t. contr.* 8. *Concl.*
105 3. & ſi ibi ſepulchra conſtructa reperiantur, ſub illo Altari celebrari Miſſa non debet, ſed interdici, donec corpora alio transferantur.

106 Quam diſtantiam hujuſmodi ſepulchrorum ab Altaribus, ſeu Bradellis, præſcripſit S. Carolus, *Act. p.* 2. hoc Decreto; *Sepulchrorum ipſorum impaſteram ædificandorum oſtium, longe abſit ab Altaris ſcabellis ligneis, vel bradella, cubitis ad minus tribus. Sepulchra vero ipſa ad ſcabellum ligneum non pertingant*, Barboſ. *de Eccl. p.* 3. *c.* 26. *num.* 9. & 10.

Honor inſuper Altaris tribui ſolet de conſuetudine Eccleſiæ ſolis Sanctis, quibus jam Eccleſia indulſit venerationem: ideo tumulari ſub Altare eſt quædam declaratio Sanctitatis. In primitiva enim Eccleſia ad ſepulchra Sanctorum præcipue Martyrum, & 107
ſupra oſſa eorum veneranda erigebantur Altaria, ut ſcilicet Sacrificium, quod offertur Deo, redundaret etiam in ipſorum gloriam.

Eadem ratio eſt quoad Pedale, quia cum hujuſmodi 108
ſcabellum ſit Altaris, eſt particeps honoris Altaris, Pignatell. *t.* 4. *conſ.* 32. *per tot.* Paſqualig. *d. tit.* 5. *qu.* 675. *per tot.*

Sed non tantum prope Altare vetitum eſt conſtruere Sepulchra, alter locus eſt, a quo prohibeantur; nempe 109
Baptiſteria. Decrevit enim S. Carolus, *Prov. 6.* quod in Baptiſterii ſacello nullum Sepulchrum extrui liceat. Quod ſi Baptiſterium extra ſacellum ædificatum ſit, prope illud Sepulchrum fieri non debet; ſed tam longe, ut ab illius ſepimento, ſepulchrale os diſtet ſpatio cubitorum ſaltem trium, ac præterea concavitas ſepulturæ, ne ſepimentum attingat. In hac materia ſcripſit eloquentiſſimum Tractatum meus Bonaventura Angeli Ferrarien. inſcriptum: *De non ſepeliendis mortuis juxta Aram Templi*, ad quem Lectorem meum remitto ſi multa eruditione ditari cupiat.

§. X. Sepulchra Sacerdotum, & Clericorum cujuſcumque ordinis, ubi fieri poteſt, a ſepulchris Laicorum ſeparata ſint, ac decentiori loco ſita, atque ita, ubi commodum fuerit, ut alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris ordinis Eccleſiæ Miniſtris parata ſint.

Hoc facile exequi poteſt in Eccleſiis Regularium, ubi
110 ſolent eſſe multa ſepulchra, & partes diverſi Ordinis Miniſtri. Intelligendam tamen credo hanc regulam, ſi loquamur de ſepulchris conſtructis in Eccleſiis, non vero in cœmeteriis, quia in illis, confuſim ſepeliuntur cu-
111 juſcumque ordinis, & ſexus defuncti, ut in praxi præcipue eſt apud ſpectatiſſimos Monachos Carthuſienſes, qui in Templis ſuis, generaliter loquendo, ſepulchra conſtructa non habent, & tam Monachos ſuos Sacerdotes, & Laicos, quam Affines, Conſanguineos, & benefactores utriuſque ſexus, in communi cœmeterio ſepeliunt, effoſſa fovea ſimili pro quocumque ſepeliendo.

Nihilominus in Eccleſiis aliter faciendum videtur ad diſtinctionem Ordinum, & characteris. Si nequit habere Eccleſia duo ſepulchra diſtincta, unum pro Clericis, alterum pro Sacerdotibus, ſaltem unum ſit commune pro illis tantum, qui in charactere conveniunt: ſed omnino pro Laicis Viris adſit aliud Sepulchrum, pro fœminis vero aliud, ex univerſali praxi Catholicæ Ec- 112
cleſiæ allegata ab Urſeya *T.* 2. *p.* 2. *diſc.* 30. *n.* 39.

Quod dictum ſit pro ſepeliendis illis, qui ſibi Sepul- 113
chrum non elegerunt, vel propriam ſepulturam conſtructam non habent: quoniam in avitis, hæreditariiſque ſepulchris, totam integram familiam ſepelire mos eſt, 114
nullo habito diſcrimine inter mares, & fœminas, vel inter Clericos, & Sacerdotes, & Laicos, quia Sepulchrum commune eſt.

Quod ſi hæc Sepulchra pro Sacerdotibus, & Clericis 115
haberi poſſint diſtincta, congruum videtur, ut etiam collocentur in decentiori, & nobiliori loco, puta in Choro, in Presbyterio, alioque ſimili ſitu; *Lavor. d. t.* 2. *c.* 11. *n.* 90. quod tamen eſt contra antiquas conſtitutiones.

§. XI. Sacerdos, aut cujuſvis ordinis Clericus defunctus, veſtibus ſuis quotidianis communibus, uſque ad talarem veſtem incluſive, tum deſuper ſacro veſtitu Sacerdotali, vel Clericali, quem ordinis ſui ratio depoſcit, indui debet. Sacerdos quidem ſuper talarem veſtem, amictu, alba, cingulo, manipulo, ſtola, & caſula, ſeu planeta violacea ſit indutus.

Ex Amalario Diacono *de Eccleſ. Off. l.* 4. *c.* 41. iſte
116 ritus deſumptus eſt. Ratio autem, cur hujuſmodi veſtimentis Sacerdotes, & Clerici induantur (de Regularibus, & præſertim Mendicantibus non eſt hic ſermo) eſt quia Veſtes tum Sacerdotales, tum Clericales, eiſtures ſignificant, cum quibus præ cæteris Miniſtri Altaris Deo ſunt præſentandi, *Lac. d. t.* 2. *c.* 1. *n.* 105. Ita legimus quod S. Petrus Martyr Alexandrinus, indutus veſtibus Sacerdotalibus albi coloris, colobio, & omophorio triumphali pompa ad cœmeterium delatus
117 fuit, Baron. *Ann.* 310. *n.* 10. Nonnullas rationes in contrarium affert Paſqualig. *T.* 2. *q.* 820. quibus demonſtretur, quod non deceat Sacerdotum corpora cum Sacris Veſtibus ſepelire: Sed has omnes aliis validioribus rationibus deſtruit, & licitam eſſe conſuetudinem aſtruit induendi Sacerdotes defunctos habitu Sacerdotali: Nec obſtat frigida illa objectio, quod Veſtes Sacerdotales ſint adhibendæ tantummodo in Eccleſiaſticis officiis Deo gratis; quia dum adhibentur ad ornandos defunctos Sacer-
118 dotes, ſunt in officio Eccleſiaſtico; nam ſepultura eſt pars illius officii, quod conſiſtit in exequiis.

Inter cæteras Sacerdotales Veſtes, ſeu ſupellectiles, Lacorius *d. l.* enumerat quoque Calicem, ut in mani-
119 bus Sacerdotum alligetur, prout ſuo tempore erat conſuetudo Romæ. Sed doctiſſimus Sarnellius *ep.* 33. *T.* 1. improbat hanc conſuetudinem ponendi Calicem cum Patena in manibus Sacerdotum defunctorum, & etiam Miſſale apertum, tum quia Rubricæ repugnat, & decentiæ: nam cum vetitum fuerit per *Concilium Arvern. Can.* 5. & *Altiſiod. d. can.* 12. ne opertorio Dominici, ſeu Pallio Altaris Sacerdotum corpora obtegerentur, dum ad Tumulos evehuntur, quia dum honorantur corpora, altaria polluuntur; ita pari pacto & potiori ratione, neque Calice, ſeu Patena ornari debent hujuſmodi cadavera, quia hæc ſunt Vaſa propria Altari, & Sacramentis immediate inſervientia, eo modo, quo Palla Altaris.

Apud Græcos olim in uſu erat, ut Sacerdotum cada- 120
vera Oleo Sacro ungerentur, antequam ſepulchris traderentur: & habetur ex S. Dionyſ. Areop. *de Eccleſiaſt. Hierarch. cap.* 7. his verbis: *Tum Antiſtes Oleo mortuum perfundit, ſanctaque precatione pro omnibus adhibita, in loco honorato corpus, cum aliis ejuſdem Ordinis Sanctis corporibus reponit, & condit.* Et myſterium hujus cæremoniæ explicat ſubdens: *At tunc quidem Olei perfuſio ad Sacra certamina, eum qui initiabatur, vocabat: nunc autem Oleum, quod infunditur, eum, qui exceſſit e vita in ipſis certaminibus certaſſe, deceſſiſſe declarat.* Clericat. *de Facr. Unct. dec.* 61. *n.* 4.

Veſtes itaque Eccleſiaſticarum Perſonarum, primo 121
debent eſſe illæ, quibus incedendo utebantur, productæ uſque ad talos: Collare inſuper, fœmoralia, caligæ, calceamenta, ſeu crepidæ, non autem pallium, quia hoc non eſt indumentum, ſed ſuperindumentum, & in funeribus imponitur tantum Doctoribus, ut Toga totaliter compleatur.

Porro deſuper induendæ ſunt veſtes ejus Ordinis: ſi Sacerdos ſit, omnes, & quæcumque præſcribuntur a Rituali una cum *Biretto* in formam Crucis, quo omnes Eccleſiaſtici utuntur. Planeta præſcribitur violacei coloris, utpote quia mœrorem, & pœnitentiam ſignificat: ſed communis uſus eſt adhibendi Planetas nigras, non ob aliud, credo, niſi quia facilius reperiuntur in Eccleſiarum Sacriſtiis, eo quod in uſu pene continuo ſunt ad Miſſas pro Defunctis celebrandas: Non ita vero Planetæ violaceæ, quarum uſus in Miſſa non ita frequens eſt. Itaque per hoc, quod Rubrica præſcribat Planetam violaceam, non excluduntur Planetæ nigræ, eo quia etiam in agenda defunctorum quandoque permitti-

tur

tur uſus Planetæ violaceæ: Et S. Carolus *Act. p. 4. de*
122 *fun. & exeq. Cleric.* præſcribit planetam debere eſſe Al-
bi coloris: ſed fortaſſe hoc erit pro ritu Ambroſiano.
Huic Rubricæ demum obſtat diſpoſitio teſtamentaria Sa-
cerdotis, vel Clerici defuncti ſepelliendi: nam datur
quandoque caſus in quo humilitatis cauſa quis diſponat
de ſepultura humiliori modo; & tunc dummodo decor
eccleſiaſticus ſervetur, concedi poteſt.

§. XII. Diaconus vero induatur Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola ſuper humerum ſiniſtrum, quæ ſub axilla dextra annectatur, & Dalmatica violacea.

123 Eodem modo, quo incedit Diaconus in Sacrificio Miſſæ, debet quoque in funere demonſtrari. Idem præſcribit S. Carolus, *Ibid.*

§. XIII. Subdiaconus autem Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, & Tunicella, &c.

124 Quod de Diacono ſcriptum eſt, dicitur etiam de Sub-
diacono, & concordat cum præſcriptis a S. Carolo ſu-
125 pracitato. Poſſet quæri cur tam Diaconi, quam Subdia-
coni deferre debeant manipulum, cum ex ritu ſit, quod
deponatur in Proceſſionibus? Cui reſpondeo. Quamvis
in exequiis Proceſſio fiat, attamen defunctus non gerit in
ea vices Diaconi, aut Subdiaconi, ſed omnimodam ſuam
dignitatem oſtendit, deferendo inſignia ſui Ordinis.

§. XIV. Alii præterea inferiorum ordinum Clerici, ſuperpelliceo ſupra Veſtem Talarem ornari debent, ſinguli prædicti cum Tonſura, & Birretis ſuis.

126 Superpelliceum eſt Veſtis propria quorumcumque Cle-
ricorum, & ſignum eorum gradui congruum; quod in
funeribus inſervit ad ornatum, non ad miniſterium.
De Biretto jam ſupra diximus. §. 11. de Tonſura vero
127 hoc unum dico, quod ſi in longa Defuncti infirmitate,
facti ſint longi Capilli, & coma prolixa, decet, ut ton-
deantur ad menſuram conſuetam, ut in omnibus pate-
ant ornamenta ſuæ dignitatis, & gradus: imo non in-
congruum eſſet in capite Defuncti Eccleſiaſtici Coronam
Clericalem de novo efformare, quando in infirmitate
deperdita ſit.

§. XV. Nullum porro cadaver perpetuæ ſepulturæ traditum ex illa cujuſvis ordinis Eccleſia aſportari liceat, niſi de licentia Ordinarii.

128 Immediate ac Cadaver aliquod ſepulturæ Eccleſiaſticæ
traditum eſt, juriſdictioni Ordinarii ſubjacet: ideoque
129 ſine ejus licentia non poteſt exhumari, & aſportari. Li-
mitandum tamen hoc venit, ſi ſepultura non eſſet per-
130 petua, ſed per modum depoſiti, ut fieri ſolet de cada-
veribus illuſtrium Perſonarum, quæ extra Patriam deceſ-
ſerint, & ab hæredibus transferri velint. Item limita ſi
expurganda eſſent Sepulchra, & aſportanda oſſa vel ad
publicum Cœmeterium, vel ad illud Eccleſiæ propriæ.
Denuo ſublimita, ſi per errorem aliquod Cadaver hu-
matum eſſet in non ſuo ſepulchro, vel non convenien-
ti, & foret exhumandum pro reponendo illo in aliud
Sepulchrum ejuſdem Eccleſiæ: tunc ſine licentia Epi-
ſcopi id fieri poſſet. Sed quando nulla ex iſtis cauſis
mo et ad hujuſmodi translationem, non poteſt hæc fieri
abſque Ordinarii facultate, quæ juſtis de cauſis denega-
ri poteſt, *c. Corpora Sanctor. de conſecr. diſt. 2. l. final.*
dum. l. nemo humanum, Cod. *de relig. & ſumpt. fun.*
Samuell. *dict.* T. 1. *contr.* 5. *concl.* 1. *nu.* 1. & 2. Nam
translatione mortuorum violantur ſepulchra, Lavor. *dict.*
131 *c. 7. nu.* 26. & ut iſta violatio non eveniat, debet im-
petrari licentia, quia de jure illicita eſt, quando cada-
132 ver perpetuæ ſepulturæ traditum ſit. Marcian, *l. 56. ff.*
de regul, & ſumpt. fun.

Quibus juſtis cauſis poſſint transferri cadavera, vide
Lavor. *dict.* T. 11. *c. 7. num.* 29. Pro quorum tamen
133 translatione de uno in alium locum, nullam deberi Ga-
bellam declaravit *S. C. Immunit. in una Firmana* 10.
Junii 1613. Ricci *Synopſ. verb. Cadaver.* etiamſi ſit de
una in aliam Civitatem, ſeu de Villa ad Urbem.

134 Diximus ſupra, juſtis de cauſis poſſe hanc facultatem
ab Epiſcopis denegari: laudabilis enim praxis magno-
rum Tribunalium illa eſt, ut ad evitandam humanorum
cinerum vexationem, nunquam permittant exhumari
Cadavera; ſed prævia declaratione nullitatis humationis,
reſcribere ſolent pro ſola reſtitutione emolumentorum
funeris: ut de praxi *S. Rotæ* affert Urſaya *T. 1. p. 1. d.*
7. n. 66. ex qua praxi remanet manifeſtum, quod ea
Tribunalia, nulla habita ratione inſtantiæ Hæredum in-
congruæ, unice reſpiciunt præjudicium illarum Eccleſia-
rum, in quibus defunctus ſepeliri debebat. Hoc tamen
non obſtante, firmum ſemper remanet jus pro reſtitu-
tione, licet de congruo non fiat.

Iſta exhumatio, ſeu translatio quandoque facienda oc- 135
currit pro recognitione corporis delicti facienda a Judice
ſæculari. In hoc caſu ſolet concedi hæc facultas a S.C. 136
Immunitatis. Sed hoc valent etiam facere Epiſcopi per
allegat. a Monacell. *T. 1. tit. 6 for. 7. per totum:* quando
Cadaver non ſit Perſonæ Eccleſiaſticæ, quia tunc, abſ- 137
que tergiverſatione, licentia hujuſmodi eſt impetranda
a S. C. Immunitatis. Et licentiam in primo caſu poteſt 138
Epiſcopus denegare, ſi ita ſibi expedire videatur ad evi-
tandum aliquod inconveniens, Sperell. *dec.* 51. *n.* 17. *Re-*
ſol. crim. 2. *n.* 3. quos (rejecto Januenſi *in Prax.*) ſequitur
Raynald. *Obſerv. Crimin. T. 1. c. 1. §. 11. n.* 35. Quam fa-
cultatem poteſt tradere Epiſcopus, etiam ſi Eccleſia eſ-
ſet Regularium, *S. C. Immun. in una Maceraten.* 8. *Aug.*
1645. allegat. a Monacell. *d. l.* Nec Regulares poſſe de ju-
re exhumare Cadavera perpetuo ſepulturæ tradita in ſuis
Eccleſiis abſque Epiſcopi licentia, eo fine, ut a curia
ſæculari recognoſcantur, declaravit *S.C.Ep.& Reg.* 11.*Sept.*
1643. quæ Epiſcopo Placentino ordinavit, ut quoſdam
reprehenderet Regulares, qui permiſerant exhumari ca-
daver defuncti cujuſdam, ut a curia ſæculari recogno-
ſceretur, abſque dicti Epiſcopi licentia, & conſenſu,
Samuel. *d. Tr. 1. contr.* 13. *Conc.* 8. *n.* 23.

Dixi unicum verbum ſupra, de ſepeliendo Cadavere 140
per modum depoſiti: modo ſubdo, Statutum Cleri Ro-
mani *ſub c. 4. §. 6.* hæc mandare: Cadavera extra limi-
tes Parochiæ, in qua obierunt, abſque ejuſdem Paro-
chi licentia in depoſitum non deponantur, Cardinalium
Cadaveribus exceptis, Rota coram Priol. in una Roma-
na Juris tumulandi 20. *Febr.* 1702. *n.* 35. §. *& demum:*
allegat. a Monacell. *Append. dec.* 18. ubi notandum;
quod quando defunctus in aliqua Eccleſia depoſitetur,
ut in aliam transferatur, fieri debet authenticum teſti- 141
monium; videlicet, talem defunctum ibi minime tumulari
perpetuo, ſed tantum ad tempus depoſitari, ac tale Inſtru-
mentum tempore translationis præſentari debet ante Judi-
cem Eccleſiaſticum, & ab illo venia impetrati transferendi,
& ſuperiori illius Eccleſiæ, ad quam transfertur, notificari,
& tunc Miſſa *de Requiem*, &c. dicta, poteſt ad deſtinatum 142
locum transferri, *l. 1. C. de Relig. & ſump. fun.* Samuel.
d. l. conc. 3. ubi multa de hac materia. Quomodo iſta licentia
executioni demandanda ſit, & quibus cautelis, necnon qua-
rum Perſonarum aſſiſtentia; vide Monacell. *loco citato.*

§. XVI. Laici Cadaver, quolibet generis, aut dignitatis titulo præditus ille fuerit, Clerici ne deferant, ſed Laici.

Hoc præſcriptum fuit, ne confunderentur jura: quam-
143 vis enim deferre mortuos officium pietatis, & opus mi-
ſericordiæ ſit, attamen ſemper eſt actus ſervitutis, qui
a Clerico Laicis præſtanda non eſt, Lavor. T. 2. c. 2.
n. 60. 61. ubi dicit, quod nonnunquam a Perſonis e-
juſdem ordinis, & qualitatis, cujus erat defuncti corpus,
ut a Sacerdotibus, Sacerdotum; Clericis, Clericorum;
Confratribus, Confratrem corpora efferri ſolent, *Ratio-*
nal. Divin. Off. l. 7. c. 15. Unde S. Carolus *Act. 2. de*
Ritu funer. inter Laicos, qui Laici corpus efferre hor-
tantur, includit, & monet Confratres ſæculares.

In Conſtitutionibus Synodalibus diverſarum Eccleſia-
rum, & præcipue Ferrarien. *c. de Funer. & Sepult.* ſan-
citum eſt ita: *Per tres Clericos aſſiſtentes Cathedralis Sa-*
criſtia, & alium inſervientem ſodalitati Sanctiſſimi Sa-
cramenti in ipſa Eccleſia, deferantur ad ſepulchra cadave-
ra Sacerdotum, nulla etiam data mercede, ſi hoc exigat
Paupertas Defuncti: quod adamuſſim, & inviolabiliter
obſervatur.

Viros in dignitate Conſtitutos, Canonicos, Parochos, 145
& hujuſmodi ſolent deferre Viri ejuſdem ordinis, non
in toto itinere Proceſſionis, ſed pro prima elevatione,
ſci-

ſcilicet quando Cadaver e Domo deducitur per aliquot paſſus, ut ita appareat fraternæ charitatis exemplum.

146 In aliquibus locis ruralibus, vidi cadavera mulierum e Fœminis deferri, ſed non laudavi. Relinquendum eſt hoc munus Fœminis tantummodo in perpetua clauſura degentibus, ubi Virorum penuria eſt, nec ita facile illis permittitur, ut monaſteria ingrediantur.

§. XVII. Corpora Defunctorum, in Eccleſia ponenda ſunt pedibus verſus Altare majus, vel ſi ponuntur in Oratoriis, aut Cappellis, ponantur cum pedibus verſus ad illarum Altaria: quod etiam pro ſitu, & locu fiat in ſepulchru. Presbyteri vero habeant caput verſus Altare.

147 Iſte Paragraphus ſpectat ad formam diverſimodam collocandi Cadavera, dum exponuntur in Eccleſia pro Exequiis, & dum Sepulchris traduntur. Generice loquendo, ſicuti pedes hominis ſunt qui præcedunt, dum intrat Eccleſiam, ita pedes ſemper primi eſſe debent verſus Altare. Ultra quam quod eſſet quædam irreverentia, ſi Laicus terga verteret Altari.

148 Hoc vero non currit pari paſſu in Sacerdotibus. Iſtorum Cadavera poſtquam intraverint Eccleſiam, caput vertunt ad altare, ex privilegio dignitatis Sacerdotalis, per quod fit etiam, ut dum ad Altare celebrant, faciem vertant verſus populum, & terga Altari, etiam ſi in Tabernaculo claudatur Euchariſtia; quos enim ſalutamus, eis faciem præſentamus, Gavant. *Part.* 2. t. 5. *de Orat.* quod non faciunt alii miniſtri Altaris: ideoque privilegium hoc habendi caput verſus Altare in funere ſolis Sacerdotibus conceditur, non vero aliis Clericis etiam in Subdiaconatus, vel Diaconatus ordine conſtitutis.

149 Quod fit in Eccleſia pro Exequiis, idem fit etiam in ſepulchris condendo cadavera, ut etiam inter mortuos appareat hæc diſtinctio. Dicendum tamen hoc eſt, quando Sepulchri commoditas id permittat: dantur enim in aliquibus Eccleſiis ſepulchra inverſo ordine conſtructa, in quibus non ita facile condi poſſunt Cadavera, ſecundum Ritum præſcriptum: atque hac de cauſa ſubjungit Textus verba illa: *Pro ſitu*.

Antiquitus Cadavera collocabantur in Monumentis 150 diverſimoda: alia ad ortum Solis, alia ad Occaſum, Ælian. *l.* 5. *var. Hiſt.* Verum Jo. Baptiſta Rubeus *de Div. Offic. l.* 4. *cap.* 45. ait, quod debet Homo ſepeliri, ut capite ad Occidentem poſito, pedes dirigat ad Orientem. (Ita erant conſtructa omnia Templa in primitiva Eccleſia, ut Altare, quod erat unicum, ad Orientem haberent, & Portam ad Occidentem) in quo quaſi ipſa poſitione orat, & innuit, quod de Occaſu feſtinat ad Ortum; de Mundo ad ſæculum. Cadavera ſupina etiam 151 poſita legimus, quod & hodie ſervari communiter videmus.

§. XVIII. Cæterum nemo Chriſtianus in communione Fidelium defunctus, extra Eccleſiam, aut Cœmeterium rite benedictum ſepeliri debet. Sed ſi neceſſitas cogat, ex aliquo eventu, aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri poterit, corpus in locum Sacrum quamprimum transferatur; & interim ſemper Crux capiti illius apponi debet, ad ſignificandum illum in Chriſto quieviſſe.

152 Jus commune determinare pro unoquoque ſepulturam, ut nimirum debeat quiſque ſepeliri, aut in ſepulchro majorum ſuorum, aut in Eccleſia Parochiali, docet Pignatell. T. 7. *conſ.* 21. *num.* 1. ex quo provenit, ut nemo extra loca ſuperius dicta, licite ſepeliri poſſit, tam ratione Juris communis, quam ratione *l.* 5. *Cod. de Sacroſ. Eccl.* dummodo Fidelis ſit, nec impedimentum habeat, e quo ab hujuſmodi Eccleſiaſtica ſepultura arceatur, ut in ſequenti Titulo dicemus: quorum maximum impedimentum illud eſt, quod talis Homo non ſit mortuus in communione Fidelium.

Datur quandoque caſus, prout in bello, quod corpora humana nequeant deferri ad Eccleſiam, ut humentur, ſi cadavera ſint Fidelium: ſed in hoc caſu, de facili benedici poteſt locus ad uſum cœmeterii: De hac benedictione agemus ſuo loco in Titulis *de Benedictionibus*; modo

153 hoc unum dicam, Cœmeterium debere eſſe locum Sacrum, non ab officio ſuo ita factum, ſed e benedictione rite, & ſecta illi data: niſi Miſſæ in cœmeterio celebrarentur, quia in hoc caſu, quamvis cœmeterium benedictum non ſit, attamen pro loco Sacro habetur, quia ex Miſſarum celebratione ſacer efficitur, ac religioſus, adeo ut vetas ſit, quod in eo corpus excommunicati ſepeliatur, Samuel. *d. Tr.* 1. *contr.* 16. *concluſ.* 3.

Cæterum ad conſtituendum Cœmeterium benedictum

154 de per ſe, non autem proviſionale, ut in caſu ſupradicto, requiritur deputatio, cum aliis ſolemnitatibus, & Diœceſani Benedictione, prout in *Auth. de Eccleſia*, §. *ſi quis*, *de fabrica*, *cum authent. de manit.* §. *illud*.

Inſuper poteſt etiam dari caſus aliquando, in quo cadaver non poſſit humari in loco Sacro, & neceſſitas ur-

155 geat, ut ſepeliatur. Tunc poteſt ſepeliri in loco non ſacro, ſed non per hoc eſt in oblivione ponendum, adeo ut ibi requieſcat uſque ad immutationem univerſalem; limita vero, tunc cum detur facilis exhumatio hujus Cadaveris; quod ſi difficiliter exhumari, & effodi poſſet, relinquendum eſſet in ſua requie; puta ſi in flumine: ſi in Mari: ſi in Terris Infidelium, &c. Neceſſitates vero iſtas difficiliter dari poſſe credo in Civitatibus, & locis fidelium: etſi daretur, quod Tumulus adhuc ædificatus non eſſet, vel Eccleſia corrueret, facile invenirentur Cœmeteria, & Eccleſiæ, in quarum una reponi poſſet Cadaver ſaltem per modum depoſiti; niſi eſſet tota Civitas interdicta, vel totus locus, in quo tale Cadaver reperitur, ut dicemus in Titulo ſequenti.

Ad Crucem modo digrediendum eſt, de qua loquitur Textus in hoc paragrapho.

In Cœmeteriis una Crux in medio ſuper columnam 156 poſita ſufficit pro omnibus Cadaveribus in illo humatis, & humandis. Aliqui tamen ſolent Crucem parvam ligneam, vel ferream plantare ad novam foveam; in qua de recenti repoſitum ſit Cadaver, & hoc ſignat, quod Sandapilarii ſe abſtineant ibi a nova effoſſione per aliquod temporis ſpatium, donec Cadaver ibi humatum conſumptum judicari poſſit. Si vero extra locum Sacrum neceſſitate illa, quam ſupradiximus, urgente, aliquis Fidelis ſepultus eſſet, tunc Crux apponenda eſt, Lavor. *tit.* 2. 157 *c.* 6. n. 551. conſtanter dicit, quod in quocumque loco extra Cœmeterium Chriſtianus ſepeliatur, ſemper Crux capiti ejus apponi debeat, ad denotandum illum fuiſſe talem.

In hoc caſu Crux hujuſmodi in ſolo alieno infixa, ju- 158 riſdictionem non ſignificaret quemadmodum in funeribus aſſociandis, Monacelli *Apodix. p.* 1. *pag.* 551. Sed tantummodo eſſet ſignum diſtinctivum perſonæ ibi tumulatæ, ut facile in caſu exhumationis, & translationis inveniri poſſet.

Solent etiam Cruces hujuſmodi pingi, & ſignari in ca- 159 pſa, ſeu in operculo ipſius Capſæ, in qua includuntur cadavera, ſed illud ſignum non apparet niſi uſque dum extra ſepulchrum ſit: poſtquam vel in foveam vel in Tumbam immiſſa eſt, penitus latet.

Alio inſuper Chriſtianæ Religionis ſigno obſignabantur 160 in primitiva Eccleſia Chriſti fidelium ſepulchra: nempe monogrammate littera X. quam P. interſecat hoc pacto,

quod Symbolum, cum Chriſtum denotaret, indicabat, mortuos ibi ſepultos, eumdem Chriſtum in vita imitatos, & ſequutos fuiſſe, Caſal. *cap.* 66. & Macrius *Hierol.*

Sed non ſolum ſupradicta nota fidelitatis ſignabantur 161 ſepulchra: unicam etiam litteram X obſervavit doctiſſimus Caſalius in Cœmeteriis; quam litteram potius eſſe Crucem credo, illo tranſverſo modo efformatam ab im- 162 peritis Fidelibus illius ætatis, ſeu a piis fœminis, quæ Cœmeteria, & ſepulchra Chriſtianorum cuſtodiebant. Fuſius hanc rem tractant Caſalius, Fabrettus, & Paulus Aringhi *in Roma ſubterranea*, *per tot.*

QUI.

QUIBUS NON LICET DARE ECCLESIASTICAM SEPULTURAM,

TITULUS TRIGESIMUS QUINTUS.

SUMMARIUM.

1 *Parocho ſoli competit Jus ſepeliendi.*
2 *Parocho ſpectat cognoſcere quibus deneganda ſit Eccleſiaſtica ſepultura.*
3 *Parochus qui peccaret in hac ſcientia, incideret in excommunicationem.*
4 *Nomine ſepulturæ veniunt multa.*
5 *Quinam dicantur temere incurrere in Clementinam?*
6 *Opiniones variæ circa hoc.*
7 *Sententia tutior eſt, quod ſoli mandantes incurrant.*
8 *Primus qui ſentiat cenſuram, eſt Parochus aſſiſtens.*
9 *Debet tamen practice ſcire, quod qui eſt humandus, ſit excommunicatus.*
10 *Præſumptuoſi etiam ab ingreſſu in Eccleſiam interdicantur.*
11 *Eccleſia ſubjacet interdicto.*
12 *Quando tamen excommunicatus notorie eſſet talis.*
13 *Quam longe ab Eccleſia humandi ſint excommunicati.*
14 *Qui incurrit excommunicationem, propriis manibus exhumare debet Cadaver.*
15 *Pagani quinam ſint? Non baptizati, & Judæi.*
16 *Communicatio cum Infidelibus quid ſignificet?*
17 *Hæretici non gaudent Eccleſiaſtica ſepultura.*
18 *Apoſtaſia quid ſit, & quinam ſint Apoſtatæ?*
19 *Schiſmatici arcentur ab Eccleſiaſtica ſepultura.*
20 *Schiſmatici quinam dicantur.*
21 *Publice excommunicati non ſepeliendi in loco Sacro.*
22 *Interdicti nominatim non ſepeliendi in loco Sacro.*
23 *Interdictus non polluit Eccleſiam, ſi in illa ſepeliatur.*
24 *In loco Interdicto nullus poteſt ſepeliri.*
25 *Divina Officia ceſſant in loco, in quo excommunicatus ſit ſepultus.*
26 *Si difficilis ſit exhumatio, locus reconciliandus.*
27 *Se ipſum occidere nemini licet.*
28 *Ut dicatur quempiam ſe ipſum occidiſſe, multa indagine opus eſt.*
29 *Inſania, & furor excuſantur.*
30 *In dubio præſumendum favore Defuncti.*
31 *Se ipſum occidens mente ſana eſt privandus Eccleſiaſtica ſepultura.*
32 *Morientes in duello privantur Eccleſiaſtica ſepultura.*
33 *Duellum ampliatur ad Torneamenta, & ad Pugnam cum Tauris.*
34 *Morienti in ſpectaculis ſigna pœnitentiæ non proſunt.*
35 *Vulneratus ibi ſi ſupervixerit cum pœnitentia, & moriatur, non gaudet.*
36 *Duellum eſt deteſtabilius Torneamentis.*
37 *Multa concurrere debent ad hoc, ut dicatur verum Duellum.*
38 *Excommunicatio nihil limitat.*
39 *Spectatores duelli excommunicantur.*
40 *Licet apud Deum ſint abſoluti, tamen apud Eccleſiam non ſunt.*
41 *Peccatores occulti non ſunt arcendi ab Eccleſiaſtica ſepultura.*
42 *Lex Charitatis id poſtulat.*
43 *Manifeſti, & publici peccatores quinam ſint?*
44 *Signa Pœnitentiæ quænam ſint?*
45 *Signa Pœnitentiæ in publicis Uſurariis non valent.*
46 *Heredes Uſurariorum obligandi ſunt ad reſtitutionem.*
47 *Uſurarii carere debent ſepultura Eccleſiaſtica, donec fuerit plene ſatisfactum.*
48 *Qui in fragranti crimine moriuntur, non ſepeliendi in Eccleſia.*
49 *Adulter, & Adultera interfecti in actu non gaudent Eccleſiaſtica ſepultura.*
50 *Caſus adducitur Ferrariæ occurſus.*
51 *Enumeratio aliorum publicorum peccatorum.*
52 *Contumaces in adimplendo Præcepto Paſchali, non incurrunt excommunicationem.*
53 *Interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, & ab Eccleſiaſtica ſepultura.*
54 *Qui moritur antequam declaretur incurſus, gaudet.*
55 *Infantes ſine Baptiſmo computantur inter Infideles.*
56 *Et non ſunt ſepeliendi in loco Sacro.*
57 *Etiam ſi ſint extracti a ventre Matris mortuæ.*
58 *Si exiſtant in Ventre Matris mortuæ, cum Matre ſepeliantur.*
59 *In materia de ſepulturis, quæſtiones multæ oriri ſolent.*
60 *Ordinarii conſilium eſt attendendum.*
61 *Dubia in meliorem partem ſunt reſolvenda.*
62 *Appellatio non admittitur in his caſibus.*
63 *Parochi per ſe nihil reſolvere debent in hac materia.*
64 *Epiſcopus nunquam poteſt allegari ſuſpectus.*
65 *Semper eſt defenſor Immunitatis Eccleſiaſticæ.*

KIRCMANNUS Lubecenſis, in ſuo eruditiſſimo Tractatu *de Funeribus Romanorum*, *lib. 1. c. 2. in fine*; Politiæ Religionis Chriſtianæ tribuit, ſublatum uſum comburendi Cadavera, ſtrenue laborantibus in eo Sanctis Patribus, ut ex Tertulliani ſcriptis videre eſt. Non enim congruum judicabat Eccleſia, ut deleretur per ignem, memoria Chriſti fidelium, quos omnes integros, & in perfecta corporis menſura, dignos volebat Eccleſiaſtica ſepultura: niſi eos arcendos judicaret ob aliquam cauſam, quæ a Fidelium communione illos etiam mortuos ſepararet. Multæ rationes ſunt, propter quas non permittitur, imo prohibetur Fidelibus Eccleſiaſtica ſepultura, quæ omnes in hoc Titulo numerantur, ut Parochis innoteſcant; ne ad humano Cadaveri præbeant quod illi non debetur. Adeamus itaque Textum noſtrum.

§. I. Ignorare non debet Parochus, qui ab Eccleſiaſtica ſepultura ipſo jure ſunt excludendi, ne quemquam ad illam contra Sacrorum Canonum decreta, umquam admittat.

1 Cum ſoli Parocho competat jus ſepeliendi Cadavera Fi-
delium, ex dictis ſupra in antecedenti Titulo; ideo ipſi
ſupra omnes convenit diſtincte cognoſcere, quibus dene-
2 ganda ſit Eccleſiaſtica ſepultura: licet ex privilegio, non-
nullis Regularibus elargitum quoque ſit hoc jus, Pignatell.
conſ. 73. n. 75. Scientia itaque Parochi oportet, ut in hoc
ſit eximia, quia ſi contra hoc ſtatutum, & conſequen-
ter contra Sacrorum Canonum Decreta peccaret, gra-
viter eſſet puniendus, & incideret in excommunicationem
3 Clementinæ primæ *de Sepulturis*; cum hac tamen limi-
tatione, quod ad hoc ut incurratur cenſura, debet hoc
fieri temere, & præſumptuoſe.
4 Nomine autem Eccleſiaſticæ ſepulturæ, non tantum
locus ſacer, verum etiam pulſatio Campanarum, Exe-
quiæ, Luminaria, Proceſſiones, Suffragia, Miſſæ, alia-
que ſimilia in Eccleſia Catholica pro Defunctis fieri con-
ſueta, intelliguntur: propterea cui prohibitum unum eſt,
aut permiſſum; & alterum permiſſum, vel prohibitum
eſſe cenſetur, Sacerd. Brixinen. *de Exeq. c. 1. §. 12.*
pag. 276.
5 Quinam vero dicantur temere, & præſumptuoſe ſepe-
lire, ut mereant cenſuram Clementinæ, non adeo cla-
6 re definitur, nam plures ſunt ſententiæ circa hoc, quas
omnes diligenter refert Monacell. *d. T. 3. tit. 1. form.*
3. n. 5. 6. & ſeqq. Alii volunt dici innodatos hac cen-
ſura illos, qui propriis manibus Cadaver deponunt in ſepul-
turam. Alii ſuſtinent, quod non ſolum Parochus, qui
levat corpus cum ſuis Clericis, ſed etiam deferentes Cru-
cem, portitores Cadaveris, fodientes tumulum, levantes
lapidem, & Conſanguinei inſtantes, ut mortuus ſepelia-
tur, pari paſſu cenſuram incurrant. Nonnulli diſtinguunt
inter cooperantes, & mandantes, & facientes ſepelire;
& volunt quod ſoli mandantes, aut qui de facto corpus
excommunicati, ſeu excludendi tradunt ſepulturæ, ſint
excommunicati: illi vero qui comitantur funus, aut can-
tant, vel deferunt Crucem, vel luminaria ſub dicta Cle-
mentina minime comprehenduntur.
Ex his ſententiis, tutior, & in praxi ſequenda vide- 7
tur per Monacell. *d. l. num. 7.* quod ſit tertia: ſemper
vero ſtat, quod primus, qui hanc cenſuram ſentiat, eſt 8
Parochus, aſſiſtendo ſepulturæ ex Officio, tanquam ha-
bens juriſdictionem in actu illius operis.
Limitandum tamen eſt, quod ad hoc, ut quis incur-
rat, debet practice ſcire, Cadaver talis Perſonæ eſſe in- 9
ter prohibita nominatim: ſi enim hoc faceret ignoran-
tia etiam aliquo modo culpabili, vel ex gravi metu
coactus, eſſet excuſandus, quia dicta Clementina
ferit audaces, ſcientes, & præſumptuoſos, ut patet ex
illis verbis: *Qui propria temeritatis audacia, ſcienter ſepeli-*
re præſumunt. Quæ arguunt dolum, & temeritatem contrafa-
cien-

cientia, ut tradunt Gaſſ. *dec. aur. p. 1. l. 1. c. 13. num.* 94. Sayr. *de Cenſuris, l. 2. c. 4. num.* 10. Donat. *quaſt.* 39. *num.* 5. & ſequitur Monacell. *d. l. num.* 7. Qui au-
10 tem ſunt præſumptuoſi, non ſolum Cenſuram Clementinæ, ſed & Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ incurrant vigore *c. Epiſcoporum, de privil. in 6.*

11 Nec ſolum illi incurrunt, ſed Eccleſia in qua cadaver ſepultum ſuit, ſubjacebit Eccleſiaſtico interdicto ſimul cum ſuo Cœmeterio, *ad text. in cap. conſuluiſti, de conſecrat. Ecc.* Ciarlin. *Controv. l. 1. cap. 86. num. 29. 30.*
12 quod intelligi debet quando vel Infidelis, vel Hæreticus, vel Excommunicatus notorie eſſet talis, quia ſi eſſet occultus, non eſſet vitandus, & per ejus ſepulturam locus ſacer non violaretur, *c. Sacris, de ſepultur.* Laymann. *lib. 5. c. 5. numer. 8. verſ. 4.* Ideoque ſatis erit, Cadaver dicti excommunicati, vel ſimilis indigni, poſtquam notitia ad Parochum pervenerit, exhumare, & ejicere extra locum Sacrum, ſi fieri poteſt, ut in *d. c. Sacris, de ſepult. gloſſ. in d. can. conſuluiſti,*
13 *de conſecr.* Quantum longe vero ab Eccleſia, ſeu e loco Sacro humandi ſint qui ſepulturæ Eccleſiaſticæ privantur, docet Samuel. *Tr. 2. contr. 7. concl.* 20. ubi ait: Ita longe ab Eccleſia ſepelienda eſſe illa cadavera, ut Clericorum cauentium voces inde minime audiri valeant, Abb. *in Sacris, num 3. de ſep.* Lavor. *d. n. 66. c. ix. & alii.* Ratio vere frigida, & inſulſa.

Idem dicendum de Cadaveribus exceptis ſi exhumanda eſſent ab eodem, qui ea ſepelivit, hinc patet intellectus ad text. in *cap. 2. de hæret. in 6.* allegat. a Spetell. tit. 2. *dec.* 106. *num.* 43. ubi Alexander IV. ſtatuit,
ſepelientes hæreticos, eſſe ipſo facto excommunicatos, nec 14
abſolvendos fore, niſi prius *propriis manibus* publice exhumulent, & projiciant hujuſmodi corpora : cum enim propriis manibus id agere debeant, per Procuratorem facere nequeunt, ut habetur ibi per *gloſſ. in verb. propriis manibus*; quæ tamen peculiarem reddit rationem petitam ex S. Paolo *c. 6. Rom.* ut nempe, ſicut exhibuerunt membra ſua ſervire iniquitati : ita exhibere debent illa ſervire juſtitiæ. Et quod exhumatio hujuſmodi propter illa verba, *propriis manibus* in textu appoſita, per Procuratorem fieri nequeat, tradunt communiter ſcribentes, teſte Menochio *de præſumpt. l. 2. præſ. 21. num.* 7. Et ante eum Jaſon *in l. ſi is, qui pro emptore, num. 74. ff. de uſucap.* Sed ad enumerationem veniamus illorum, quibus deneganda eſt Eccleſiaſtica ſepulturæ ad tenorem noſtri Textus.

§. II. Negatur igitur Eccleſiaſtica ſepultura Paganis, Judæis, & omnibus Infidelibus, Hæreticis, & eorum Fautoribus; Apoſtatis a Chriſtiana Fide; Schiſmaticis, & publice excommunicatis majori excommunicatione; Interdictis nominatim, & iis, qui ſunt in loco interdicto, eo durante.

15 Pagani, ſive Idololatræ, Turcæ, & non baptizati, ſimul cum Judæis veniunt ſub nomine Infidelium : quapropter iſtis omnibus deneganda eſt Eccleſiaſtica ſepultura, ſi noti ſint, & tales communiter habeantur, eo quia cum quibus non communicamus vivis, nec defunctis communicare debemus, Sacerd. Briainen. *diſt. 9. de ſepult. §. 13.* Sepultura enim eſt quædam ſpecies commu-
16 nicationis in divinis, Ricciull. *de Infid. l. 4. c. 60. num.* 15. Iſta communicatio non debet intelligi pro converſatione, & negotiatione cum ipſis, ſed pro communione in religione, & fructu ſpirituali : nam ſepultura, quamvis ſit aliquid materiale, tamen reſpicit quid ſpirituale, ſcilicet quietem Animarum, licet e corporibus ſeparatarum, & requiem corporum ad expectationem magni Judicii, Lavor. *d. l.*

17 Hæretici inſuper non gaudent privilegio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, nec pro eis orandum eſt, *Text. expreſſ. in c. ſicut, extra de hæret. & ibi gloſ.* ubi variæ pœnæ ponuntur contra dantes eis ſepulturam Eccleſiaſticam, & ipſa Eccleſia manet polluta quouſque illorum corpore ab ea non expellantur, & reconcilietur, *c. Eccleſiam, de conſecr. diſt.* 1.

Præter Hæreticos, veniunt etiam Fautores, Receptatores, & Defenſores illorum, ac eis credentes, Samuel. *d. Tr. 2. controv.* 9. Nomine autem Fautorum veniunt legentes, & retinentes libros Hæreticorum & dicuntur tribus modis, ex omiſſione, vel negligentia; ex cooperatione, & facto; item ex conſilio, & verbis. Inſuper tales dicuntur qui conſilium, & auxilium dant Hæreticis; qui laudant Hæreticos, qui mutuant Pecuniam, vel illis alimenta præſtant : non vero ex hoc poſſent dici Hæretici, quamvis vehementer oriatur ſuſpicio hæreſis. Pariter dicuntur Fautores, Inſſmentes Hæreticos ad celandam veritatem, quando fuerint examinati, & perſuadentes ad negandum Hæreſim, quam tenent : Item Fautores Apoſtatarum reputantur Fautores Hæreticorum, qui Hæreticos non revelant; Non vero tales dicuntur privatæ Perſonæ negligentes in fugandis, capiendis, & puniendis Hæreticis : ubi vero poſſent corrigere, & revocare ab errore, & non fecerent, inter fautores numerarentur. Demum tales dicuntur impedientes Sanctum Inquiſitionis Officium in punitione Hæreticorum : eximentes e manu curiæ Hæreticum jam captum, & multo magis favore hæreticorum, ſeu liberantes Hæreticum captum, precibus, aut pecunia. Supponentes ſe in manibus Curiæ, loco Hæretici, quem ipſa Curia quærit capere, liberando verum hæreticum : Receptantes Hæreticum publice, & palam, ſed animo eum occultandi : Viſitantes Hæreticos : Inquiſitores, & Epiſcopi, innocenter doloſa inquirentes, vel contra Hæreticos procedere negligentes : imo iſti ſunt ſuſpecti de Hæreſi, & alii, quos affert magnus Farinaccius, in ſuo elucubratiſſimo Tractatu de Hæreſi, *Capitibus, ſeu quaſtionibus* 178. *uſque ad* 192. incluſive *per totum*, ubi Doctrinas, & limitationes invenies, diverſis caſibus aptandas, cum quibus concludit, hujuſmodi Fautores carere debere Eccleſiaſtica ſepultura, nec pro eis orandum eſſe, *d. q. 92. §. 5. n. 40.*

18 Apoſtatæ item ſepultura carent Eccleſiaſtica : Cum Apoſtaſia ſit -- Temerarius receſſus a ſtatu fidei, vel obedientiæ, vel Religionis quam quis profeſſus eſt ſe tenere : inde Apoſtata nuncupari poteſt deſertor a Fide, vel obedientia, vel Religione, quam profeſſus eſt, Farinacc. *d. q. 183. num. 2. 3. §. 1.* Hinc merito veteres Chriſtiani, eos, qui ab Evangelica Fide, quam ſemel profeſſi fuerent, ad Paganiſmum, aut Judaiſmum deſciſſent, infami vocabulo Apoſtatas nominabant, quod ſcilicet a Chriſto, cui ſemel nomen dederant, ad Satanam, quem in lavacro Baptiſmi Sacroſancti abjuravarant, deſciviſſent, Franc. Pegna *in add. ad Emerich, in director. Inquiſ. p. 2. q. 49. commentar.* 74. Iſta ſeparatio itaque adeo peccaminoſa eſt, ut, quamvis in aliquo differat ab Hæreſi, tamen æquat Hæreſis deformitatem, Ricciull. *de jur. perſon. l. 6. c. 4. num. 1. & 4.* ideoque repelluntur indigni Eccleſiaſtica ſepulturæ qui in eam lapſi ſunt.

Schiſmatici inſuper arcentur ab Eccleſiaſtica ſepultura, 19
& ii ſtrictiſſime, & proprie dicuntur, qui diviſi ab unitate Eccleſiæ Romanæ conantur ſuos Epiſcopos, Pre- 20
sbyteros, & conſtitutiones facere, Eccleſiæque Romanæ conſtitutiones contemnunt, Farinacc. *d. q.* 184. *num.* 8. & Ricciull. *dict. l. 9. c. 2. n.* 7. quia non habent claves Cœli, & omnino ſunt extra Eccleſiam, & ab ejus unitate disjuncti, Bellarm. *l. 3. de Eccl. Milit. c.* 5. & alii.

Ut vero quis poſſit dici talis, requiritur quod antea habuerit Eccleſiæ Unitatem; & propterea tales non ſunt Judæi, vel Infideles; quia nunquam Eccleſiæ adhæſerunt; ſicuti neque tales ſunt ſubditi alicujus Principis laici, qui in rebus temporalibus recuſant Judicium Papæ, Ricciull. *l. 9. c. 1. num.* 12.

Aliam definitionem magis claram afferam pro explicatione hujus Paragraphi. Schiſma eſt diviſio, per quam quis ab unitate Eccleſiæ ſe dividit, in quantum ea eſt corpus myſticum conſtans ex Univerſis Fidelibus, & Romano Pontifice tamquam Capite, prout a S. Thoma 2. 2. *q. 39. art.* 1. communiter explicant Doctores : Schiſma ab Hæreſi differt in hoc, quod hæreſis opponatur fidei directe, ejus veritatem negando; Schiſma vero directe repugnat Charitati, ſcindendo unionem Eccleſiæ, quæ in charitate conſiſtit. Hinc omnis hæreticus eſt eo ipſo etiam Schiſmaticus, utpote per erroneа dogmata ab Eccleſia ſeparatus; ſed non omnis Schiſmaticus eſt eo ipſo Hæreticus, quia non eo ipſo, quod quis ſeparat ſe ab unione, ſeu obedientia Eccleſiæ, ſectatur errorem contra fidem; quamvis poſtea non diu perſiſtet Schiſma abſque hæreſi, ut dicitur *Can. inter hæreſ.* 24. *q.* 3.

Item publicis excommunicatis majori excommunicatio- 21
ne prohibetur Eccleſiaſtica ſepultura. Eſt enim regula indubitata, ut alias diximus, quod excommunicatus denunciatus, vel publicus, & notorius Clerici percuſſor (ſunt enim iſtæ excommunicationes *majores*) moriens ante abſolutionem obtentam ab eo, qui eum poterat abſolvere ni. vum, vel ſaltem a Sacerdote in articulo mortis, etiamſi ſigna pœnitentiæ, & contritionis dederit, in loco Sacro ſepeliri nequit, Textus eſt *in c. a nobis 28. de ſent. excomm.* Bonacina *de Cenſur. diſp. 2. q. 2. punct. 3. §. 3. num.* 7. Sayr. *de Cenſur. l. 2. c. 4. nu.* 13. Paſſerin. *de ſtatu hom. v. 1. de ſepult. in 6. num.* 51. Monacell. *d. T. 3. tit. 1. form.* 38. *num.* 12. ubi reprobat quoſdam Doctores, qui abſque modificatione, abſolute aſſerunt, quod excommunicati denuntiati decedentes cum ſignis contritionis, & pœnitentiæ, poſſint in Eccleſia ſepeliri, vel in loco Sacro : ſed hoc intelligendum eſt poſtquam tales excommunicati fuerint poſt mortem abſoluti in forma Eccleſiæ, ut in Titulo *de Ritu abſolvendi excommunicatum jam mortuum*, latis diximus. Signa enim Pœnitentiæ ad hoc non valent,

lent, ſed ad hoc, ut ſuperior cui talia excommunicatio erat reſervata, poſſit poſt mortem eum indirecte abſolvere, quem alias ſine Pœnitentiæ ſignis non abſolveret, *c. Sacris* 38. *de ſen. excomm.* quæ abſolutio eſt neceſſaria, ut in loco Sacro ſepeliatur, pro eo oretur, & ſuffragia celebrentur pro illius Anima, ut docent Sayr. & alii apud Monacell. *d. l. n.* 13.

22 Demum Interdictis nominatim, & iis, qui ſunt in loco, interdicto durante, dari non poteſt Eccleſiaſtica ſepultura. Igitur de Interdicto ſermo habendus eſt. Interdictum eſt cenſura Eccleſiaſtica (ut diximus in Titulo de Sacramento Pœnitentiæ) per quam, inter alia, prohibetur participatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, *cap. non eſt vobis*, 11. *de ſponſal.* & dividitur in Interdictum locale, & perſonale.

Si quis igitur ob hac cenſura innodatus ſit, eſt ab Ec- 23 cleſiaſtica ſepultura arcendus: Sed ſi ſepeliatur in illa, non polluit Eccleſiam, cum hoc ſit in jure expreſſum, ut advertunt Sayr. *de cenſur. l.* 5. *c.* 16. *n.* 22. Pirhingh. *Jur can. l.* 3. *t.* 40. *num.* 13. Et ſic in tali caſu Eccleſia nulla indiget reconciliatione, quamvis ſcienter ſepelientes incurrant excommunicationem a Clementina inflictam.

24 Si vero locus interdictus ſit, de conſequenti venit, ut qui in illo habitant, non poſſint uti beneficio ſpirituali illius: & ſic durante locali Interdicto, ab omni jure Eccleſiaſticæ ſepulturæ prohibeantur, Monacell. *ibid.* ſed fuſius *in Prælud. ad T.* 3.

Ultimum reſtat, ut dicamus de Cadavere excommunicati ſepulto, ſed non abſoluto, quamvis dederit ſigna pœnitentiæ. Hoc non eſt neceſſe, ut exhumetur, ſed poterit abſolvi, & ſic illud ſepultum relinqui. Interim tamen, eo tempore, quo expectatur facultas abſolvendi, & nutum eſt ibi jacere Cadaver talis excommunicati non abſoluti, nec locus pollutus reconciliatur, non poterunt in illo loco Sacro nec Divina officia celebrari, nec alia cor- 25 pora ſepeliri: unde ſi non poſſit ſepultus excommunicatus ſtatim abſolvi, vel debebit exhumari, vel relinqui locus ut violatus; quod ultimum non eſt ita facile faciendum: non enim debet Populus remanere privatus Divinis Officiis, & Eccleſiaſtica ſepultura ob culpam alterius, ita Monacell. *d. l. n.* 16. cum Paſſerin. *de ſtat. hom. c.* 5. *de Sepult. ex* 6. *num.* 51. Si vero corpus excommunicati ab 26 aliis cadaveribus diſcerni, & ſeparari nequeat, vel ſit magnum periculum ſalutis, ſi moveatur fœtor ſepulchri, tunc erit ſaltem locus ſacer reconciliandus, ut tradunt Sayr. *de cenſur. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 11. Franc. *de Eccl. Cath. c.* 26. *n.* 175.

§. III. Seipſos occidentibus ob deſperationem, vel iracundiam (non tamen ſi ex inſania id accidat) niſi ante mortem dederint ſigna pœnitentiæ.

Deſcendit Textus a caſibus univerſalibus ad caſus particulares; & jam primo expoſitis quibuſcumque ab Eccleſiæ gremio ſeparatis, venit ad præcipuos caſus, ob quos poteſt dari, ut alicui deneganda ſit ſepultura Eccleſiaſtica: & primo ponit Homicidas ſui ipſius.

In hac materia optimas controverſias movet Samuel. *d. Tract.* 2. *contr.* 4. *per tot.* & ponit concluſiones ſatis 27 notabiles, Se ipſum occidere nemini licet, *c. quibus* 13. *q.* 2. *c. placuit* 23. *q.* 5. *& alibi.* Sed multa indagine 28 opus eſt, ut concludenter dicatur, aliquem ſe ipſum occidiſſe, & exhalaſſe Animam poſt vulnus, vel aliud ſibi inflictum, abſque ſigno contritionis, vel de ſe ſibi mortem intuliſſe, ex deſperatione, vel iracundia, vel induſtria, & non potius fuiſſe ab alio illi illatam mortem, vel hanc non proveniſſe ex juſta cauſa, prout eſſet metus, vel cauſa evadendi malum impendens, vel ex joco, vel ignorantia præcipitii.

Excuſatur tamen Inſania, & Furor proveniens e mor- 29 bo, quia in hoc caſu Homo non eſt compos mentis, nec ſui juris, & quidquid agit, vel patrat, non imputatur illi ad culpam ſi ſit minus conveniens, *c. ex parte, de ſepult.* In quocumque vero caſu non omnino 30 claro, ſemper bene fit, præſumendo ad favorem Defuncti circa ſepulturam, cum ſepulturæ privatio ſit pœna gravis fidelibus impoſita, ob male voluntarie perpetrata: Nemo enim præſumitur delinquere niſi probetur, *leg. merito, ff. pro Socio*, Socin. *Vol.* 2. *conſ.* 51. Gennen. *Prax. cap.* 61. *n.* 20. Navar. *conſ.* 7. Samuel. *d. Tract.* 2. *contr.* 5. *concl.* 2. *num.* 7. *&* 8.

Quando vero minime ex inſania, vel furore a morbo 31 proveniente, vel ab alio, vel accidentaliter, hæc mors illata probari poteſt: tunc procul dubio iſte talis privandus eſt Eccleſiaſtica ſepultura, *ex c. placuit* 23. *q.* 5.

§. IV. Morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint ſigna pœnitentiæ.

32 Valde rigoroſa eſt præſcriptio hæc noſtri Ritualis, ſed admodum neceſſaria ad deſtruendam, & eliminandam corruptelam, quæ totum Mundum Catholicum infeſtabat. Propterea Doctores, & Canones ampliaverunt no- 33 men Duelli ad Torneamenta, & ad pugnantes cum Tauris in ſpectaculis, quibus ſi occurrat miſere mori in ta- 34 li pugna, ſigna pœnitentiæ nihil proſunt, & ſepultura Eccleſiaſtica eis interdicta, *ex c.* 1. *&* 2. *de Torneamentis, & ex Conſtitutione S. Pii V. incipien. De ſalute, quæ eſt* 48. *in ordine, edita anno* 1567. & ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 19. *de Ref.*

Inter Doctores vero Hoſtienſis eſt præ cæteris terri- 35 bilior; nam *cap.* 1. *extra, de Torneament.* aſtruit, quod etiam ubi quis vulnus lethale accepit, & poſtea ſupervixerit, ac pœnitendo, receperit omnia Sacramenta, tamen perpetuo carebit ſepultura Eccleſiaſtica ad aliorum exemplum, & terrorem: nam hæc conſtitutio condita eſt in deteſtationem Duelli: ideo neque ſuffragari poteſt confeſſio Sacramentalis facta, niſi ſpeciali modo Papa diſpenſet, *Conc. Trid. cap.* 19. *ſeſſ.* 25. *de Refor. verb. Careat.* Et ſæpius Sacra Congregatio ita declaravit, & ita obſervat Sacra pœnitentiaria, quæ in facultatibus abſolvendi in caſibus Duelli, de incurſis, ſeu commiſſis uſque ad diem receptionis litterarum, declarat, abſolutionem non ſuffragari, quominus Eccleſiaſtica ſepultura careant, ſi ex Duello decedant: quod peritis Confeſſoribus ſatis innoteſcit.

Similiter veniunt qui vel accipiunt vulnus, vel moriuntur in Torneamentis ex *d. cap. de torneam.* ubi hæc habentur: *Si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti pœnitentiam non negetur, Eccleſiaſtica tamen ſepultura careat.* Tamen duellorum uſus eſt deteſtabilior uſu 36 Torneamentorum: quia in hoc vires oſtentandi ſtudium tantummodo apparet, at in Duello, occidendi invicem homines.

Et licet ad hoc ut vere illa pugna, ſeu diſfidatio ap- 37 pelletur Duellum formatum, multa concurrere debeant, nempe loci, horæ, Patrinorum, Armorum, & aliarum rerum aſſignatio, nihilominus Conſtitutiones Summorum Pontificum clare loquuntur, & ampliant hanc pœnam, illam extendendo non tantum ad committentes, vel provocantes, ſeu cooperantes, ſed ad Duellum mi- 38 nus ſolemne, ſeu diſfidationem, ut allegat. a Samuel. *d. Tract.* 2. *contr.* 8. *concl.* 3. *num.* 10. *& concl.* 8. *n.* 8. ubi ſpecifica in hanc pœnam, quæ latæ ſententiæ declaratur a Tiraquell. *in l. ſi unquam, verb. revertatur*, n. 16. declarantur incurrere etiamſi fuerint provocati, & qui conſilium, & auxilium dederint duellandi, tam in jure, quam in facto, aut alia quacumque ratione ad id quemquam ſuaſerint: Nec non ſpectatores excommunicantur, & perpetuæ 39 maledictionis vinculo tenentur, ac perpetuo ſepultura Eccleſiaſtica priventur. Atque hæ pœnæ impoſitæ a Jure ſunt, quia ſic morientes, nondumque abſoluti ab excommunicatione juxta formam *cap. a nobis* 2. *de ſent. excomm.* licet ſint apud Deum fortaſſe abſoluti, tamen apud Ec- 40 cleſiam pro abſolutis non habentur; & ideo in hoc caſu conceditur Sacramentum abſque ſepultura, ut magis conſulatur vivis, quam mortuis, & alii terreantur, & ab his abſtineant, cum viderint illos a pia Matre Eccleſia non amplecti, imo arceri, & in campis ſepeliri, Samuel. *d. concl.* 6. *n.* 20.

§. V. Manifeſtis, & publicis peccatoribus, qui ſine pœnitentia perierunt.

41 Ex hoc infertur, quod peccatores occulti non ſunt Eccleſiaſtica ſepultura privandi. Tum quia Lex charitatis id 42 poſtulat, ne occultum peccatum manifeſtetur; tum etiam quia decet actum publicæ poteſtatis, gubernationis, & diſpenſationis exerceri ſecundum publicam notitiam, non vero ſecundum privatam ſcientiam Diſpenſantis, vel Rectoris: alioquin perturbationes multæ, ſcandala, injuriæ oriri facile poſſent. Hic quæri poſſet quinam dicantur manifeſti, & publici peccatores; de his diximus in expli- 43 catione tituli *de SS. Euchariſtiæ Sacramento*: ideoque nihil hic habeo, quod ſubdam, niſi quod talibus peccatoribus manifeſtis neganda eſt Eccleſiaſtica ſepultura, cum de eorum Pœnitentia, & emendatione non conſtat, & publico ſcandalo prius non ſatisfecerint.

Signa vero hujus Pœnitentiæ, & emendationis eſſe 43 poſſunt, ſi in mortis articulo ſe emendaverint confitendo, ſive Sacramenta petendo, & alia, prout pietas, & cordis contritio ſuggerat. Ad probandum tamen, quod talia ſigna dederint Pœnitentiæ, ſufficit unicum teſtimonium, *ex c. qui recedunt* 26. *q.* 6. quod eſt tamen intelligendum, quando peccatum non eſt occultum, ſed manifeſtum, & publicum in Parochia; quoniam ſi dubium eſſes,

ſet, aut occultum, contrarium eſt aſſerendum, quia tunc Eccleſiaſtica ſepultura illi dari debet, non vero manifeſtari peccatum alterius occultum, Samuel. *d. Tr.* 2. *contr.* 7. *concl.* 2. *num.* 4. *&* 5.

Quamvis tamen ſigna contritionis, & Pœnitentiæ in aliquibus peccatoribus valeant, puta in Blaſphemis, Inceſtuoſis, Homicidis, & aliis, non par hoc valent in publico Uſurario, quia licet Confeſſionis, Communionis, & 45 Extremæ Unctionis Sacramenta perceperit, tamen ſi uſuras quas debet, & poteſt, non reſtituat, aut de reſtituendis, ipſe, ſeu Hæredes ſui non promittant, caveantque, Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradendus non eſt, Sacerd. Brinin. *diſt.* 9. *de exeq. & ſepul. c.* 1. *num.* 12. Quod & dicendum eſt de omnibus iis peccatoribus, qui ſaltem in articulo mortis Eccleſiæ reconciliati, quibus debent, & poſſunt, non reſtituerent. Quod ſi ſtatim fieri nequeat hæc reſtitutio, & agnoſcat Infirmus hanc veritatem, quod non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, tunc coram 46 Teſtibus ſevere præcipere debet Hæredibus ſuis, quatenus quam poſſunt citiſſime, talis, vel talis rei, pecuniæ, vel Boni, reſtitutionem, ſive ſolutionem facere velint, ac debeant. Vel ſi neque hoc tutum videatur, hæredes, falſum Teſtamento, aut eo jam confecto, & occluſo, per Codicillum, ad reſtitutionem quam ſtrictiſſime cogantur, Parocho, aliiſque bonæ conſcientiæ Viris executoribus conſtitutis. In his tamen, & ſimilibus, ita caute, & circumſpecte procedatur, ne læſio famæ, nec Confeſſionis, aut peccati occulti revelatio directe, vel indirecte, ſubſequi valeat, Sacerd. Brinin. *de Sacr. Euchariſt. diſt.* 5. *c.* 6. *num.* 9.

Alia, & quidem digna ſcitu, circa publicos Uſurarios notat Samuel. *dict. Tract.* 2. *Contr.* 7. *concl.* 16. 17. 18. *a num.* 34. *ad* 38. ubi notabile illud eſt, nempe licet Uſurarii mandaverint reſtitui Uſuras in ultima voluntate, tamen ad- 47 huc carere debent ſepultura Eccleſiaſtica donec plene fuerit ſatisfactum: & ſi hæredes parati fuerint reſtituere, vel pro reſtitutione voluerint dare cautionem, adhuc etiam non ſunt in Sacro humandi, *c. quamquam, de Uſuris in* 6. Nam in peccato deceſſerunt. Igitur prius Hæredes, ad quos Bona pervenerunt, debent cenſuris compelli, ut pro illis ſatisfaciant. Manifeſtus autem Uſurarius, eſt qui convincitur ex ſuis ſcriptoris, vel ad hoc tenet publicam menſam paratam.

Veniunt etiam ſub nomine manifeſti, ac publici Peccatoris, ſine Pœnitentia defuncti, illi, qui in fragranti 48 crimine mortui ſunt, utpote Latrones, Fures, Blaſphemi, Perjuri, & hujuſmodi, quocumque modo mortaliter peccantes, in actu peccati violenta, vel ſubitanea ſint morte correpti. Unde ſepultura Eccleſiaſtica omnino privandus eſt qui in actu venereo peccaminoſo, morbo correptus loquelam amiſit, & poſtea mortuus fuerit abſque ſignis doloris, & Pœnitentiæ. Pariter Adulter, & Adultera in fra- 49 granti crimine interfecti abſque ſignis contritionis, & nullo fida digno atteſtante, hæc oſtendiſſe, Samuel. *d. Concl.* 7. *num.* 15. Quod ſervarem vidi de anno 1709. hic Ferrariæ tempore Cl. Mem. Card. de Varme, Epiſcopi, cui 50 eum denunciatum foret, quadam nocte occiſos fuiſſe duos Adulteros in actu venereo, e Marito Fœminæ repertos, & invaſos, Fœminam omnimode, quæ illico poſt inflictum vulnus expiravit, licet nomen Sanctiſſimum Jeſu invocaverit, in Pomærio ad Arcem ſepeliri mandavit, nullo ritu Eccleſiaſtico adhibito. Viro autem adultero, qui per horas aliquot vulneri ſupervixit, & Sacramento Pœnitentiæ munitus obiit, Eccleſiaſticam ſepulturam elargiri, miſericorditer indulſit.

Similiter Eccleſiaſtica ſepulture circa illud tempus, negata fuit in quodam oppido cuidam Latroni, qui occiſus fuit actu eodem, quo equos e Paſcuis abigebat, ac uni illorum inſidebat fugiendo, eo quia non præſumitur mori contritus qui moritur in crimine, *c. Fures, de furtis*, ubi Abb.

Nonnulli alii impœnitentes Peccatores veniunt ſub hac Rubrica, quos omnes enumerat S. Carolus, *in Act. p.* 4. Lavorius, Barboſa, Samuel, & alii Authores: Suntque publici, ac notorii clericorum percuſſores, nulla facta de- 51 nunciatione ſeu declaratione: Clericus, vel Sacerdos qui in Eccleſiam excommunicatum admiſit: Clerici concubinarii: Meretrices, quæ ſe exponunt publica lupanari, Scannaroi. *de Viſit. Carc. l.* 5. *c.* 4. *num.* 35. Concubinarius, & Concubina ſimul inventi mortui: Raptores mulierum: Religioſi proprietarii: ſuſpenſi furcis, & mortui impœnitentes: necnon & alii, pro quibus omnibus eſt eadem ratio adæquate, quia Eccleſiæ non conſtat, eos oſtendiſſe ſigna doloris, & actus pœnitentiæ feciſſe per perſonam fide dignam.

§. VI. Iis, de quibus publice conſtat, quod ſemel in anno non ſuſceperint Sacramenta Confeſſionis, & Communionis in Paſcha, & abſque ullo ſigno contritionis obierunt.

De obligatione ſuſcipiendi Sacramenta Confeſſionis, & Communionis ſaltem in Paſchate jam multa diximus: & circa modum denunciandi, & puniendi illos. Pro explicatione hujus §. dicam, Contumaces in adimplendo 52 Præcepto Paſchali non incurrere excommunicationem, ut perperam multi opinantur: nam *cap. omnis utriuſque, &c. & ibi gloſſ.* nihil de hac pœna loquuntur, ſed tan- 53 tummodo de interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, & privatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ ſermo habetur, Monacell. *d. T.* 5. *tit.* 5. *f.* 16. *n.* 5. Hæc enim, ait ipſa, mitior eſt pœna, cum a divinis ſolummodo ſeparet: illa etiam, quæ divina non ſunt, adimat, *Sayr. l.* 5. *cap.* 1. *num.* 8.

Admonendi tamen ſunt Parochi, juxta Monacell. *d. l. n.* 5. quod qui præceptum Paſchale non implevit, ſi de- 54 cedat antequam per edictum declaretur incurſus pœnam interdicti, ſepeliendus eſt in loco Sacro, quia non ſubjacet pœnæ donec declaretur, juxta reſponſ. *S. C. Ep. Vic. Generali Cajetano* 14. *Junii* 1595. niſi intermiſſio ſit notoria, vel adſit ſtatutum Synodale in contrarium, *S. C. Ep. in Boren.* 15. *Decembris* 1596.

§. VII. Infantibus mortuis abſque Baptiſmo.

55 Quamvis e Parentibus Fidelibus progeniti ſint, & omni actuali culpa immunes, attamen in numero Infidelium computantur Infantes non uſum rationis habentes, qui ſine Sacro Baptiſmo decedunt, eo quia nondum per januam Sacramentorum ingreſſi ſunt in Eccleſiam: ideoque cum non communicent cum Fidelibus vivi, neque mortui communicare debent, & per hoc non gaudent 56 Eccleſiaſtica ſepultura: atque in hoc omnes DD. concordant. S. Carolus, *Act. p.* 4. addit etiam Infantes, ſi 57 ſi de ventre matris mortuæ ſint extracti: quod ſi in ventre matris mortuæ mortui exiſtant, tunc extrahendi non ſunt, ut extra loca Sacra ſepeliantur, ſed cum ma- 58 tre ſepeliri debent, quia cum ea faciunt unum, & idem, ut jam diximus in *Tit. de Baptizand. Parvulis*; & Filius eſt cenſendus pars ventris defunctæ Matris.

§. VIII. Ubi vero in prædictis caſibus dubium occurrerit, Ordinarius conſulatur.

59 In hac materia dubiæ ſepulturæ, oriri ſolent quæſtiones, & dubitationes frequentiſſimæ: quapropter ſemper Ordinarii conſilium, ſeu decretum attendendum eſt. At- 60 que in hoc caſu difficultates, & dubia ſemper in meliorum partem interpretanda eſſe, niſi alias adſit in contrarium, aliqua probabilitas denegandi ſepulturam, habemus ex *cap. juſtis, extr. de ſepult. & c. non æſtimemus* 61 23. *q.* 2. *& c. Eccleſiam, diſt.* 5. *de conſecrat.* & ratio eſt, quia in dubiis eſt reo favendum, *Reg.* 68. *Juris in* 6. *favorab.* & hoc etiam ſi pars contraria intenta, ut non ſepeliatur, appellet; cum in tali caſu, appellationi dari 62 locus non liceat, nec debeat; quia Cadaver dilationem non admittit ob ſui facilem corruptionem, nec eſt appellatio admittenda quoties res tempore perit, Samuel *d. Tr.* 2. *de ſep. privat. contr.* 8. *concl.* 8. *n.* 27. *&* 28.

Igitur vigore hujus Rubricæ monentur Parochi, ut 63 ut nunquam in rebus dubiis ex ſe ipſis reſolvant, ſed ad Ordinarii conſilium accedant; Ita enim quidquid in reſolutione eveniat, Parocho nulla culpa tribuitur: Poteſt enim reſpondere: Ita factum eſt, Authore Prætore: eo magis quia in caſibus ſimilibus Epiſcopus non poteſt allegari ſuſpectus, cum hæc ſit quædam ſpecies defenſio- 64 nis Immunitatis Eccleſiaſticæ, pro qua habetur *Decre-* 65 *tum S. C. in Oſtunen.* 20. *Martii* 1610. allegat. a Monacell. *T.* 3. *Tit.* 1. *form.* 6. *n.* 16. Vide Muſart. *Manual. Paroch. p.* 2. *c.* 6. *n.* 6.

EXEQUIARUM ORDO,

TITULUS TRIGESIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

1 *Conſuetudo in materia Funerum multum operatur.*
2 *Niſi aliquid ſuperſtitionis contineat.*
3 *Ritus a Rituali praeſcripti omitti non poſſunt.*
4 *Singuli Ritus habent ſuam peculiarem ſignificationem.*
5 *Tempus, & hora funeris determinari debet a Parochis.*
6 *Non poteſt eſſe niſi poſt ſpatium viginti quatuor horarum.*
7 *Funus, & Exequiae curandum eſt, ut fiant mane.*
8 *Cadavera non debent ſepeliri tempore concurſus.*
9 *Nocturno tempore fieri poſſunt funera.*
10 *Foeminae omnino repellenda ab Eccleſia tempore nocturno.*
11 *Prope noctem ducenda ſunt funera.*
12 *Convocare clerum ad funus ſpectat ad Parochum.*
13 *Numerus Religioſorum ſtatui debet ab Haeredibus.*
14 *Regulares impediri non poſſunt, quin Cadavera aſſociemus.*
15 *Parochus aſſignare poteſt quoslibet, aſſignato numero ab Haered.*
16 *Epiſcopus non poteſt cogere, ut vocentur Clerici Eccleſiae Cathedralis.*
17 *Praeferendi ſunt Clerici qui Eccleſiae Parochiali inſerviunt.*
18 *Populus ad funus vocabatur cum tintinnabulis.*
19 *Hodie pulſantur Campanae ad convocandos fideles.*
20 *Pro re mortuali Campana pulſatur per tres vices.*
21 *Samuel addit alias vices pro pulſatione Campanarum.*
22 *Pro Viris adultis tria ſigna dantur.*
23 *Pro Foeminis duo ſigna dantur.*
24 *Pro Sacerdotibus tum Saecularibus, tum Regularibus quinque.*
25 *Majora pro Epiſcopis, & Papa.*
26 *Nulla merces debetur pro ſignis, niſi pro Campanario.*
27 *Inter expenſas funerum enumerantur illae pro Campanis.*
28 *Loco Parochi intelligitur Capellanus.*
29 *Color niger funebris eſt.*
30 *Pluviale quando in funeribus adhiberi ſoleat?*
31 *Poteſt etiam deferri in aſportatione Cadaverum.*
32 *Birretum deferri debet.*
33 *Pilei uſus permittitur tempore pluvio.*
34 *Crux una tantum de jure eſt erigenda in funeribus.*
35 *Scriptores varii hujus materiae.*
36 *Abuſus repellendi Crucem.*
37 *Conſtitutio Benedicti XIII. circa Crucem in funeribus.*
38 *Plures Cruces hodie poſſunt intereſſe funeri.*
39 *Confraternitates nullo modo erigebant Crucem.*
40 *Puellae Conſervatoriorum erigunt Crucem.*
41 *Quando intereſt Capitulum, ipſum ſolum erigit Crucem, & defert Stolam.*
42 *Minor Sacerdos cedit majori.*
43 *Capitulum cum ſtola intrat Eccleſias Regularium.*
44 *Cum Cruce non poteſt funeri aſſiſtere in Eccleſiis Regularium.*
45 *Stola non tantum eſt ſignum Juriſdictionis, ſed diſtinctionis.*
46 *Eſt Stola ſignum Parochialis dignitatis.*
47 *Clericus debet portare Crucem.*
48 *Sudariolum appendebatur Cruci, quod prohibitum fuit.*
49 *Clerici deferre debent Aquam benedictam, & Aſperſorium.*
50 *Domus Defuncti quaenam intelligi debeat?*
51 *Judex Sapientum Ferrariae expoſitus in aedibus magiſtratus.*
52 *Parochus accedere debet ad domum Defuncti, ut elevet.*
53 *Una cum aliis invitatis.*
54 *Omnes congregari debent prius in Eccleſia Parochiali.*
55 *Decreta adſunt in contrarium.*
56 *Regularibus non licet expectare Parochos per vias.*
57 *Cerei non ſolum dantur pro eleemoſyna, ſed pro Ritu.*
58 *Numerus Cereorum in Conſtitutionibus Synodalibus deſcribitur.*
59 *Pondus praeſcribitur ab Haeredibus.*
60 *Candelae diſtribuuntur; interdum accenduntur.*
61 *Lumina accenſa in funere quid ſignificent?*
62 *Haeretici improbant hunc uſum cereorum.*
63 *Spiritus defunctorum non ſunt inquietandi.*
64 *Aliae Eleemoſynae diſtribuuntur praeter Candelas.*
65 *Panes quandoque diſtribuuntur pro eleemoſyna.*
66 *Frumentum quoque defertur pro eleemoſyna.*
67 *Diſtributio eleemoſynarum fieri debet ad domum Defuncti.*
68 *Proceſſio ordinanda verſus Eccleſiam.*
69 *Deſignare viam ſpectat ad Parochos.*
70 *Spectat ad Regulares, quando defertur Cadaver ad ſuas Eccleſias.*
71 *Parochi tenentur aſſociare Cadaver ad Eccleſiam Regularium, etiam extra Dioeceſim.*
72 *Confraternitates Laicorum quando inſtitutae?*
73 *Confraternitates tractu temporis declinavere.*
74 *Confraternitates multas abolevit Clemens Papa VIII.*
75 *Confratres Saccum de Tela induere debent.*
76 *Confraternitates nullum habent ordinem Hierarchicum.*
77 *Circa praecedentiam Confraternitatum ſtandum eſt conſuetudini.*
78 *Praecedentia ſemper danda eſt Clero ſaeculari.*
79 *Praecedentia inter Parochos datur ſecundum praerogativas Eccleſiarum.*
80 *Parochus a quo, & ad quem quomodo praecedere debeant?*
81 *Praecedentia Confraternitatum, & Puellarum.*
82 *Crux Parochi nunquam omitti poteſt.*
83 *Cruces aliae veniunt abuſive.*
84 *Cruces Regularium debent deferri cum pallio.*
85 *Ratio hujus Pallii.*
86 *Pallium, ſeu Velum pro Paſtorali Baculo Abbatum adhibetur.*
87 *Roma in materia Rituum eſt exemplar omnium Eccleſiarum.*
88 *Pſalmi in Proceſſione funebri an cantandi?*
89 *Pſalmi quare canantur, & eorum ſignificatione.*
90 *Parochus de cujus jure eſt Cadaver, ſemper praecedere debet.*
91 *Parochus non debet tenere lumen accenſum.*
92 *Comitantes funus multi eſſe poſſunt.*
93 *Eccleſiaſtici ſoli debent antecedere, non ſubſequi.*
94 *Qui ſequuntur Feretrum nihil dicunt.*
95 *Aſtretti ſeu Piagnoni prohibiti.*
96 *Praeficae ſubſequentes funus prohibitae.*
97 *Cadavera poſſunt deferri in curru nobili ſine Cruce, & Parocho.*
98 *In Villis poſſunt deferri in Plauſtro uſque ad fores Eccleſiae.*
99 *Cadaver aſpergi debet Aqua benedicta in domo.*
100 *Si adſit Capitulum, Aſperſio ſpectat ad primam dignitatem.*
201 *Rationes hujus Aſperſionis.*
102 *Pſalmus* De profundis, *quare aſſignetur in Exequiis?*
103 Requiem aeternam *Verſiculus, a quo inſtitutus?*
204 *Cadaver affertur in Feretro.*
105 *Non omnes qui elevant Feretrum, illud portant.*
106 *Perſonae digniores illud primo elevant.*
107 *Ductor itineris in Proceſſione funebri debet habere aliquam mercedem.*
108 *Pſalmi cantari non debent cantu Gregoriano.*
109 Exultabunt Domino, *Antiphona praeliminaris Proceſſioni.*
110 *Pſalmi Graduales cur ita appellati?*
111 *Primi quinque dicuntur pro defunctis.*
112 *Alii quinque dicuntur pro nobis.*
113 *Poſtremi dicuntur pro omnibus fidelibus.*
114 *Omnes pro ſuffragio Defuncti recitantur.*
115 *Dicitur* Requiem aeternam dona ei, *non eis.*
116 *Cantu Gregoriano non canendi.*
117 *Muſicae cantus in aſſociatione Cadaverum prohibitus.*
118 *Campana ſonat dum effertur Cadaver.*
119 *Campanae dicuntur Praedicatorum ſpecies.*
120 *Quare detur iſte ſonus?*
121 *Campana dignior denotat majorem dignitatem Defuncti.*
122 *Quando inchoari ſoleat ſonus pro funere?*
123 *Parochus dare debet ultimum Vale Cadaveri.*
124 *Capitulum poteſt ingredi Eccleſias Regularium.*
125 *Abſente Capitulo, Parochus nullum habet jus in Eccl. Regularium.*
126 *Ultimum Vale fit cum Aſperſorio. Dec. de ferenda Stola & erigenda Cruce, & ingrediendo Eccleſiam vel non. Quarta funeralis quomodo diſtribuenda?*
127 *Pſalmi terminari debent ad fores Eccleſiae.*
128 Subvenite, &c. *debet dici Cantu Gregoriano.*
129 *Qui ſepeliuntur in Eccl. Regul. non ſunt prius deferendi ad Eccl. Paroch.*
130 *Cadavera collocari debent in medio Eccleſiae.*
131 *Si adſit impedimentum, alibi collocari poſſunt.*
132 *Cadaver exponitur regulariter in Feretro.*
133 *Inſignia gradus ponenda cum Cadavere.*
134 *Stemmata gentilitia ponenda circa Cadaver.*
135 *Cadaver deponi poteſt ſupra humum.*

136 Cul.

156 *Culcitra pro Cadavere an debeatur Eccleſiæ?*
137 *Cadavera quandoque extollantur in altum.*
138 *Cera ardentes ſemper eſſe debent.*
139 *Poſt ultimum Pſalmum Officii incipi debet Miſſa.*
140 *Variæ temporis congruentiæ circa ſunus.*
141 *Si Exequiæ non fiunt de mane, Cadaver ſepeliatur.*
142 *De nocte Cadaver in Eccleſia cuſtodiri debet.*
143 *Cadaver non debet ſtare ſine lumine accenſo.*
144 *Oratio funebris habenda poſt Miſſam.*
145 *Oratio funebris quo habitu recitanda?*
146 *Planeta ante ad Altare adhibenda.*
147 *Pluviale ſumendum pro Exequiis.*
148 *Si non adſit Pluviale, Sacerdos remanet cum Alba, & Stola.*
149 *Cenotaphium eſt funus Imaginarium.*
150 *In quo loco ſtare debet Sacerdos, dum fiunt Exequiæ?*
151 *Crux ad caput Defuncti ſemper erigenda.*
152 *Clerus adſtare debet cum candelis accenſis.*
153 *Si Cerei non diſtribuantur, Clerus ſtet in Choro.*
154 Non intres in Judicium, &c. *Recitatur præſente Cadavere tantum.*
155 *Incenſi immiſſio in Thuribulum anticipanda. Modus incenſandi.*
156 Pater noſter intonatur *alta voce, & recitatur ſub ſilentio.*
157 *Aqua Benedicta habet correlationem cum Thure.*
158 *Thus Cadaveribus quid præſtet?*
159 *Conſatatio Hæreticorum circa Incenſum.*
160 *Familiæ antiquitus purgabantur ſuffitionibus.*
161 *Oratio aſſignata pro Thure.*
162 *Cæremonia Incenſi ſervari debet.*
163 *In Miſſa pro vivis cur omnes thurificentur, & non in Miſſa Defuncti?*
164 *Incenſum pro Defunctis ad benedicendum?*
165 *In Oratione exprimitur nomen Defuncti etiam Sacerdotis.*
166 *Feretrum dum ducitur ad ſepulchrum, manibus tantum attollitur.*
167 *Si Cadaver poſt Exequias non ſepeliatur, cuſtoditur in loco tuto.*
168 *Sepulchrum benedicendum, ſi nondum benedictum ſit.*
169 *In Cœmeteriis ſepulchra non benedicuntur.*
170 *Sepulchra in Eccleſiis quomodo conſtruenda?*
171 *Incenſatur, & aſpergitur prius corpus Defuncti, inde ſepulchrum.*
172 *Formula Sacramentalis Brixinen. pro benedicendo ſepulchro.*
173 *Dilatio ſepeliendi Cadaver non debet interrumpere Officium.*
174 *Oratio dicenda ſi Cadaver mulieris ſepeliatur.*
175 Anima ejus, &c. *non dicitur in Commem. omnium Defunctorum.*
176 *Poſt ſepulturam unius fidelis, Eccleſia recordatur omnium fidelium.*
177 *Preces dicendæ in tranſitu de Cœmeterio ad Eccleſiam.*
178 *Non eſt ſiſtendum ante Altare pro dicendis precibus.*
179 *Pro Sacerdotibus Defunctis fiant preces particulares.*
180 *Exequiæ compendioſæ pro temporis anguſtia.*
181 *Prævia Miſſa ſepeliatur Cadaver.*
182 *Dicenda eſt prout in die obitus.*

EXPOSITIS in genere iis, quæ in Exequiis neceſſario ſunt obſervanda, procedit Rituale ad deſcribendum Ordinem exequiarum, in quibus practice demonſtrantur fere omnia illa, de quibus mentio fit in antecedenti generali Titulo, ſalva ſemper aliquorum locorum conſue- 1
tudine, quæ in materia funerum multum operatur, *cap. certificari, de ſepult.* Innoc. *in c. delectae, num.* 4. *de expel. Monach. & in c. ad audientiam*; niſi iſta conſuetudo aliquid ſuperſtitioſum in ſe contineret, vel aliquid 2
omnino ſimile Ritibus Ethnicorum, eo quia Eccleſia principaliter intellexit, per hoc Rituale obliterare, & & proſcribere hujuſmodi ſuperſtitioſos, atque Ethnicos Ritus, quibus olim cæremoniæ Sacræ abundabant, Rota *in Romana Funeralium* 15. *Junii* 1699. *coram Molines, n.* 2. Qui Ritus, a Rituali præſcripti in exequiis 3
mortuorum, omitti non poſſunt; *ex Tit. anteced.* §. 1. eſſent enim fruſtra ab Eccleſia inſtituti, ſi non obſervarentur, ut omiſſis generalibus, quæ congeri poſſent in terminis funeralium, ait *Text. c. officii,* §. *Si vero. Et c. final. de Teſt. c. ex parte, in fine de verb. ſignif.* Cum ſinguli habeant ſuam peculiarem ſignificationem, nempe Animas e corpore ſeparatas vivere, immortalitatis dono gaudere, & defunctos in fide, reſurrectionem, ac fruitionem æternæ gloriæ expectare; ut ex S. Auguſtino in libro *de Agenda cura pro mortuis*: ex S. Hieronymo, Ambroſio, & aliis probant *cap. non æſtimandum* 19. *c. Animæ* 21. *c. Tempus* 23. *c. Quia* 24. *& c. Qui divinam* 28. *cauſa* 13. *q.* 2. & explicat late Card. Bellarm. Contr. *T.* 1. *l.* 2. *de funer. c.* 9. *&* 10. Durant. & alii, in enunciata *deciſione, numer.* 3.

§. I. Conſtituto tempore, quo corpus ad Eccleſiam deferendum eſt, convocetur Clerus, & alii, qui funeri intereſſe debent, & in Parochialem, vel in aliam Eccleſiam, juxta loci conſuetudinem, ordine conveniant; ac datis certis campanæ ſignis, eo modo, & ritu, quo in eo loco fieri ſolet, Parochus indutus ſuperpelliceo, & Stola nigra, vel Pluviali ejuſdem coloris, Clerico præferente Crucem, & alio Aquam benedictam, ad domum defuncti, una cum aliis procedit. Diſtribuuntur cerei, & accenduntur intortitia: mox ordinatur Proceſſio, præcedentibus Laicorum Confraternitatibus, ſi adſint; tum ſequitur Clerus Regularis, & Sæcularis per ordinem, binique procedunt, prælata Cruce, devote Pſalmos, ut infra decantantes, Parocho præcedente Feretrum cum luminibus; inde ſequuntur alii funus comitantes, & pro Defuncto Deum rite deprecantes ſub ſilentio.

5 Tempus Funeris, & Exequiarum ſtatuendum eſt a Parocho, qui eſt Dominus funeris, exequiarum, & ſepulturæ: ſed hoc tempus debet eſſe juxta conſtitutiones ſynodales, & de jure non poteſt eſſe niſi poſt ſpatium viginti quatuor
6 horarum, Poſſevin. *de Off. Curat.* & Barboſ. *d. c.* 26.
7 *n.* 57. Curare tamen debet omni ſtudio, ut funus, & exequiæ fiant in mane prout in antecedenti *Titulo* diximus §. 4. adeo ut Miſſa præſente corpore celebretur. Quod ſi hoc, juſtis de cauſis, fieri nequeat, tempus eli-
8 gendum eſt tempore confluentiæ Populi ad Eccleſiam diſtinctum, *Synod. Ferr. Verme, c. de fun. & ſepult.* ubi id, quod dicit, de non aperiendis Sepulchris, dum Divina officia, ac Miſſarum Sacrificia celebrantur, & celebrande remanent in Eccleſia, eo mane, quo Cadaver eſt humandum, intelligi debet pro ſepeliendo cadavere, non autem pro deferendo, ſeu pro exequiis faciendis.

9 Nocturno tempore, exequias & delationem Cadaverum ad Eccleſiam, nemo quod ſciam prohibuit niſi S. Carolus, *Act. p.* 1. *conc. Prov.* 5. *p.* 2. Sed hoc intellexit faciendum tempore Peſtis. Cæterum pluries vidi nocturno tempore, deferri cadavera, præſertim Inſignium, & nobilium Virorum, magna cum ſolemnitate, non obſtante toties inculcate admonitione de non aperiendis Eccleſiis
10 tempore nocturno. Quod ſi fiat ex neceſſitate, Fœminæ omnino repellendæ ſunt ab ingreſſu. Circa quod plauſibilior, & commodior regula erit, ſi ſub nocte efferantur cadavera, adeo ut tempore debito, expeditum ſit funus,
11 atque ideo claudantur Eccleſiæ, tempore noctis.
12 Clerum convocare ad intereſſendum funeri ſpectat item ad Parochum, qui hoc facere poteſt per mandatarios, ſive libitinarios ſuos.

Quando vero Defunctorum Hæredes numerum Religioſorum, & Sacerdotum Sæcularium in funeribus aſſociandis non deſtinaverint, & ſit alias loci conſuetudo immemorabilis, ut tale munus ad Parochos attineat, illis ideo cura erit vocare quos libuerit. Ita *S.C. Ep. & Reg. in una Caſſinen.* 5. *Maji* 1517. *& S. R.C.* 20. *Auguſti* 1601 *Rota in Alexandrina funeralium* 1. *Julii* 1630. *coram Merlin. & eadem S.R.C. in una Ferrarien.* 7. *Septembris* 1613. Cæterum ad Hæ-
redes ſpectat numerum Religioſorum, & Clericorum ſive 13
Confratrum, & Puellarum mendicantium aſſignare in Defuncti aſſociatione, etiam ſi Cadavera aſſint in Eccleſiis Regularium ſepelienda, *S. R. C. Ep. & Reg. in una Caſſan.* 5. *Maji* 1617. *& S.R.C. in una Lauden.* 20. *Aug.* 1601. *& Ep. & Reg. in una Camerinen.* 21. *Mart.* 1642. Barboſa *de Off. Par. cap.* 26. *num.* 57. Nec Regulares impediri, vel prohiberi 14
poſſunt a Parochis, defunctorum corpora aſſociare: nam hoc eſſet agere contra ſepulturæ libertatem, Samuel. *d. Tr. t. contr.* 13. *concl.* 4. *num.* 10. 11. *de ſepult. elect.*
Aſſignato ab Hærede numero, poteſt Parochus, quoad 15
Clericos Sæculares, vocare quos libuerit, dummodo non excedant numerum ab hærede præſcriptum, etiamſi non ſint illius Parochiæ. Lavor. *d. Tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 104. Nec poteſt Epiſcopus cogere Hæredes defunctorum, ut in funere con- 16
vocent Clericos Eccleſiæ Parochialis tantum, excluſis aliis, donec numerus eorum fuerit impletus: nam cum convocatio iſta reſpiciat privilegium totius Cleri, atque reſtringendo, aut moderando illud ad proprios Eccleſiæ Clericos, libertatem Eccleſiaſticam reſtringere videretur, Rotæ *in una Calaguritan. funerum* 22. *Junii coram Orano*, Sylveſt. *verb. Immunitas* 2. *n.* 7. & hujuſmodi conſuetudines deteſtatur Sot. *de Juſt. Jur. q.* 6. *art.* 2. Neque intereſt, quod jus

ſepeliendi pertineat ad Eccleſiem Parochialem, quare a-
liud eſt jus, per quod quis compellitur ſepelire in pro-
pria Parochia, & aliud, per quod tollitur facultas evo-
candi ſuos Clericos, niſi prius adimpletus ſit numerus
Beneficiatorum Parochialis. Ad hoc faciunt notata *in
cap. veſtre, de locat.*
17 De congruo tamen videtur, quod præferendi ſint Cle-
rici, qui Eccleſiæ illi Parochiali inſerviunt, & ſunt ad-
ſcripti, ita ut ſi incommodum ſentiunt, commodi et-
tam participes fiant; quod prudentiæ, & diſcretioni Pa-
rochi relinquendum eſt.
18 Modo de ſignis per Campanas dandis verba ſunt fa-
cienda. Olim mos fuit ad Defunctorum funeralia, po-
pulum Tintinnabulis convocare, Maggius *de Tintinnabu-
lis*. Hodie vero per Campanas fit, ut Populus ad pias
19 pro Defuncto preces fundendas moveatur. Pro unoquo-
que fideli Adulto defuncto, per tres vices pulſari Cam-
panas vult Samuel. *d. Tr. 2. Contr. 4. Concl. 3. 4. & 5.*
20 Prima vice quando eſt in Agone poſitus, & Deo eſt
ſpiritum redditurus; ſitque ut audientes, Deum orent
pro illo. Secunda cum Animam expiravit, & vocatur
Tranſitus: Tertia demum quando ad ſepulchrum comi-
tatur. Sed mos eſt communis, pluries pulſare, & ſal-
21 tem per quatuor, vel quinque vices. Samuel enim ni-
hil loquitur de ſignis dandis pro ſepulture, neque de e-
liis pro Officio funebri in nocte antecedenti, atque in
mane ad initium Officii, & propterea dicit Textus, *Ju-
xta loci conſuetudinem &c.*
Loquendo hic de ſignis dandis cum campanis pro ſe-
pultura a Parochiali Eccleſia, & ab illa, in qua tumu-
22 landum eſt Cadaver, dico, conſuetudinem eſſe, pro Vi-
ris, tria ſigna dare: pro Fœminis, duo; ad ſignifican-
23 dum, Fœminam eſſe imperfectioris naturæ. Samuel. *Con-
cl. 6. num. 1.* Ballet. c. 161. Pro Religioſis, & Sacerdo-
24 tibus tum Sæcularibus, tum Regularibus, quinque ſigna
dari ſolent, & numero majore pro Summo Pontifice,
& Epiſcopis, juxta regulas præſcriptas per Cæremoniale
Epiſcoporum, & per Cæremoniale Romanum.
25 Unaquæque tamen diœceſis habet ſuas particulares
conſuetudines, a quibus non recedere erit prudentis Pa-
rochi. Pluris enim habentur hæc ſigna in aliquibus lo-
cis, quam quæcumque alia funeris pompa: ideo ſervari
ſolitum melius erit, quam rixas, & contentiones apud
Defunctorum Hæredes ſuſcitare, licet ratio Parochi ſit
Ritui magis conſona.
Nomine autem ſignorum, ſeu Campanarum, nihil ac-
26 cipiendum pro eleemoſyna a Parocho, ſed tantum mer-
cedem aſſignandam eſſe ab Epiſcopo illi, qui talia ſigna
dat, habemus ex S. Carolo, *Act. p. 1. Prov. 2. c. de funer.*
27 *& cæteq. & Prov. 4. p. 2. verbo Campana*. Quod vero ex-
penſæ pro pulſandis Campanis numerentur inter alias fu-
nerales expenſas, non poteſt in dubium revocari; & in-
ter illas reponuntur a Cortied. *dec. 160. n. 13.* Hodiern.
ad Surd. dec. 12. n. 9. Gam. *dec. Luſit. 308. num. 12.*
& Zanl. *ad ſtat. Feven. T. 2. f. 320. num. 7.*
*Parochus indutus ſuperpelliceo, & ſtola nigra, vel et-
iam Pluviali, &c.* Loco Parochi intelligi poteſt etiam
28 Capellanus Curatus, qui eſt Coadjutor Parochi, & onus
ſuſtinet Parochiæ, atque ideo in hoc etiam caſu ſubſti-
tui poteſt, Barboſ. *d. c. 13.*
Et in hoc caſu Parochus (etiam ſi abſit) ſubſtituto
Capellano lucrari debet ſua emolumenta funeralia, &
capellanus minora pro ſua aſſiſtentia. Nec currit ratio
allata hic ſub tit. 33. n. 23. nullam mercedem ſperari
debere de labore non inſumpto, quia merces talis illi
non debetur pro labore, ſed pro emolumento funerali
& de jure a priori.
De ſuperpelliceo, & ſtola jam ſatis dictum fuit pluri-
bus in locis horum Commentariorum, cum iſtæ ſint pro-
29 priæ Veſtes in adminiſtratione Sacramentorum, & Sa-
cramentalium. Color niger utique funereus color eſt, &
mœſtitiæ conveniens, Gavant. & Corſett. *Ind. Ratio-
nal.* & alii Sacrarum Cæremoniarum Scriptores.
30 Pluviale in funeribus, nonniſi in Eccleſia adhiberi ſo-
let, quando Exequiæ celebrantur. In itinere vero, ſeu
Proceſſione cum Cadavere, communiter ſolo ſuperpel-
31 liceo, & ſtola utuntur Sacerdotes, niſi Cadaver eſſet
Perſonæ inſignis, & cum toto Clero ad Eccleſiam por-
taretur. In hoc caſu, vel Parochus primarius, vel di-
gnitas Capituli Pluviali induta procederet ad majeſtatem
ducendam.
32 De Birreto nihil loquitur Textus; ſed hoc etiam de
more Clericali modo deferri debet quadratum, niſi tem-
pus pluvium, vel humidum, vel nivoſum eſſet, quia tunc,
moderato juris rigore, permittitur uſus Pilei, ac etiam
33 Pallii ſupra Cottam, *ex Synod. Ferr. Varmo, c. de Funeri-
bus*. Sed locus eſt, ut de Cruce aliquid dicamus. Abſo-
lute, & ſimpliciter loquendo, de communi praxi, & uſu,
atque de jure Canonico, una tantum Crux eſt erigenda
34 in Funeralibus, quod fit devotionis cauſa, in memo-
riam Paſſionis D. N. Jeſu Chriſti Crucifixi, & in ſignum,
quod homo ille, qui in funere defertur, mortuus eſt in
ſignaculo Crucis. Circa quam Crucem multæ ortæ jam
ſunt, & in dies oriuntur quæſtiones, & difficultates ob
præeminentiam, quibus tum Canones, tum Sacrarum
Congregationum deciſiones, tum authoritates Doctorum,
nondum finem imponere valuerunt. Vide Gavantum, 35
Pignatellium, Lavorium, Barboſam, Anacletum, & om-
nes Canoniſtas: ſed omnium compendium videbis in Sa-
muel. *Tract. 1. diſp. 3. contr. 3. concl. 1. & per tot.* Inſuper
ad eliminanda hæc jurgia, integrum volumen in lucem
edidit Patavii, anno 1683. & alterum promiſit, Bernar-
dinus Manarata inſcriptum: *Apodixis, ſive clara diſcuſſio
veritatis, demonſtrans, plusquam 200. rationibus, ac 55.
Pontificum, Principumque ſanctionibus, non poſſe RR. Pa-
rochos, aut alios in Funeribus, in Eccl. Regular. eis invi-
tis, de jure, & legitime, cum Stola, aut Cruce intrare,
&c.* Nuper quoque ſcripſit, *de funeribus aſſociandis*, ſatis
elegans opuſculum Hieronymus Prediera Parochus Bono-
nienſis, ac illud typis edidit Bononiæ anno 1698. A qui-
bus omnibus Regulæ præſcriptæ circa Crucem, & Sto-
lam in funeribus deſumi poſſunt: quibus nihil addendum
habeo, niſi deplorem jurgia illa, quæ aliquando evene- 36
runt inter Parochos, & Regulares; hi enim eorum Cru-
cem intra ſuas Eccleſias renuebant tamquam alicujus ju-
riſdictionis ſignum.
Sed gratias Deo ætas noſtra referre debet, in qua per 37
Sanctiſſimam Conſtitutionem Summi Pontificis Benedicti
XIII. ſublata eſt hæc jurgii occaſio, nam Crux valet in-
trare tuto, & inoffenſo pede quaſcumque Eccleſias, nec
jurgia amplius, & contentiones oboriri poſſunt, cum per
futura ſæcula proviſum ſit, ut flammis litium extinctis,
Crux in funeribus, unice ſignum ſit Chriſtianæ Religio-
nis, non vero Juriſdictionis. Verba Conſtitutionis, quæ
incipit, *Pretioſus, &c. dat. Sotia, anno 1727. ſeptimo
Kal. Junii*, ſunt hæc: quæ licet videantur tantummo-
do ad favorem Ordinis Prædicatorum pronunciatæ, at-
tamen ex ipſo Textu ſatis liquet, extendi quoque ad
quoſcumque alios Regulares, & Eccleſiarum Parochos,
etiam Sæculares. §. 73. *Et ad tollendum deinceps,
quantum in Domino poſſumus, Fidelium ſcandalum,
nimis frequentium Controverſiarum Originem, hac per-
petuo valitura lege decernimus, licere Cathedralis Capi-
tulo, Parocho, Fratribus Ordinis Prædicatorum, et ca-
teris etiam Regularium communitatibus, ad Proceſſiones
funebres per quaſvis Parochias, ſingulorum propriis ere-
ctis Crucibus, accedere, eaſque etiam ſic peragere, quem-
admodum in aliis ſolemnioribus Proceſſionibus contingit,
& ita etiam in Eccleſiam tumulantem ipſorum Fratrum,
ordine, quo in via incedebant, ingredi, atque facta ado-
ratione ad Altare, in quo aſſervatur Sanctiſſimum Sacra-
mentum, aut etiam Exequiis perſolutis, recedere, Paro-
cho quoque in eandem Eccleſiam tumulantem cum Stola
intrare: ac reſpective Fratribus aſſociare debentibus Defun-
cti Cadaver cum Parocho, ne interim contingat illos in
vicis, & Plateis ſuperſedere, in Parochialem Eccleſiam,
etiam cum Cruce erecta ingredi licitum fore, Auctoritate
Apoſtolica, Motu, & ſcientia prædictis, mandamus, &
volumus. Non obſtantibus, quoad prædicta omnia, & ſin-
gula, conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, cæteriſque
omnibus, & quibuſcumque in contrarium facientibus, qui-
bus omnibus expreſſe, ac pleniſſime derogamus; declaran-
tes, &, quatenus opus ſit decernentes, ac matura delibera-
tione mandantes, Crucis erectionem, Stolæ delationem, &
ingreſſus in Eccleſias, in omnibus, & ſingulis enumeratis,
& cæteris quibuſcumque ſimilibus caſibus, nullam penitus
Juriſdictionem impertire, aut minimum in aliquo præjudicium
cuicumque irrogare, aut quandocumque, & quomodocum-
que irrogare, & inferre poſſe, &c.* Hoc pacto funere
pacatiori ordine procedent, & nulla Cruci injuria infe-
tatur.
Hæc Crux, ut jam diximus, in funeribus una erat
tantummodo: ſed poſt Conſtitutiones Pontificias, & de-
creta a Sacris Congregationibus emanata, inſurrexerunt
diverſa Privilegia Regularibus, & Confraternitatibus fa-
vorabilia, quæ hodie faciunt, ut plures Cruces in uno 38
funere aſſociando eleventur, *S. C. Ep. Reg. 28. Novemb.
1642* Urſaya *T. 5. p. 2. d. 25. n. 34.* Certe Confrater-
nitates olim non poterant accedere ad funeralia, niſi ex- 39
preſſe, & ſpecialiter vocarentur; & in ea aſſociatione nul-
lo modo erigere Crucem poterant, *S. R. C. Adrien. 22.
Nov. 1631.* Quinimo etiam Puellæ, & Virgines in Con- 40
ſervatoriis degentes, ſi ad funeralia accedant, Crucem
& ipſæ propriam elevant, ab aliis diſtinctam.
Hoc unum tantummodo uſquemodo inconcuſſum rema- 41
net, quod in defunctorum aſſociatione ſi Capitulum
Cathedralis invitetur, ipſum ſolum, & non alia Paro-
chia deferr Crucem *Prax. Arch. Neap. c. 74.* neque Sto-
lam; non tantum ex eo quia Cathedralis dicitur Paro-
chia totius Civitatis, & Diœceſis *c. 1. de Bapt. c. licet,
in Regulis 16. q. 3.* Gutierez. *can. qu. l. 1. c. 27. n.
24.* Sed quia minor Judex, ſeu Sacerdos non exercet of- 42
ficium, & juriſdictionem præſente majore, niſi major
aſſentiat, *c. denique, diſt. 1. c. Presbyter pen. ac c. ult.
diſt. 95.* & demum quia luminare majus offuſcat minus,
c. ſolitæ §. præterea, de major. & obed. Lavor. *Tit. 2.
c. 11. n. 66. ad. 69.*
Hoc tamen dictum ſit de aſſociatione: nam quamvis
Capitulum Cathedralis gaudeat prærogativa ingrediendi cum
Cruce, & Stola Eccleſias Regularium, Matthæucc. *Of-* 43
ficial.

44 *ficial.* Cer. *c.* 20. *n.* 11. attamen poſt ingreſſum in Eccle-
ſiam, non poteſt cum Cruce funeri aſſiſtere, ſed adhiben-
da eſt Crux Eccleſiæ tumulantis, ut reſpondit *S. R. C.*
in Aretina 13. *Julii* 1697. Monaccll. *form. par.* 5. *for.* 7.
tit. 5. *num.* 39. allegat. a Marchenc. *l. c.*
45 Verum cum Stola concedatur Parochis, non tantum
in ſignum Juriſdictionis tamquam Pallium inter Epiſco-
pos, ſed ut diſcernantur ab aliis Presbyteris, prout nu-
per notavit Joannes Maragoni in *Theſauro Parochorum Ro-*
46 *mæ impreſſo anno* 1726. *l. cap.* 1. *pag.* 5. *col.* 2. Sed etiam in
ſignum Parochialis dignitatis, quo, etiam in aliena ju-
riſdictione, licet uti, *c.* 1. *ut lite pendente*, & *in c.*
antiqua, *de privileg.* non autem ad denotandam ſuperio-
ritatem: ideo poſſet concedi ſine præjudicio, ut illam
Parochi deferre poſſent, præſente Capitulo, ne viderentur
tur incedere ut ſimplices Clerici: quod etiam eſſet ma-
joris dignitatis, & reverentiæ capituli; ex Lavor. *elucebr.*
T. 5. *tit.* 2. *c.* 11. *n.* 84.
47 De eo quod dicit Textus, debere Clericum portare
eamdem Crucem, hoc facile præſtari poteſt in civitati-
bus, in quibus multi adſunt Clerici adſcripti ſervitio Ec-
cleſiæ; ſed in Parochiis ruralibus, opus eſt, ut quando-
que Parochi inſervire faciant Laicos indutos tamen Sac-
co, ſeu, ut dicitur, *Cappa* alicujus Confraternitatis, non
autem ſuperpelliceo, quia hæc veſtis ſolummodo Clericis
cis convenit.
48 De Cruce item alia diſputatio habetur apud Urſaya
diſcept. Eccl. T. 5. *diſc.* 14. in una *Tudertin. funerum*.
Mos erat apud Tudertinos deferre Crucem Parochialem
in funeribus, cum ſudariolo, ſeu linteo telæ albæ ab eo
pendente: ſed cum ortu eſſet quæſtio, cui de *jure* debe-
retur illud ſudariolum poſt datam ſepulturam Defuncto,
S. C. Concilii ſub die 13. *Aug.* 1718. mandavit illud am-
plius non afferri cum Cadavere, nec ab Hæredibus Pa-
rocho conſignari.
49 Clerici quoque deferre debent Aquam benedictam in
ſuo Vaſe cum Aſpergillo, ut eam adhibere poſſit Paro-
chus cum ad domum Defuncti pervenerit, Cadaver aſ-
pergendo.
50 Et quoniam de domo Defuncti loquuti ſuimus, non
per hoc intelligi debet, quod domus hæc ſit illa, in qua
habitare ſolebat qui defunctus eſt: ſed intellige de illo
loco, in quo exponitur defunctus, ut deducatur ad ſe-
pulchrum: nam in praxi eſt, eſſe nonnullas Perſonas,
quæ cum mortuæ ſint, exponuntur in loco diverſo a do-
51 mo ſua. Ferrariæ mos eſt, ut cum mortuus fuerit Ju-
dex Sapientum, qui caput Magiſtratuum municipalium
eſt, & pro Tribuno Plebis habetur, dummodo moriatur
eo tempore, quo in hac dignitate præſidet, ejus Cada-
ver e domo propria ad Ædes Magiſtratus deferatur, &
ibi in Aula majori exponatur magna funerum pompa,
donec adveniat Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, Cle-
rus, & Ordines in tali funere præſcripti, qui Cadaver
aſſocientur ad Eccleſiam, in qua humari debeat. Ecce
igitur quomodo non ſemper Cadaver in ſua domo eſt.
Sed fortaſſe in noſtro caſu ita ſit, quia Ædes Magiſtra-
tus reputantur domus habitationis ipſiuſmet Judicis Sa-
pientum, ex quo Palatium illud, pro ejus quotidiana,
& diuturna habitatione præſcriptum fuit a Papa Cle-
mente VIII. in Inſtitutione Magiſtratus decem virorum
anno 1599. facta, ut videre eſt in Libro typis edito in-
ſcripto. *Ferrariæ Civitatis recte adminiſtrandi ratio: in*
Rub. de Habitu, ſeu Veſtitu, ac Reſidentia, & Familia
Magiſtratus.
52 Ad domum igitur, ſeu ad locum, in quo exponitur
Cadaver deferendum, accedere debet Parochus, non au-
tem ſolus, ſed cum quibuſcumque aliis invitatis ad fu-
53 nus aſſociandum; ex quo patet, quod omnes illi debent
prius convocari, & congregari in Eccleſia Parochiali.
54 Non autem in alia, niſi de conſenſu Parochi. Attamen
quamvis hæc ſit vetus conſuetudo Eccleſiæ Ferrarienſis,
numquam, quod ſciam, interrupta, adſunt leges in con-
55 trarium. Sacra enim Congregatio Ep. & Reg. in una
Viglevanen. 13. *Novemb.* 1600. & *in una Bononien. die*
9. *Decemb.* 1617. *in altera Bononien. die* 2. *Julii* 1620.
inſuper Congr. Concilii ad inſtantiam Card. Archiep. Lu-
doviſii in §. Ad quartum dubium. Item S. R. C. *in una*
Theleſina 12. *Feb.* 1633. & *in Limanenſi* 15. *Decemb.*
1632. & S. C. *Ep.* & *Reg. in una Tropienſi* 16. *Febr.*
1631. & *in una Senogallien.* 26. *Aug.* 1616. *relat. a Sa-*
muel. Tr. 5. *contr.* 12. *concl.* 1. *n.* 2. diverſimode ſentire
videntur. Ex earum enim Congregationum decretis con-
cluditur, quod illi, qui ſunt ad funus vocati, debent o-
mnes convenire, aut in Eccleſia Parochiali, aut in do-
mo, aut in loco, ubi Cadaver reperitur, etiam Regula-
res, quando vocati fuerint, aut in eorum Eccleſiis mor-
tui ſunt tumulandi, & inde cum Clero ſæculari diſcede-
re, & proficiſci ſimul omnes ad Eccleſiam, in qua Ca-
daver eſt ſepeliendum. Tradunt etiam hoc varii Doctores
ibi allegati; ſed inter illos Lezana *T.* 3. *verb. Defunctus*,
56 *num.* 3. aliam affert declarationem S. C. *Ep.* & *Reg. die* 28.
Nov. 1642. quæ decrevit, non licere Regularibus per pla-
teas, ac vias Parochum, & Clerum expectare, ſed debe-
re cum eis conjungi in Eccleſia Parochiali. Quod Decre,
Comment. ad Rituale.

tum, cum poſterius emanatum ſit, videtur derogare prio-
ribus, Rot. *dec.* 495. *num.* 5 coram Emerich. jun. atque
ideo, tali modo, hoc recentius in uſu eſt, & obſervatur,
non tantum a Regularibus, ſed etiam a Confraternitati-
bus, & Puellis mendicantibus; atque idem poteſt dici
de Collegiis collegialiter convocatis, & Artibus; cui uſui
concordat Doctrina Barboſæ *d. c.* 25. *n.* 63. 64. 65. funda-
ta in Decreto S. R. C. *in una Bononien.* 9. *Decembris* 1617.
ſuper allegat. quod dicit: Vocati omnes ad funus, debent
convenire ad Parochialem defuncti, niſi adſit tertia Ec-
cleſia, in qua ſolitum ſit fieri depoſitum Cadaverum ſe-
peliendorum in Eccleſiis Regularium; quia tunc Regu-
lares debent congregari in illa tertia Eccleſia, & ibi Pa-
rochum expectare, ut reſolutum fuit in S. R. C. 13. *Jan.*
1673. apud Urſaya T. 1. *p.* 2. *d.* 28. *num.* 34.
Hanc expectandi occaſionem in tertia Eccleſia reſpicit
Conſtitutio *Pretioſus*, &c. de qua ſupra, quæ in §. 72.
ſic loquitur: *Parocho admonito, requiſito, & intimato per*
Fratres, ac demum renuente accedere ad aſſociandum Ca-
daver in Eccleſiam Fratrum prædictorum, vel eodem ultra
ſtatutam pro delatione Cadaveris horam per diſcretum tem-
pus, quod numquam unam horam excedere poſſit, expecta-
to, nec accedente, Fratres prædictos Cadaver illud, invi-
to etiam ipſo Parocho, levare, & ad eandem Eccleſiam
tumulandum, ne Dei ſervitium minuatur, & ipſi contem-
nantur, recta quidem tramite, & via per eos eligenda
deferre poſſe ac debere volumus, atque ſancimus.
Quando vero Capitulum Cathedralis in Funere inter-
venit, omnes cujuſcumque Ordinis in Eccleſia Cathe-
drali conveniunt.
Supereſt ut de cereis, & eorum diſtributione aliquid 57
dicamus. Non tantum pro eleemoſyna dantur cerei, ſed
pro ritu, ut luceant. Numerus cereorum in Taxis fune- 58
ralibus cujuſcumque Diœceſis præſcribitur: ad Hæredes
vero defuncti ſpectat determinare illorum pondus, nec 59
Parochus poteſt illis legem ponere. Loquitur de Cande-
lis Textus, & de Intortitiis: Sed notandum, quod cande-
læ diſtribuuntur, intortitia vero accenduntur: Illæ pro e- 60
leemoſyna dantur, illæ ut lumen præferant, ex more
antiquo efferendi mortuos noctu; quæ conſuetudo per-
manſit, ut in omnibus funeribus etiam, quæ interdiu
ducuntur, faces, ſeu candelæ, ſeu funalia, & cerei
adhibeantur, Lavor. *d. Tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 558. Hunc
uſum approbavit Conc. Trid. *ſeſſ.* 22. *Decr. de obſerv.*
&c. Et hæc lumina ſignificant, Defunctos deduci tam- 61
quam Athletas quoſdam devicto Sæculo; & accendun-
tur, non ad ſuperſtitionem, ut Gentiles faciebant, ſed
ad ſignificandum Animas vivere, & Defunctos eſſe Fi-
lios lucis, corporaque eorum reſurrectura, Jo. Chryſoſt.
Hom. 4. *in Ep. ad Hebræos*.
Adſunt Hæretici, qui hunc uſum Cereorum improbant, 62
Ex Conc. *Eliberit. can.* 34. ubi ſtatutum fuit, ne Cerei
de die in Cœmeteriis accenderentur, ne ſpiritus Defun-
ctorum inquietarentur. Nihilominus dicit Lavor. *dict. l.* 63
n. 131. talem prohibitionem non fuiſſe de Cereis; ſed
prohibitam fuiſſe illam cæremoniam, quæ fiebat ex ſu-
perſtitione Gentilium, qui putabant, corpora mortuorum
ſentire aliquid commodi. Illo autem errore ſopito, non
eſt malum uti eadem cæremonia, ad alium tamen finem,
ſcilicet ad ſignificandum Animas vivere, & noſtros De-
functos eſſe filios lucis, non vero tenebrarum. Illud au-
tem, quod Patres in illo Concilio dixerunt, non eſſe
inquietandos Spiritus Defunctorum, ſignificare voluit,
ſpiritus illos re vera non inquietari, ſed illis diſplicere
hujuſmodi errorem. Sicut & S. Ambroſ. *l.* 2. *epiſt.* 8.
dixit, non debere mortificari lacrymis Animam Sororis
Defunctæ, ut refert Bellarminus, *l.* 2. *t.* 2. *c.* 19. *de*
funeribus. Quod ſi S. Ephræm Syrus vetuit, ne quiſquam
Cereum in exitu ſuo accenderet, hoc fuit ex magna,
& incredibili humilitate, non vero ex contemptu pii, &
laudabilis, non minus quam antiquiſſimi Ritus, Voſſ.
in Teſt. S. Ephræm.
Præter Candelas, & Intortitia, diſtribuuntur etiam a- 64
liæ Eleemoſynæ, & præcipue Panes Puellis mendicanti-
bus intereſſentibus, & aſſociantibus funus: pro quo Pa- 65
ne nullam frigidam ſignificationem adducere volo, con-
tentus, ut dicam, eſſe eleemoſynam manualem, & ſatis
utilem Communitatibus mendicantium, qui Pane indi-
gent ad manducandum quotidie.
Loco Panis, in aliquibus locis, defertur, præcedendo 66
Cadavera, & in funere, frumentum in certa quantitate,
de quo vide Urſaya, *T.* 4. *d.* 14. *p.* 1. *num.* 5. 2.
Notandum tamen, quod diſtributiones, tam Candela- 67
rum quam Intortitiorum, & Panis, debet fieri tunc
cum tota comitiva aſſociantium Cadaver pervenerit ad
locum, in quo adeſt Defunctus.
Sequitur Proceſſio ordinanda verſus Eccleſiam illam, ad 68
quam deferri debet Cadaver? Circa quam ſciendum eſt,
quod quando Defunctorum corpora ſepulturæ præbentur in
Parochiis propriis, aut in aliis Eccleſiis Clericorum, aut
Laicorum, vel Confraternitatum, ſeu in Oratoriis Pa-
rochiæ ſubjectis, ad Parochos pertinet per quam
viam funus incedere debeat, deſignare, aut ſtandum 69
erit juxta uniuſcujuſque Patriæ conſuetudinem: poteſt

enim quandoque ad hæredes Defuncti ſpectare, ut ipſi
declarent per quam viam procedendum ſit, ut explicat
Samuel. *de ſepult. elect. contr. 5. concl. 7.*
70 Verum quando ad Eccleſiam Regularium corpus ſepe-
liendum deferius, ſpectare ad ipſos Regulares declarara
per quam viam funus duci debeat, declaravit *S.C. Ep. Reg.
21. Aprilis* 1588. *in una Biſuntina*; licet ſecus videatur ean-
dem S. C. declaraſſe, 3. *Jan.* 1594. *Epiſcopo Caſtellaneten.*
cui ſcriptum fuit: Ad Curatum ſpectare declarare om-
nia neceſſaria uſque ad januam Eccleſiæ Regularium, La-
vor. *d. Tit.* 2. *c.* 9. *num.* 116. *&* 117. Sed an in iſtis
neceſſariis includatur aſſignatio viæ, per quam incedi
debeat, non credo: ideoque ſtandum eſſe duco declaratio.
ni emanatæ in Biſuntina ſuperallegata. Certum tamen eſt,
71 Parochos teneri aſſociare Cadavera ad Eccleſias Regula-
rium, etiam ſi ſint extra Diœceſim, per allegat. ad Ur-
ſaya p. 2. *d.* 15. *n.* 10. *& d.* 28. *a n.* 59.
72 Quoniam vero de Laicorum confraternitatibus mentio
ſit in hoc Paragrapho, non incongruum judico aliquid
de hujuſmodi piis Concœtibus diſſerere. Iſtæ Confrater-
nitates ſatis antiquam habent Inſtitutionem: Polydorus
Virgilius eas ab Apoſtolis cum Tertulliano derivatas aſ-
firmat, *Apologetic.* 39. Sed Baronius *ſub Ann.* 339. *n.* 72.
a Magno Conſtantino ortum illarum ducit, qui, ut cor-
pora Fidelium ſepelirentur, corpus ex nongentis, & quin-
quaginta, diverſorum Collegiorum, & Artium officinis,
quod huic muneri mancipatum eſſet ad efferenda, atque
curanda Defunctorum Cadavera, efformavit. Hos vero
ad hoc opus delectos, voluit ab omnibus publicis mu-
neribus eſſe immunes, & in vectigalibus liberos. Ex
hac prima ſubinde ortum habuere aliæ Confraternitates,
præcipue in Germania per S. Bonifacium illius Regionis
Apoſtolum anno 730. Aliæ Romæ; & prima quæ Ve.
xillum erexit, ſeu *Confallone*, illa eſt, quæ inſtituta fuit
a Clemente Papa IV. *Anno* 1267. Vide Macri, *Hiero-
lex. verb. Confrat.* Similiter S. Petrus Cæleſtinus alias
Confraternitates erexit anno 1294. ſed quia tractu tem-
73 poris a recta pietatis via iſtæ Confraternitates declinare
cœperunt, adeo ut de illis dixerit Budæus: *Hodie cra-
pulones dici fortaſſe poſſunt, ut qui plerumque epulandi
magis, quam cultus Divini gratia conveniunt*, Clemens
Papa VIII. in Conſtitutione, quæ incipit: *Quæcumque
74 a Sede Apoſtolica*, ſub die 24. *Decembris* 1604. omnes il-
las abolavit, & de novo, novis Conſtitutionibus, erigen-
das mandavit: quæ vere inſtitutæ fuerant ad exercenda
miſericordiæ opera, ut notat Monacell. *t.* 1. *form.* 52. *n.* 2.
75 atque ideo Saccum de tela induere debent, non Sericum,
Roia *dec.* 93. *num.* 2. *& ſeqq. coram Argarl.* quia la-
xum, & vanitatem præſefert. Ultra quam quod in Ec-
76 cleſiaſtica Hierarchia, iſtæ Confraternitates nullam fa-
ciunt figuram, Urſaya *T.* 3. *p.* 2. *d.* 23. *num.* 55. *d.* 17. *num.*
74. & ſemper ſine præjudicio jurium Parochialium eri-
guntur, Matthæucc. *Off. Eccl. c.* 14. *num.* 11.
77 Circa præcedentiam in Funeribus, per verba illa *Præ-
cedentibus*, *&c.* a noſtro Textu indicatam, ſtandum eſt
conſuetudini: nihilominus afferam ad hoc diverſas proba-
torum Doctorum concluſiones, quæ valde prodeſſe pote-
runt in ſimilibus caſibus. Et primo dicam, Præceden-
78 tiam in funere ſemper dandam eſſe Clero Sæculari ſupra
Regulares, Clem. VIII. in ſua *Conſtit.* incip. *Decet Ro-
manum*, *&c. ſub die* 20. *Februar.* 1601. Barboſ. *d. p.* 1. *c.*
9. *num.* 14. Secundo, præcedentiam inter ipſoſmet Pa-
rochos, ſeu Curatos Eccleſiarum Parochialium, ſive Sæ-
79 culares ſint, ſive Regulares, dari ſecundum prærogativam
Eccleſiarum, & non ſecundum prærogativam Regulæ,
S.R.C. in una Aſten. Barboſ. *ibid. num.* 12. Tertio, quoad
præcedentiam unius Parochi, in cujus Parochia quis eſt
moriens, reſpectu alterius Parochi Eccleſiæ ad quam De-
functus ſepeliendus effertur, extat optima diſpoſitio *in
Actis Eccl. Mediol. p.* 2. *tit. de Fun. ducen.* ubi ſic legi-
80 tur: *Cum ex Parochia, cui Sacerdos ſæcularis præſit, mor-
tuus effertur, ut in Parochiali Eccleſia ſepeliatur, cui Re-
gularis ſit præfectus, vel contra: tunc utrique Parochi ſu-
perpelliceo, & ſtola induti, pares progrediantur. Reliqui
vero Regulares eum locum teneant, quem in generalibus
Proceſſionibus tenere conſueverunt, non obſtante quavis con-
ſuetudine, vel pactione.*
81 Quod dicitur de Regularibus, dicatur & de Confra-
ternitatibus, & Puellis mendicantibus, juxta Ordinem
antianitatis inſtitutionis earum: & ita communiter in uſu
eſt tum Romæ, tum in aliis Civitatibus. Quod ſi diſſi-
dia circa præcedentiam in actu hujus funebris Proceſſio-
nis naſcerentur, ab Ordinariis avocari poſſunt, non re-
tardata tamen Cadaveris ſepultura, ita Pignatell. T. 5.
Conſ. 89. *n.* 64.
De Cruce noviter ſermo fit in hoc Paragrapho: ſem-
per tamen intelligitur de parochiali, quia hæc eſt ſimpli-
citer neceſſaria, & de jure nunquam omitti poteſt, ſive
ſit aurea ſive argentea, ſive ærea ſive lignea, ut ſupra
82 dictum eſt. Ceteræ enim ſeu Regularium, ſeu Confra-
83 ternitatum, ſeu Orphanorum, & Puellarum mendican-
tium abuſive veniunt, vel ex tolerantia, Franc. *de Fu-
nerib.* Circa quam Crucem Regularium ſciendum eſt, in
publicis Proceſſionibus, & Funeribus, ab omnibus Regu-
84 laribus familiis, Crucem deferri debere cum Pallio, ſeu
Velo appenſo, non autem nudam, prout defertur a Cle-
ro Sæculari, a quo contradiſtinguitur, mediante dicto Ve-
lo, ſeu ſigno, juxta Decretum S. R. C. relatum a No-
car. *in Lucern. Regular. Verbo Crux*, *num.* 2. Barboſ. *in
ſumm. collect.* 234. *num.* 7. *& collect.* 642. *num.* 4. Ma-
cri, *Hierolex. Verbo Crux*, *circa medium*, ibi, *Regulares
nudam Crucem in Proceſſionibus ferre nequeunt, ſed cum
Velo quodam pendente*, S. R. C. 14. *Jan.* 1617. quæ loquitur
in durioribus terminis non Religioſorum mendicantium,
ſed Canonicorum Regularium Lateranenſium, ut videre
eſt apud Barboſ. *Collect.* 642. *n.* 4. & Gavant. *in Breviar.
p.* 1. *tit.* 19. *lit. E*, §. *In Proceſſionibus*, ubi ſequentem
adducit congruam rationem. *Ad indicandam ſubjectio- 85
nem, & inferioritatem, reſpectu Cleri ſæcularis: eadem
ratione, qua Baculo Abbatis appenditur Velum, ſeu Suda- 86
rium modo ejuſdem, ad differentiam Baculi Epiſcopalis.*
Idemque adnotatum legimus *in Act. Eccl. Mediol. tit. de
ſupellect. Eccleſ. l.* 2. *verb. de Baculo Paſtor. verſ. Hocario*; at- 87
que hoc quotidie practicatur in Urbe, cujus ſolitum in
Eccleſiaſticis functionibus inſervit pro regula in Univerſo
Orbe: ex deduct. per Rot. *dec.* 469. *n.* 61. *& d.* 560. *n.*
2. *&* 3. *p.* 16. Rec. *& in Majoren.* 2. *Junii* 1708. Pitton.
in Parerg. num. 63. ibi, *Et practicari videmus in ipſa
Urbe, quæ in hac materia Eccleſiaſticorum Rituum, Civi-
tatibus inferioribus exemplar eſſe debet.*
De Unica Cruce afferenda in Funerib. vide allegat ab
Urſaya *T.* 5. *p.* 2. *d.* 25. *a n.* 34. Pſalmi qui in Proceſſione 88
Funebri cantari debent, fuere jam inſra in Rituali præ-
ſcripti, & de illis ſuo loco dicemus. Modo dicendum
eſt, præcipi in noſtro Textu, ut vere cantentur. Com-
muniter loquendo ſolent recitari ſine cantu, & cum voce
gravi, nec feſtinantes; ſed ſi cantari velint, poterint in
tono ſecundo Gregoriano decantari, qui tonus eſt ceteris
lugubrior. S. Baſilius *Orat. in Julian. de funere Conſtant.*
hæc ait: *Inter efferendum, luminaria, & cerei accenſi de-
ferebantur, & Pſalmi modulis lugubribus & luctu permixte
canebantur.* Cantantur itaque iſti Pſalmi in defunctorum
Exequiis, ad agendas Deo gratias, ut illum, qui e vita 89
deceſſit, jam a laboribus liberaverit, & metu mortis e-
xemptum apud ſe habeat immarceſſibili ornatum corona.
Habetur inſuper ex *c. qui divina*, *c. ubicumque* 13. *q.* 2.
quod Sanctimoniales, dum Defuncti corpus efferebatur,
pſallere antiquitus, & cantus ſonoſque promere ſolerent.
In hac Proceſſione Parochus cunctos præcedit, ut do- 90
cet Textus, verbis illis: *Parocho præcedente feretrum.*
Quidquid diſputent inter ſe circa præcedentiam tum Re-
gularium, tum Confratrum, & aliorum aſſociantium Ca-
daver, Sacrorum Canonum expoſitores, ſemper inconcuſ-
ſa, & incontrovertibilis remanet hæc Parochi præceden-
tia, quia ipſe eſt, qui Cadaveris Dominus, & Rector
vocatur, Corſett. *Ind. Rational.* Atque ita, & taliter
primum locum tenere debet, ut in illa Proceſſione nulla
alia Perſona inter eum intercedat, & Feretrum cum Ca-
davere, donec ſuum jus circa illud perdoret.
Rurſus quando Textus dicit, *cum luminibus*: intelligi 91
debet de Intortitiis, quæ circa Cadaver accenduntur, &
a Confratribus, ſeu aliis aſſociantibus deferuntur. Paro-
chus enim de conſuetudine neque Candelam, neque In-
tortium accenſum in manibus habere debet.
Poſt Feretrum plurimi eſſe poſſunt comitantes funus, 92
juxta conditionem Defuncti. Dantur Ordines Militares
pro Milite; Familiares, & Famuli pro Viro Principe,
vel Nobili vel in dignitate conſtituto; Artifices pro Ar-
tifice, atque alii pro aliis, qui aſſociare poſſunt Defun-
ctum poſt Feretrum, dummodo non ſint Eccleſiaſtici, 93
quia illi debent incedere in loco conſtituto, ante Paro-
chum cum Clericis.
Omnes itaque ſuperenumerati cum luminibus accenſis, 94
& habitu lugubri, poſſunt vel bini bini, vel ad libitum
incedere poſt Feretrum, ſed nihil canentes. Textus enim
præſcribit, ut orent utique Deum deprecando, ſed *ſub
ſilentio*: unde apparet, quod ſilere debent, & in corde
tantum flere, & orare, nec ſe conformare cum ceteris
pſallentibus, cum quibus nulla eſt ordinis Harmonia.
S. Carolus *in Act. Eccl. Mediol.* & cum eo multæ Sy- 95
nodi Diœceſanæ inhibent, & rigoroſe prohibent, ne cum
aſſociantibus Cadavera immiſceantur Aſtrati, ſeu *Piagno-
ni*, neque Fœminæ lugentes, ſeu Præficæ pretio condu-
ctæ ad plorandum, de quibus fuſe locutus ſum in mea 96
peculiari diſſertatione *de Præficis*, typis jam edita; ubi
capite 13. quæſtionem pertractavi: An uſus conducendi
Præficas noſtris temporibus exigeat, & an in Eccleſia Dei
tolerandus? qua occaſione multas SS. Patrum, & Con-
ciliorum interdictiones attuli, arcentes hunc peſſimum
uſum ab Eccleſia Catholica.
Mos erat, non adeo antiquus (egomet enim ſæpius te-
ſtis fui) ut Defuncti nobiles in Curru luctuoſe cooperto,
ad Eccleſiam deferrentur, ſine Feretro, præcedente Cru-
ce erecta, & Parocho cum luminaribus, & cetera comi-
tiva. Cum ad Eccleſiam perveniſſent, Cadaver in ſua Ca-
pſa obſeratum, e curru trahebant pii Confratres, & in
Feretrum reponebant, paratum ad fores Eccleſiæ, ingre-
diebanturque Templum more conſueto: quod ægre ferens
Card. de Verme clariſſ. mem. Epiſcopus Ferrarienſ. ad
vindicandam hanc indecentiam, edictum ſuper hoc pro-
mulga-

mulgavit anno 1705. & illud in ſua Diœceſana Synodo
inſeruit, *ad capit. de funeribus, & ſepult. §. in Feretro*;
qua monitione hunc abuſum adeu deformem extirpare ſtu-
duit, ne amplius viderentur Parochi, & Religioſi Sacris
Veſtibus induti, cum Cruce elevata, inter medias pſalmo-
dias, & preces, præire equis currum trahentibus; quod
in poſterum rigoroſe uſque ad præſentes dies ſervatum
97 vidimus. Si vero dignitas Defuncti exigat ut curribus aſ-
ſocietur, incedant poſt cæteros aſſociantes funus, ſed va-
cui, dummodo Cadaver in ſolito Feretro præcedat. Quod
ſi etiam pro aliquo inſigni Viro, & in Eminenti di-
gnitate conſtituto iſte uſus deferendi Cadaver in curru
ſervari velit, laudabile erit ſi fiat abſque aſſociatione Pa-
rochi, ſine Cruce, & ſine Proceſſione, quemadmodum
anno 1727. die 3. menſis Auguſti factum fuit, dum ef-
ferretur Cadaver Card. Patritii Ferrariæ Legati ad Eccle-
ſiam Cathedralem ejuſdem Civitatis, pro quo nullus or-
do Proceſſionis inſtitutus fuit, ſed in nobili curru repo-
ſitum Cadaver, cum ad januam Eccleſiam perveniſſet,
Parocho ibi ſtanti cum Cruce elevata, une cum toto
Canonicorum Capitulo, oblatum fuit, qui omnes illud
e curru extractum ſuſcepere, ac in Eccleſiam ſtatuto
ritu, & precibus introducere. Vide alia plura apud
Matthæucc. *Off. Cur. Eccl. cap.* 48. *num.* 16. *§. Nec ob-
ſtat.*
Similiter Cardinalis de Verme ſuperenarrata Synodo 98
inhibuit, ut ſi ea neceſſitate in Villis ad Defuncti Ca-
daver humandum, contigerit illud in plauſtro efferri,
Crux non extolleretur uſque dum Cadaver prope locum,
aut in rationabili diſtantia ab Eccleſia, e plauſtro com-
poneretur in feretro, vel modo decentiori aſportaretur:
tunc enim cum Cruce elevata, aſſociatione, cæteriſque
cæremoniis in Eccleſiam eſſet deportandum: quod maxi-
me cum ſanctionibus Sacrorum Canonum concordat, &
cum præſcriptis *in Act. Eccleſiæ Mediolan.* a S. Carolo
Epiſcoporum ſpeculo, & exemplo editis pro bono Eccle-
ſiarum regimine, & Divini cultus ſplendore.

§. II. Parochus vero, antequam Cadaver efferatur, illud aſpergit Aqua benedicta, mox dicit antiphonam: *Si iniquitates*, &c. & Pſalmum: *De profundis* &c. in fine: *Requiem æternam*, &c. repetit antiphonam totam: *Si iniquitates*, &c.

Hoc debet Parochus peragere ſiſtens ad Feretrum De-
99 functi, poſtquam ingreſſus ſit Domum, vel locum, in
quo expoſitum jacet Cadaver, una cum aliquibus de Cle-
ro ſi adſint, ad hoc ut viciſſim ſecum pſallant. Et quo-
niam de Feretro verba habuimus, quæritur cujus juris
ſit illud præſtare? & Reſpondeo, De Jure inter Paro-
chiales ſupellectiles Feretrum habere locum, nec dari
credo Parochialem Eccleſiam, in qua totum jus reſidet,
& radicaliter, funerandi, quæ deſtituta ſit hujuſmodi
loculo, expenſis Parochi parando, cum culcita ad coo-
periendum. In Paſtoralibus viſitationibus, Epiſcopi de
Feretro præcipue quærunt. Gavant. *Prax compend. Viſit.
epiſc.* §. 14. *de Sacriſtia*. Pallium vero ſeu culcita pro
Feretro, aut ſumptibus Populi, aut Cleri fiat, cui ideo
dari debet aliquid ab Hæredibus defunctorum juxta Ta-
xam Epiſcopi. Provinc. 1. *Gavant. Manual. Epiſc. Ver-
bo exequiæ*. Item enumeratur Feretrum inter ſupellecti-
les Parochiales in Her. 4. his verbis. Feretrum unum.
Feretra duo Inſuper Her. 4. l. 1. c. 29. *Locus præter-
ea alius Sacriſtiæ, aut cœmeterio ſaltem propior in omni
Eccleſia parochiali &c. apte extruatur, in quo Feretra
&c. reponantur*. Ergo inter jura parochialia locum ha-
bet, & a Parocho haberi, & præſtari debet pro dela-
tione cadaverum. Sed quid ſi Confraternitates Laicorum,
vel Ordines Regularium Feretrum proprium commoda-
re vellent, atque abſque illo aſſociationem cadaveris re-
cuſarent, tunc magis quando Cadavera humari deberent
in eorum Eccleſiis, ſeu oratoriis? Dempta conſuetudi-
ne, quæ ex dictis ad n. 1. in materia funerum mul-
tum operatur, ſemper ſtat jus ſavore Parochi pro præ-
ſtando Feretro. Antiquitus enim Ordines Regulares,
& Confratres carebant Feretro, quia ſepeliendi jus non
habebant in propriis Eccleſiis, ſive Oratoriis (excipe
Feretrum ad uſum Fratrum pro Fratribus) Poſtea ſepe-
liendi conſuetudine, ſeu facultate apud illos introducta,
non niſi pro aſſociatione hoc permiſſum fuit: nulla
enim mentio in illorum conſtitutionibus, & privilegiis
fit de Feretro, quod pro Parochianis ſuis nunc habere
debet a Parocho.
Si in hac quæſtione Parochus conſtanti animo ſiſtet,
rem indicatam, & Reſolutionem a ſacra Congregatione
obtinebit favore juris Parochialis. Renuant Regulares,
tenuant confratres quantum illis lubeat, aſſociare cada
ver abſque Feretro, non per hoc inſepultum, atque ſine
debito honore remanebit.
Si vero adſit Capitulum in aſſociatione funeris, ſpe- 100
ctat ad primam illius dignitatem, non vero ad Capella-
num Capituli aſpergere, & inchoare exequias, cæteris re-
ſpondentibus. Atque fit hæc aſperſio cum aqua benedicta,
ne Dæmones Fidelium Orationes impediant, & Defunctis
illudant, ac vexentur, Rational. *Div. Off. l.* 7. *c.* 35. *num.*
3. Inſuper hoc fit, ut deſiderium noſtrum exprimamus,
quo Animas Defunctorum, cæleſti rore aſpergi optamus,
unde ardor illis Purgatorii ignis mitigetur, & omnino
extinguatur, S. Thom. *Quodlibet.* 3. *Art.* 21.
Pſalmus *De profundis*, &c. ab Eccleſia aſſignatus eſt 102
ad levamen Defunctorum, quoniam precamur in perſo-
na Animæ in Purgatorio detentæ: & omnia illi opti-
me quadrant; nam & Animæ illæ ſunt in quodam pro-
fundo, & aſcendere cupiunt, expectantes miſericordiam
Dei per Redemptoris noſtri pietatem, Bellarmin. *in
Pſalm.* 129. *Argument.*
Verſiculi *Requiem æternam*, &c. Michael Timoth. 103
in q. 300. *c.* 7. apud Gavant. *p.* 2. *ſect.* 9. *c.* 2. *num.*
3. & Corſett. *Ind. Rat. verb. Requiem*, volunt Au-
thores Apoſtolos: tantæ antiquitatis eſt in Catholica
Eccleſia.

§. III. Deinde Cadaver effertur, Parochuſque de domo procedens, ſtatim gravi voce intonat Antiphonam: *Exultabunt Domino*, &c. & cantores inchoant Pſalm. *Miſerere*, &c. Clero alternatim proſequente. Ac ſi longitudo itineris poſtulaverit, dicantur Pſalmi Graduales: *Ad Dominum*, &c. vel alii Pſalmi ex Officio mortuorum: & in fine cujuſque Pſalmi dicitur: *Requiem*, &c. qui Pſalmi devote, diſtincte, gravique voce recitari debent uſque ad Eccleſiam.

104 Effertur Cadaver in ſuo Feretro: circa quod ſciendum
eſt, quod non omnes, qui elevant Feretrum, efferant
105 illud: ſi ſit Cadaver Perſonæ inſignis, & in dignitate
conſtitutæ, elevatur primum a Perſonis dignioribus, &
ejuſdem gradus, ſi fieri poteſt: ſed immediate extra ja-
106 nuam Domus effertur a Portitoribus conſuetis uſque ad
Eccleſiam: de Laicis non efferendis a Clericis, & de
Sacerdotibus non efferendis a Laicis diximus ſatis *in*
107 *Titulo de Exequiis*, §. 16. Pro quo notari debet uſus
nonnullarum Regionum habendi Ductorem itineris pro
hac funeris Proceſſione, juxta *ſtat. Cleric. Urbis*, *c.*
6. §. 26. *in addit.* cui dandam eſſe aliquam mercedem
reſolvit *Congreg. particularis habita in Palatio Card. Ac-
cuajoli die* 20. *Aprilis* 1704. allegat. ab Urſaya, *T.* 5.
p. 2. *d.* 21. *n.* 168.
108 Ex illis verbis *Gravi voce*, &c. apparet quod iſti Pſal-
mi cantari non debent tono Gregoriano, ſed recitari
ſemper eadem voce. Alia dicemus in fine hujus Para-
graphi, circa hunc cantum.
109 Antiphona, *Exultabunt Domino*, &c. eſt illa, quæ in-
cipit Laudes in Officio Defunctorum, & præcedit ſem-
per Pſalmum, *Miſerere*, &c. de quo alias verba feci-
mus in *Sacramento Penitentiæ*.
Pſalmi Graduales ſunt quindecim a Pſalmo 119. uſque
ad 133. incluſive per ordinem Pſalterii. Primus horum
eſt: *Ad Dominum cum tribularer, clamavi*, &c. Dicun- 110
tur Graduales, vel Graduum. Juxta Theodoretum in-
telligi debent ad litteram de aſcenſione Judæorum de Ba-
bylone in Jeruſalem, Spiritu Sancto per os David præci-
nente calamitatem captivitatis Babylonicæ, & lætitiam
liberationis. Alii putant, & aſſerunt, hos quindecim Pſal-
mos cantari ſolitos in aſcenſione quindecim graduum Tem-
pli Salomonis: tot enim fuiſſe illos gradus ſcribunt, non
ſolum Lyranus, & recentiores, ſed S. Auguſtinus, in Pſal-
mum poſtremum. Quidquid ſit de iſtis duabus opinioni-
bus, illud certum eſt, Aſcenſiones illas, ſive de Babylone
in Jeruſalem, ſive per gradus Templi Salomonis, figuras
fuiſſe Aſcenſionis electorum, qui per Virtutum gradus,
& præcipue charitatis, de valle lacrymarum aſcendunt ad
cæleſtem Jeruſalem; Unique Pſalmi ſunt pleni affectuum
erga Deum, & illorum proprii, qui ſe peregrinos, at-
que exules in Terra inimicorum eſſe cognoſcunt, &
modo exilii ærumnas deflent, modo ad Patriæ requiem
ſuſpirant: ſemper autem ſe ad aſcendendum, & in via
Domini proficiendum accendunt, Bellar. *in Pſalm.* 119.
Argum. atque ideo in funere aſſociando aſſignantur, quia
de Aſcenſione Animæ ſermo eſt.
Radulphus allegatus a Gavan., *T.* 7. *ſect.* 9. *c.* 3. *n.* 7.
Comment. ad Rituale.

111 *propoſ.* 21. meminit, & notat, primos quinque Pſalmos
112 dici pro Defunctis, alios quinque pro nobis ipſis, & Ami-
113 cis; poſtremos denique pro omnibus Fidelibus. Quinque
primi habent pro concluſione *Requiem æternam*, *&c.* alii,
Gloria Patri, *&c.* Sed ſi canantur in aſſociatione fune-
ris ſemper concluduntur cum *Requiem æternam*; quia o-
mnes pro ſuffragio Defunctorum in hoc caſu recitantur.
114 Ubi notandum, quod dum defertur Cadaver ad Eccle-
ſiam, in fine Pſalmorum dicitur *Requiem*, *&c. dona ei*
115 *Domine*, *&c.* Sed quando cantatur Officium pro uno,
aut pro pluribus in Eccleſia, ſemper dicitur *dona eis*,
&c. ut refert Fagnol. *Kalend. perp. in fine.*
Devote, & diſtincte, gravique voce recitari debent
iſti Pſalmi, ergo non tono Cantus Gregoriani, quia
quamvis ſecundus tonus ſit gravis, & flebilis, attamen
116 vocem extollit diverſimode, diverſaſque notas tangit,
quæ non unionam vocem formant, nec ſemper gravem:
De facto mos eſt recitandi ſemper ſimpliciter hos Pſal-
mos, non autem canendi.
Aliqui in funere aſſociando utebantur Muſico cantu,
& ſonitu inſtrumentorum Muſicalium, quæ Feretrum ſub-
ſequebantur cum cantu Pſalmorum, & hoc pacto ad
Eccleſiam Cathedralem Ferrariæ aſſociatum fuit Cadaver
Joſephi Fioravanti Canonici anno 1725. omnibus admi-
rantibus. Sed cum hanc aſſociationem tali pacto facien-
dam, idem Canonicus ſupremis tabulis decreviſſet, ple-
ne adimpleta fuit ejus voluntas: quod ſane factum non
fuiſſet poſteriori anno, poſt Decretum Concilii Romani
117 ſub Benedicto XIII. hos muſicales cantus in funeribus
prohibens.
Supereſt ut aliquid etiam dicamus de ſonitu Campanæ,
118 qui fieri ſolet ab Eccleſia, in qua tumulandum eſt Cada-
ver, dum ad ſepulturam defertur. Campanæ dicuntur Præ-
dicatorum ſpecies, ut notat Lap. *alleg.* 12. *n.* 4. & hic
119 vere de morte prædicant. Earum ſonitus a Textu noſtro
non aſſignatur, & tamen paſſim, & communiter in uſu
eſt, ut ab illo moneantur Fideles ad orandum pro anima
120 Defuncti, & ad Cadaver aſſociandum, ſeu ad intereſſen-
dum exequiis, condito Cadavere in Eccleſia.
121 Quamvis Campana dignior denotet majorem dignitatem
Perſonarum, pro quibus pulſatur, Corſett. *concl.* 1. *verſ.*
Campana, *num.* 457. regulariter tamen, & communiter
Campana majore utuntur ad dandum hoc ſignum, ut
longius, quam fieri poſſit, a Fidelibus audiatur: Et incipit
122 ſonus ſtatim ac Cadaver de domo procedit; vel ſi longi-
tudo itineris id non conſentiat, ſtatim ac audiuntur vo-
ces pſallentium, vel comitiva aſſociantium appareat, & fi-
nem habet ſtatim ac Cadaver in Eccleſia depoſitum eſt.
123 Cum Cadaver pervenerit ad Eccleſiam, ſi Regularium
eſt, & Parochus non ſit illius Eccleſiæ, ipſe Parochus
in januis illius tenetur dare Cadaveri ultimum Vale, *ex*
Decr. S. C. Concil. allegat. ab Urſaya, *d. T.* 2. *p.* 1. *d.* 18.
num. 26. quia Parochi juriſdictio ſupra Defunctum durat
quouſque tranſeat in aliorum juriſdictionem, non tranſit
autem in Juriſdictionem Regularium niſi quando perve-
nit ad fores eorum Eccleſiæ, Paſqualig. *ad Laur. de Franc.*
124 *de controv. n.* 1391. Si vero adſit Capitulum cum Cruce
elevata, poteſt ingredi Eccleſiam, juxta ſpeciale privile-
gium, de quo Samuel *de ſepult.* T. 1. *diſp.* 3. *contr.* 3. *concl.*
6. *num.* 29. Sed abſente Capitulo, Parochus in Eccleſiis
125 Regularium nullam habet juriſdictionem: poteſt tamen
illas ingredi, & ibi permanere, ſed tanquam perſona pri-
vata, & ſicut cæteri de populo. *S. R. Congr. in Mantuan.*
Funerum 21. *Novembr.* 1609. apud Pignatell. *d.* 1. *annot.*
126 *to. num* 21. Ultimum Vale ſupradictum fit cum aſperſio-
ne Aquæ Benedictæ per Parochum ſupra Cadaver, & ſu-
pra Populum, ſine ulla Cadaveris depoſitione, & abſque
ulla mora illius, ut ex Atteſtatione Parochorum Urbis
allegata ab Urſaya, *T.* 3. *p.* 1. *d.* 31. *num.* 7.
Hic locus eſt, ut fiat diſtributio Quartæ Funeralis, &
tum Parochus Cadaveris, tum Parochus ſepulturæ, ſeu Re-
gulares ſuam ſibi ſtatutam Cereorum portionem cognoſcant.
Diu agitata fuit quæſtio hæc de Quarta Funerali inter Ca-
noniſtas, ſed ſemper novæ obortæ ſunt difficultates: qui-
bus tandem perpetuum ſilentium imponere volens Sanctiſ-
ſimus Pontifex Benedictus XIII. *in ſuo Concil. Romano*, *Tit.*
8. *c.* 5. decrevit omnimode hanc Quartam Funeralem Paro-
chis a Regularibus ſolvendam fore: quod Decretum con-
temporanea Conſtitutione. *Romanus Pontifex*, corrobora-
vit, quæ eſt VI. in eodem Concilio inſerta: ſed quia ad-
huc novæ interpretationes oriebantur tam Sanctam Conſti-
tutionem deturbantes, ideo data opportunitate Privilegia
ampliandi, & confirmandi Sacro Ordini Prædicatorum per
novam Conſtitutionem, *Pretioſus* mentionem quoque, &
novam ſuæ intentionis explicationem circa hanc Quartam
Funeralem in hac Conſtitutione, ſub §. 67. inſeruit, hoc
pacto: *Per noſtram Conſtitutionem*, Romanus Pontifex,
ac etiam Decreta noviſſimi Romani *Concilii*, *injunximus*,
Parochis ſolvendam eſſe Quartam Funeralem in Italia ni-
mirum, *& Inſulis adjacentibus*, *ab omnibus*, *& quibuſ-*
cumque Regularibus *quocumque privilegio ſuffultis*, *& Re-*
gulares Ordinis *S. Dominici utriuſque ſexus*, *in eiſdem Ita-*
lia, *& adjacentibus Inſulis reverenter pro conſueta ipſorum*
erga Apoſtolicam Sedem obedientia Diſpoſitioni noſtræ, *ut*
debent, *obſequuntur*, *prout etiam volumus*, *& mandamus*
in poſterum ſervari, *ita quidem*, *ut* Regulares *prædicti iis*
tantummodo, *ad cujus Parochiam ſpectabit Defunctus*, *rea-*
liter, *cum effectu*, *& ſine ulla prorſus controverſia tradere*
teneantur unam ex quatuor partibus (*quam proprio nomine*
Quartam *appellavimus*) *omnium Intortitiorum*, *& Cande-*
larum, *quibus Defuncti cadaver in itinere ad eorum Eccle-*
ſiam tumulandum aſſociabitur, *necnon omnium Intortitio-*
rum, *& Candelarum*, *quæ in eadem Eccleſia circa Cadaver*,
ſeu Feretrum, *ac etiam in Altaribus in die funeris accen-*
dentur, *retentis tamen ſibi Candelis manualiter per viam*
delatis, *una cum omnibus Intortitiis*, *Candelis*, *aliiſque*,
de quibus in ea Conſtitutione mentio expreſſa facta non fuit:
quæ Regularibus *prorſus illæſa*, *& inviolata perpetuo ma-*
nere volumus, *decrevimus*, *ac mandavimus*. *Ubi vero ad-*
ſint conſuetudines legitime probatæ, *Conventiones*, *Concor-*
diæ, *vel Statuta*, *quæ Parocho portionem Quartam prædicta*
pinguiorem aſſignent, *hanc eandem*, *prout ante noſtram præ-*
dictam Conſtitutionem, *ac etiam Concilium* Romanum, *da-*
re pergant, *& teneantur*. *Quum vero mentis*, *& intentio-*
nis noſtræ in ea edenda Conſtitutione fuerit conſulere quidem
Parochorum indemnitati, *ad hoc nimirum*, *ut ii*, *qui ni-*
hil, *vel Quarta minus percipiebant*, *eandem Quartam con-*
ſequi poſſent, *non autem*, *ut qui majus emolumentum*, *ſeu*
plus Quarta prædicta ex conſuetudine, *Conventione*, *Concor-*
dia, *vel Statuta reportabant*, *aliquid aliud prætextu vigore*
noſtræ dictæ Conſtitutionis, *aut etiam* Concilii Romani *ſibi*
arrogare poſſent, *volumus propterea*, *ut iidem Parochi*, *vel*
præciſe perciperent ſtatutam a nobis Quartam partem, *vel*
tantummodo ſtarent Conſuetudini, *Conventioni*, *Concordiæ*,
ſive Statuto, *ut prædictum eſt*. *Ne autem ſuper hujuſmodi*
clara cæteroquin intelligentia noſtræ Conſtitutionis, *& Con-*
cilii Romani, *ullo umquam tempore excitari valeat antiqua*
difficultas, *expreſſe ita declaramus dictam noſtram Conſtitu-*
tionem, *& Decreta Concilii* Romani, *ſimulque motu*, *ſcien-*
tia, *& poteſtate prædictis volumus*, *præcipimus*, *& man-*
damus, *ut iidem fratres Parochis relinquant optionem*, *vel*
eligendi Quartam partem prædictam, *vel ſtandi Conſuetu-*
dini, *Statuto*, *Concordiæ*, *ſeu Conventioni*, *eamque pacifi-*
ce ſequantur, *ut ſuæ ipſorum quieti religioſe juxta eandem*
mentem noſtram conſulent; *Parochi vero ſemel factam op-*
tionem immutare nullatenus poſſint, *aut valeant*, *&c.*
Dat. Stiæ 1727. 7. *Kalend. Junii.*

Huic Conſtitutioni derogavit Clemens XII. illam ad puros terminos Juris communis redigens, proinde ac ſi dicta Conſtitutio minime emanata fuiſſet, prout narrat P. Cavallarius in Agende mortuorum *Cap.* 15. *de exeq.* Adultorum decr. 55 cap. in ordine 167. fol. 276. de recenti vero, nempe ſub die 18. Septemb. 1751. S. C. Concilii huic quæſito *Bononien. ferendum*, *An in aſſociando cadavera ſepelienda in Eccleſia S. Petri Minorum de Obſervantia Terræ Centi liceat Parocho ingredi cum Stola & Cruce elevata*, *ſeu potius teneatur ad ejuſdem Eccleſiæ fores ſiſtere*, *ibique ultimum vale defuncto dare*, *in Caſu &c.*

Reſpondit *Negative ad primam partem*. *Affirmative ad ſecundam*.

Cui decreto locali paritum eſt pro prima vice hac die 4. Decembris 1751. per Parochos Eccleſiæ Collegiatæ S. Blaſii, & SS. Sebaſtiani & Rochi ejuſdem oppidi Centi, in aſſociando Cadaver Jacobæ Troni de Gratis.

§. IV. Ad ingreſſum Eccleſiæ repetitur Antiphona: *Exultabunt Domino*, *&c.* Deinde Eccleſiam ingreſſi, cantant Reſponſorium, Cantore incipiente, & Clero alternatim reſpondente, videlicet, *Subvenite Sancti*, *&c.*

127 Preces, & Pſalmi, qui cantantur in Proceſſione, ter-
minum ſuum habere debent ad fores Eccleſiæ, adeo ut
ſi neque ultimus Pſalmus expeditus ſit, obtruncetur, &
dicto *Requiem æternam*, *&c.* & repetita Antiphona, *E-*
xultabunt Domino, *&c.* illico ac cadaver Eccleſiam in-
greditur, alta voce cantetur Reſponſorium *Subvenite*,
&c. Ubi notandum eſt, quod vetero hoc loco utendum
128 eſt cantu Gregoriano, tum quia de Cantore fit mentio,
qui debet eſſe Hebdomadarius, ſi adſit Collegiata, vel
Capitulum, vel Regula Fratrum, ſin minus, ſit alter,
qui Cantoris ſibi Miniſterium adſiſcat; tum quia Tex-
tus expreſſe dicit *Cantant*, ac demum quia iſtud Re-
ſponſorium ſuis notis Muſicalibus, ſeu Gregorianis in Li-
bro Rituali eſt exaratum, ut cantetur.
Obſervandum eſt hoc loco, quod Cadavera illorum, 129
qui ſepeliuntur in Eccleſiis Regularium, non ſunt prius
tranſportanda ad Eccleſiam Parochialem, ut reſpond. *Sacr.*
Rit. Congr. in Baren. de Annis 1595. 1616. 1618. *& in*
Nepeſina 11. *Decembris* 1615. *&* 14. *Januar.* 1613. Te-
ſtibus Nald. *in Summa*, *verb. ſepultura*, *num.* 13. Pigna-
tell. *conſ.* 48. *n.* 8. *T.* 3. & alii apud Urſaya, T. 1. *d.*
28. *num.* 70.

§. V.

§. V. Depoſito Feretro in medio Eccleſiæ, ita ut defuncti pedes, ſi fuerit Laicus, ſint verſus Altare majus; ſi vero fuerit Sacerdos, ut dictum eſt, caput ſit verſus ipſum Altare: cereis accenſis circa corpus, ſtatim, niſi quid impediat, ut infra monebitur, dicatur Officium mortuorum, cum tribus Nocturnis, & Laudibus, ut infra ponitur: & duo ex Clero incipiant abſolute Invitatorium, *Regem*, &c. & repetitur a Choro, *Regem*, &c. Pſ. *Venite*, &c. & duplicantur Antiphonæ. Ad finem Officii poſt Antiphonam, Canticum, *Benedictus*, &c. dicitur, *Pater noſter*, &c. ſecreto. Oratio, &c.

In explicatione *Tituli de exequiis. ad* §. 17. ſatis diximus de modo collocandi Cadavera tum Laicorum, tum Sacerdotum in Eccleſia. Modo dicendum remanet de loco, in quo Cadavera ponenda ſunt. Textus ſatis clare
130 loquitur, dum dicit: *in medio Eccleſiæ*. Sed ſuperenunciatus *Titulus de exequiis*, advertit id, quod in hoc loco,
131 quamvis non exprimatur, attamen ſubintelligendum eſt, nempe quod ſi adſit impedimentum aliquod in medio Eccleſiæ, vel conſuetudo, & mos ſit in contrarium, Cadavera deponi poſſint in Oratoriis, aut Cappellis cum pedibus ad illarum Altaria converſis, niſi Cadavera ſint Sacerdotum. De facto mos eſt in Cathedrali Ferrariæ deponere iſta Cadavera, niſi fuerint Epiſcoporum, vel Canonicorum, non in medio Eccleſiæ, ſed in lateralibus Cappellis, ubi fiunt exequiæ, & aliæ cæremoniæ, uſque ad ſepulturam.

Eſt locus hic, ut aliquid dicamus, de modo deponendi Feretrum, ſeu Cadavera. Generaliter loquendo, Ca-
132 daver in ſuo Feretro collocatum ſupine jacens exponitur in locis conſuetis cum inſignibus gradus ſui, quicumque ſit, ad latera, & ad pedes depoſitis: ex. gr. ſi Cadaver fuerit Cardinalis, ponitur Galerus purpureus ad pedes: ſi ſimplex Epiſcopus, Galerus ſui gradus: ſi Canonicus, Caputium: ſimiliter ſi Manſionarius, ſi Beneficiatus, Caputium, ſive Almutium: ſi Doctor, libri: ſi Dux, vel Militiæ præfectus Baculus, ſeu Vexillum. Demum, cujuſcumque gradus ſit Cadaver, ejus Inſignia exponere non dedecet honoris gratia, dummodo Inſignia hæc ſint honorifica, non autem Vilia, ut Malleus pro Fabri Cadavere, Subula pro Caligario, Torcular pro Typographo.

Veniunt etiam ſub hoc ſenſu intelligenda Stemmata gentilitia hodie omnibus communia, quæ a Feretro pen-
134 dentia, vel in terram ſtrata exponi ſolent, & in Eccleſia tolerentur, etiam abſente corpore Defuncti, eo modo quo permittuntur appenſa muris tum interioribus, tum exterioribus, & ad Valvas Eccleſiarum. Vide fuſius Caſal. *de Funerib.* & Lavor. *verb. Inſignia*. Cujus juris eſſe poſtea debeant iſta ornamenta, vide Barboſ. *d. p.* 3. *c.* 25. *n.* 44.

Quo vero ad Cadaver, ſolet hoc in aliquibus Civitatibus extrahi a Feretro, & deponi ſupra pavimentum Ec- 135
cleſiæ, ſtrato prius obſtragulo: ſeu Culcitra funebri cum pulvinaribus ad pedes, & ad caput: atque hoc pro humilitatis, & exinanitionis teſtimonio communiter habetur.

De Culcitra, in qua, juxta morem aliquarum Regio- 136
num, involvitur Cadaver, an debeatur Eccleſiæ tumulanti, etiamſi ſit pretioſa, ſeu, pannus aureus, propoſitum fuit dubium Sacræ Congregationi Conc. & ipſa reſponſum fecit ſub die 3. Septembris 1707. *affirmative*. Et in terminis fortioribus, quod Eccleſiæ ſepelienti nedum debeantur ſimilia ornamenta, ſive ſint pretioſa, ſive auro contexta, ſed etiam quod ei debeantur *Stendardi*, & equi bardati, quamvis magni valoris, quibus aſſociari ſolent equites, & ſtrenui milites, ex Doctrina Bald. *l.* 1. §. *ſed & qui*, *Cod. de latin. libert. tollen.* Obſervant Jul. Ferret. in *Tract. variet. int.* Jus *Civile*, & *Longobard. rubr. de ſepult. violat.* n. 3. & Raynald. *Obſer. Crim.* n. 3. *cap.* 32. §. 4. & 5. *n.* 103. apud Urſaya, *T.* 3. *p.* 1. *d.* 12. *n.* 52. 60. 61.

Rurſus alia Cadavera in altum extolluntur juxta gra- 137
duum eminentiam erecta lugubri machina, ſeu Pegmate varie efformato, gradibus, columnis, aliiſque ad libitum Hæredum Defuncti, Lavor. *ibid.*

Quæ omnia Cereis luminibus ſtipata rite eſſe debent, ita præſcribente Textu noſtro, dum dicit. — *Cereis accenſis circa corpus* — Quoad numerum, pondus, & menſuram horum Cereorum, ſeu Intorticiorum nihil ad Parochum pertinet, tota ratio incumbit ad Hæredes Defuncti. Donec ardeant hæc lumina, ad Cadaver ſpectant: ſtatim ac extincta ſunt, cedunt favore Eccleſiæ, Barboſ. *d. p.* 3. *c.* 25. *n.* 38. nec ſuper reliquias Cereorum jus ullum habent Hæredes niſi facta ſit prius aliqua pactio, vel aliter diſponat conſuetudo.

§. VI. Dum in Officio dicuntur Laudes, Sacerdos cum Miniſtris paratur ad celebrandam Miſſam ſolemnem pro Defunctis, ſi tempus congruens fuerit, ut in die depoſitionis in Miſſali Romano.

Iſta celeritas, & illud tempus captari debet a celebrante, ſi vere adſit cum aliis pſallentibus in Choro; eo quia immediate poſt ultimum Pſalmum, incipi debet
139 Miſſa ab Introitu *Requiem æternam*, &c. Illa Miſſa debet eſſe illa, ut in die depoſitionis Defuncti, de qua multa doctiſſime ſcripſit Gavant. atque ideo mihi nihil ſupereſt dicendum ſuper hoc, quia Rubricæ Miſſalis jam per illum, & quidem inſignem Scriptorem explicatæ fuerunt.

Ad illud vero, quod Textus dicit — *Si tempus congruens fuerit*; obſervandum eſt variat eſſe hujus tempo-
140 ris congruentias; præcipuum vero eſſe ſi funus, & exequiæ fiant in mane, quia poſt meridiem, ut omnibus patet, non poſſunt Miſſæ celebrari. Si igitur de mane non fiant exequiæ, & Cadaver humandum ſit, tunc di-
141 cto Officio Defunctorum exequiæ perſolvuntur abſque Miſſa, & Cadaver traditur ſepulturæ. Si vero Cadaver adhuc incorruptum ſervari poſſit uſque ad diem ſequentem, & velint hæredes, ut expoſitum maneat in Eccleſia, Fidelium precibus; tunc celebratio Miſſæ poteſt differri, ſicuti & recitatio Officii Defunctorum ad diem ſequentem, atque eo tempore cuncta commode peragi poſſunt. Interim vero, tempore Nocturno, Cadaver in Eccleſia cuſtodiri debet in ſuo Feretro; & poteſt haberi hæc cuſtodia tam in loco conſueto, quam in Cappella, ſive Oratorio privato, & in mane denuo exponi: ubi animadvertendum eſt, quod nunquam, ſine alicujus Viri cuſtodia, 142
relinqui debet, ne a beſtiis lædatur; & ad omnia inconvenientia reparanda, quæ facile oriri poſſent: ſicuti neque ſine lumine ad tenorem noſtri Textus, qui præci- 143
pit, ut ſemper ardeat aliquod lumen circa Cadaver.

§. VII. Finita Miſſa, Sacerdos depoſita Caſula, ſeu Planeta, & Manipulo, accipit Pluviale nigri coloris, & Subdiaconus accipit Crucem, & accedit ad Feretrum, & ſe ſiſtit ad caput Defuncti, cum Cruce, medius inter duos Acolythos, ſeu Ceroferarios, cum Candelabris, & Candelis accenſis, & omnes alii de Clero, veniunt ordinatim in gradu ſuo cum Candelis accenſis, & ſtant in circuitu Feretri.

144 Cum finita Miſſa *de Requiem* &c. ſit locus habendi Orationem Funebrem in laudem Defuncti, ſi hoc ratio poſtulat: hæc Oratio, ſi a Clerico, ſeu Sacerdote ha-
145 beatur, recitanda eſt in Veſte talari nigri coloris, non autem in ſuperpelliceo, ſeu Rochetto, & multo minus in habitu Canonicali, quia res ſacra non eſt, nec concio, nec lectio ſpiritualis, Corſett. *de Rubric. general. e. u. add. num.* 28. *ex Cæremoniale Epiſcop. l.* 1. *c.* 22. & *l.* 2. *c.* 11.

146 Caſula, ſeu Planeta cum ſit veſtis Altari tantum deſtinata, Gavant. *dict. p.* 1. *verb. Caſula* · ideo deponi debet in quacumque alia Eccleſiaſtica functione quæ Miſſa non ſit, & loco illius ſumendum eſt Pluviale, de quo
147 alibi diximus: cum enim hæc ſit quodammodo veſtis viatoria, maxime convenit in Exequiis, & Funeribus ratione circuitus faciendi circa Feretrum.

Si deſit Pluviale, Sacerdos remanet in Alba, nec re- 148
tinere debet Caſulam pro Pluviali: retinet tamen ſtolam tranſverſam ante pectus in modum Crucis, ita a Portu, *de Cultu Dei*, & *Hom. pag.* 352. *num.* 4. Cætera ad hanc tam ſcientia, vide apud Gavant. *t.* 2. *p.* 2. *tit.* 13. *litt. f. g.* & *ſeqq.* & noviſſime apud Port. *loco ſupracit.* quæ hic repetere non juvat, niſi ad libri molem augendam: Nonnulla tamen advertenda recenſere poſſe judicavi ad majorem præſentis Textus intelligentiam.

Et primo. Si Cadaver expoſitum, circa quod fiunt Exequiæ, ſit Sacerdotis, vel etiam ſi Exequiæ ſint pro Sacerdote ſine Cadavere, ſed ſolum cum panno nigro, vel cenotaphio, quod Græci vocant Funus imaginarium, Lavor. *dict. p.* 151. *num.* 201. tunc ratione dignitatis, 149
cum caput ſit verſus Altare, videretur, quod Sacerdos faciens Exequias, ſtare deberet in faciem Altaris, nempe

ad

150 ad pedes Defuncti, & Subdiaconus cum Cruce ad caput, & conſequenter terga vertens Altari, & Cruci; ſed quia hoc indecens, & deforme videretur, ſtatuit Gavant. *l. c. litt. m*, quod etiam ſi Exequiæ ſint pro Sacerdote, Celebrans ſtare debeat ſemper inter Altare, & Tumulum: Subdiaconus vero contra Altare ad pedes Lecticæ, ſeu Tumuli; & ita in praxi ſæpius vidi, non obſtante opinione Bauldrii, qui in *Prax. Cærem. p. 3. c.*
151 14. *n. 4.* aſſerit debere ſemper Crucem ad caput Defuncti plantari, ſeu deferri, ſive ſit Laici, ſive Sacerdotis.
152 Candelæ debent inſuper accenſæ eſſe in manibus Cleri, ſeu quorumcumque in Proceſſione funeris intereſſentium, ſi facultas Defuncti id ferat. Si vero vires Hæreditatis non ſufficerent ad hoc, non eſſent ita ſolemniter faciendæ exequiæ, eo quia quando deſunt quæ neceſſaria, & quæ præſcripta ſunt e Rituali, conſultius eſſet abſtinere ab iſta pompa exequiarum: potius quam illas obtruncatas deformiter perſolvere. Advertent itaque Sacrarum Cæremoniarum Magiſtri, ne adeo facile permittant hanc Exequiarum celebrationem ad Feretrum, ſeu Cenotaphium ſine Candelis accenſis, quia hoc eſt expreſſe contra Ritum operari. In hoc caſu laudabilius 153
erit, ſi Clerus in Choro perſiſtens, ex illo loco reſpondeat Sacerdoti Exequias, & Abſolutionem celebranti, quam ſi circuat Tumulum, ſeu Cadaver ſine luminibus in manu accenſis, quæ important Ritum, & ſignificationem, ut ſæpius in his commentariis dictum eſt, dum de luminibus, vel Cereis verba fecimus.

§. VIII. Tum ſequitur Sacerdos cum Diacono, & aſſiſtente, aliiſque Miniſtris, & facta reverentia Altari, ſiſtit ſe contra Crucem ad pedes Defuncti, retro aſtantibus ei a ſiniſtris duobus Acolythis, uno cum Thuribulo & Navicula incenſi, altero cum Vaſe Aquæ Benedictæ & Aſperſorio, & Acolytho, ſeu Clerico tenente Librum, abſolute dicit ſequentem Orationem. *Non intres in judicium, &c.*

Satis circa verba hujus Rubricæ loquitur Gavant. ideoque non aliud addendum cenſeo, niſi quod illa Oratio:
154 *Non intres in judicium, &c.* tantummodo recitari debet præſente corpore, non vero ſupra Cenotaphium, ſeu Lectum honoris, ut alii vocant, abſente Cadavere, ut ſuo loco dicemus, tunc cum de Exequiis abſente corpore Defuncti ſermo erit.
In orationibus contemplatur tantummodo maſculinum genus, ſed debet fieri mutatio in omnibus juxta genus defuncti: Ratio autem, cur in oratione ante ſepulturam habeantur in Rituali duæ orationes, altera pro maribus, pro fœminis altera, nulla alia eſt, niſi ad evitandam confuſionem in celebrante, cum in ea oratione multa ſint immutanda, quod certe non evenire poteſt in cæteris, ideoque poteſt Celebrans ſine difficultate eas adaptare generi defuncti. Quoad orationem autem *Non intres &c.* nunquam hæc mutari debet, prout a S. R. C. declaratum eſt apud Merati in ſuo indice, n. 518.

§. IX. Deinde Cantore incipiente, Clerus circumſtans cantat ſequens Reſponſorium. *Libera me Domine, &c.*

Similiter adeatur Gavant. *loc. cit.* & Port. ſuper hoc.

§. X. Dum cantatur prædictum Reſponſorium, Sacerdos, Acolytho, & Diacono miniſtrante, accipit Incenſum de Navicula, & ponit in Thuribulum, & finito Reſponſorio, Cantor cum primo Choro dicit, *Kyrie eleiſon*. Et ſecundus chorus reſpondet, *Chriſte eleiſon*. Deinde omnes ſimul dicunt, *Kyrie, &c.*

155 Videtur, quod iſta poſitio Incenſi in Thuribulum anticipetur ex eo, quia poſt dictum *Kyrie eleiſon*, & *Pater noſter*, nimis moraretur in Concluſione ejuſdem Orationis Dominicæ.

§. XI. Mox Sacerdos dicit alta voce, *Pater noſter, &c.* & ſecreto dicitur ab omnibus; & ipſe interim accipit a Diacono, vel Acolytho Aſperſorium Aquæ Benedictæ, & facta profunda inclinatione Cruci, quæ eſt ex adverſo, Diacono, ſeu Miniſtro genuflectente, & fimbriam Pluvialis ſublevante, circumiens Feretrum (ſi tranſit ante Sacramentum, genuflectit) aſpergit corpus Defuncti. Deinde reverſus ad locum ſuum, Diacono miniſtrante, accipit Thuribulum, & eodem modo circuit Feretrum, & corpus incenſat, ut aſperſerat: poſtea reddito Thuribulo ei, a quo acceperat, ſtans in loco ſuo, Acolytho, ſeu alio miniſtro tenente librum apertum ante ſe, dicit: ℣. *Et ne nos, &c.*

Quoad modum iſtius Aſperſionis, ſicut non præſcribi-
156 tur in Rituali, neque modus thurificandi Cadaver, ita varia eſt praxis in Eccleſia. Verum tamen eſt ritum meliorem illorum eſſe, qui circumeundo Feretrum aſpergunt, & incenſant ſine mora in principio, in medio, & in fine, & utraque parte, cum ſit ſe conforment Pontificali Romano, & Cæremoniali Epiſc. l. 2. c. 11. §. 111., & authoritati P. Merati p. 2. tit. 13. §. 26. Cæterum Aſperſio nunquam fieri debet in modum Crucis; quæ ſi tali modo facienda eſſet, procul dubio in Rituali Rom. eſſet adnotata.
Itaque prætermiſſis quæ diffuſe adnotat Gavant. & Port. *dd. ll.* nonnulla remanent dicenda ad majorem dilucidationem hujus paragraphi. Et primo, *Pater noſter &c.* intonatur alta, & intelligibili voce, ſed poſtea ſub ſilentio recitatur uſque ad *Et ne nos inducas, &c.* ut diligentius, & attentius dicatur, necnon ut pateat ad quid Oratio ipſa dicatur, ne illam recitans per phantaſiam diſtrahamur, Corſett. *verb. Oratio Dominica*.
Secundo: Aſpergitur Cadaver Aqua Benedicta, quæ
157 cum Thure eſt correlativa. Gavant. *d. l. litt. l*, non ad tollenda peccata venialia, ſed ut omnino immundorum ſpirituum præſentia arceatur, Durand. 1. 35.
Tertio: de Thure, & Incenſatione Cadaverum varia
158 dicenda ſunt, ad confutandum præcipue improperioſum illud Adagium: *Quid prodeſt incenſum mortuo?* Circa quod deſumere mihi liceat quæcumque a diverſis Catholicis Scriptoribus, & quidem graviſſimis dicta ſunt; ut Lector, ſeu Miniſter Eccleſiaſticus in unum locum con-
159 geſta habeat, quæ ad reprimendam Hæreticorum audaciam valeant, qui illud Adagium repetunt.
Dico igitur, incenſo Thure Defunctos honorari debere, ut probat Baron. *ann.* 34. *nu.* 312. ex actis Synodi Chalcedonenſis, ex qua accuſatum fuiſſe apparet Dioſcorum, thurificationem funeris Periſtoriæ piiſſimæ Fœminæ negligentem; ut refert Sarnell. *Ep.* 33. *T.* 1. Inſuper ad Dæmones expellendos fiunt Incenſationes, Innoc. III. *l.* 2. *de Myſt. Miſſæ*, *c.* 17. & ad pellendum malum odorem Cadaverum, & ſepulchrorum, ut plurimum male olentium: necnon ut oſtendatur, quod Defunctus obtulit Deo ſeipſum in odorem bonorum operum; ſeu quod Defunctis proſit Oratio, quæ eſt veluti Incenſum, *Pſal.* 140. Denique tam Incenſatio, quam Aquæ benedictæ aſperſio adhibentur in ſignum Societatis, & Communionis Sacramentorum, quam nobiſcum habuerunt Defuncti dum vixerunt; unde & Dionyſius tradit, quod antiquitus Vivi Mortuos oſculabantur in ſignum unitatis, quam cum ipſis habuerunt: Vel in ordine ad Deum, dum per hæc talia Deo in Defunctis reverentiam exhibemus, quorum membra credimus fuiſſe Templa Spiritus Sancti, Durand. *l.* 1. *de Rit.*
Antiquitus etiam purgabantur funeſtæ Familiæ ſuffitio- 160
nibus, id eſt thure, & ſulphure, cretica cypreſſu, quæ Bary, Melampodio nigro, & verbena conſtabant: Thus enim, ut in ſacrificiis, ſic primum in funeribus locum obtinuit; & ſic ſuffitio non ſolum ad ignem Rogi, ſed ad domeſticum locum extendebatur, Lavor. *Tit.* 2. *cap.* 15. *n.* 8. 9.
Eſt inſuper aſſignata propter Thus in Eccleſia, quia ad 161
ſepulturam non tantum datur, ut expellatur fœtor, qui extat in corpore mortuo, ſed ut melius placeat Deo. Vide de aliis utilitatibus ſepulturæ, Bellarmin. *T.* 5. *contr.* *l.* 2. *de Funer.* c. 19. S. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 45. *qu.* 2. Florent. T. 10. *c.* 5. §. 3. Caſſan. *Catal. glor. mund.* *p.* 2. *conſid.* 5. & 6. Innocent. *in c. Cum liberum*,

de

de ſepulturis, & alios plurimos de Sacris Ritibus pertractantes.

Quibus rationibus reſponderi poteſt affirmative, quod Thus datum Defunctis, eorumque ſepulchris proſit mortuis; nam ſicut Thus in Sacrificiis, ſic in funeribus adhibetur non inutiliter, nec ſine myſterio. Fundamentum Hæreticorum, qui thurificationem in Sacris irrident, & reſpuunt, deſumitur ex Iſajæ *cap.* 1. ubi legitur: *Incenſum eſt abominatio mihi*. Verum in eo loco Deus non pure loquitur, nec Incenſum ſpernit, ſicuti nec Sabbata, & Neomenias: ſed tum demum, quando ab Impiis Incenſum indigne offertur, ut exponit Nazianzen. *Orat. 3. adverſ. Julian.*

162 Hæc Cæremonia utpote introducta, & approbata ab Eccleſia ſervanda eſt, & contrarium aſſerens eſſet excommunicatus. Verba Concilii Tridentini hoc aſſerentia ſunt hæc *ſeſſ. 22. cap. 5. Pia Mater Eccleſia, Ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia vero elatiore in Miſſa pronunciarentur, inſtituit: Cæremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, THYMIAMATA, Veſtes, aliaque id generis multa, ex Apoſtolica diſciplina, & traditione.*

Pluribus ergo de cauſis, mortui, & eorum Sepulturæ thurificantur: & repetam ex Lavor. *d. l. n.* 62. Primo ne ea Defuncti Perſona Deum adoremus, petamuſque, noſtras Preces, quas pro eo fundimus, ſicut Incenſum in conſpectu Dei deferri. Tres alias rationes affert Durand. *Rational. l. 7. c.* 35. *n.* 38. Joann. Bellet. *explan. divin. Off. cap.* 161. Thus, inquiunt ipſi, ibi propter fœtorem removendum ponitur, ſeu ut Defunctus Creatori ſuo acceptabilem bonorum operum odorem intelligatur obtuliſſe: ſeu ad oſtendendum, quod Defunctis proſit auxilium Orationis, quæ per Incenſum denotatur, *ut Pſ.* 140. *Dirigatur Domine Oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, &c.* Quinta affertur ab Innoc. III. *l. 2. myſt. Miſſæ c.* 17. & a Jo: Steph. Durant. *l. 1. c. 9. n. 9.* ubi: ſuffitus, ſeu thurificatio ad fugandos Dæmones efficax eſt. Idem confirmat Durand. *Rational. l. 4. c.* 10. *n.* 5. & alii.

Item, cum ad hanc rem faciat, notandum eſt quod in Miſſa pro vivis omnes thurificantur, ad denotandum, illorum Orationes ad Cælum dirigi. In Miſſa autem ſolemni Defunctorum non incenſatur Altare ad Introitum, ſed tantum ad Oblata, prout & ipſa Oblata, & tunc non alii, ſed ſolus Sacerdos celebrans, qui repræſentat Chriſtum, thurificatur. Alii autem non incenſantur, ad denotandum, quod mortui nil poſthac valent propriis Orationibus promereri, unde *Pſal.* 113. ait: *Non mortui laudabunt te, Domine*, Lavor. *d. l. n.* 64. 163

Quærunt nonnulli an benedicendum ſit Incenſum illud, quo adolendi ſunt immediate Defuncti? Quæſtio hæc moveres ratione Miſſalium antiquorum, Cæremonialis Epiſcoporum, & Ritualis noſtri, in quibus nulla mentio fit de hujuſmodi Benedictione. Pro reſponſione ſit, quod in Miſſali noviter edito, & recognito, claris, & apertis verbis hoc jubetur, ubi dicitur: *Benedicens illud more ſolito*, atque hoc triplici innititur fundamento. Primo ita præſcribitur in Cæremoniali Papæ, *l. 1. ſect.* 15. *c.* 1. ubi expreſſe jubetur benedici debere Incenſum pro adolendis Defunctis, & adduntur ſolita: *Ab illo benedicaris, &c.* Inſuper ex Innocentio III. præcipue hæc incenſatio fit ad expellendos Dæmones, quæ ratio implicite ſe refert ad Benedictionem, quæ ad hoc faciendum valet, Durant. *l.* 1. *de Rit. c.* 9. *n.* 9. Denique cum non Aqua ſimplici, ſed benedicta Defunctos aſpergamus, ita a Thure quoque benedicto erunt mortui incenſendi. Rationes vero ex adverſo adductæ non negant hanc Benedictionem, ſed vel omittunt, vel ſupponunt tamquam inuſitatem, Gavant. *d. l. §. Dubitarum*. Quæ ita diffuſe dicta ſunt, ut Parochi rationes in promptu habeant, quibus reſpondeant objectionibus. 164

§. XII. Si Defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione dicatur: *Pro Anima famuli tui Sacerdotis, quam, &c.*

165 Adeo eminens eſt dignitas Sacerdotalis, ut neque poſt mortem reticeri poſſit. Hoc non dicitur de aliis Clericis etiam majoribus, neque de Canonicis, neque de Protonotariis: dicitur vero de Epiſcopis, & Cardinalibus ob eminentiam dignitatis in Eccleſia Dei, *Cærem. Epiſc. l.* 2. *c.* 37.

§. XIII. Finita Oratione, corpus defertur ad ſepulchrum, ſi tunc deferendum ſit: & dum portatur, Clerici cantant Antiphonam: *In Paradiſum, &c.*

166 Non amplius ſuper humeros defertur Feretrum, ſed manibus attollitur, & deducitur per eoſdem, qui ad Eccleſiam illud detulerunt; & ratio eſt, quia hæc non dicitur proprie Proceſſio, ſed brevis translatio.

167 Multipliciter poteſt dari caſus, cur non ſtatim Cadaver tradi poſſit ſepulturæ: poteſt prima eſſe, quia nondum elapſæ ſint horæ præſcriptæ ab expiratione Defuncti: Item quia fovea, ſeu ſepulchrum nondum ſint conſtructum, vel effoſſum. Similiter, quod conſtruendus eſt proceſſus circa Defuncti qualitates, vel alia: In iſtis caſibus, Cadaver (ſi brevis debeat eſſe mora) transferri poteſt ad Cappellam, ſeu Oratorium privatum illius Eccleſiæ, & non amplius in ejus medio, ut præſcripſit Rubrica: ſemper vero cum lumine ardente. Si vero longa debeat eſſe mora, & nocturna, & Cadaver jam fœteat, collocari poteſt in capſa bene clauſum, in alio ſepulchro per modum depoſiti, donec paratus ſit illi locus perpetuæ ſepulturæ.

§. XIV. Cum autem pervenerit ad ſepulchrum, ſi non eſt benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem: *Oremus. Deus, cujus, &c.*

Modo de Benedictione Sepulchri dicendum eſt, quæ
168 in hoc loco tantummodo noſtri Ritualis deſcripta eſt; non vero in ſubſequentibus Titulis de Benedictionibus, prout eſt Benedictio Cœmeterii, quæ ſuo loco cum aliis Benedictionibus habetur.

Sepulchrum quodcumque debet benedici de more, ut in *cap. de Sepulturis* habemus. Et quamvis Eccleſia, in qua ædificatum ſit Sepulchrum, benedicta jam fuerit, vel conſecrata, nihilominus, ratione novæ materiæ adhibitæ in ædificatione Sepulchri, hoc benedici debet, quia locus mutat materiam, & uſum: ratione enim ſuæ fundationis Eccleſia non patitur Sepulchrum, ſed ex privilegio, & tolerantia, ut alibi diximus.

Quando vero Sepultura, ſeu Fovea ſit in Cœmeterio,
169 tunc nulla particularis benedictio adhibetur, quia locus ad hunc uſum præcipue benedictus eſt jam pridem, nec alia materia ſuperadditur de novo, ſed tantum effoditur humus, Quart. *de Benedict. Sepulch.*

170 De ratione, & modo congruenti ædificandi Sepulchra in Eccleſia, multa præſcripſit S. Carolus, *Act. Eccl. Mediolanen.* Supra omnia hæc animadvertenda ſunt adnotata a Cavallerio *Retr. Eccl. tit.* 15. Sepulchra non ſint neque in Choro, neque in Presbyterio, neque prope Altare, juxta *c. Præcipiendum* 13. *q.* 2. ubi neque pro Epiſcopis admittuntur. Fornicato opere opus eſt, ut ſint, ne cadaveribus imminutis, & conſumptis, pavimentum ruat. Marmoreo lapide ſint bene clauſa, nec lapis emineat ſupra pavimentum, ſicque offendiculum tranſeuntibus ponatur. Pavimentum Eccleſiæ infringere non licet, ob humandum Cadaver extra ſepulchra, niſi obtenta facultate ab Ordinario, quæ de tuto & rationabili de cauſa tum concedi, tum negari poteſt. Hoc pacto conſtructum Sepulchrum benedici debet a Sacerdote juxta modum, & formam in Rituali præſcriptam, & aſſignatam.

§. XV. Dicta Oratione, Sacerdos, Aqua benedicta aſpergat, deinde incenſet corpus Defuncti, & Tumulum.

Iſta aſperſio, & thurificatio facienda erit, ſi Sepul-
171 chrum benedicatur præſente Cadavere: poteſt enim dari, quod Sepulchrum benedicatur illico ac conſtructum eſt, & abſque occaſione aliquod Cadaver humandi. Aquæ benedictæ, & incenſi jam ſupra diximus ſignificationes, & myſteria, atque ideo hic repetenda non ſunt: unice tantum dicam, incenſari, & aſpergi in hoc caſu prius corpus Defuncti, quam Sepulchrum, quia a nobiliori ſemper incipiendum eſt: Corpus enim, quod fuit Templum Dei per Sacramenta, eſt nobilius proculdubio quocumque lapide, & cœmento.

Sacerdotale Brixien. *diſt. 9. c. 2. pag.* 280. habet hanc Benedictionem, ſed ſuperadduntur Preces dicendæ dum Sacerdos aſpergit, & incenſat: nempe: *Rore cæleſti perfundat, & perficiat Animam ſuam Deus*. Inſuper, *Odore cæleſti paſcat Animam ſuam Deus*. Et in actu ſepeliendi: *Sume Terra quod tuum eſt: ſumat Deus quod ſuum eſt: corpus de terra formatum: Spiritus de Cælo inſpiratus eſt.* Deinde Sacerdos pala ter projiciens terram ſuper funus dicit: *Memento Homo quia pulvis es, & in pul-* 172

pulverem reverteris. Poſt quæ dicto *Magnificat*, &c. Pſ. *Lauda Anima mea Dominum*, &c. & nonnullis Precibus & Orationibus, cum pala, ſeu cruce lignea ſignat Sepulchrum tribus in locis: in capite, in medio, & in pedibus, dicens: *Signum Salvatoris* ✠ *Domini noſtri Jeſu Chriſti* ✠ *ſuper te, qui in hac Imagine* ✠ *redemit te, non permittat introire* (infigat Crucem ligneam in capite ſepulchri:) *Angelum percutientem in æternum*. Deinde aſpergit ſepulchrum Aqua benedicta, & dicta alia Oratione per Populum, materna lingua, omnes aſpergunt ſepulchrum, & diſcedunt. Qui Ritus magis ſervandus eſt in Cœmeterio, quam in Eccleſia.

§. XVI. Quod ſi corpus tunc ad Sepulturam non deferatur, omiſſo Reſponſorio, *In Paradiſum*, &c. & benedictione ſepulchri, ſi jam eſt benedictum, proſequatur Officium, ut infra, quod nunquam omittitur; & intonet Antiphonam: *Ego ſum*, &c. & dicitur Canticum, *Benedictus*, &c. & repetitur Antiphona, *Ego ſum*, &c. Poſtea Sacerdos dicit, *Kyrie eleiſon*, &c. Interim corpus aſpergit.

173 Poteſt differri Sepultura Cadaveris ob varias rationes, prout dictum eſt, ſed hæc dilatio non debet interrumpere Officium: tantummodo omittuntur ſuperſcriptæ Antiphonæ, & Preces aſſignatæ uſque ad Antiphonam: *Ego ſum* &c. cum Cantico: *Benedictus*, &c. quod non eſt prætermittendum; habetur enim in hoc loco pro termino Laudum in Officio Defunctorum, etiamſi Officium recitatum omnino jam ſit; & tunc dicitur Officium Defunctorum vere expletum, & expletæ exequiæ, ita ut Cadaver valeat ſepeliri abſque alia cæremonia.

§. XVII. Si fuerit Fœmina, dicatur: *Oremus*. *Fac quæſumus*, &c.

174 Tota Oratio hic repetitur mutatis mutandis in genere fœminino, ut facilius Sacerdos poſſit eam legere, & cantare, nec opus ſit toties advertere ad mutationem generis, quæ in hac ſola Oratione occurrit per ſex vices: facile enim oculus, & mens poſſunt diſtrahi, & in errorem trahere linguam celebrantis.

Poſt *Requieſcat in pace*, additur: *Anima ejus*, &c. Sed in die commemorationis omnium Defunctorum nihil additur; *S. R. C. 16. Dec.* 1671. 175

§. XVIII. Deinde a Sepultura in Eccleſiam, vel in Sacriſtiam revertentes, dicant ſine cantu Antiphonam, *Si iniquitates*, &c. cum Pſalmo, *De profundis*, &c.

176 Ne videatur Eccleſia, dum pro uno Fideli Defuncto orat, oblivisci etiam aliorum, qui in Chriſto obdormierunt, poſt perſolutas exequias, uni Defuncto, breves Preces fundit pro cunctis, dum a primis exequiis revertitur Clerus, ne otioſe ſe conferat ad Sacriſtiam: atque hæ Preces terminantur cum ſolita Oratione communi, *Fidelium*, &c.

177 Dum Textus dicit, *in Eccleſiam*, *ſeu in Sacriſtiam revertentes*, demonſtratur, quod ſi Cadaver ſepultum ſit in Cœmeterio, tunc illæ ultimæ Preces perſolvendæ ſunt in tranſitu de dicto Cœmeterio ad Eccleſiam. Quando vero Cadaver humatum eſt, ſive Exequiæ celebratæ ſunt in Eccleſia, tunc illæ noviſſimæ Preces univerſales habendæ ſunt in tranſitu de Eccleſia in Sacriſtiam, nec debet Clerus, & Sacerdos ſe ſiſtere coram Altare majori, ut abuſive fit a nonnullis, ſed recto tramite tranſire debent ad locum præſcriptum, ut veſtes Sacras ibi deponant. Ubi notandum 178

Quod ſi exequiæ perſolutæ ſint non pro uno Defuncto, ſed pro Animabus purgantibus, tunc revertens Clerus ad Eccleſiam, vel Sacriſtiam breves exequias has non celebrat pariter pro cunctis (eſſet enim repetitio nimis proxima) ſed applicat eaſdem pro Sacerdotibus defunctis, Orationem propriam recitando, & hoc pacto, aliquo modo diſtinguit Preces a precibus. 179

§. XIX. Si vero ob rationabilem cauſam, videlicet ob temporis anguſtiam, vel aliorum funerum inſtantem neceſſitatem, prædictum Officium mortuorum cum tribus Nocturnis & Laudibus dici non poteſt; depoſito in Eccleſia Feretro, cum corpore, dicatur ſaltem primum Nocturnum cum Laudibus, vel etiam ſine Laudibus, maxime ubi ejuſmodi viget conſuetudo, incipiendo ab Invitatorio: *Regem, cui omnia vivunt*, &c. Et poſtea omnia alia dicantur, quæ ſupra præſcripta ſunt dicenda poſt Officium mortuorum, & Miſſam.

180 Hic docentur Exequiæ compendioſæ, quas adhibere debet Sacerdos in caſu neceſſitatis, & præcipue in temporis anguſtia, ſeu in caſu aliorum Funerum. Verum hanc diſpenſationem nimis amplexati ſunt moderni Parochi, qui conſuetudinem jam introductam habent, etiam abſque ulla neceſſitate, præcipue in Eccleſiis ruralibus, has compendioſas Exequias perſolvendi quaſi tumultuoſe, & feſtinanter.

§. XX. Quod ſi etiam ea fuerit temporis anguſtia, vel alia urgens neceſſitas, ut unum Nocturnum cum Laudibus dici non poſſit, aliæ prædictæ Preces, & Suffragia nunquam omittantur.

Ecce iterum compendioſarum Exequiarum altera reſtrictio, quæ diſpenſat ab Officio Defunctorum. Et hæc quoque invaluit in Civitatibus, ubi abſque ulla neceſſitate quotidie communiter, & ſine Officio mortui ſepeliuntur. Non tamen ſepeliuntur ſine aliis Precibus, & Suffragiis, quia ſi hæc ſtudioſe omitterentur, utpote quia a Rituali præſcribuntur, non eſſent ſine gravi peccato Sacerdotes, & Parochi, ut jam diximus in explicatione Tituli de Exequiis, Paragrapho Primo, & Secundo.

§. XXI. Miſſa vero, ſi hora fuerit congruens, ritu pro Defunctis, ut in die obitus, præſente corpore, non omittatur, niſi obſtet magna diei ſolemnitas, aut aliqua neceſſitas aliter ſuadeat; & poſt Miſſam fiat ut ſupra.

181 Denuo Textus inculcat, ut ex antiqua, & laudabili inſtitutione, nonniſi prævia Miſſa, ſepeliatur Cadaver. Vide quæ circa hunc Ritum adnotavimus in Titulo de Exequiis, §. 4. & 5. Inſuper videndi, Gavant. T. 1. p. 4. tit. 18. & p. 2. tit. 13. per tot. Necnon a Portu, in fine Operis ſui jam alibi allegati; & alii Cæremoniarum Sacrarum Scriptores, qui de Miſſa Defunctorum, in die Obitûs, diffuſe loquuntur; quorum animadverſiones hic non refero, quia ad Rubricas Miſſalis, non vero Ritualis noſtri ſunt pertinentes. 182

O F-

OFFICIUM DEFUNCTORUM

TITULUS TRIGESIMUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM,

1 Gavantus *multa ſcripſit de Officio Defunctorum.*
2 *Chorus eſt locus præſcriptus pro recitatione Officii,*
3 *Quando tamen ſolemniter ſit dicendum.*
4 *Quatuor ſunt tempora recitandi Officium Defunctorum,*
5 *Alii aſſignant quinque tempora.*
6 *Officium Defunctorum dici poteſt quandocumque deferatur Cadaver.*
7 *De die Tertio.*
8 *De die Septimo,*
9 *De die Trigeſimo,*
10 *De Anniverſario,*
11 *Anniverſaria celebrari debent in Eccleſia, in qua ſepultum eſt Cadaver.*
12 *Antiqui habebant alia tempora.*
13 *Antiphonæ duplicantur in his Officiis,*
14 Requiem æternam, *eſt concluſio Pſalmorum,*
15 *Veſperæ non ſemper cum toto Officio dicuntur.*
16 *Officium Defunctorum non habet ſecundas Veſperas,*
17 *Veſperæ an dici poſſint in mane?*
18 *Preces dicuntur flexis genibus,*
19 *Non dicuntur Preces cum toto Officio.*
20 *Omnes genuflectunt, excepto Epiſcopo.*
21 *Invitatorium Officii Defuncti quando dicatur?*
22 Pater noſter *dicitur ſecreto.*
23 *Lectiones leguntur eo modo, quo in Matutinis tenebrarum,*
24 *Quare Lectiones terminentur ſine* Tu autem Domine, &c.
25 *Reſponſorium* Libera me Domine, *eſt particulare.*
26 *Si pro uno fiat Officium, Verſiculi ſunt dicendi in ſingulari,*

PAUCA circa Officium Defunctorum a me dicenda ſunt, ne videar æmulari, & contendere velle cum
Doctiſſimo Gavanto, magno Rubricarum interprete, qui 1
in ſuo *Theſ. Sacrorum Rituum*, T. 2. *ſect.* 9. *c.* 2. diffuſe hanc materiam pertractavit; nam Officium Defunctorum, pro appendice Breviarii appoſitum eſt, tamquam non omnino pertinens ad Horas Canonicas, niſi remote. Igitur breviter me expediam, & ea tantummodo dicam, quæ vel novitatem aliquam redolent, vel ad maximam hoc Officium recitantibus inſtructionem inſervient, Lectorem ſemper remittendo ad dictum Gavantum pro majori, & completa explicatione Rubricarum ad illud pertinentium. Hoc itaque ad Rubricas, quæ in Rituali ponuntur, appoſite tantum dicemus,

§. I. Dicitur in Choro, in die Depoſitionis, & aliis diebus, pro temporis opportunitate, & Eccleſiarum conſuetudine, ut ſupra dictum eſt. In die vero depoſitionis, & tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniverſario, duplicantur Antiphonæ, & in fine Pſalmorum dicitur, *Requiem æternam, &c.* Etiamſi pro uno tantum fiat Officium.

2 Locus præcipuus, in quo perſolvendæ ſint divinæ Pſalmodiæ, Chorus appellatur; & eſt ad Divina Officia celebranda conſtructus, Piſcar. *Prax. l.* 2. *ſect.* 1. *c.* 1. *n.* 17. In Choro itaque recitandum, ſive canendum eſt hoc Officium eodem pacto, quo ibidem cantantur, ſeu reci-
3 tantur alia Officia: & hoc intelligendum eſt, quando ſolemniter ſit dicendum, vel pro Exequiis, vel propter aliam rationem: poteſt enim & hoc Officium dici privatim, eodem modo, quo alia, tum pro adimplendo præcepto, tum ex devotione.

4 Quatuor tempora aſſignantur e Rituali, in quibus recitari debet hoc Officium in Choro. In die depoſitionis, in Tertio, in Septimo; & in Anniverſario: non loquitur de die Commemorationis omnium Defunctorum, quia hæc dies firma, & immutabilis eſt, & de Ritu univer-
5 ſali, ſitque ſemper magna cum ſolemnitate. Sed proprie hæc tempora quinque ſunt; poſt enim ſeptimum, venit Trigeſimum tempus; de quo cur Rubrica non loquatur penitus ignoro.

Dies depoſitionis dicitur ille, in quo Cadaver depoſitum eſt in Eccleſia, vel ſepulturæ traditum (depoſitum enim pro terra condito dixerunt veteres, Gutherus, *de Jure man. l.* 1. *c.* 18.) & quandoque vocatur dies Obitus, quia parum diſtat e depoſitione, ſeu ſepultura: ſive depoſitio, atque ſepulturæ parum diſtant ab obitu.

6 Quandocumque Cadaver deferatur ad Eccleſiam dici poteſt hoc Officium, & etiam abſque hac neceſſitate, quia tempus præfixum a Rubrica non ſtatuitur, & in hoc ſervanda eſt Eccleſiarum conſuetudo. Unice advertendum eſt, quod ſi mane dicatur, non erunt dicendæ Veſperæ, quia tempori non conveniunt ex ipſa nominis ſignificatione, Corſett. *d. Tr.* 1. *p.* 2. *c.* 9. *n.* 4.

Supereſt, ut dicamus de die Tertio, Septimo, Trigeſimo, & Anniverſario. Certum eſt itaque Eccleſiam antiquitus, diebus hujuſmodi conſueviſſe particulare Officium peragere, ac Miſſas celebrare, *ex cap. quia alii* 13. *q.* 2. *cap. nullus Presbyterorum, diſt.* 44. *c. nullus, de conſecr. diſt.* 1. Nonum diem etiam addunt S. Clemens, *Conſt. Apoſt. l.* 6. *c.* 48. & alii apud Samuel. *Tr.* 2. *cont.* 5. *per tot.*

7 Dies Tertius introductus eſt ad imitationem ſepulturæ Chriſti, & in memoriam Reſurrectionis ejuſdem, quæ tertia die evenit, Albin. *de Div. Offic. c. ult.* S. Clemens, ubi ſupra, qui *l.* 6. *c.* 58. ait: Peragitur dies tertius mortuorum in Pſalmis, Lectionibus, & Orationibus, propter eum, qui tertia die reſurrexit.

8 Die ſeptimo Officia, & Miſſæ pro mortuis peraguntur ad manifeſtandam eorum requiem, cum ſeptima die Deus requieverit ab omni opere, quod patrarat, Geneſ. 1. Hinc S. Auguſt. *ſuper Exodum, l.* 1. *q.* 172. ait: *Septenarius numerus propter Sabbati Sacramentum, præcipue quietis indicium eſt, unde conſulto mortuis tamquam quieſcentibus exhibetur. Complevit namque Deus die ſeptima omne opus, quod fecerat; & requievit die ſeptima ab omni opere, quod patrarat, & proinde mortuis, tamquam quieſcentibus exhiberi ſolet.* Iſte dies ſeptimus cum die depoſitionis fit octavus.

Trigeſimus dies cum Officiis, & Miſſis Defunctorum 9
celebratur ad ſignificandum, quod ſicuti Menſis tot dierum numero perficitur, ita mediante Miſſæ Sacrificio, opera Defunctorum, pro quibus Sacrificium offertur, & in Officio deprecatur, ſint plena, & perfecta in conſpectu Dei, Lavor. *d. Tit.* 2. *cap.* 15. *n.* 87. Hinc factum eſt, ut per triginta dies continuos, ſine interpolatione, quotidie olim Miſſæ pro Defunctis dicerentur, & vocabantur *Miſſæ Gregor.*

Anniverſaria autem dicuntur, quæ e die mortis poſt 10
annum recurrente fiunt, & celebrantur cum Miſſa, & Officio; ut Defuncti de annuis calamitatibus, ad annos æternitatis perveniant, ſeu ad Vitam æternam, quæ eſt ſine fine; & ipſa Sancta Mater Eccleſia piiſſime ſervat ſingulis annis memoriam agere Omnium Fidelium Defunctorum, quod fiebat ab antiquis Fidelibus in die anniverſario natalis alicujus Martyris, precibus, jejuniis, Orationibus, & etiam ſignis lætitiæ, Caſal. *de Fun.* Lavor. *ibid.* S. Gregorius Nazianz. *Orat. in laudem Cæſarii Fratris*, ita ſcribit: *Alia perſolvimus, alia daturi ſumus, Anniverſarios honores, & commemorationes offerentes*, Amalar. inſuper *l.* 3. *de Off. Ecc. cap.* 44. hæc habet: *Sicut Sanctorum Anniverſaria dies in eorum honorem, & memoriam, nobis reducitur ſuper utilitate noſtra; ita Defunctorum ad utilitatem illorum, & noſtram devotionem implendam, credendo eos aliquando perventuros ad conſortium Sanctorum.*

Iſta Anniverſaria, quantum fieri poteſt, celebrari de- 11
bent in illa Eccleſia, in qua ſepultus eſt prius Benefactor, Rot. cor. Coccin. *dec.* 1118. *n.* 11. ſeu in qua ſepulti ſunt fundatores, & de jure, in Eccleſia Sepulturæ, ut tradit per Paſqual. *d. q.* 1050. *n.* 4.

Alia tempora etiam habebant Antiqui Fideles pro ce- 12
lebratione Officii Defunctorum, nempe nonum, quadrageſimum, quinquageſimum, ſexageſimum, & centeſimum, a die obitus alicujus, Lavor. *T.* 2. *c.* 15. *quaſi per tot.* quæ tempora Sancta Mater Eccleſia ad hæc quinque tantum reduxit, nempe Depoſitionis, Tertii, Septimi, Trigeſimi, & Anniverſarii, quæ ſufficienter explicavimus: alia enim tempora cum in uſu non ſint apud Fideles, nec e Rubrica præſcribantur, utile non duxi, nec ad rem noſtram, ea explicare.

Ratio, cur in illis diebus duplicentur Antiphonæ, eſt, 13
quia hujuſmodi dies pro ſolemnibus habentur favore Defunctorum: in die enim Feſto, & ſolemni alicujus Sancti, duplicantur Antiphonæ de ritu, ergo & duplicandæ ſunt in noſtro caſu, quia ſub duplici Ritu quodammodo celebratur Feſtum illorum Defunctorum: ſi enim e pœnis Purgatorii liberantur, in Paradiſum, per Angelos deducuntur ad diem ſolemnitatis, & lætitiæ.

In fine Pſalmorum dicitur *Requiem æternam*, loco 14
Glo-

Gloria Patri, ut magis, ac magis imploretur Requies Animabus illis, quarum in illa die memoria fit; & eſt applicatio eorumdem Pſalmorum favore Defuncti.

§. II. Ad Veſperas abſolute incipitur ab Antiphona, *Placebo Domino in Regione vivorum*, *&c.*

15 Veſperæ Defunctorum non ſemper cum toto Officio dicuntur; ſed aliquando omittuntur, & præcipue cum in mane cantatur Officium cum Miſſa, quod ionnere videntur Ritualn noſtrum dicant. Poſt depoſitionem Feretri in Eccleſia, incipiendum Officium eſt ab Invitatorio: *Regem cui omnia*, *&c.* Ergo in ſimilibus caſibus non dicuntur, Corſett. *d. de Off. Mortuor. c.* 10.

16 Officium Defunctorum non habere ſecundas Veſperas ſatis liquet ex ipſa Officii inſpectione, ſicuti neque Completorium prout cætera Officia habent: & hoc ad ſignificandum, quod hoc Officium finem habebit tunc quando Animæ ſalvandorum ab omni pœna liberatæ, æterna beatitudine fruentur, Rubeus *lib.* 4. *c.* 32. *de Veſp.* & Gavant. *l. c.*

An in mane dici poſſint Veſperæ, vide quæ diximus 17 ſupra *ad.* §. 1. *hujus Tit.*

§. III. Sequentes Preces dicuntur flexis genibus, ſimiliter & ad Laudes.

18 Omnes genuflectere debent, dempto Epiſcopo, ut *in Caremonial. Epiſc. lib.* 2. *c.* 10. pro ejus dignitate. Cur

19 dicantur iſtæ Preces genibus flexis, fortaſſe est, ut magis gratæ Deo ſint, illo humilitatis actu conſociatæ.

Non dicuntur tunc, cum totum Officium recitatur, 20 quia totum Officium dicitur per modum unius, & applicatur cum propria Oratione: Quando vero diſcerptim per Nocturnos, tunc applicatur iſta pars per iſtas Preces.

§. IV. In die depoſitionis Defuncti Oratio, *Abſolve*, *&c.*

Quæ ad explicationem harum Orationum pertinent, circa earum Authores, vel circa earum uſum, vide apud Gavant. *l. c.* qui cum in hac materia Author Claſſicus ſit, omni fide dignus eſt.

§. V. Invitatorium, *Regem cui omnia vivunt*, *&c.*

21 Hujus Officii inchoationes, & expletiones non ſunt, neque ſiunt, ut in Horis Canonicis, ad triſtitiam ſignificandam, ex Walafr. *c.* 25. *de Eccl. Obſ.* & ita pariter loquitur Alcuin. *c. penult.* Celebramus hæc Officia eo ritu, quo celebrantur in iis diebus, quibus Chriſtus deſcendit ad Inferos. Hoc Invitatorium dicitur tantummodo in die Commemorationis Omnium Defunctorum, & in die Depoſitionis, ſeu obitus defuncti, etiamſi unum tantum dicatur Nocturnum. Pariter in die tertio, ſeptimo, trigeſimo, & anniverſario: & regulariter quando tres Nocturni dicuntur, Corſett. *d. Append. de Off. mort. c.* 9. *n.* 2.

§. VI. *Pater noſter*, totum ſecreto, &c.

22 Etiam hic dicitur ſecreto, *Pater noſter*, totum etiam ad triſtitiam ſignificandam, & ut nulla converſio fiat ad noſtram utilitatem per illa verba, *Et ne nos inducas*, *&c. Sed libera nos a malo*; cum totum Officium recitetur pro ſuffragio, & utilitate Defunctorum, Corſett. *ib.*

§. VII. Lectiones leguntur ſine Abſolutione, Benedictionibus, & titulo.

23 Eodem modo, quo fit in Hebdomada majori pro Matutinis tenebrarum, in morte Domini, Durand. *l.* 5. *c.* 2. *& alii.*

§. VIII. Lectiones terminantur ſine *Tu autem Domine*, vel alia concluſione.

24 Hoc fit eadem ratione in antecedenti Paragrapho allegata. *Tu autem Domine miſerere nobis*, eſt conſueta concluſio quarumcumque Lectionum in Divinis Officiis, nec per hoc quod Rubrica dicat: *vel alia concluſione*, *&c.* ſupponendum eſt, dari in Lectionibus Divini Officii diverſas concluſiones, quæ aliter ſonent: ſed hoc fit ut omnis locus dubitandi auferatur circa novam Concluſionem iſtis Lectionibus imponendam ab aliquibus piis, ſed valde rudibus, & imperitis Confratribus, qui iſtis Lectionibus imponebant finem cum *Requiem æternam*, Joann. a Capugn. in *Off. Hebdomadæ Sanctæ*.

§. IX. Aliud Reſponſorium, videlicet: *Libera me Domine*, *&c.* quod dicitur in die Commemorationis omnium Defunctorum, & quando dicuntur novem Lectiones.

25 Reſponſorium, *Libera me Domine*, *&c.* duplex eſt, ſed illud longius, magis eſt univerſale, ideoque in toto Officio recitatur.

§. X. Ad Laudes abſolute incipitur Antiphona, *Exultabunt Domino oſſa humiliata*, *&c.*

Vide quæ diximus ad §. 5. quæ inſervient etiam huic loco.

§. XI. Precibus, & Orationibus Officio congruentibus, ut ſupra in Veſperis.

Pariter videantur circa hoc, quæ dicta ſunt ad §. 3. *&* 4. *hujus Titul.* circa *Orationes*, *& Preces*; quæ non dicuntur, ſi dicatur totum Officium.

Illud remanet ultimo loco, ut dicam cum Gavant. *l.*

26 *s. n.* 3. quod Verſiculi, qui dicuntur poſt Pſalmos, ſi pro uno fiat Officium, dicantur numero ſingulari: v. gr. *Erue Domine animam ejus*: ſi pro pluribus, dicatur *Animas eorum*. Reliqua in toto Officio non mutantur, ſed eo pacto, quo jacent, recitantur.

DE OFFICIO

FACIENDO IN EXEQUIIS

Abſente corpore Defuncti, & in die tertio, ſeptimo, trigeſimo, & Anniverſario.

TITULUS TRIGESIMUS OCTAVUS

SUMMARIUM.

1 *Abſentia Cadaveris poteſt dari multis de cauſis.*
2 *Officium celebrari nunquam poteſt, niſi prius Cadaver delatum ſit.*
3 *Illa dies, qua eſt depoſitionis, cenſetur ſolemnis.*
4 *Hoc jus competit quibuſcumque.*
5 *In feſto duplici, abſente Cadavere, non poteſt celebrari Officium.*
6 *Benedictio Incenſi præſcribitur.*

1 MULTIPLICITER poteſt dari iſta abſentia corporis, ſeu Cadaveris, nampe, vel quia Cadaver jam humatum ſit, vel quia in alia Civitate, vel loco ſit mortuus ille, pro quo celebratur Officium, vel demum, quia pro omnibus Chriſti-fidelibus, qui in uſculo Domini mortui ſunt, agantur Exequiæ, vel alias ob cauſas.
2 Nunquam vero celebrari poteſt Officium ſolemne, ſeu fiari Exequiæ, niſi prius Cadaver Defuncti delatum ſit ad Eccleſiam; & ratio eſt, quia Eccleſia ſpecifice debet eſſe certa de illius obitu, & quod Eccleſiaſtica ſepultura fuerit dignum; poſſunt enim dari mille caſus, in quibus, licet quis mortuus ſit, Eccleſiaſticam tamen ſepulturam non mereatur; de quo certiorari vult Eccleſia, nec melius certioretur, niſi vel per præſentiam Cadaveris, vel per certitudinem, quod ei fuerit tradita Eccleſiaſtica ſepultura, Lavor. *dict. l. n. 15.* Atque in hoc caſu quamvis abſit Cadaver, tamen illa dies cenſeri debet ſolemnis, & Officium ſub ritu duplici celebrari: nec 3 iſtud jus ſoli Parocho competit, ſed quibuſcumque, loquendo de Exequiis tantum, ut demonſtravimus *in Titulo de* 4 *Exequiis*, Paragrapho Primo.

§. I. Si faciendæ ſint exequiæ, abſente corpore, eo die, quo bene viſum fuerit, in Eccleſia dicatur Officium mortuorum, cum tribus Nocturnis, & Laudibus, & Antiphonis duplicatis, vel ſaltem unum Nocturnum cum tribus Lectionibus, & Laudibus, & Miſſa.

5 Dies Officii ſtatuenda eſt a primo Miniſtro illius Eccleſiæ, in qua faciendæ ſunt Exequiæ; ſed advertenda debet, quod celebrari non poſſunt hæ in Feſtis duplicibus, neque in aliis diebus, de quibus Gevent. *d. l. 4. n. 8.*

§. II. Poſt Miſſam Celebrans deponit Manipulum, & Planetam; accipit Pluviale nigri coloris, & præcedentibus Subdiacono cum Cruce, & Clero, & duobus Ceroferariis cum luminaribus accenſis, & duobus Acolythis, uno cum Navicula Incenſi & Thuribulo, & altero cum Vaſculo Aquæ Benedictæ & Aſperſorio, & hoc libro Rituali, accedit cum Diacono a ſiniſtris ad locum Tumuli, & ibi a circumſtante Clero cantatur ℟. *Libera me Domine &c.* Interim miniſtratur Incenſum, benedicitur, & imponitur in Thuribulum.

6 Circa contenta in hoc §. vide quæ dicta ſunt *in Titulo de Exequiarum Ordine*. Noto tamen, quod in hac Rubrica præſcribitur Benedictio Incenſi, de qua alibi mentio non fit.

§. III. Poſtea dicitur: *Kyrie eleiſon, &c.* Sacerdos dicit: *Pater noſter, &c.* & dum ſecreto dicitur, accipit Aſperſorium, circuit Tumbam aſpergens: Deinde incenſat, eodem modo, quo dictum eſt. Poſtea dicitur: *Et ne nos inducas.*

Similiter, vide quæ dicta ſunt in Titulo antecedenti a Paragrapho 11.

§. IV. Vel dicatur Oratio, quæ dicta eſt in Miſſa, vel alia conveniens, &c. uſque ad finem.

Vide quæ dicta ſunt in Titulo de Exequiis, ubi plene omnia explicantur, quæ ad hunc Paragraphum ſpectant, &c.

DE EXEQUIIS PARVULORUM,

TITULUS TRIGESIMUS NONUS.

SUMMARIUM,

1 *In Eccleſia Parochiali eſſe debent ſepulchra pro parvulis.*
2 *Poſt Sacerdotes, & Clericos, Parvuli ſunt digniores.*
3 *Quare ſejunctim ſepeliantur Infantes?*
4 *In Cœmeteriis debet eſſe locus ſeparatus pro infantibus.*
5 *Sugrundarium quid ſit?*
6 *Poſſunt Infantes ſepeliri in ſepulchris majorum ſuorum.*
7 *Non vero ſi ſepulchrum fuerit hæreditarium.*
8 *Campanæ, vel debent ſilere, vel feſtive tinnu pulſari.*

PRÆSCRIBIT Cavallerius in ſuo *Rectore Eccleſiaſtico, tit. 15. n. 5.* ut in quacumque Parochiali Eccleſiæ 1 præter illa de juribus particularibus, ſaltem quatuor alia ſepulchra conſtruantur, & ſint communia. Inter quæ ſecundum locum obtinet, poſt illud ad uſum Cleri, illud ad uſum Infantium, ex quo deducitur dignitas ho- 2 rum corpuſculorum, quæ poſt Sacerdotes, & Clericos, ratione innocentiæ, primum tenent locum, quia vere illorum eſt Regnum Cœlorum. Unde rationabiliter Eccleſia ſtatuit, ut Infantium Baptizatorum corpora ſejunctim ab aliis ſepeliantur, ne miſceantur iſtæ incoinquinatæ carnes, ſtolis vere albis amictæ, cum carnibus jam 3 peccato fœdatis. Ideoque *S. R. C. in Civit. Caſtellan. 12. Decem. 1620.* præſcripſit Parvulorum Sepulchrum ſeparatum ab aliis eſſe debere.

§. I. In primis admonendi ſunt Parochi, ut juxta vetuſtam & laudabilem Eccleſiarum conſuetudinem, Parvulorum corpuſcula non ſepeliantur in communibus, & promiſcuis Cœmeteriorum, & Eccleſiarum Sepulturis: Sed ut pro illis in Parochialibus Eccleſiis, aut illarum Cœmeteriis, quatenus commode fieri poteſt, ſpeciales, & ſeparatos ab aliis loculos, & ſepulturas habeant, ſeu fieri curent, in quibus non ſepeliantur, niſi qui baptizati fuerint Infantes, vel Pueri, qui ante annos diſcretionis obierunt.

4 Quod ſi in Eccleſiis conſtrui nequeat iſta loculus, & ideo in Cœmeteriis ſepelienda ſint hujuſmodi cadavercula, debebit ſervari locus ſejunctus a communibus ſepulchris, ſeu foveis, ne oſſa miſceantur.
5 Hujuſmodi ſepulchra Infantium, *Subgrundia* dixerunt Veteres, ſi nondum quadraginta dies compleverint, cum nec buſta dici poſſent, propterea quod oſſa, quæ comburerentur, non eſſent; nec tanta magnitudo cadaveris, qua locus tumeſceret, Lavor. T. 2. *cap.* 11. *num.* 120.
6 Sed regula hæc ſuas limitationes patitur; nam in ſepulchis majorum ſuorum ſepeliri poſſunt Infantes, etiamſi Eccleſia ſit Regularium, dummodo ibi Pater elegerit ſibi ſepulchrum, Barb. *Collect. verb. Parvulus.* S. C. Concilii *in una Novar. funerum 15. Martii 1704. cap. licet Pater, de ſepulturis in 6. & ibi gloſſ.* apud Pignatell. T. 7. *Conſ.* 21. *n.* 1. Non vero ſi Sepulchrum 7 fuerit hæreditarium; juxta diſtinctionem Uſayæ T. 3. *p.* 1. *d.* 23. *per tot.*

De ætate, & annis diſcretionis, & de rationis uſu diximus in *Tit. de Sacram. Extr. Unct.* §. 5. & 9. ad quem locum remitto Lectorem.

§. II.

§. II. In funere Parvulorum ut plurimum non pulſantur Campanæ; quod ſi pulſentur, non ſono lugubri, ſed potius feſtivo pulſari debent.

8 Vel ſilent in hoc caſu Campanæ, vel feſtivo tinnitu pulſantur, ad denotandam lætitiam pro ſalute certa Animæ Parvuli defuncti; non vero ad orandum, ſeu convocandum Populum, ut oret pro eis; quia, ut dixi ſuperius; Talium eſt Regnum Cœlorum, Samuel. *Tr. 2. contr. 4. concl. 8. n. 14.*

O R D O

S'EPELIENDI PARVULOS,

TITULUS QUADRAGESIMUS.

S U M M A R I U M.

1 *Diſcrimen inter Infantem, & Puerum.*
2 *Ante uſum rationis intelligitur ante ſeptennium.*
3 *Poteſt dari caſus, in quo malitia ſuppleat ætatem.*
4 *Infantes veſtiuntur albo colore.*
5 *Crux cerea in manu Infantis poni ſolet.*
6 *Corona de Floribus ponenda in capite Infantium.*
7 *Tumulus Infantium floribus aſpergebatur.*
8 *Adulti cum faſciculo florum in manibus exponuntur.*
9 *Etiam ſi ſint decrepiti, dummodo non nupſerint.*
10 *Ratio Coronæ de floribus.*
11 *Stola Sacerdotis ſepelientis albi coloris eſſe debet.*
12 *Crux ſine haſta eſt deferenda.*
13 *Quare Crux ſit brevis?*
14 *Pſalmi qui cantantur, omnes ſunt laudis, & lætitiæ.*
15 *Dicitur* Gloria Patri, *in fine Pſalmorum.*

INDIGET peculiari praxi Sepultura Infantium, atque ideo Rituale noſtrum, poſt Regulas Generales, in antecedenti Titulo præſcriptas, deſcendit ad inſtruendum Parochum, ſeu quemcumque alium Sacerdotem, de ordine ſervando in ſepeliendis iſtis Parvulis, qui licet in Eccleſia Dei nihil laboraverint, attamen peculiari animadverſione digni ſunt.

§. I. Cum Infans, vel Puer baptizatus, defunctus fuerit ante uſum rationis, induitur juxta ætatem, & imponitur ei corona de floribus, ſeu de herbis aromaticis, & odoriferis, in ſignum integritatis carnis, & virginitatis. Et Parochus ſuperpelliceo, & ſtola alba indutus, & alii de Clero ſi adſint, præcedente Cruce, quæ ſine haſta defertur, accedunt ad domum defuncti cum Clerico aſperſorium deferente. Sacerdos aſpergit Corpus, deinde dicit Antiphonam, *Sit nomen Domini, &c.* Pſ. *Laudate Pueri.*

1 Inter Infantem, & Puerum hoc currit diſcrimen, quod Infans dicitur ille, qui nuper natus eſt, & Neonatus appellatur; adeo ut etiam talis nominatur qui nondum natus ſit, & adhuc in utero Matris clauſus exiſtat, juxta illud Lucæ *c. 1. Exultavit Infans in utero ejus.*

Puer vero dicitur qui non amplius faſciis involutus eſt, & de ſe ambulat, loquitur, & alia facit hujuſmodi, uſque ad ſeptimum annum. Plura de his indicat Caſtejon, *Alphab. Jur. verb. Infans*: & quando quis dicatur proximus Infantiæ, & pubertati, late docet Menoch. *de Arbitr. Caſ. 57. n. 7. & ſeqq.*

2 *Ante uſum rationis.* Communiter intelligitur ante ſeptennium, ut dictum fuit in explicatione *Tituli de Extr. Unct.* §. 5. & 9. dari tamen poteſt caſus, in quo mali-
3 tia ſuppleat ætatem.

Mortuo igitur Infante, curandum venit de ejus ſepultura. Communiter in uſu eſt primo illos ſive Maſculos, ſive Fœminas induere veſtibus albi coloris, uſque ad pe-
4 des cum Udonibus, ſeu pedulis lineis, vel ſericis ejuſdem coloris acuminatis; quæ veſtes ſtellulis deauratis notari ſolent, præcipue in fimbriis, & oris, quæ ex parvo feretro, ſeu pulvinari pendere ſolent ex utraque parte, ſeu latere. In una manu Infantis ſolet poni parva Crux,
5 quæ ut alba ſit, ex cera componi ſolet, & varie ornari, ſeu pingi, & inaurari.

6 Inſuper Corona de floribus ejus caput redimiri ſolet. Quicumque flores, ſeu veri, ſeu ficti valent ad componendam hanc coronam, ſicuti & quæcumque herbæ odoriferæ, & aromaticæ quando haberi poſſint. Antiquitus condito, & curato funere, ſolebant nonnulli Tumulum floribus aſpergere. S. Ambroſius, *Orat. funebr. de obitu Valentiniani*, ait: *Non ego Floribus Tumulum ejus aſper-*
7 *gam, ſed ſpiritum ejus Chriſti odore perfundam*; Et S. Hieronymus, *ad Pammac. de obitu Uxoris*, inquit: *Ceteri Mariti ſuper Tumulos Conjugum ſpargunt Violas, Roſas, Lilia, Floreſque purpureos*, Caſal. *d. cap. 66.* Quod ſi licet Adultis factum fuiſſe oſtendatur, multo magis faciendum hoc erit Infantibus, & Pueris, qui innocentes obdormierunt in Domino.

8 Conſuetudo eſt etiam, Coronam de Floribus compoſitam in Capite, & Faſciculum Florum pariter in manu ponere Adultorum Laicorum, in quacumque ætate quamvis decrepita deceſſerint, dummodo notum ſit hujuſmodi defunctos a conjugio matrimoniali ſe abſtinuiſſe, & a vinculo ſolutos uſque ad mortem perduraſſe: tales enim 9
Perſonæ, cujuſcumque generis ſint, præſumuntur eſſe virgines, atque ideo laureola virginali eas ornari poſſe ducit Eccleſia: nam Virginitas eſt qualitas naturalis, quæ Hominem ſequitur, ideoque debet præſumi, ut docet Alciat. *de Præſump. reg. 3.* Menoch. *de præſump. l. 6. præſ. 89. n. 1.*

Ne mirentur igitur Fideles, ſi Cadavera Hominum ad ultimam ſenectam perventorum, Floribus redimita, & ornata intueantur; quia Virginitas hoc honore aſſocianda eſt, non tantum in iis, qui Virginitatem amittere non potuerunt, prout ſunt Infantuli, ſed etiam, & multo magis in illis, qui potuerunt facere mala, & non fecerunt, atque ideo Coronam, & Palmam majorem meruerunt.

Ratio cauſalis hujus Coronæ, & hujuſmodi Florum ponitur ab ipſomet Rituali, dum dicit: *In ſignum integritatis carnis, & virginitatis.* Sed aliam aſſignat rationem 10
Lavorius *d. Tit. 2. c. 1. n. 116.* nempe, ut in memoriam revocent ævi hujus parvitatem, juxta Plin. *l. 21. c. 1.* Quia ſpectatiſſime florent, & celerrime marceſcunt: & ſic Infantibus præcipue conveniunt: qui uſus videtur a Græcis originem traxiſſe *Scholiaſt. Eurip. Phæniſſ.*

Crux in funere Parvulorum e digna inſpectione eſt, nam ſine haſta defertur ad diſtinctionem Funerum pro 11
Adultis, ſicuti color albus in ſtola ad demonſtrandum Virginitatis candorem. Crux itaque pro Parvulorum fu- 12
nere ſine haſta defertur, quia cum Crux, (ut jam alibi diximus) quæ in Proceſſione defertur, ſignificet Ec- 13
cleſiam in hoc Mundo peregrinantem, & militantem cum Vexillo Domini, & Ducis ſui, non omnino hoc verificatur in Infantulis, qui per breviſſimum temporis ſpatium militiam, ſeu peregrinationem in hoc Mundo ſuſtinuerunt: ideo brevis eſt Crux, quia breve fuit eorum iter ſuper hac Terra.

Pſalmi, qui in ſepeliendis Parvulis cantantur, omnes 14
ſunt laudis, & lætitiæ, propter innocentiam Defuncti, quæ mœrore non indiget: Quapropter in fine illorum non dicitur *Requiem æternam, &c.* quia jam Requie æterna illorum Animæ fruuntur; ſed *Gloria Patri, &c.* 15
quia cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto vivunt in Cœlis.

Atque hic ſit finis explicationis Rubricarum de quibuſcumque Exequiis.

DE

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

TITULUS QUADRAGESIMUS PRIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium præcellit cuncta alia Sacramenta.*
2 *Auctores multi de hoc Sacramento ſcripſerunt.*
3 *Parochus de jure eſt Miniſter Matrimonii.*
4 *Parochus propria eſt Auctorizator, & Teſtis.*
5 *Poteſt eſſe alius Sacerdos de facultate Parochi, vel Episcopi.*
6 *Matrimonium quid ſit, & a quo inſtitutum?*
7 *Matrimonium ſine Parocho, & Teſtibus eſt Clandeſtinum.*
8 *Sine quibus nec valide, nec licite contrahi poteſt.*
9 *Matrimonium contractum in loco, ubi contrahentes reperiuntur animo non permanendi, non valet.*
10 *Parochus ruralis non eſt proprius Parochus pro illis, qui in Civitate habitant, & ruri pro recreatione tantum.*
11 *Parochus proprius eſt ſub quo contrahentes habitant.*
12 *Parochus debet admoneri de futuro Matrimonio.*
13 *Parentes contrahentium ſunt qui admonere debent Parochum.*
14 *Matrimonium contractum ſine conſenſu Parentum, non eſt irritum.*
15 *Multum juvat, & decet conſenſus Parentum.*
16 *Nonnulli volunt, Matrimonium ſine conſenſu Parentum eſſe clandeſtinum.*
17 *Si non adſint Parentes, conſulendi ſunt Conſanguinei.*
18 *Ordinarii, ſeu Vicarii admonendi ſunt de difficultatibus obortis.*
19 *Parochi debent cognoſcere an adſit aliquod impedimentum.*
20 *Impedimenta impedientia.*
21 *Impedimenta dirimentia.*
22 *Contrahere ſcienter cum impedimento eſt peccatum mortale.*
23 *Matrimonia debent eſſe libera.*
24 *Matrimonia coacta triſtes exitus habere ſolent.*
25 *Filii peccant, ſi contra conſenſum Parentum contrahant.*
26 *Parentes peccant ſi irrationabiliter impediunt Matrimonia filiorum.*
27 *Matrimonium inter Raptorem, & Raptam non ſubſiſtit.*
28 *Fautores Raptorum excommunicati.*
29 *Raptor tenetur dotare Raptam.*
30 *Magiſtratus ſunt excommunicati, ſi vel cogunt, vel impediunt.*
31 *Sacerdos qui coactus ſponſos conjungit, eſt excommunicatus.*
32 *Parentes, qui cogunt filios nubere, ſunt excommunicati.*
33 *Honeſtas Sacramenti intelligi debet pro dignitate, & decore.*
34 *Deinde quomodo emineat in Parocho?*
35 *Quomodo emineat in contrahentibus?*
36 *Sponſa debet, ut ducatur velata ad Eccleſiam.*
37 *Paranymphi debent eſſe ætate provecti.*
38 *Sponſi mutantes veſtem debent bene conſiderari.*
39 *Quot anni in Viro, & Muliere requirantur pro nubendo?*
40 *Parochus debet facere inquiſitionem de annis.*
41 *Ad hunc finem præcipue ſcribitur Liber Baptizatorum.*
42 *Episcopus poteſt diſpenſare ſuper ætate in Matrimonio.*
43 *Minores poſſunt contrahere cum diſpenſatione.*
44 *Sponſi debent eſſe inſtructi in Rudimentis Fidei.*
45 *Sponſi debent eſſe Baptizati.*
46 *Si difficile ſit habere fidem Baptiſmi, baptizentur privatè.*
47 *Denunciatio tertia non facienda, niſi ſponſi ſciant rudimenta Fidei.*
48 *Per longum tempus non ſunt detinendi ſine Matrimonio.*
49 *Ignorantibus Matrimonium prohiberi non poteſt.*
50 *Matrimonium inter ignorantes Fidei rudimenta eſt potius Brutalitas.*
51 *Parochus habere debet notitiam Scriptorum de Sacramento Matrimonii.*
52 *Impedimenta Matrimonii non ſunt nova in Eccleſia.*
53 *Parochus debet eſſe inſtructus in Concilio Tridentino.*
54 *Parochus non ſervans ordinem Concilii Tridentini graviter peccat.*
55 *Item ſi Contrahentes ob ejus negligentiam peccarent.*
56 *Rapina eſt impedimentum dirimens.*
57 *Clandeſtinum Matrimonium quid ſit?*
58 *Clandeſtinum Matrimonium per ſex modos celebrari poteſt.*
59 *Alii dicunt per tres modos.*
60 *Communior ſententia eſt, quod duo ſint modi.*
61 *Clandeſtina Matrimonia ante Concilium Tridentinum valebant.*
Comment. ad Rituale.

62 *Cauſa cur prohibita ſint Matrimonia Clandeſtina.*
63 *Parochi præſentia eſt neceſſaria in Matrimonio.*
64 *Subſtituto a Parocho debet dari facultas ſpecifice pro Matrimonio.*
65 Barboſa *ſcripſit de Poteſtate Episcopi.*
66 *In hoc opere ampliſſime tractatur materia Matrimonii.*
67 *Eccleſia Parochialis pro Matrimonio eſt ad libitum contrahentium.*
68 *Parochus vel Viri, vel mulieris intereſſe debet.*
69 *Mos eſt Ferrariæ ut ſit Eccleſia Parochialis Fœminæ.*
70 *Vagi, & Peregrini bene advertendi pro Matrimonio.*
71 *Ordinarius conſulendus pro vagis, & Peregrinis.*
72 *Licentia Episcopi ſervanda, & cuſtodienda in libro Matrimoniorum.*
73 *Quilibet Parochus aſſiſtere valet Matrimonio Vagorum.*
74 *Teſtes pro ſtatu libero debent examinari coram Vicario.*
75 *Iſta forma poteſt prætermitti in periculo mortis contrahentium.*
76 *Si periculum ceſſet, examinandi ſunt coram Vicario.*
77 *Pro his qui nullibi habent domicilium, debet haberi recurſus ad Sacram Congregationem Inquiſitionis in Urbe.*
78 *Quale dicatur tempus notabile abſentiæ?*
79 *Regulariter eſt quinque, vel ſex menſium.*
80 *Parochi in his Matrimoniis non procedant, niſi habito folio diſpenſationis.*
81 *Parochus graviter peccaret ſi abſque licentia Vagis aſſiſteret.*
82 *Formula*, Confido tibi de libertate.
83 *Libertas contrahentium debet conſtare evidenter.*
84 *Articuli dubii diſcutiendi ſunt ab Ordinario.*
85 *Episcopus in arduis remittere ſolet ad S. C. Inquiſitionis.*
86 *Episcopi abſtinere ſolent in cauſis gravibus a ferenda ſententia.*
87 *Milites conjunguntur a Capellano exercitus.*
88 *Iſta Matrimonia valent ubi Conc. Trid. publicatum non fuit.*
89 *Reſolutiones variæ circa Matrimonia militum.*
90 *In impedimentis ſolus Papa diſpenſare poteſt.*
91 *Advertenda in ſupplicationibus in impetranda diſpenſatione.*
92 *Dum diſpenſatio expeditur, ſponſi non debent cohabitare.*
93 *Litteræ præſentari debent ante nuptias Vicario.*
94 *Loci anguſtia eſt una ex cauſis diſpenſationis.*
95 *Iſta loci anguſtia difficile datur.*
96 *Delegatus circa hoc, præcipitanter non agat.*
97 *Diſpenſatio eſt interpretanda quatenus verba ſonant.*
98 Anacleti *lata interpretatio ſuper hoc.*
99 *Si dubium ſit de aliquo impedimento, nuptiæ non conjungantur.*
100 *Impedimenta occulta non revelanda a Parocho contrahentibus.*
101 *Si impedimenta nota ſint Sponſis, admonendi de diſpenſatione impetranda.*
102 *Si impedimentum ſit publicum, ſubito Sponſi ſunt ſeparandi.*
103 *Licentia gratis danda.*
104 *Taxa Innocentiana in hoc adimplenda.*
105 *Denunciationes inſtitutæ ſunt ad detegenda impedimenta.*
106 *Denunciationes non ſunt de ſubſtantia Sacramenti.*
107 *Denunciationes non ſemper faciendæ ante Matrimonium.*
108 *Denunciationes poſſunt poſticipari juſtis de cauſis.*
109 *Hoc fit quando timetur, quod* Matrimonium *poſſit impediri.*
110 *Denunciationes cur debeant eſſe tres?*
111 *Poteſt diſpenſari ſuper his tribus denunciationibus.*
112 *Non poſſunt omitti a Parocho niſi de licentia Ordinarii.*
113 *Denunciationum omiſſio non deſtruit Matrimonium.*
114 *Denunciationes faciendæ tribus diebus continuis.*
115 *Non multa mora debet intercedere ab uno feſto ad aliud.*
116 *Feſti dies diſpenſari non poſſunt ab Episcopo.*
117 *Pro Feſto intelligi poteſt dies magni concurſus.*
118 *Denunciationes non poſſunt fieri extra Eccleſiam, & die non feſta.*
119 *Denunciationes fieri debent in utraque Parochia.*
120 *Statim ac denunciationes factæ ſunt, an poſſit celebrari Matrimonium?*
121 *Debet intercedere duorum, vel trium dierum ſpatium.*
122 *Etiamſi de licentia Ordinarii una tantum fieret denunciatio.*
123 *Eodem die ultimæ denunciationis, celebrari non debet Matrimonium.*
124 *Si impedimentum detegitur, Parochus non amplius eſt ſui juris.*
125 *Multo minus non poteſt ad Matrimonium procedere.*

126 Parochi facultas ceſſat, donec ab Epiſcopo pronunciatum ſit de impedimento.
127 Matrimonium ad dictum unius Teſtis impeditur.
128 Teſtes duo, vel tres neceſſarii ſunt ad Matrimonium.
129 Teſtium præſentia debet eſſe ſimultanea, non ſucceſſiva.
130 Qualitas Teſtium non limitatur.
131 Fœminæ poſſunt teſtificari de Matrimonio.
132 Conſuetudo tamen non admittit Fœminas.
133 Non intereſt, ut Teſtes ſint rogati.
134 Teſtes poſſunt eſſe per vim detenti, dummodo intelligant.
135 Facultas denunciandi provenit ex vi conſenſus.
136 Conſenſus haberi debet ante denunciationes.
137 Conſenſus eſt initium contractus.
138 Conſenſus habendus coram Teſtibus in Eccleſia, non in domo.
139 Occaſione conſenſus debet dari facultas Parocho faciendi denunciationes.
140 Denunciationes repetendæ, ſi infra duos menſes Matrimonium non ſequatur.
141 Alii ampliant ad quatuor menſes.
142 Denunciationes omiſſæ debent fieri ante conſummationem Matrimonii.
143 Denunciationes faciendæ infra Miſſam.
144 Nihil refert quod Miſſa dicatur a Parocho, vel ab alio.
145 Denunciationes debent fieri alta, & intelligibili voce.
146 Quo tempore Miſſæ faciendæ ſint denunciationes.
147 Parochus in alterius Miſſa facere poteſt denunciationes.
148 In Eccleſia non Parochiali, ſed ſubjecta, an haberi poſſint denunciationes?
149 Denunciationes debent fieri vernacula lingua.
150 Formula antiqua denunciationum.
151 Formula conſueta compendioſa.
152 Populus debet informari de diſpenſatione denunciationum.
153 Denunciationes pro Viduis debent ſignificare mortem conjugis.
154 Nuptiæ non ſemper ſunt benedicendæ.
155 Nuptiæ inter non amplius conjugatos ſunt benedicendæ.
156 Si fiat Matrimonium, dilata benedictione, ſponſi debent ſeparari.
157 Benedictio nuptiarum a ſolo Parocho facienda.
158 Alienus Parochus benedicens non ſuos ſponſos peccaret.
159 Qui non habet jus in Matrimonio, neque illud habet in benedicendo.
160 Oblatio, ſeu eleemoſyna danda eſt Parocho ubi ſit conſuetudo.
161 Nuptiæ ſecundæ non ſunt benedicendæ.
162 Tabula facilior pro benedictione nuptiarum.
163 Conſuetudo eſt benedicendi, ſi Fœmina nondum fuerit benedicta.
164 Benedictio cadit ſupra Sponſam.
165 Color albus adhibendus eſt in Miſſa pro Sponſis.
166 Quare Fœminæ nubentes primo ſint benedicendæ?
167 Benedicere ſecundas nuptias an ſit peccatum?
168 Conſuetudo toleranda benedicendi Virum Viduum.
169 Matrimonium fieri debet in Eccleſia.
170 Eccleſia eſt locus Sacramentorum.
171 Celebrans domi Matrimonium ſine licentia Epiſcopi peccaret.
172 Formula dandi licentiam celebrandi Matrimonium extra Eccleſiam.
173 Intelligitur extra caſum neceſſitatis.
174 Matrimonium in articulo mortis poteſt fieri in lecto, & domi.
175 Parochi non tam facile aſſiſtant Matrimonio extra Eccleſiam Parochialem quamvis ſitam in Parochia.
176 Novus conſenſus non eſt neceſſarius pro benedictione.
177 Benedictio nihil addit quoad valorem Matrimonii rati.
178 Ratificatio, an & quando debeat fieri?
179 Ante contrahendum Matrimonium admonendi ſunt ſponſi, ut confiteantur, & communicent.
180 Contrahentes in peccato, peccant mortaliter.
181 Unum tantum peccatum committunt.
182 Sponſi communicandi de conſilio.
183 Sponſi quomodo converſari debeant in Matrimonio?
184 Exempla a Sacra Scriptura deſumpta.
185 Fagundez nihil ſcribit de Præcepto Eccleſiaſtico nuptias non celebrandi tempore prohibito.
186 Iſta prohibitio non eſt ab omnibus nationibus recepta.
187 Bellarminus hanc prohibitionem inſerit in ſuo Catechiſmo.
188 Antiquitus varia fuit prohibitio temporis.
189 Tempus prohibitum eſt impedimentum impediens.
190 Quare in aliquibus temporibus prohibeantur nuptiæ?
191 Decreta Reſtrictiones Concilii Tridentini circa hæc Tempora.
192 Solemnis pompa tantum nuptiarum interdicitur.
193 Sponſalia de futuro poſſunt fieri tempore prohibito.
194 Privata traductio Sponſæ ad domum non eſt prohibita.
195 Eo tempore Sponſi abſtinere debent ab actu conjugali.
196 Convivia Nuptialia prohibita ſunt.
197 Epiſcopus poteſt ſuper hoc diſpenſare.
198 Cauſa ob quas Epiſcopus poteſt diſpenſare Matrimonium contrahi tempore prohibito, omiſſa benedictione.
199 Epiſcopus debet eſſe rigoroſus in diſpenſando.
200 Epiſcopus eſt Miniſter & Cuſtos Sacrorum Canonum.
201 Matrimonium omni tempore contrahi poteſt.
202 In certis caſibus requiritur facultas Ordinarii.
203 Non ſemper licite contrahi poſſunt Matrimonia.
204 Eccleſia habet poteſtatem reſervandi quodcumque tempus.
205 Nuptiæ ſi permittantur tempore prohibito, modeſte fieri debent.
206 Ubi prohibetur antecedens, prohibetur etiam omne id, quo pervenitur ad illud, prout eſt Regula Juris.
207 Ubi dubium oritur, conſulenda eſt Eccleſia.
208 Commentaria, & Gloſſæ ſupra Conc. Tridentinum fieri nequeunt.

ALia Sacramenta præcellere Matrimonium, nullum dubium eſt, ut obſervat S. Auguſtinus, *de Bono Conjugii*, c. 18. & alii allegati ab Urſaya, T. 1. *p.* 2. *d.* 1. *n.* 160. ubi pro illius præcellentia conſiderat Inſtitutionem, Tempus, Locum, & Bona ab ipſo profluentia. 1

De hoc Sacramento multi Doctores magiſtrali calamo pertractarunt, integra, & quidem non exigua Volumina perſcribendo. Intentio vero operis noſtri cum non adeo vaſta ſit, ut de quibuſcumque caſibus in Matrimonio occurrentibus pertractare audeat, ad ea tantum, quæ in Rubricis Ritualis Romani adnotata ſunt, ſe conferet, & pro majori, & fundata Doctrina, Parochum, & Lectorem ad fundatos Doctores remittet, nempe ad Sanchez, ad Perez, ad Ponza, ad Coninck, ad Gutierez, & ad ſimilis naturæ Theologos, qui de Matrimonio ex profeſſo ſcripſerunt; quorum ſatis amplam enumerationem facit Barboſ. *de Pot. Epiſc. p.* 2. *alleg.* 32. *n.* 207. Ad Rubricas noſtras itaque me convertam. 2

§. I. Parochus admonitus de aliquo Matrimonio in ſua Parochia contrahendo, primum cognoſcat ex his, ad quos ſpectat, qui & quales ſint, qui Matrimonium contrahere volunt: An inter eos ſit aliquod canonicum impedimentum: Utrum ſponte, & libere, & ſecundum honeſtatem Sacramenti velint contrahere: Utrum ſint ætate legitima; ut Vir ſaltem quatuordecim, mulier vero duodecim annos expleverit, & uterque ſciat rudimenta Fidei, cum ea deinde Filios ſuos docere debeant.

3 De jure Miniſter Matrimonii eſt Parochus, ſive Viri, ſive mulieris contrahentium, ut in §. 5. hujus Tituli dicemus. Dici Miniſter, lato tamen modo, quia propria Miniſtri hujus Sacramenti ſunt ipſi contrahentes:
4 Parochus vero eſt Authorizator, & Teſtis hujus contractus, ex Bellarmin. *l.* 1. *de Matrimon. cap.* 9. Poteſt
5 item eſſe, cum ejus, vel Epiſcopi facultate, alius Sacerdos, qui adhibeat ſolemnitates Eccleſiæ conſuetas, tam in conjungendis, quam in benedicendis Sponſis. Matri-
6 monium enim ſine proprio Parocho, & Teſtibus appellatur Clandeſtinum, atque ipſo jure nullum, Concil. Trident. *Seſſ. 7. de Sacramentis in gen. ſeſſ.* 24. *can.* 1. ubi quoque docetur
7 Matrimonium eſſe verum Sacramentum novæ legis a Chriſto Domino inſtitutum, unde colligi poteſt, Matrimonium ante Adventum Chriſti non fuiſſe verum Sacramentum gratiam conferens, Fulien. *Th. Sacramental. lib.* 4. *c.* 4. *Reſol.* 2.

Hoc ſtante, quærunt nonnulli, utrum dato urgente neceſſitate, poſſit Matrimonium abſque Parochi præſentia, vel alias non ſervata forma Concilii, celebrari? 8
Et reſpondendum eſt cum Barboſ. *d. p.* 2. *cap.* 21. *n.* 81. non obſtantibus opinionibus in contrarium, non poſſe, neque valide, neque licite hoc Matrimonium celebrari, quia licet lex Eccleſiaſtica in extrema neceſſitate, non obliget cum tanto rigore, ut aliquando ei contravenire non liceat; nihilominus dum agitur de eſſentiali forma Sacramenti, neceſſitas non excuſat ab invaliditate Matrimonii, non tam ratione legis Eccleſiaſticæ, quam legis naturalis, & Divinæ ibi incluſæ, quæ prohibet omnem acceſſum ad non ſuam uxorem: eo enim ipſo quod Eccleſia inhabilitat materiam, id eſt Perſonas aliter contrahentes, daretur acceſſus ad non ſuam, contra præceptum Divinum.

Porro alia circa hanc Parochi neceſſitatem notanda 9
ſunt. Et primo: Matrimonium contractum coram Parocho

rocho illius loci, ubi contrahentes reperiuntur, non ani-
mo ibi domicilium conſtituendi, ſed recreationis gratia,
non valere. Ita S. C. Concil. *allegat. a Nicolio*, Gar-
zia *de Benef. p. 5. c. 7. n. 11. ad 4.* ex Barboſ. *d. cap.*
21. num. 37.
10 Secundo Parochum realem non eſſe proprium Paro-
chum, quando Rus, vel recreationis cauſa habitatur,
vel ad paucos tantum dies incolitur, non autem pro ma-
jori anni parte. Navarr. *Conſ. 7. n. 2.* Barboſ. *dict. n. 42.*
ubi etiam alia notabilia, & ſcitu neceſſaria a Parocho
legi poſſunt.
11 Demum dicam, quod Parochus proprius ad Matrimo-
nium coram illo contrahendum, dicitur ille, in cujus
Parochia contrahentes domicilium habent, vel cui prin-
cipalis incumbit cura Animarum, Barboſ. *d. l. nu. 34.*
qui Parochus præſtare debet conſenſum ſuum, Melchior
Can. *loc. Theol. l. 8. c. 5.*
12 De Matrimonio contrahendo debet Parochus admone-
ri non per modum diſcurſus, & obiter, ſed apposite, &
ad hunc præciſe finem, ut admonitus dici poſſit, nec
negare valeat. Hæc itaque admonitio non debet illi per-
venire ad aures per rumorem, ſeu vociferationem Popu-
li, qui ut plurimum mendax eſt: ſed debet hoc illi in-
noteſcere rationabiliter, & per Perſonas neceſſarias, ut
per Parentes contrahere volentium, ſeu per affines, ſeu
13 per Dominos, ſive demum per ipſos contrahere volen-
tes. Idem optime notat Barboſa *l. c. num. 1.* quod non
ſimpliciter debeat Parochus moneri, ſed certior fieri, &
iſta certioratio debet mature haberi ad evitanda ſcanda-
la, quæ poſſent oriri in hac materia: nec enim ipſe eſt,
qui quærere hoc debeat, ſed ad eum debent habere re-
curſum qui hoc revelare volunt.
Habita hac admonitione, Parochus multa inquirere
debet ab iis, ad quos ſpectat, priuſquam ad Matrimo-
nium deveniatur. Præcipue ii apud quos facienda eſt
iſta inquiſitio, ſunt Parentes contrahere volentium. Et
ad hoc præſertim attendenda eſt Doctrina laudati Bar-
boſæ *loco citat.* Quamvis enim Matrimonia a filiis fami-
lias contracta ſine conſenſu Parentum, vel illis inſciis,
14 minime irrita ſint, vel irrita fieri nequeant, dummodo
libero contrahentium conſenſu facta ſint: Juxta Concil.
Tridunt. *Seſſ. 24. de Reform.* & Sanchez *de Matr. diſp.*
14. n. 4. Attamen non ſolum honeſtiſſimum, ſed ne-
15 ceſſarium puto, & rationi maxime conſentaneum ut Fi-
lii-familias in re tanti momenti, a conſilio Parentum
non diſcedant: & miror, quod nuſquam in Eccleſia Dei,
vel per Decretum, vel per Conſtitutionem, vel per Ca-
nonem, vel demum per aliam rigoroſam legem, hoc
nunquam fuerit ſancitum: nempe quod Filii-familias non
poſſint contrahere Matrimonium, diſſentientibus, vel in-
ſciis Parentibus. Certe non deſuit qui acri, ſed laude
digno ſtylo contra hunc abuſum ſe invexerit, fuitque
Alexander Politi Florentinus Cl. Reg. Scholarum piar.
qui anno 1712. librum evulgavit inſcriptum *de Patria*
in Teſtamentis condendis poteſtate, ubi late per leges Ro-
manas nullum & injuſtum probat Matrimonium Paren-
tibus diſſentientibus rationabiliter. Rara, & Phœnice
rariora enim ſunt hujuſmodi Matrimonia, *quæ ad latum*
16 *finem* perveniant, & Divina Benedictione foveantur: Et
quidem non deſunt Authores, qui inter Clandeſtina Ma-
trimonia enumerent illa, quæ fiunt abſque Conſangui-
neorum notitia, quæ eſt ſolemnitas requiſita *a c. aliter*
30. q. 5. apud Sanchez *de Matrim. T. 2. lib. 3. diſput.*
1. nu. 2. Sed hæc opinio nimis rigoroſa eſt, & non am-
plectenda.
17 Si non adſint Parentes, erunt conſulendi propinqui-
res, Conſanguinei, & Affines: quod ſi quid difficulta-
tis comperient, non niſi laudabile erit admonere Epi-
18 ſcopos, & Vicarios, ac etiam Principes ſæculares, qui
authoritatis imperio obſtare ſtudebunt huic tam deplo-
randæ deformitati.
Cognito de eſſentia, qualitate, & natura contrahere
19 volentium, debet Parochus, quantum in ſe eſt, cogno-
ſcere, an aliquod impedimentum obſtet, quin hoc Ma-
trimonium contrahi poſſit.
De impedimentis Matrimonii, omnes Theologi, &
Canoniſtæ diffuſe pertractarunt: Ego illa tantum enu-
merabo, ſed doctrinas, & difficultates ſuper his præter-
mittam, cum facile apud Scriptores de Matrimonio in-
veniri poſſint.
Alia ſunt impedimenta impedientia, alia vero impe-
20 dimenta dirimentia. Impedientia ſunt duodecim, nem-
pe; *Eccleſiæ vetitum: Tempus feriatum: Votum ſimplex*
caſtitatis, Sponſalia valida: ſuſceptio alicujus in Catechiſ-
ma: Inceſtus: Raptus alienæ Sponſæ: Occiſio propriæ Con-
jugis: Injuſta occiſio Presbyteri: ſuſceptio propriæ Prolis:
Publica Pœnitentia: Matrimonium attentatum cum Moniali.
Ex his duodecim Impedimentis impedientibus, qua-
tuor prima tantum perſiſtunt in viridi obſervantia: Alia
videntur abolita conſuetudine contraria, Polman. *Bre-*
viar. Theol. p. 3. n. 498. Atque hæc impedimenta im-
pediunt Matrimonium contrahendum, ſed non invali-
dant contractum.
21 Impedimenta vero Matrimonium dirimentia ſunt qua-
Comment. ad Rituale.

tuordecim, & enumerantur in iſtis vulgatiſſimis verſi-
bus apud Sanch. *de Matrim. lib. 7. d. 6. n. 3.*
Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas;
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia Teſtis,
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.
Ab Explicatione horum Impedimentorum, prout ſu-
perius dixi, me abſtineo, quia meum non eſt hic ex
profeſſo hanc materiam tractare: Unica tantum dicam,
ex communi Theologorum ſententia, quod ſcienter con-
trahere Matrimonium cum impedimento vere impedien-
te, aut dirimente ex parte ſua, vel complicis, eſt pec- 22
catum mortale, quia eſt in re gravi contra obedientiam
Eccleſiæ, & reverentiam Sacramento debitam.
Prima exploratio Parochi debet eſſe circa libertatem
contrahere volentium. De jure enim eſt, ut Matrimo-
nia ſint libera; *c. Gemma 27. de ſponſalib.* ubi *Gloſſ.* 23
verb. libera. Et de Iure civili, *in l. filia 124. ff. de*
verbor. obligat. quoniam coacta Matrimonia triſtes ſem-
per cauſare ſolent exitus. Superius nonnulla dixi de con-
ſenſu Parentum contrahentium: modo alia ſuperadden-
da duco. Ex Sacerd. Briamen. *de Sacr. matrim. diſſ. 8.* 24
c. 2. nu. 36. Et primo. Matrimonia ita libera eſſe de-
bent (quoad valorem) ut nec Parentum conſenſus re-
quiratur, ſi filii eorum inire Matrimonium velint. Pec-
cant vero graviter filii, quando ſine juſta, & rationabi- 25
li cauſa, Parentibus inſciis, inconſultis, & renuentibus
Matrimonia contrahunt: imo & ipſi Parentes, ſi Ma-
trimonia Liberorum irrationabiliter impediunt. Dixi ir-
rationabiliter, quia cum ratione poſſunt ea impedire: 26
Nec res nova eſt, neque ſacrilegii crimen involvit (utar
verbis Urſayæ *diſc. Eccl. t. 2. p. 1. d. 21. num. 154.*
155.) in his terminis Filiorum carcerationem procurare,
ut probat Pignatell. *t. 4. conſ. 11. per tot.* & alii: Cæ-
terum non deſunt Authores, & rationes, a quibus diſ-
penſantur filii ab obedientia Parentum in caſu Matri-
monii. Videndus ex gratia d. Urſaya *d. l. a n. 234.*
Secundo inter Raptorem, & Raptam, quamdiu ipſa 27
in poteſtate Raptoris manſerit, nullum poteſt ſubſiſtere
Matrimonium. Ac licet Rapta, a Raptore ſeparata, &
in loco tuto, ac libero conſtituta, illum in virum ha-
bere conſentiat, nihilominus Raptor ipſe, & omnes con-
ſilium, auxilium, ac favorem ei præbentes ſunt ipſo ju- 28
re excommunicati, perpetuo infames, omnium dignita-
tum incapaces, & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu
decidunt, teneturque Raptor Raptam, licet eam non 29
ducat, arbitrio Judicis dotare.
Tertio omnes temporales Domini, ac Magiſtratus,
cujuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, 30
ipſo facto anathematis pœnam incurrunt, ſi quovis mo-
do directe, vel indirecte, quoſcumque cogant, quomi-
nus libere matrimonia contrahant; Conc. Trid. *ſeſſ. 24.*
de Reform. matrim. cap. 1. 6. & 9. Sacerdos etiam, 31
qui coactas Nuptias conjungere præſumpſerit, ipſo facto
ſuſpenſus a Beneficio, & Officio exiſtit. Parentes vero,
qui Liberos proprios, aut alii etiam Principes ſubditos 32
ſuos, ubi, & quomodo nolebant, contrahere coegerint,
anathematis pœna coercentur. Ita Conc. Trid. *ſeſſ. 24.*
cap. 9. Honeſtas quoque ſervanda eſt in hoc Sacramento.
Hæc Honeſtas hoc loco debet intelligi pro dignitate, & 33
decore, adeo ut hoc Sacramentum ſine dedecore, & re-
prehenſione, vel turpitudine miniſtretur, quod fit, ſi in
Eccleſia cum debita ſolemnitate a Rituali præſcripta
celebretur. Iſtud decus, ſeu iſta dignitas in Parocho non 34
minus, quam in contrahentibus elucere debet. In Pa-
rocho, ſi fiat loco, tempore, miniſtris, & veſtibus præ-
ſcriptis: In contrahentibus ſi accedant placide, & non
tumultuoſe, humiles, & compoſiti, ut Sacramentum de- 35
cet; circa quod id notandum eſt, quod monet S. Caro-
lus *in Act. Mediol. Eccl. p. 4. de Parochi diligentia in*
denunciationibus, aliiſque, &c. nempe quod Sponſa de-
ducatur velata, tum ob decentiam, Apoſtolique præce- 36
ptum, tum ob ſignificationem ſubjectionis erga Virum:
Rebeccæ etiam exemplo, quæ ut ſponſum conſpexit,
pallio ſe velavit; *Gen. 24.* Pariter quod ii, qui ad
Eccleſiam ſponſos deducturi ſunt (Paranymphi vocan- 37
tur) ſint ætate provecti, & morum gravitate præditi,
ac plerumque eorum Propinqui, & Parentes. Quod ſi
Veſtes Contrahentium eſſent mutatæ, adeo ut omnino 38
alii apparerent, tunc advertere debet Parochus, ut cau-
te ſe gerat, nec conſenſum præcipitet, donec illos per-
fecte cognoverit, Urſaya *T. 1. part. 2. d. 1. per totum.*
Ætas inſuper contrahentium conſideranda eſt a Parocho; 39
ea ipſo Rituali habemus aſſignationem, & explicationem
ætatis requiſitæ ad nubendum, tum in Viro, tum in
Muliere: nempe annorum 14. in primo, & 12. in ſecunda.
Super qua ætate facienda eſt diligens inquiſitio, nec 40
ſtare debet Parochus (niſi aliter aſpectus contrahentium
demonſtret) atteſtationibus Parentum, ſed authenticum
extractum (ſi fieri poteſt) videre debet ex libris Ba-
ptiſmalibus: ad hunc enim finem, inter alios præci- 41
pitur Curatis, ut ſcribant Baptizatos ſuæ Parœciæ,

ut ſuo loco dicemus, tunc cum de hujuſmodi Libro tra-
ctabimus, c. *Atteſtationes*, c. *ex litteris*, *de deſponſ. impub.*
Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſc. p. 2. alleg.* 32. *n.* 576.
Illa ætas a Sacris Canonibus completa definitur, eo
quia tunc præſumitur uterque Sponſorum habilis ad con-
ſenſum, & ad copulam conjugalem, ut apparet ex *cap.
puberes*, *eodem tit.* Sanchez *de Matrim. l. 7. diſp.* 104. *n.* 1.
ubi *n.* 2. ſubdit, ſatis eſſe ſi ultima dies anni duodeci-
mi in Fœmina, & decimi quarti in Viro ſit incœpta.
Verum quando Jus præſcribit alicui actioni certam æta-
tem, requirit completam, Coninck *d. p. de Sponſ. d.* 21.
dub. 4. *num.* 50. & 51. ſed non per hoc eſt, quod ſuper
hac ætate diſpenſari non poſſit, nam cum diſpenſatione
42 Epiſcopi, poſſunt minores contrahere Matrimonium, ſi
habeant uſum rationis, ſeu malitiam, quæ ætatem ſup-
43 pleat, Barboſ. *de pot. Parochi*, *p.* 2. *c.* 21. *n.* 5. cum cæteris
Doctoribus.
44 Quoad Rudimenta Fidei præſcripta, & præſignata a
Rituali prout neceſſaria in contrahentibus Matrimonium:
certum eſt quod ſi filios educare, & docere debent Pa-
rentes in rebus ad Fidem pertinentibus, opus eſt ut per
prius iſtæ illis innoteſcant: quapropter præmitto primo.
Per januam Sacramentorum, nempe Baptiſmum, de-
45 bere Sponſis jam patuiſſe aditum in Eccleſiam, ſcilicet
debere eſſe utroſque baptizatos, ut Sacramento Matri-
46 monii fruantur. Quod ſi difficiliter conſtare poſſet de Ba-
ptiſmo alterutrius, ob e. gr. diſtantiam loci, vel incen-
dium librorum, vel ob aliam cauſam, tunc noviter, ſal-
tem ſub conditione, ſecreto tamen, baptizandos eſſe ju-
dicarem, juxta Decretum *S. Congr. Concil.* 1. *Sept.* 1714.
quæ dubio conſimili reſpondit in una *Neapolitana Ma-
trimonii*: Attenta difficultate inveniendi Fidem Baptiſ-
mi: *Mulierem eſſe baptizandam ſub conditione*, & *ſecre-
ta; deinde procedi poſſe ad contractum Matrimonii*, *ſerv.
ſerv.* ex Urſaya, T. 2. *p.* 1. *d.* 10. *n.* 68. neque hæc dici
poteſt iteratio Baptiſmi, quia non dicitur iteratum quod
ambigitur eſſe factum, Innoc. III. *cap. Veniens*, *de Pre-
sbyt. non baptiz.*
Cognito de Baptiſmo, inquiri debent contrahentes,
an calleant rudimenta Fidei, præcipue in locis ruralibus.
In hac materia docet Barboſa *d. n.* 3. quod ſi uterque
Sponſorum ignoret Orationem Dominicalem, Salutatio-
nem Angelicam, & Symbolum Fidei, Parochus mo- 47
neat illos, ſe non ante ad denunciationem tertiam ven-
turum, quam illa ab ipſis recte memoriæ teneri, & re-
citari, intelligique perſpexerit. Abſolute tamen, & per
longum tempus, aut ubi Sponſi inſtarent, non licet Ma- 48
trimonium detinere donec dictam Chriſtianam Doctri-
nam contrahentes didicerint: ſed expedit, ſuaviter, &
abſque violentia ad breve tempus impedire, ut ſic Do-
ctrinæ addiſcendæ curam habeant. Ita Sanchez *de Ma-
trim. l.* 3. *diſp.* 15. *num.* 19. Ricci *Praxi for. eccl. dec.*
683. *ſeu* 576. & alii DD. apud Barboſ. *loco citato*. Qua-
re *S. C. Epiſc. & Reg.* 6. *Martii* 1588. cenſuit, Matrimo-
nium prohiberi non poſſe Chriſtianam Doctrinam non 49
addiſcentibus, ſed contra eos admonitionibus commina-
toriis eſſe procedendum, contra Ledeſmam *de Matrim. l.* 11.
& Vega *in Summ. l.* 3. *caſ.* 211. exiſtimantes abſolute
impediri poſſe ob dictam cauſam, ne Matrimonium con-
trahatur, niſi contrahentes præ ſenio, aut ingenii rudis
tarditate, prorſus incapaces ſint. Quæ regula utique ſer-
vanda eſt laudabiliter a Parochis etiam ſine exceptione
vel ſenii, vel ruditatis: nam Matrimonium inire cum
omnimoda ignorantia Doctrinæ Chriſtianæ, potius bru- 50
talitatis, quam Sacramenti ſpeciem gereret; dixi, omni-
moda ignorantia, quia in ſcientia poteſt dari magis, &
minus: Si enim aliqualiter inſtructi eſſent iſti contrahen-
tes, tunc valeret admonitio adducta a Barboſa, ad hoc
ut aliquid amplius addiſcerent, ſi fieri poſſet. Monitio
enim S. Caroli, *Act. p.* 4. eſt clariſſima, nec admittit
limitationem, dum dicit Parocho — *ne Matrimonio jun-
gat eos, qui Rudimenta Doctrinæ Chriſtianæ ignorant.*

§. II. Noverit ex probatis Auctoribus, quæ ſint Canonica impedimenta Matrimonii contrahendi, & quæ contractum dirimant: & qui ſint gradus conſanguinitatis, & affinitatis; & item cognationis Spiritualis ex Baptiſmi, vel Confirmationis Sacramento contractæ.

51 Præter probatos, & Claſſicos Doctores, qui de Matri-
monio ex profeſſo agunt, quorum mentio, & anumera-
tio fit per Barboſ. *de Pot. Epiſc. p.* 2. *alleg.* 32. *n.* 207.
aliorum etiam recentiorum habere debet Parochus no-
titiam, qui poſt Barboſam ſcripſere de hac materia,
& præcipue Anacleti, Buſembau, & ſuper eo de la
Croix, Poteſtatis, Layman & aliorum quorum Doctri-
na in Scholis, & Congregationibus Theologiæ moralis
palam ſonat: atque hæc notitia non debet eſſe ſuperfi-
cialis, ſed fundamentalis, ut faciliut in caſibus occurenti-
bus poſſit prudenter non ſolum, ſed juſte decernere,
& ſe abſtinere a mala Sacramenti adminiſtratione.
Cæterum, quoad Impedimenta tum impedientia, tum
dirimentia Matrimonium, hæc non ſunt nova in Eccle-
ſia Catholica. Vide Caſal. *de Vet. Rit. Chriſt. p.* 2. *cap.* 31. 52
& invenies ex Concilio Nicæno, ex Synodo Trullenſi,
ex S. Callixto Papa, ex S. Fabiano, ex S. Gregorio,
Iſidoro, Concilio Lugdunenſi, Innocentio III. atque ex
aliis, tum Patribus, tum Conciliis, tum Doctoribus,
quod antiquitus impediebantur Matrimonia ob multas
cauſas, ſed præcipue per cognationem naturalem, lega-
lem, & ſpiritualem, de quibus meum non eſt in hoc
loco facere enumerationem.

§. III. Habeat in primis ipſe bene cognita præcepta illa omnia, quæ in Matrimoniis rite conficiendis ſervari oportere, Sacri Canones, & præcipue Sancta Synodus Tridentina juſſit, dabitque operam, ut illa in Parochia ſua accurate exacteque ſerventur.

53 In Sacroſancto Concilio Tridentino, oportet etiam,
ut Parochus ſit bene inſtructus, nam in illo quæcumque
ad Matrimonium faciunt, adamuſſim, & magna dili-
gentia deſcripta ſunt: adeo ut impoſſibile ſit, quod Pa-
rochus in errorem incidat circa hoc, ſi bene advertat
quod in eo ſcriptum eſt Spiritu S. dictante.
54 Quod ſi Parochus extra præſcripta a Concilio Triden-
tino, aſſiſtat alicui Matrimonio, nec ordinem ſervet in
illo ſtatutum, graviter peccat, & ſeverius erit ab Ordi-
nario puniendus, Chamer. *d.* 17. *notab.* 1. Ledeſma *qu.* 45.
a. 5. Barboſ. *de poteſt. Parochi*, *p.* 2. *c.* 21. *num.* 26. & *de
poteſt. Epiſc. p.* 2. *alleg.* 32. *per totum*. Item peccabit, ſi
ob ejus negligentiam, contrahentes non ſervabunt a Sa-
cris Canonibus præſcripta. Eſtque ita intelligendus hic
Textus, quando dicit, quod Parochus det operam, ut
præſcripta per Canones, & Conc. Trident. accurate
ſerventur. Sit pro caſu: Si Parochus neglexerit adver- 55
tere Contrahentes cohabitare, ſeu copulari non poſſe,
etiam ſi Matrimonium contractum ſit per verba de præ-
ſenti, niſi prius expletæ ſint denunciationes: tunc pec-
catum illud negligentiæ illi tribuerent, Berton. *de Ne-
glig. P.* 2. *art.* 32. *per totum*.

§. IV. Præſertim vero meminerit, Matrimonia inter raptorem, & raptam, dum ipſa in raptoris poteſtate manſerit, inita, necnon clandeſtina, & quælibet Matrimonia, quæ aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus contrahuntur, ex ipſius Concilii Decretis irrita omnino, ac nulla eſſe.

56 Jam dictum fuit ſupra §. 1. Rapinam eſſe impedi-
mentum dirimens Matrimonium, & explicavimus ejus
naturam, *num.* 23. Porro clare loquitur Concil. Trid.
ſeſſ. 25. *de Ref. matr. cap.* 6. contra Raptores mulie-
rum, & omnes dantes eis auxilium, conſilium, & favo-
rem; ex Barboſ. *de Pot. Ep. p.* 3. *alleg.* 50. *n.* 243. ubi mul-
ti claſſici Doctores.
57 Sæpe de hoc verbo *Clandeſtino*, in hoc Titulo fit
mentio, nuſquam vero explicatur ejus ſignificatio, quam
modo ſubdere ſtatui. Clandeſtinum idem eſt, ac *ſecre-
tum*, *occultum*, & *clam*. Feſtus apud Funger, *Etym.* de-
ducit hanc vocem a clavibus, quia his claudimus quæ
celare volumus. Clandeſtinum igitur dicitur Matrimo-
nium, quando clam, & in occulto, nec in facie Eccle-
ſiæ factum eſt.
Per aliquos Doctores Clandeſtinum Matrimonium ſex 58
modis celebrari poteſt: quorum primus eſt, quando ſi-
ne Teſtibus contrahitur. 2. quando conſummatur ante
nuptia-

nuptiales benedictiones. 3. quando contra fidem priorum ſponſalium alia ducitur Uxor. 4. quando ante legitimam ætatem Matrimonium celebratur. 5. quando contrahitur tempore, quo Nuptiarum ſolemnitas interdicitur ab Eccleſia. 6. quando omiſſis denunciationibus celebratur. Unde inferunt, omne Matrimonium contra generalem, aut ſpecialem, tacitam, vel expreſſam Eccleſiæ, aut Judicis prohibitionem initum, dici Clandeſtinum, Sanch. *de matrim. T. 1. l. 3. diſp. 1. n. 1.*

59 Nonnulli autem tres tantum Clandeſtini Matrimonii cauſas ſtatuunt, Prima, quando ſine Teſtibus celebratur; ſecunda, quando ſine denunciationibus: Tertia quando ſine ſolemnitate; quæ habetur *c. aliter* 30. *q.* 5. nempe abſque conſanguineorum notitia.

60 Sed ea communior ſententia, quam amplectitur, & approbat Sanchez *d. n.* 3. eſt, ut duæ tantum ſint Matrimonii clandeſtini ſpecies: ex vi autem, & natura vocis, Clandeſtinum non poteſt intelligi niſi quod clam factum eſt. Igitur in duobus tantummodo caſibus erit clandeſtinum Matrimonium. Primus erit, quando Parochus & Teſtes deficiunt: ſecundus quando omittuntur denunciationes ſine diſpenſatione, & proinde in hæ caſibus Matrimonium clam omnino celebrabitur. Primus caſus eſt dirimens, ſecundus eſt impediens tantum. Cæteris autem ſolemnitatibus omiſſis clandeſtinum non appellabitur Matrimonium, ſed minus ſolemne. Ita cum Sanch. Goffredus, Perez, Gutierez, & alii.

61 Ante Concilium Tridentinum iſta Matrimonia clandeſtina erant valida ex S. Thoma 4. *d.* 28. *q.* 1. *art.* 3. Juſtiſſimis autem de cauſis Concilium ea irritavit. Et has cauſas enumerat Sanch. *d. T. 1. l. 3. diſp. 3. n.* 3 *& diſp. 4. per tot.* quas item refert Urſaya *T. 1. par. 2. d. 2.*

62 *num.* 92. 93. & ſunt: *Ad tollendas innumeras lites, inextricabiles anfractus, & ambages, perjuria & nuptiarum incertitudines; Partium fraudes. & deceptiones, quarum una negat, altera aſſeverat, & pejerat, intervenisse clandeſtinas diſpenſationes, unde rebus non probatis, tranſitus ad poſteriora, non conjugia, ſed adulteria eſſent.* Unde ſi nulla alia cauſa convocandi concilium adfuiſſet (quæ multæ, & maximæ fuerunt) propter unam hanc id omnino fuiſſet faciendum, prout in ſolemni ultima ſeſſione ejuſdem Concilii loquutus fuit Hieronymus Epiſcopus Nazianzenus; de quo Card. Pallavicinus Hiſtor. Concil. Trid. *l. 21. cap. 2. num. 4. & l. 24. cap. 5. n. 5.*

63 Præſentia igitur Parochi in Matrimonio celebrando neceſſaria eſt, vel alicujus ab eo facultatem habentis: & hæc non tantum corporea, ſed etiam moralis cum intelligentia, & advertentia actus, Ledeſma *de matrim. quæſt. 45. art. 5. dub. 2.* Circa vero ſubdelegationem alterius Sacerdotis, multa ſunt advertenda; de quibus diffuſe loquitur Barboſa *de pot. Ep. p. 2. alleg.* 32. in quibus præcipue illud eſt animadvertendum quod facultas debet eſſe illi Sacerdoti tradita ſpecifice, & ſpecialiter ad Matri- 64
monia celebranda, non ad actus Parochiales exercendos in genere, vel non debet eſſe tacita, Menoch. *de Arbitr. caſ. 453. pag. 13. & 14. & Conſ.* 398. *n.* 15. Et requiritur, ut actum præcedat, Salzedo *cap. 76. verſ.* 13. & alii contra Barboſ. *de Off. pot. Paroch. p. 2. num.* 72. Cujus ſententia eſt, quod ad celebranda Matrimonia ſufficiat licentia conceſſa a Parocho alicui Sacerdoti, ut intra ſuam Parochiam, omnia ad curam Animarum ſpectantia exercere poſſit. Rota vero *dec. 642. n. ult. p. 1. diverſ. in Vicentina Matrimonii*, eſt pro opinione Menochii, ſi Parochus conceſſit Sacerdoti adminiſtrationem Sacramentorum magis neceſſariorum, quia iſta facultas non extenditur ad celebrationem Matrimonii. Tutior ſane ſententia eſt illa, a me prius allegata cum Menochio, quam approbat & Ipſe Barboſa alio loco, nempe *n.* 69. ejuſdem operis. Nec mirum eſt, ſi tantus Doctor quandoque in ſuis operibus ſibi contradicat: Opera enim ampliſſimæ molis exaravit, in quibus facile dari potuit caſus oblivionis. Et quoniam tanti Doctoris mentio eſt, valde miror, quod in rebus ad Matrimonium ſpectantibus, & quotidie occurrentibus, conſulatur ſemper Tractatus *de Officio, & Poteſtate Parochi*, nuſquam vero, & ſaltem rarius, aliud ejuſdem Authoris permagnum opus, *de officio, & poteſtate Epiſcopi*, in quo & præcipue *p. 2. allegat.* 32. *de Auctoritate Epiſco-* 65
porum in Matrimoniis contrahendis, & diſpenſationibus denunciationum elargiendis, univerſam Matrimonii materiem diffuſiſſime tractat; quem locum ſi nonnulli mo- 66
derni Doctores legiſſent, ſententias ab eis, in tot caſibus prolatas, libere retractaſſent. Sed fortaſſe judicando quod materia Matrimonii ad ſolos Parochos ſpectet, unice ad opus *de Parochi poteſtate* acceſſerunt, non animadvertentes, quod Epiſcopi in Matrimoniis majorem habent facultatem, quam Parochi. Rubrica hæc clare loquitur dum dicit: *de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia*: ergo non ſemper ad Parochos in caſibus matrimonialibus, ſed quandoque & ſæpe ad Epiſcopos haberi debet acceſſus.

§. V. Eſt autem proprius Parochus, qui adeſſe debet, is, in cujus Parochia Matrimonium celebratur, ſive Viri, ſive Mulieris.

Diximus quæ circa hoc neceſſaria ſunt in explicatione primi Paragraphi præſentis Tituli: Modo unice remanet advertere, quod circa Eccleſiam, in qua celebretur Ma-
67 trimonium, hæc eſſe poteſt ad libitum contrahentium, & juxta conſuetudinem loci, dummodo alterutrius vere
68 ſit Parochia; cum ſit regula inconcuſſa Parochum tam Viri, quam Mulieris valide aſſiſtere Matrimonio, Rota *deciſ. 390. n. 6. par. 2. recent.*

69 Hic Ferrariæ mos eſt, ut celebrentur Matrimonia in Eccleſia Parochiali, ſub qua degit Fœmina: alibi vero, alio modo, & quomodocumque fiat, ſufficit, quod unus, vel alter Parochus ſit vere Parochus alterutrius contrahentium, quod eſt juxta inſtitutum Conc. Trid. de quo loquens Barboſ. *de pot. Ep. alleg. 32. p. 2. n.* 65. ait Proprium Parochum ad Matrimonium, eſſe Parochum Uxoris, ſi Matrimonium in domo Uxoris contrahatur (quod nunc intelligi debet de ſponſalibus per verba de futuro) quando ſcilicet Vir accedit ad domum Uxoris pro contrahendo, vel conſummando Matrimonio.

Quando vero Matrimonium ſit contrahendum inter Virum, qui ſit de una Parochia, & Mulierem, quæ ſit de alia, ſufficit, quod interſit Parochus habitationis fœminæ; ſufficit Parochus Viri, quando contrahitur in Parochia habitationis Viri, quia cum proprio Parocho committatur, ſuum Parochianum Matrimonio conjungere, cenſetur etiam commiſſum, alienum cum ſuo conjungere, cum hæc neceſſario connexa ſint, *lib. 1. de juriſdict. omnium Jud. & cap. præterea, de ſpons. de. leg.* Ita ex mente Concilii declaraſſe Sacram Congregationem referunt Salzed *dict. cap.* 76. & alii apud Barboſ. *loc. cit.* Unde apparet ſemper libertas loci, & Parochi: atque ideo ut plurimum domus Fœminæ, ſeu Parochia, ſeu Parochus in uſu eſt ex convenientia, ſive perfunctoria, & urbanitatis gratia erga ſequiorem ſexum, cui non eſt dandum onus ad longinquiorem Parochum accedendi, cum jam degat in propria abſque incommodo.

§. VI. Caveat præterea Parochus, ne facile ad contrahendum Matrimonium admittat vagos, & peregrinos, & qui incertas habent ſedes, neque item eos, qui antea conjugati fuerunt: ut ſunt Uxores militum, vel captivorum, vel aliorum, qui peregrinantur, niſi diligenter de iis omnibus facta inquiſitione, & re ad Ordinarium delata, ab eoque habita de ejuſmodi Matrimonio celebrando licentia, quæ gratis concedatur.

70 De Vagis. & Peregrinis ſatis diximus in explicatione *Tit. de Communione Paſchali*, §. 4. definiendo, quinam tali nomine vocentur. In Sacramento Matrimonii clara eſt explicatio Sacerdotalis Brixinenſis, *diſt. 8. c. 2.* §. 37. ubi legitur -- *Ignoti, vel ex alia Parochia, aut Regione venientes, ad Matrimonium nequaquam recipiantur: multo minus Vagabundi niſi poſt diligentem inquiſitionem, & re ad Ordinarium delata, licentiaque id faciendi ab eodem impetrata*, quod cum noſtra Rubrica ſtricte concordat. Atque in hoc nunquam male ſe geret poteſt Parochus, ſi detecta aliqua dubietate, ad Ordinarium il-
71 lam referat, & ab eo oraculum, & diſpenſationem in ſcriptis, ſigilloque munitam accipiet, pro ſuo tutamine in caſu controverſiæ: cujus diſpenſationis cuſtodiam diligen-
72 tem ſervare debet, & in Libro Matrimoniorum regeſtum facere. Scire tamen debet Parochus, quod iſtorum Vago-
73 rum Matrimonio, quilibet Parochus aſſiſtere valet, ſervatis tamen iis, quæ notant DD. adducti per Tamburin. *l. 8. de Matrim. c. 2.* §. 5. *n.* 19.

Nonnulla agnuint notanda circa hoc; & præcipue, quod juxta inſtructionem Sacræ Congregationis Inquiſi- 74
tionis de Urbe, Teſtes ad probandum ſtatum liberum, debent examinari coram Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali, nec refert quod hujuſmodi Teſtes ſint aſſines, & conſanguinei, quando aliter hoc examen haberi non poſſit.

Sed iſta forma poteſt prætermitti quando quis conſti- 75
tutus in articulo mortis, vel alio ſimili periculo, & accidenti, ut a peccato exiret, vellet contrahere Matrimonium: ſed ſi periculum evaderet, vel ab infirmitate convaleſceret, eædem diligentiæ, antequam ad copulam, & cohabitatio- 76
nem deveniatur, adimplendæ ſunt, prout *S. C. S. Officii*, reſpondit in *Neapolitana de anno* 1638. *relat.* a Corrad. *in Prax. diſpenſ. lib. 7. c. 6. num.* 23.

Sicuti neque ſervatur Inſtructio prædicta cum illis, qui 77
abſentes e loco originis nullibi domicilium fixerunt: ſed haberi debet recurſus ad S. C. Inquiſitionis ſupremæ quæ attenta facti expoſitione, & morali impoſſibilita-

te, certam ſui ſtatus liberi fidem habeodi, preces Ordi-
nariis locorum remittere ſolet, eum facultate, ut poſſint
(comminata ipſius contrahere volentibus, pœna trire-
mium, irremiſſibiliter infligenda, in caſu, quo ipſos ali-
bi habere Uxores, vel Viros, detegatur, præſtito-
que per eos juramento ad Sancta Dei Evangelia ſe ſe
eſſe liberos ad contrahendum) ad celebrationem Matrimonii
devenire. Monacell. *Prax.* T. 1. *tit.* 8. *form.* 1. n. 3.
78 Quale autem dicatur tempus notabile abſentiæ, ut
poſſit Matrimonium prohiberi, nullibi præfinitum repe-
riri aſſerit idem Monacell. *For.* 7. *n.* 2. Sed Epiſcopus
juxta Perſonarum, & cauſæ abſentiæ qualitatem, illud
diſcrete, & prudenter definiet, ut tradita per Menoch.
79 *de arb. l.* 2. *caſ.* 6. n. 13. Regulariter autem qui per quin-
que, aut ſex menſes continuos a Diœceſi, & in longin-
quis abſentes fuerant, dici poterunt extra diu moram tra-
xiſſe, ad effectum, ut arceri poſſint a Matrimonio, do-
nec conſtet, eos manſiſſe liberos. Ita judicant *Synodus*
Farfen. de anno 1686. & Cæſenat. *de anno* 1695. apud
Monacell. *d. n.* 2.

Sed cum hoc ad Parochos non ſpectet, prætereundum
eſt. Ad eos pertinet ſe cavere, & cum magna cautela
80 procedere in his caſibus, nec ad Matrimonium celebran-
dum ſe conferre, niſi prius habito folio diſpenſationis, ſeu
ſtatus liberi, ſeu, ut communiter dicunt: *Tibi*, per
81 quod facultas illis conceditur aſſiſtendi tali Matrimonio.
Quod ſi Parochus, ſine licentia Epiſcopi, vel ejus Vi-
carii Generalis, illos, non obſtante prohibitione, in Ma-
trimonium conjungeret, graviter peccaret, & poſſet ſe-
vere puniri, ut advertit Paa. Jordan. *t.* 1. *lib.* 3. *tit.* 7.
n. 99. & n. 177.

Conſuetudo eſt, ut in Litteris teſtimonialibus, ſeu
82 licentiis celebrandi Matrimonium impertitis Parocho,
inſerantur verba -- *Conſtito tibi de libertate N. vel N.*
83 In hoc caſu talis libertas ſeu Viri, ſeu Fœminæ, debet
conſtare evidenter Parocho, nulla adhibita interpretatio-
84 ne, vel indulgentia. Si vero aliquid, vel etiam mini-
mum, in dubium revocet hanc prætenſam libertatem,
ad Ordinarium haberi debet recurſus, qui articulum di-
ſcutiat, & teſtes examinet. Hoc pacto, & certe ſe ge-
ret Parochos, & rigor maximam illi afferet utilitatem,
nec eum pœnitebit ſe ita geſſiſſe.

Epiſcopi etiam in caſibus arduis ad Matrimonium ſpe-
85 ctantibus, non ita ea tempore reſolvere ſolent, ſed ſe
remittere ad S. Congr. Supremæ Inquiſitionis, vel Con-
cilii, & reſpondent, juxta laudabilem morem prudentum
Ordinariorum, de quo teſtis eſt Rota, *in Caſt. Metr.*
28. *Junii* 1683. coram Card. Matthæjo, & 17. *Junii* 1690.
coram Card. Caprara, comprobatum *in Aquilaes a S.*
86 C. *deciſa Junii* 1715. Imo abſtinere ſolent in cauſis gra-
vibus Matrimonii a ferenda ſententia.

Aliquid ſupereſt dicendum de Militibus, qui dum in
expeditione ſunt, aut in exercitus ſtationibus, contrahunt
Matrimonium, abſque licentia Parochorum locorum, in
87 quibus reperiuntur, ſed coram Capellano exercitus tan-
tum. An illa Matrimonia ſint valida, quærit Monacell.
Tom. 3. *t.* 2. *for.* 5. *num.* 5. & Decretum afferens S. C.
Concilii 16. *Martii* 1694. Negative reſolvit, quod con-
firmatus in una *Caſalen.* 28. *Junii* 1704. Hoc tamen di-
88 citur in locis, in quibus Concilium Trid. publicatum
89 fuit, & niſi indultum habeant Apoſtolicum. Circa quod
animadvertendæ ſunt nonnullæ Reſolutiones S. C. Con-
cilii habitæ *die* 6. *Martii* 1694. per extenſum relatæ
a P. Schiara, & ab Urſaya T. 2. *part.* 1. *d.* 14. *e.* 19.
& *ſeqq.* Ubi multæ reſolvuntur difficultates in hac
parte.

Nonnulla inſuper addam *ex Sacerdotal. Brixinen. diſt.*
8. *cap.* 2. §. 33. & 35. excerpta, quæ valde utilia Pa-
rochis eſſe poſſunt in Sacramento Matrimonii celebran-
do, ſeu aſſiſtendo. Dico igitur, quod in Matrimoniorum
impedimentis impedientibus, vel dirimentibus, ſolus
90 Papa (paucis caſibus exceptis) diſpenſare poteſt. Ubi
qui diſpenſationes a Summo Pontifice, in caſibus Ma-
trimonialibus impetrare volunt, & impetrant, tria dili-
91 genter advertere debent. I. Ut in omnibus veritatem
ſupplicent, ac narrent, additis neceſſariis circumſtantiis:
an videlicet, Matrimonium, vel Sponſalia contraxerint:
an carnalis copula interceſſerit; an ſcientes Impedimen-
tum hæc fecerint; an cauſa, cujus intuitu diſpenſatio-
nem petunt, vera ſit, &c. II. Ut interea dum diſpenſatio
expeditur, Sponſi ſimul non cohabitent, multo minus con-
dormiant. Oriretur hinc quoque novum Impedimentum 92
Inceſtus. III. Ut Bulla, ſeu Littera Summi Pontificis,
Legati, vel Nuntii, quæ non ipſa diſpenſatio, ſed Com-
miſſio Apoſtolica ad Vicarium, vel Officialem Epiſcopi 93
eſſe ſolet, eidem Vicario ante nuptias præſentetur, qui
poſtmodum, juxta tenorem commiſſionis, ſe ſuper nar-
ratis informare debet, diſpenſationemque, & alia omnia,
prout in Domino judicat, expedire noverit.

Inter cauſas vero legitimas, propter quas Romana Cu-
ria ſuper impedimentis matrimonialibus diſpenſare quan-
doque ſolet, potiſſimum enumeratur *Loci anguſtia*: quan- 94
do nimirum duæ Perſonæ petunt diſpenſationem, pro-
pterea quod Mulier in loco, ubi degit, propter illius
anguſtiam, non facile invenit Virum non conſangui-
neum, paris conditionis ſibi, cui nubere valeat. Id quod 95
raro valde contingit, & rariſſime dari poteſt: & tamen
ſuper hoc, ab iis, quibus data eſt commiſſio diſpenſa-
tionis Apoſtolicæ, nulla fieri ſolet ponderatio, ſeu exa-
men, an vere detur iſta loci anguſtia, quæ nil aliud
importat, & verificatur quoties ibidem non maneant
niſi Conſanguinei, extra quos Matrimonium contrahi
non poſſit. Ricc. *Prax. Cauſ. diſpenſ. Matrimon.* P. 4.
Reſol. 517. unde Gennen. *Prax. cap.* 20. *num.* 14. &
Pyrr. Corrad. *Prax. diſpenſ. Apoſt. l.* 7. *cap.* 5. *num.* 39.
advertunt, quod magnam diligentiam adhibere debent 96
delegati, quibus commiſſa eſt diſpenſatio propter hanc
loci anguſtiam: quia ſæpe ſimiles diſpenſationes eſſe ſo-
lent ſubreptitiæ: propterea ſolet aliquando Curia ſe in-
formare ex officio, examinando Teſtes a parte productos,
maxime tunc quando Perſonæ, quæ contrahere inten-
dunt, ſunt infimæ qualitatis, & locus non eſt adeo an-
guſtus. Diſpenſatio enim eſt interpretanda quatenus ver- 97
ba ſonant, & ipſorum verborum natura requirit, Ge-
nuen. *d. cap.* 20. *num.* 4. & 5.

Mitiorem ſuper hoc ſententiam affert Anacl. *Jes Cen.* 98
T. 4. *Append. de diſp.* §. 3. *n.* 76. & *ſeqq.* ubi ait: *Nec requi-*
ritur, ut fiat ſtricta, & exacta perquiſitio, an non aliquæ
impedimenta carens, puellæ ad nubendum æqualis inve-
niatur in loco, ſed ſufficit moralis; imo ſufficit ſi puella
decenter ornata, & quaſi expoſita ad nubendum per ali-
quot annos incedebat, & tamen nullus illam pro Sponſa
expetiit.

Sed ut ad impedimenta deveniamus. Si dubium ſit de 99
aliquo impedimento, Nuptiæ non conjungantur; donec
dubium dilucidatum, ac depoſitum, ſive diſpenſatio ſu-
per impedimento manifeſtato in ſcriptis obtenta, & a
Vicario Epiſcopi approbata fuerit. Quod ſi poſt celebra-
tas Nuptias aliquod inter Conjuges impedimentum eſſe
Parochus intellexerit, ſi id occultum fuerit, ipſoſque Con- 100
juges latuerit, Parochus nihil moveat, nullumque igno-
rantibus ſcrupulum injiciat, ſed re cum ſuis circumſtan-
tiis ad Vicarium Generalem delata, ab eo quod fieri o-
porteat, expectet. At ſi occultum quidem impedimen-
tum ſit, ipſis tamen Conjugibus notum, moneat eos de 101
diſpenſatione impetranda, atque ut interea ab omni ope-
re carnali abſtinere debeant, mandet. Sin autem ipſum 102
impedimentum publicum ſit, ac certum: Conjuges ab in-
vicem illico ſeparet, ipſiſque cohabitationem, & præſer-
tim carnalem copulam, ſub pœna interdicti, ſevere pro-
hibeat, donec diſpenſationem impetraverint, & a Vica-
rio approbatam in ſcriptis oſtenderint.

Hoc unum remanet, ut dicamus aliquid circa illa
verba textus noſtri: *Licentia, quæ gratis concedatur*. Hæc 103
gratis datio in uſu non eſt apud Cancellarios, & Officia-
les Curiarum Ordinariorum, qui pro teſtium examine,
& pro ſcriptione, ſubſcriptione, & ſigillo, ſolent merce-
dem ratione laboris exigere ab Ordinariis taxatam, ut
præcipue habetur in Curia Epiſcopali Ferrariæ, in qua
viget *Taxa Innocentiana* ab Eminentiſſ. Card. de Verme
recenſa anno 1711. quæ paſſim etiam in aliis Tribunali- 104
bus ſervatur, utpote punctualiter exequenda per allegat.
ab Urſaya *d. T.* 4. *p.* 1. *d.* 14. *e. n.* 32.

§. VII. Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho continuis diebus Feſtis, in Eccleſia, intra Miſſarum ſolemnia, ad ipſius Concilii præſcriptum, publice denuncietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum.

105 Ad detegenda impedimenta, quæ facile oriri poſſunt
in Matrimoniis, inſtitutæ fuerunt denunciationes, ſeu, ut
alii dicunt, publicationes, de quibus ſermo eſt in hoc
106 Paragrapho; quæ tamen non ſunt de ſubſtantia Sacra-
menti Matrimonii, Barboſ. *de Off. & pot. Epiſc. p.* 2.
alleg. 32. *n.* 1. Nihilominus earum omiſſio voluntaria fa-
cit, ut contrahens Matrimonium ſine illis ſcienter, præ-
ſumatur in mala fide, ut ſequendo Text. *in l. qui con-*
tra jura, de Reg. jur. in 6. notat *Wames Conſ.* 534. *n.*
8. *de Inſt. de diſpenſ. matr. l.* 1. *cap.* 4. *n.* 448. Barboſ.
deciſ. 1. *n.* 137. Card. de Luca *de matrim. diſc.* 16. *n.* 16.
& firmavit Rota *in Mediol. Impotentiæ* 16. *Martii* 1588.
§. *Verum coram Gypſo*. Circa quas denunciationes non-
nulla veniunt notanda; & primo.

Non ſemper iſtas denunciationes fieri ante Matrimo- 107
nium contrahendum, ſed juſtis de cauſis poſſe, cum facul-
tate Ordinarii, poſticipari: Atque hoc præcipue fieri quan- 108
do probabiliter timetur, Impediendum malitioſe fore 109
Matrimonium, ſi una, vel trina monitio præcedat. Sed
cum clauſula, & cautela, quod omniſi poſt factas de-
nun-

nunciationes conſummetur Matrimonium, niſi Ordinarius, cujus id prudentiæ committit Concilium, aliter judicet fieri debere. Vide Perez *l.* 1. *t.* 14. & Barboſ. *de Off. & pot. Ep. alleg.* 32. *p.* 2. *n.* 19. & alios. Idem quoque notatur in ſequenti §. 9.

Quoad numerum denuntiationum, Ternas præſcribit *Rituale*. At cur trinæ, non vero binæ, vel numeroſio-
110 res? Nullus Doctor, quod ſciam, aſſignat rationem hujus numeri, ſed tantummodo conjecturari poteſt ex Eccleſiæ placito, quæ in numero ternario, tamquam perfectiſſimo magnum myſterium condidit. Multa enim fiunt per hunc numerum in miniſterio Eccleſiaſtico. Ratio probabilis fortaſſe eſt, in noſtro caſu, quia Eccleſia ſupponit, per intervallum trium dierum disjunctorum, totum Populum bene informatum fore de Matrimonio contrahendo.

111 Poteſt tamen ſuper his tribus denunciationibus Ordinarius, ſeu ejus Vicarius, diſpenſare rationabiliter, & juſtis de cauſis, quæ ſufficient extrajudicialiter cognoſcantur per alleg. a Barb. *d. n.* 38. 39. ubi multæ enumerantur cauſæ, propter quas poteſt Epiſcopus diſpenſare vel ab una, vel a duobus, vel ab omnibus: Vide Barb. *d. l.* e *n.* 41. *ad* 49. *incluſive*. Hoc unum tantummodo dicam, hujuſmo-
112 di denunciationes, ſine diſpenſatione Ordinarii, non poſſe a Parocho omitti, abſque culpa gravi, & pœna ſuſpenſionis, Monacell. *t.* 3. *tit.* 2. *for.* 5. *num.* 2. ubi etiam
113 notatur, quod denunciationum omiſſio non annullat Matrimonium, & non præſumuntur factæ in dubio, ſed ab allegante probandæ ſunt, & demonſtrandæ.

114 Atque hæ denunciationes faciendæ ſunt tribus continuis diebus Feſtis. Videtur quod huic Rubricæ adverſetur opinio Reginaldi allegata cum aliis a Barb. *d. n.* 12. Vult iſte eximius Doctor, quod melius intelligendum ſit de Feſtis, quæ ſibi non ſuccedunt immediate. Sed *in Tr. de Off. & pot. Parochi*, *p.* 2. *c.* 25. hanc opinionem appellat Vulgi, non vero Doctorum: ideoque non amplectendam. Igitur de tribus diebus Feſtis ſibi ſuccedentibus, & *continuis*, nullum haberi debet dubium, dommodo tamen inter unam, & aliam denunciationem Parochus non in-
115 terponat multos dies Feſtos; ita ut ob magnum temporis intervallum, ſeu moram, fieri poſſit, ut Parochiani tardiores evadant ad deferenda impedimenta, ſi quæ ſint, & interim obliviſcantur præcedentium denunciationum, Sanchez *lib.* 3. *diſput.* 6. *num.* 8. Coninck *diſput.* 27. *decif.* 5. *numer.* 4. & alii apud Barboſam *dicto loco*.

Diebus itaque Feſtis faciendæ ſunt denunciationes, ſu- 116
per quibus neque Epiſcopum poſſe diſpenſare, docet Zerol. *Prax. Epiſc. p.* 5. *verb. matrim.* §. 4. Gratian. *diſcept. for. cap.* 83. *num.* 28. Sanchez *l.* 3. *diſp.* 6. *nu.* 9. niſi
fuerit dies aliquis, quo ingens hominum multitudo ad 117
Eccleſiam accedit, ut evenire ſolet quando inſignis Eccleſiaſtes concionem habiturus eſt: vel eſt dies Feſtus Dedicationis illius Eccleſiæ, etiam ſi non ſervetur niſi uſque ad meridiem, quia in eo licite fieret denunciatio ſicut in Feſto, Sanchez *d. diſput.* 6. *nu.* 9. Cui addi poteſt Feſtum etiam minus ſolemne, ſed magnæ devotionis, & concurſus ad Eccleſiam, vel ad Altare: Non enim potior ratio eſt illa de Concionatore, quam hæc de feſto ſimplici.

Aliqui volunt etiam, quod fieri poſſit denunciatio occaſione miniſtrationis Sanctiſſimi Viatici ad Infirmos, vel expoſitionis Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, quando adſit magnus populi concurſus, ſed hoc videtur eſſe contra intentionem Eccleſiæ, quæ iden dies feſtos decrevit, ut Populus nullam cauſam abſentiæ adducere poſſet, & tempus Miſſæ ſtatuit uſque ab initio, quia ad hanc tenetur Populus diebus feſtis accedere. Populus item deciperetur, ſi alio tempore, quam feſtivo, & intra Miſſarum ſolemnia id fieret, cum ipſe in uſu habeat Miſſæ interſendi etiam pro audiandis ſimilibus denunciationibus: Imo dari poteſt, ut quia hoc determinatum tempus præſtoletur ad audiendas, & ad ſe certiorandum de talibus denunciationibus, ut poſſit impedimenta revelare ſibi nota: quod minime faceret, ſi diebus non feſtivis denunciationes fierent, atque ita deceptus in ſue intentione maneret.

Ex hoc etiam improbanda videtur ſententia Barboſæ
d. l. n. 21. & Doctorum ab eo allegatorum, qui volunt, 118
poſſe Parochum valide denunciationes facere extra Eccleſiam, & extra Miſſarum ſolemnia, ſi magnus Populi concurſus, & locus aptus ſit, ut ad multorum notitiam perveniant. Quod ſi hoc verum eſſet, quis quæſo impediret, ne Parochus ad Plateas Publicas ſe conferens, nundinarum tempore quaſi tuba præcineret has denunciationes? Sed Summi Pontifices, locum, & tempus Sacrum aſſignarunt optimo innixi fundamento, ut ſcil. conveniret Populus religioſe ad Templum, & legitimam notitiam futuri Sacramenti perciperet.

§. VIII. Si vero Vir, & Mulier Parochiæ ſint diverſæ, in utraque Parochia fiant denunciationes; quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur. Sed ſi quid obſtat, ultra Parochus non procedat.

119 In utraque Parochie fieri debent denunciationes, ſi Sponſi non unius Parochiæ ejuſdem ſint, quia illi, qui ſunt de Parochia mulieris, fortaſſe neſcient impedimenta Viri, & e contra. Ledeſma *q.* 45. *a.* 5. *punct.* 3. Hoc etiam fit, quia uterque Parochorum habet jus ſuper ſuo Grege, nec illud amittere poteſt. (Intelligendum ſemper hoc venit ſi ambæ hujuſmodi Parochiæ ſint ejuſdem Diœceſis. Quod ſi ex diverſa Diœceſi eſſent, Regula eſt, ut impetretur pro uno atteſtatio ſtatus liberi approbanda ab Ordinario loci, in quo contrahitur Matrimonium.) Si vero contrahentes plura habuerint domicilia, ſeu Parochias, faciendæ ſunt denunciationes in ea, in qua diutius morati ſunt, & principaliorem habuerunt laram; vel potius in ea, in qua veroſimilius impedimenta detegi poſſunt. Regula tamen tutior eſt, ut petatur Parochia antiqua, non ea, in qua de recenti habitant, Sanchez *lib.* 3. *diſp.* 6. e *n.* 4.

120 Statim ac denunciationes factæ ſunt, an poſſit celebrari Matrimonium, diſputant Doctores, Barboſ. *d. c.* 21. *num.* 24. eſt in voto, quod ſtatim ac denunciationes factæ ſint, (niſi temporis anguſtiis prematur, ſive inſtantis Adventus, vel Quadrageſimæ) ad Matrimonii celebrationem Parochus devenire non debeat, ſed trium,
121 vel ſaltem duorum dierum ſpatium interjicere, ut liceat unicuique de impedimentis excogitare, eaque aperire, & idem confirmat *in Tract. de Off. & poteſt. Epiſc. alleg.* 32. *n.* 54. ubi advertit, quod quando de licentia Or-
122 dinarii, una tantum denunciatio præmittitur, non ſtatim, ea facta, contrahendum ſit Matrimonium, ſed per aliquod tempus arbitrio prudentis viri differendum, ut revelari poſſint impedimenta ſi extant, Ricc. *Reſol.* 224. *n.* 4. & alii.

Quidquid ſit de conſuetudine expectandi vel multos, 123
vel paucos dies, certum eſt, quod Matrimonium celebrari non debet illamet die, qua facta ſit poſtrema denunciatio, quia hæc feſtinatio impedit intentionem Eccleſiæ, quæ eſt, ut tale Matrimonium deducatur ad notitiam Populi non tantum adſtantis in Eccleſia tempore denunciationum, ſed etiam extra exiſtentis, per relationem eorum, qui adfuerunt. Ita habemus in I. Synodo Ravennat. Archiep. Criſpi, P. 2. c. 10. §. 6.

Inſuper dari debet juſtum, & diſcretum tempus, quo aliquis de Parochia poſſit accedere ad Parochum, ut revelet impedimenta, ſi adſint. Ad nihilum enim inſerviret tertia denunciatio, ſi illico, ea facta, Matrimonium celebraretur, nemine contradicente, nec contradicere valente.

Quod ſi aliquod Impedimentum, licet non plene pro- 124
batum, objiceretur Parocho, iſte immediate amplius non eſt ſui juris circa hoc Matrimonium, nec ad alias denunciationes procedere poteſt, & multo minus neque ad celebrandum Matrimonium, quia cum cognoſcere de natu- 125
ra Impedimentorum ſpectet ad ſolum Epiſcopum, Spin. *Spec. teſt. gloſſ.* 15. *n.* 28. & Sanchez *l.* 3. *diſp.* 8. *n.* 2. Paro- 126
chi facultas ceſſat, donec ab Epiſcopo pronuncietur de veritate, vel inſubſiſtentia oppoſiti impedimenti.

Circa quæ ſciendum eſt, quod Matrimonium ad di- 127
ctum unius Teſtis impeditur, Crott. *de Teſtib. p.* 6. *n.* 212. Textus item eſt *in cap. ſuper eo, de Teſt. & in cap. Præterea, de Sponſal.*

§. IX. Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, vel alia rationabilis cauſa ſubſit, arbitrio Epiſcopi, Matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes, tunc de licentia Ordinarii, vel una tantum fiat denunciatio; vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus Matrimonium celebretur; deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant; ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegant, niſi aliter Ordinarius ipſe expedire judicaverit.

In Paragrapho 7. hujus Tituli dictum fuit quantum
ſatis pro explicatione præſentis Paragraphi; idem dicit
Barboſ. *de Epiſc. num.* 19. ubi notat, quod Parochus,
quoties timetur Matrimonium malitioſe impediri poſſe,
non poteſt denunciationes omittere, ut fiant antequam
conſummetur, niſi diſpenſatio difficillime obtineri poſſit
ab Ordinario.

128 Quo vero ad Teſtes, coram quibus fieri poteſt Matri-
monium, tam in hoc caſu, quam in aliis, Regula eſt:
129 quod ultra Parochi aſſiſtentiam, ſeu Sacerdotis ejus
vices gerentis de ejus licentia, ad hoc ut Matrimonium
valide contrahatur, neceſſaria eſt præſentia duorum, vel
trium Teſtium, docet Conc. Trid. *ſeſſ. 24. de Ref. matr.
cap.* 2. ibi; *& duobus, vel tribus, &c.* Quæ præſentia
debet eſſe ſimultanea, non ſucceſſiva, juxta mentem
Concilii, quod copulative exigit illam; Barboſ. *d. alleg.
32. num.* 137.

Circa Teſtium qualitatem, nullam affert Concilium 130
reſtrictionem, ſeu exceptionem: ideoque poſſunt eſſe im-
puberes, conſanguinei, domeſtici, & etiam infames,
dummodo rationis compotes ſint. Ubi nota, quod Bar-
boſa *d. l. n.* 138. probat, Fœminas etiam id poſſe, licet
ipſo jure a teſtificandi poteſtate arceantur; *in c. mulie-
rem*, ibi *nec teſtes eſſe*; & ibi *gloſſ. 33. q. 5. & in c. fo-
rus, in fine*, Farinac. *de Teſtib. q. 59. c. 2. n.* 33. Con-
ſuetudo tamen non admittit Fœminas in hoc caſu; cum 132
Teſtes legitimos, idoneos, & omni exceptione majores
in Matrimonio requiri dicat Franc. Molin. *de Ritu nupt.
l. 1. comp. 8. n. 64. & ſeqq.*

Neque de neceſſitate venit, ut iſti Teſtes ſint rogati, 133
cum nullo jure in Matrimonio iſta ſolemnitas requira-
tur; & ſufficit ſi vi detenti interſint, dummodo intelli- 134
gant conſenſum contrahentium, & advertant quod agi-
tur, Barboſ. *d. n.* 139. & alii.

§. X. Has autem denuntiationes Parochus facere non aggrediatur, niſi prius de utriuſque contrahentis libero conſenſu ſibi bene conſtet.

Si aliter ageret Parochus, inverſo ordine operaretur;
ex vi enim conſenſus provenit facultas denunciandi: ali-
135 ter eſſent omnino ſuperfluæ denunciationes, nondum con-
136 ſenſu elicito, & opinor, quod in hoc caſu iterari debe-
rent denuntiationes factæ ante conſenſum, quia veniunt
de conſequenti.

137 Iſte conſenſus, per quem fiunt ſponſalia, eſt ini-
tium contractus matrimonialis, & elici debet coram Te-
ſtibus, non in domo Sponſorum, ſed in Eccleſia, vel 138
domo Parochiali, ut optime ſtatuit noviter in ſua *pri-
ma Synodo Diœc. Ferrarien.* Eminentiſſ. & Reverendiſſ.
D. Card. Ruffus. Qua occaſione conſenſus, ſeu ſponſa- 139
lium, debent Sponſi Parocho facultatem impertiri facien-
di conſuetas denunciationes, ſuper Matrimonio inter illos
contrahendo, debito tempore.

§. XI. Si vero infra duos menſes poſt factas denunciationes, matrimonium non contrahatur, denunciationes repetantur, niſi aliter Epiſcopo videatur.

140 Nimis anguſta videtur limitatio, & reſtrictio Ritualis
ad duos ſolummodo menſes: nihilominus, cum arbitrio
Ordinarii id relinquatur, poteſt eſſe vera opinio Barboſæ
dict. allegat. 32. *num.* 55. qui ad quatuor menſes ampliat
hanc præſcriptionem, per allegata a Rebell. *de obligation.*
141 *juſt. p. 2. l. 4. in declarat. Card. ſect. 2. n.* 8. Bonac. *de
Matr. q. 4. punct. 6. n. 1. verſ.* 4. Et quando omittuntur 142
denunciationes, ſtatuit S. C. ut poſt contractum, octo
dies ante conſummationem, ſemel fiant; & alibi jubet,
ut niſi neceſſaria cauſa obſtet, bis, aut ter fiant ante
conſummationem, Teſte Chamarota *dub. 17. verſ. 6.
nota*.

§. XII. Denunciationes autem fiant hoc modo. Inter Miſſarum ſolemnia Parochus populum admoneat in hanc ſententiam, vulgari ſermone.

§. XIII. *Notum ſit omnibus hic præſentibus, quod* N. *Vir, &* N. *Mulier, ex tali, vel tali familia, & Parochia, Deo adjuvante, intendunt inter ſe contrahere Matrimonium. Proinde admonemus omnes, & ſingulos, ut ſi quis noverit aliquod conſanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis ſpiritualis, vel quovis aliud impedimentum inter eos eſſe, quod Matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quamprimum nobis denunciare debeat: & hoc admonemus primo,* ſi fuerit prima; *vel ſecundo,* ſi fuerit ſecunda; *vel tertio, ſi* fuerit tertia denuntiatio.

Aliquid circa hoc dictum fuit in explicatione §. 7.
143 hujus Tituli: modo addendum eſt; quod nihil refert, an
Miſſa dicatur a Parocho vel ab alio Sacerdote, aut an
144 alius Sacerdos vel Clericus ſit, qui de mandato, ſeu con-
145 ſenſu Parochi, faciat denuntiationes, dummodo fiant alta,
& intelligibili voce tempore Miſſæ: & locus eſſe ſolet
146 poſt oblationem factam Panis, & Vini, ante ablutionem.
Poteſt pariter Parochus non celebrans, accedere ad Al-
147 tare, ubi alius Sacerdos celebret Miſſam, & ibi captato
tempore, ſuas denuntiationes, more ſolito, facere.

148 An vero iſtæ denunciationes haberi poſſint in Eccleſia
non Parochiali, ſed Parochiæ ſubjecta, & die ſolemni-
tatis, ſeu dedicationis, & tituli, contendunt inter ſe
Doctores, qui hinc inde afferunt rationes ſuas: ſed mihi
videtur tutior ſententia illorum, qui hoc dubium affirma-
tive reſolvunt, quia, licet Eccleſia illa non ſit Parochia-
lis, eſt tamen in Parochia. Dum enim Rubrica noſtra
præſcribit, quod denuntiationes debeant fieri in utraque
Sponſi, & Sponſæ Parochia, non limitat Eccleſiam: ſed
in noſtro caſu, vere fiunt tales denunciationes in Paro-
chia, & tempore magni concurſus, ergo ita agendo Ru-
brica non violatur, neque ejus præceptum.

149 Vulgari ſermone faciendæ ſunt iſtæ denunciationes.
Sic Sacerdotale Brix. *de Sacr. Matrim. diſt. 8. c. 4. n. 4.*
poſt narratam formulam latinam, aliam ſubdit Germani-
co idiomate. Item, *Conc. Prov. Med. Act. part. 4. de Sacr.
Matr.* ponit formulam denunciandi Italica, tali pacto.

150 *Si notifica alle carità voſtre, come* N. *Figliuolo di* N.
*della noſtra Parochia, è con l'ajuto di Dio per far Ma-
trimonio con* N. *Figliuola di* N. *della Parochia medeſima
noſtra: Però ſe alcuno di voi ſapeſſe, che tra di loro foſſe
impedimento alcuno di parentela, ovvero di cognazione
ſpirituale, che naſce dal Batteſimo, e dalla Creſima; o al-
tra proibizione, ovvero impedimento, per il quale non poteſ-
ſero inſieme far Matrimonio, venga, come è tenuto in coſcienza,
a notificarlo a me Curato quanto prima: Avvertendo, che ciaſ-
cheduno è tenuto notificare l' impedimento, che ſa, così
dee guardarſi di notificar alcuno falſamente: che oltre 'l gra-
ve peccato, che commetterebbe, ci è ancora la pena della Sco-
munica: e queſta è la prima noſtra monizione.* Ita dicet Pa-
rochus ſi fuerit prima denuntiatio: Si fuerit ſecunda, dicet:
E queſta è la ſeconda noſtra monizione. Si vero fuerit tertia,
erit dicendum: *E queſta è l' ultima, e perentoria monizione.*

Hanc totam formulam de verbo ad verbum adnotavit
quoque in ſuo *Sacramentali S. Ferrarienſis Eccleſiæ*, Joan-
nes Fontana olim noſter æterna memoria dignus Epi-
ſcopus, qui olim S. Caroli Vicarius extitit in Civitate
Mediolani, & per ſemitas glorioſi Antiſtitis ſui duxit
Gregem ſuum in toto ſuo Regimine.

Hodie vero reſtrictiori, & compendioſa formula com-
muniter utuntur Parochi, quæ paucis mutatis hæc eſſe
ſolet.

Eſſendo per contraere il Santo Matrimonio N. *Figlio di* 151
N. *della Parochia* N. *con* N. *Figlia di* N. *di queſta mia
Parochia: Perciò ſe alcuno aveſſe notizia di qualche le-
gitimo impedimento, che poteſſe impedirne l' effetto, è ob-
bligato in conſcienza, e ſotto pena di peccato mortale a no-
tificarlo: E queſta ſi è la prima, o la ſeconda, o la ter-
za pubblicazione.*

Advertat Parochus, quod ſi una tantum denunciatio 152
foret facienda, vel duæ, ex diſpenſatione Ordinarii, de-
bet id Populo ad lanti notificare, ne expectet tertiam
denuntiationem ad revelanda impedimenta, quatenus ad-
ſint, & ipſi innoteſcant.

Item animadvertere debet Parochus, in denunciationi- 153
bus Viduorum, debere dicere, & exprimere nomen vel
Viri, vel Uxoris præmortuæ, & nomen, & Cognomen,
& Patriam, necnon Parochiam contrahere volentium;
Et ſi Pater, vel unius, vel alterius, vel amborum de-
ceſſerit, debet hoc exprimere per verba *Filius, vel Fi-
lia quondam* N....

§. XIV. Moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem Sacerdotalem in Templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque Matrimonium con-

ſum-

Digitized by Google

ſumment, nec etiam ſimul maneant; niſi aliquibus propinquis, vel aliis præſentibus; quæ benedictio a nullo alio, quam ab ipſo, ſeu ab alio Sacerdote, de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, fieri debet.

154 Non ſemper Nuptiæ ſunt benedicendæ, ſed tantum-
modo quando ſunt primæ, ut in ſequenti Peragrapho
155 dicemus. Quando igitur Matrimonium inter non amplius
conjugatos celebretur, utique benedicitur: & quia poteſt
deri, quod celebretur ſine Miſſa, & ſine benedictione,
quæ Matrimonium ſubſequitur; ideo magna cura adhi-
benda eſt, ut Sponſi, & de recenti conjugati ſeparatim
156 vivant. In una enim domo difficile cuſtodiri poſſunt, &
propterea ſunt ſeparandi. *Act. Med. p. 4. de Matrim.* hoc
admonent rigoroſe, denunciantes graviſſimis Decretis il-
lius peccati abſolutionem Archiepiſcopo eſſe reſervatam,
eique gravem pœnitentiam eſſe decretam. Quamvis enim
hæc Benedictio videatur de conſilio per illa verba: *Mo-
neo*, nihilominus per conſuetudinem ut lex invaluit: qua-
propter gravi pœnitentia memini olim punitos fuiſſe a Card.
de Verme Epiſcopo Ferrariæ duos Sponſos, qui, nulla habita
benedictione, ad Matrimonii conſummationem proceſſerant.
157 Quod Benedictio iſta fieri debeat a ſolo Parocho pri-
vative quoad alios, indubitatum eſt, ita decernente Con-
cilio Trident. *Seſſ. 24. de Matrim. cap. 1.* & ratio eſt
quia hujuſmodi Benedictio eſt actus conſecutivus Matri-
monii, ed quod unice habet jus Parochus, Quart. *de
Benediction. dub. 2. num. 296.* Quod ſi Parochus alie- 158
nus, vel alius quivis Sacerdos auderet benedicere Spon-
ſos ſine licentia Parochi proprii, vel Ordinarii, pecca-
ret utique mortaliter, quia, ut docet idem Quart. *loc.
cit.* Concilium Tridentinum id graviter prohibet ſub pœ-
na ſuſpenſionis latæ ſententiæ.
Ita DD. communiter apud Sanchez *de Matrimon. l. 9.
diſp. 82. n. 4.* Et ratio prohibitionis eſt, quoniam qui non 159
habet jus in celebrendo Matrimonio, nec illud habet in
benedicendo illi. Quamvis enim ſit, quod ſtet aliquando
Matrimonium ſine Benedictione, attamen Benedictio ſi-
ne Matrimonio non datur: ergo cum iſta ſit actus con-
ſequens, & quodammodo cum primo conjunctus, non
poteſt conſummari, niſi ab eo, qui facultatem habent
in antecedenti.
Ubi viget conſuetudo, quod a Sponſis detur oblatio, 160
ſeu Eleemoſyna, eſt danda Parocho, occaſione Benedi-
ctionis, non autem alteri Sacerdoti, etiamſi de Parochi
licentia benedixerit Sponſis. Ita *S. R. C. in Acheront. 25.
Jan. 1602.* relat. a Barboſ. *de pot. Paroch. p. 2. c. 21. n. 98.*

§. XV. Caveat etiam Parochus, ne quando conjuges in primis Nuptiis benedictionem acceperint, eos in ſecundis benedicat, ſive Mulier, ſive etiam Vir ad ſecundas Nuptias tranſeat. Sed ubi ea viget conſuetudo, ut ſi Mulier nemini umquam nupſerit, etiamſi Vir aliam Uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea ſervanda eſt. Sed Viduæ nuptias non benedicat, etiamſi ejus Vir numquam Uxorem duxerit.

161 De origine, cauſis, & myſteriis nec non de effectibus
Benedictionis Nuptialis ſuo loco dicemus, *in Titulo de
Ritu celebrandi Matrimonium*. Nunc de prohibitione be-
nedicendi ſecundas Nuptias dicendum eſt.

Dico igitur, *ex cap. Vir, de ſecundis Nupt.* prohibitum eſſe benedicere ſecundas Nuptias. Ratio ex S. Thoma habetur *in 4. diſt. 42. qu. 3. art. 2. ad 2.* quia ſecundæ nuptiæ deficiunt a plena Sacramenti ſignificatione: Cum enim Matrimonii Sacramentum ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia; & Chriſtus hanc Eccleſiam non deſeruerit, ut ad aliam accederet, non impletur plene hæc ſignificatio a fidelibus cum ad ſecundas nuptias tranſeunt. Alias rationes vide apud Quart. *d. ſect. 11. t. 3. diſp. 1. dub. 3. n. 297.* & in Barboſa *d. n. 102.*

Ut in praxi clara ponatur hæc Rubrica, dicam, Sponſos in primis Nuptiis eſſe ſemper benedicendos: in ſecundis nunquam, ſed quia haberi poteſt aliqua correſpectivitas ad Virum, vel ad Mulierem, has tabulas pro majori inſtructione efformabo.

162

1	*Vir primo nubens.* *Mulier primo nubens.*	*Benedicendi ſunt.*
2	*Vir ſecundo nubens.* *Mulier primo nubens.*	*Poſſunt de conſuetudine benedici.*
3	*Vir primo nubens.* *Mulier ſecundo nubens.*	*Non ſunt benedicendi.*
4	*Vir ſecundo nubens.* *Mulier ſecundo nubens.*	*Non ſunt benedicendi.*

Iſta ſunt quatuor genera Matrimonii, quæ dari poſſunt ſecundum quatuor Perſonarum ſtatus, & eorum aſſociationem, intelligendo ſemper in quacumque Tabula, quod primus nubat cum ſecunda, ſcilicet Vir cum Muliere ſibi immediate ſubſequente.

Secunda harum Tabularum, quæ demonſtrat quod poſ-
ſit Benedictio ſolemniter fieri ſi Fœmina nondum fuerit
163 benedicta, etiamſi Vir jam nuptus fuerit, approbatur per
conſuetudinem receptam, ut obſervet Covarruvias *de
Sponſal. 2. c. 8. §. 11. n. 2.* Gregor. *l. 2. verb. no decem ſer ve-
lados, t. 11. p. 4.* Gennen. *d. Prax. c. 59.* Aloyſ. Ricc. *Prax.
Reſol.* 313. & alii apud Barboſ. *d. num.* 103.
Tutior, & univerſalis regula pro Parocho eſt, ut quan-
do Mulier nondum fuerit nupta, ſemper nuptiæ bene-
dicantur, quia Benedictio cadit proprie ſupra Sponſam:
ideoque Eccleſia utitur colore Albo in Miſſa de Sponſo, 164
& Sponſa, quia ſupponitur in Sponſa benedicenda carnis 165
integritas, atque ideo Viduæ non benedicuntur, Gavant.
p. 1. t. 18. rubr. 2. litt. d.
Inferrur etiam Benedictio neceſſaria Mulieri, ex ma- 166
ledictione Matri viventium Hevæ illata a Deo, *Gen. 3.*
ubi dixit: *Multiplicabo ærumnas tuas: in dolore paries
Filios; & ſub Viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.*
Ut igitur ad Sacramentum novæ Legis accedat per quod
concipiet, pariet, & Viro conſociabitur, indiget bene-
dictione, ut aliquo modo minuat antiquas, tunc cum Ma-
trimonium erat contractus mere naturalis, illi illatas ef-
fugiat; & Benedictione Dei fruatur nunc, quando idem
contractus elevatus eſt a Chriſto ad ſublimitatem veri Sa-
cramenti.
Paulus Maria Quartus *d. l. n. 297.* dicit, benedicere 167
ſecundas Nuptias contra prohibitionem juris ſupra expli-
cati, non eſſe peccatum mortale, ſed veniale, contra
opinionem aliquorum æſtimantium, eſſe peccatum mor-
tale, quia *in c. 1. de ſecund. nupt.* imponitur pœna ſuſ-
penſionis ab officio, & beneficio Parocho ita benedicen-
ti: quæ pœna cum gravis ſit, arguit peccatum grave.
Cui opinioni maxime adhærendum puto ex vi noſtri tex-
tus, qui abſolute imponit, ne Viduæ benedicantur; &
ſi quandoque, ut in ſecunda mea tabella, videatur quod
Vir viduus benedicatur, ex tolerata conſuetudine hoc 168
fit, ſed advertendum eſt, quod Benedictio cadit ſupra
Mulierem primo nubentem, non ſuper Virum, quod
etiam innuit Rituale ipſum dum dicit: *Viduæ non
Vidui.*

§. XVI. Matrimonium in Eccleſia maxime celebrari decet; Sed ſi Domi celebratum fuerit, præſente Parocho, & Teſtibus, Sponſi veniant ad Eccleſiam, benedictionem accepturi, & tunc caveat Sacerdos, ne iterum a contrahentibus conſenſum exigat; ſed tantum benedictionem illis conſerat, celebrata Miſſa, ut infra dicetur.

169 Matrimonia per verba de præſenti juxta monita Con-
cilii Trid. *ſeſſ. 24. de Reform. matrim. cap. 1.* fieri de-
bent in Eccleſia, ſi non de neceſſitate præcepti, ſaltem
de honeſtate, Rota coram Coccin. *dec.* 1887. *num.* 37.
Unde quamvis plures Authores, quos refert, & ſequitur
Barboſa *d. c. 1. num.* 35. firment, quod Epiſcopus non
poſſit prohibere, ne Matrimonia domi celebrentur, ſed
tantum hortari, ut in Eccleſia fiant; nihilominus in praxi
contrarium ſemper tenuit Monacell. T. 1. *tit. 2. for. 2.*
170 *n. 7.* quia cum Eccleſia ſit proprius locus Sacramentorum,
& maxime deceat in ipſa miniſtrari, laudandi ſunt Epi-
ſcopi, quid id prohibent fieri ſine eorum licentia, ex-
tra illam, ſequendo veſtigia S. Caroli, *Conc. Mediol.
T. 2. t. 1. decret.* 28. Et eſt laudabilis uſus, vel praxis
Urbis: nam Cardinalis Vicarius nec etiam Principibus,
& Magnatibus hujuſmodi licentiam concedere ſolet.
Pro cujus opinionis majori fundamento, ſi Nicolius
Lucubr. civil. l. 1. t. 10. de nupt. n. 60. verſ. ult. & Biſſy.
in Hierurg. litt. M, n. 108. §. 16. non dubitant affirma-
re quod ſi Parochus præcepto Epiſcopi non pareret, &
ſine licentia, domi Matrimonium celebraret, mortaliter 171
peccaret: evidens eſt, quod licite, & laudabiliter poteſt
Epiſcopus prohibere, ne Matrimonia ſine licentia extra
Eccleſiam celebrentur: alias non peccaret Parochus ſi
præceptum eſſet injuſtum, cum non valeat ad obſervan-
tiam Præcepti injuſti ſubditum cogere, *c. ſi Epiſcopus quis*

forte

ſecta 11. *qu.* 3. Nec curanda opinio contraria Antonelli *de loco legel. l.* 1. *c.* 7. *n.* 3. quia iſte Doctor cæca fide Barboſam ſequutus, cæteris authoritatibus per eum allegatis, nihil prorſus de prohibitione Epiſcopi loquentibus, vacuus ramanet.

172 Atque ut formulæ inapetiendi hanc licentiam det Monacellus ſupracitatas aliquem modum, illam in ſuo eodem primo Tomo, *Piau.* 1. 8. *for.* 11. aſſignat, ut hoc pacto, etiam ritus accidentales ab Eccleſia præſcripti non varientur, quod fieri nequit ſine culpa ad tradita per Bonac. *de Sacram. in gen. qu. ult. num.* 4. agitur enim de ſolemni adminiſtratione Sacramenti, in qua non poteſt Parochus ad libitum ritum contemnera, & domi illud conficera.

Qui Monacellus a me ſupra plena allegatus quando
173 dicit, Eccleſiam eſſe locum proprium Sacramentorum, debet intelligi extra caſum neceſſitatis. Sunt enim nonnulla Sacramenta, quæ in Eccleſia miniſtrari non ſolent, ſed extra illam, prout Extrema Unctio, Pœnitentia, Viaticum ad Infirmos & etiam Baptiſmus, ſi timeatur mors baptizandi: ſed iſta ſeparatio ab Eccleſia, in caſu neceſſitatis tantum, ut dixi, haberi poteſt. Infirmi enim non valent accedere ad Eccleſiam. At Sponſi utrique valent, & debent ſe conferre, niſi eſſet Matrimonium in
174 articulo mortis ad Concubinam deſponſandam, & Prolem legitimandam, quia iſta quoque inter caſus neceſſitatis poteſt enumerari.

Propterea ubi Rituale dicit: *ſi domi celebratum fuerit*: puto intelligendum eſſe, vel de Matrimonio celebrato in caſu neceſſitatis, eo modo quo ſupra, ſi æger convaluerit poſt contractum Matrimonium, vel de Matrimonio domi celebrato de licentia Ordinarii, qui cauſis ſibi notis, poteſt in hoc caſu diſpenſare. Ideo optime *Synod. Ferrarien. Card. de Verme*, inhibuit ne extra Eccleſiam, & hanc Parochialem, contraherentur Matrimonia, non obtenta in ſcriptis facultate ab Ordinario.

Circa quod Parochi advertere debent, ne tam facile 175
ſe ſe induci ſinant ad aſſiſtendum Matrimoniis extra Eccleſiam Parochialem, quamvis in corpore Parochiæ exiſtat. Hæc diſpenſatio, ſeu hoc privilegium ab Ordinariis concedi ſolet Sponſis nobilibus, urbanitatis gratia, vel ex alia juſta cauſa, ſed ad eorum exemplum datur ſæpe ſæpius, ut alii Sponſi etiam infimi ordinis petant ex devotione, vel titulo commoditatis, ut Matrimonium celebretur extra Eccleſiam Parochialem: cui diſpenſationi opponere ſe debet Parochus: non enim eſſe debet in poteſtate cujuslibet Plebeji Parochiani, Sacerdotem Parochum tanto incommodo extra Eccleſiam propriam invitum trahere, quaſi ad inſtar ſervi, & pediſequi infimæ conditionis.

Dato quod contracto Matrimonio in domo aliqua ex diſpenſatione, deveniri debeat ad Benedictionem in Eccleſia, docet Rituale ne *Parochus iterum a contrahentibus conſenſum exiget*. Iſte conſenſus in hoc caſu non eſt neceſſarius, quia de Matrimonio amplius non agitur, ſed de Benedictione, quæ eſt contractus conſecutiva, nec Matrimonium facit, ſed ſupponit. Si enim Sponſi non accederent ad ſuſcipiendam Benedictionem, adhuc Matrimonium eſſet validum, & indiſſolubile: ergo benedictio nihil addit quoad valorem Matrimonii jam rati; ergo iſte conſenſus non amplius eſt exigendus. Quod ſi a 177
Parocho exigeretur, utique in ſuo miniſterio maximam imperitiam demonſtraret: nec valet, quod dicat, hunc novum conſenſum eſſe ratificationem primi, quia ratificatio fit in caſibus, in quibus diſſolvi poteſt primus conſenſus: ſed iſte conſenſus amplius diſſolvi non poteſt, 178
cum jam elicitus ſit; ergo fruſtra noviter exigeretur. Matrimonium enim per liberum conſenſum prolatum perfectum eſt in ratione Sacramenti, Engel. *Manual. Parochor. de matrimon. p.* 3. *c.* 1. §. 1. *n.* 3.

§. XVII. Admoneantur præterea Conjuges, ut antequam contrahant, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimam Euchariſtiam, atque ad Matrimonii Sacramentum ſuſcipiendum pie accedant, & quomodo in eo recte, & Chriſtiane converſari debeant, diligenter inſtruantur ex divina Scriptura, exemplo Tobiæ & Saræ, verbiſque Angeli Raphaelis eos edocentis, quam ſancte Conjuges debeant convivere.

Concilii Tridentini præceptum in Canone a me ſæpius allato, & allegato a Barboſa *de poteſt. Paroch. p.* 2. *c.* 21. *num.* 7. monet, ut Sponſi antequam contrahant,
179 vel ſaltem triduo ante conſummationem Matrimonii, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pie accedant; nam ſi illud contraherent cum peccato mortali nondum deleto per contritionem, vel per confeſſionem, indigne reciperent
180 Sacramentum, ac per conſequens, novum mortale peccatum incurrerent: ita Fernandez *in exam. Theol. Mor. p.* 3. *c.* 18. §. 1. *num.* 8. Gutierez *de Matrim. cap.* 83. *num.* 13. Bonacina *quæſt.* 4. *punct.* 6. *num.* 1. *verſ.* 6. Ubi nota, quod non committerent duo peccata mortalia, unum ſcilicet quatenus reciperent Sacramentum,
181 alterum vero quatenus adminiſtrarent; ſed ſolum quatenus reciperent, ut animadvertit Sanchez *dict. l.* 2. *diſp.* 6. *num.* 4. & alii apud Barboſ. *dict. loc.* nec in aliud incurrerent peccatum, quatenus viderentur violare præceptum Concilii confeſſionem præcipientis, eo quia Canon ille continet Conſilium, non vero Præceptum, Baſil. Pont. *de Impedimen. Matrim. c.* 26. §. 2. Barboſ. *de Poteſt. Epiſc. p.* 2. *alleg.* 32. *n.* 172. *& de Pot. Paroch. d. l.*

Quod Sanctiſſimam Euchariſtiam ſuſcipere debeant,
182 apparet, de conſilio tamen, ex Rubrica Miſſalis Romani in *Miſſa de Sponſo, & Sponſa*, ubi dicit: *Poſteaquam ſumpſerit ſanguinem, communicet Sponſos*, ſuper quo vide Gavant. *ibi* P. 4. *t.* 17. *num.* 24.

Ad illa demum, quæ ſubdit Rituale quod in Matrimonio debeant Sponſi *recte & Chriſtiane converſari*, dico multa circa hoc haberi *in Act. Mediol. T.* 2. *p.* 4. *de Sacram. Matrimon.* ubi integrum caput habetur præ- 183
bens documenta, quomodo in Matrimonio ſit verſandum, & moriendum.

Ad hanc rem facit Doctrina S. Pauli Apoſtoli, 1. *Theſſalon.* 4. *Unuſquiſque ſciat, Vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore; non in paſſione deſiderii, ſicut & Gentes quæ ignorant Deum: non enim vocavit nos Deus* 184
in immunditiam, ſed in Sanctificationem. Item illud *Cor.* 1. *c.* 7. *v.* 4. nempe quod *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed Vir: ſimiliter autem & Vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed Mulier.*

Exempla Tobiæ & Saræ adducta a Rituali habentur in libro Tobiæ, de illo enim dicitur, quod habens Filium, *eum ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato*; & *c.* 9. habetur Benedictio Raphaelis Archangeli hoc pacto: *Benedicite ſuper Uxorem tuam, & ſuper Parentes veſtros: & videatis Filios veſtros, & Filios Filiorum veſtrorum, uſque in tertiam, & quartam generationem; & ſit ſemen veſtrum benedictum a Deo Iſrael, qui regnat in ſæcula ſæculorum.*

Item *cap.* 10. *num.* 12. habentur illa pulcherrima verba Sponſæ dicta: *Monentes eam honorare Soceros, diligere Maritum, regere familiam, gubernare Domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere.*

§. XVIII. Poſtremo meminerint Parochi, a Dominica prima Adventus uſque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque ad octavam Paſchæ incluſive, ſolemnitates Nuptiarum prohibitas eſſe; ut Nuptias benedicere, Sponſam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi poteſt. Nuptiæ vero qua decet modeſtia, & honeſtate fiant: Sancta enim res eſt Matrimonium, ſancteque tractandum.

185 Stephanus Facundez Doctiſſimus Theologus Soc. Jeſu, in ſuo lucolentiſſimo Tractatu *de quinque Præceptis Eccleſiæ*, Præceptum hoc de Nuptiis non celebrandis tempore prohibito, non admiſit: quod neque fecit Aloyſius Abelly Epiſcopus Rutheneſis in Libro *Præcipuarum veritatum ad Fidem & Juſtitiam Chriſtianam ſpectantium*. Sed nec in ejus *Medulla Theologica* toties impreſſa. Ex quo deducitur, quod quamvis iſta Nuptiarum Benedictio ſit vetita ab Eccleſia, ut ex *Trid. ſeſſ.* 24. *de Ref. Matr. cap.* 10. & illi parere teneantur om-
186. nes Fideles; attamen non ab omnibus hæc prohibitio inter Eccleſiæ Præcepta recipitur: multa enim in Concilio ſupradicto prohibentur, quæ in Catecheſi Chriſtiana, & Catholica expreſſa non enumerantur. Stare igitur poteſt, quod hoc vere ſit Præceptum Eccleſiæ, ſed in ordine ad quinque communia Præcepta non recipia- 187
tur. Card. Bellarminus tamen, in ejus unica, & approbatiſſima Catecheſi, ſeu *Doctrina Chriſtiana*, inter quinque Eccleſiaſtica Præcepta hoc collocat, illi aſſignando quartum locum, ante decimarum ſolutionem, licet in Catechiſmo S. Pii V. juſſu edito, de hujuſmodi Præceptis Eccleſiæ ſermo diſtinctus non habeatur, eo pacto quo habetur de Præceptis Decalogi.

Hanc temporis prohibitionem, variam antiquitus fuiſſe docet Sanch. *de matr. l.* 2. *diſp.* 7. *n.* 1. *& ſeqq.* Et eſſe Impedimentum impediens, non autem dirimens, quod 188
communiter appellatur *Feriatum*. Olim pluribus Anni
temporibus hæc prohibitio vigebat in Eccleſia Dei: 189
nempe in diebus Rogationum, uſque ad Octavam Pentecoſtes,

Digitized by Google

ſtes, & tribus hebdomadis ante Feſtum S. Jo: Bapti-
ſtæ, *c. non oportet*; & paſſim, *cauſ. 33. q. 4. c. Cap-
pellanus, de feriis*.
Ratio hujus prohibitionis fuit, teſte S. Thoma *4.
diſt. 32. q. unica art. 5.* quod tribus illis Paſchatum
temporibus olim Communio eſſet de præcepto. Ex *Con-
cil. Agathenſi, can.* 18. Solemnitates autem Nuptiarum
vehementer animos a ſpiritualibus avocant, ad carnalia-
que trahunt, cum in illis convivia fieri, & multa alia
lætitiæ vanæ ſigna exhiberi ſoleant: quapropter iis tem-
poribus vetitæ erant, ut vel ſic a carnalibus his abſti-
nentes, ſe ſe homines colligerent, Communioniſque pa-
ratiores redderentur ac cæteris divinis Officiis; nam qui
Eccleſiæ præcepta contemnunt, non ſunt digni experiri
illius benignitatem, *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de Ref. c. 5.*
Sed non hæc ſola fuit ratio hujus prohibitionis, contra
quam acriter blaterant Kemnitius, & Calvinus, & be-
ne probat Bellarm. *l. 1. de matr. cap. 31. §. adde, &c.*
Alia ratio in promptu eſt, nempe hæc eſſe Feſta om-
nium toto anno occurrentium celebriora: quare placuit
Eccleſiæ, Fideles ab his nuptiis abſtinere, quo aptius
jejuniis, ac Orationi vacarent, quæ illo tempore maxi-
me decent, Sanch. *l. c.* & ego ipſe *de Præcept. Eccl.
diſp. 8. §. 2.*
192 Hodie tamen Conc. Trid. loco ſuperenunciato, ab-
rogatis aliis feriis, conſtituit, ut ſolemnes Nuptiæ pro-
hiberentur tantum a Dominica I. Adventus, uſque ad
Feſtum Epiphaniæ: & a die Cinerum incluſive uſque
ad Octavam Paſchæ. Communis itaque Doctorum ſen-
tentia ab omnibus recepta, & a S. C. Cardinalium de-
192 clarata eſt, quod in prædictis Feriis tantum ſolemnis,
& externa Nuptiarum pompa interdicatur, non autem
Sponſalia de futuro, quia hæc ſunt mera contractus hu-
manus, Ricci. *Prax. For. Eccl. Reſol.* 564. *num.* 5 *p.* 4.
193 imo nec ipſum Matrimonium, ſi ex juſta cauſa differri
nequeat, & private, ſine publica pompa, coram Paro-
cho, & teſtibus, cum licentia Epiſcopi celebretur, Bar-
boſ. *de Poteſt. Epiſc. p. 2. allegat.* 32. *num.* 193. Idem
de Pot. Par. p. 2. c. 12. Engel. *dict. p. 3. c. 5. §. 4.
num.* 4.
194 Atque hic optime locum habet Doctrina recentiſſima
Monacell. *d. in Prax. T. 1. tit. 8. form. 8. per tot.*
Cujus verba ſunt: privata traductio Sponſæ, ad domum
Viri, temporibus a jure prohibitis, de licentia Ordina-
rii non eſt prohibita, neque interdicta. Quidquid enim
in contrarium dicant Fagnan. *in c. Cappellanus, n. 10.
& 11. de Feriis*, ejus opinio communiter, jure novo
Concilii, rejicitur, ut patet ex Ricc. *dict. p. 4. Reſ.* 566.
qui multos Doctores affert hoc confirmantes. Item ex
Biſſy. *Hierurgia litt. T. num.* 27. & aliis, quos contra
Fagnan. congerit Pignatell. *T. 6. Conſ. 47. per tot.* &
ratio concluſionis ea eſt, quam refert Monacell. *d. l.*
195 *n.* 2. quia ut Sponſi eo tempore, ab actu Conjugali ab-
ſtineant jure novo Concilii (quidquid eſſet dicendum,
inſpecta cenſura antiquorum Canonum) non eſt præce-
pti, ſed tantum conſilii, ut præter mox allegatos tenet
noviſſime modernus Zeger Bernard. Vaneſpen. *in Tra-
ctatu de Jure Eccleſiæ Univerſ. p. 2. t. 13. n. 16. t. 1.*
196 Quo vero ad Convivia Nuptialia, quæ celebrari ſo-
lent, quoties concurrat urgens, & rationabilis cauſa (quæ
de raro contingere poteſt) non eſt abbreviata authoritas
Epiſcopi, quin diſpenſare valeat, ut temporibus ab Ec-
197 cleſia prohibitis fiant Nuptiæ cum ſolemnitate, & cum
Sponſorum Benedictione, ut affirmant Graff. *deciſ. aur.
p. 1. l. 2. c.* 85. *num.* 29. Ponc. *de Matrim. l. 6. c.* 8.
n. 11. Biſſy. *Hierurg. p. 1. litt. B., num.* 72. §. 2. &
Monacell. *d. l. n.* 3.
Cauſæ autem juſtæ, & rationabiles, ob quas poterit
Epiſcopus concedere Matrimonia contrahi temporibus
ab Eccleſia vetitis, omiſſa Benedictione, allegantur ab
ipſo Monacell. *d. l. n.* 5. & ſunt fere eædem, quæ in
diſpenſandis denunciationibus concurrere debent, nempe.
198 I. Quoties probabiliter ſuſpicatur, Matrimonia inde-
bite ac malitioſe fore impedienda. II. Quando Magna-
tes contrahere volunt. III. Quando Parentes, Tutores
vel Curatores Viris indignis, & longe diſparibus copu-
lare Virgines niterentur. IV. Si Matrimonium eſſet con-
trahendum in articulo mortis cum Concubina ad legiti-
mandam Prolem, vel ad ſecuriorem Infirmi tranſitum.
V. Ubi contrahere volentes diu habiti fuiſſent pro Con-
jugibus, & ad evitandam erubeſcentiam, & infamiam,
cupiant Matrimonio vero conjungi. VI. Si Concubina,
vel alia publica Meretrix eſſet ducenda in Uxorem, ut
abſque mora deſiſtat a peccato, & ad evitandum peri-
culum mutationis voluntatis. VII. Ad evitanda ſcanda-
la ob aliquas factiones, & inimicitias, quæ propter Ma-
trimonium ſuperari ſperarentur. VIII. Quoties contrahere
volentibus ex dilatione, aliquod notabile damnum, vel
incommodum, tam corporis, quam Bonorum immine-
ret. Et in ſimilibus caſibus, quos ſparſim apud Au-
thores ſupra allegatos reperias, & præſertim apud Cor-
rad. *Prax. diſpenſ. l. 7. c. 7. n.* 23. Pac. Jordan. *de Ma-
trim. n.* 51. nullam habebit Ordinarius diſpenſandi cau-
ſam in uno tantum tempore prohibito, vel in utroque
ſimul. Attamen, ut monet idem Monacell. *l. c. num.* 4. 199
Epiſcopus debet eſſe rigidus in diſpenſando ſuper tem-
poribus ab Eccleſia prohibitis, præſertim in illis Regio-
nibus, ubi adeſt conſuetudo tali tempore, Matrimonia
non contrahendi. Ex quo patet ratio, cur in Fagun-
dez, & aliis Authoribus, prohibitio celebrandi Nuptias
temporibus vetitis non computatur inter Præcepta Ec-
cleſiæ, quia in ſuis fortaſſe Regionibus uſus eſt in con-
trarium. Cæterum rigor Epiſcopi in his diſpenſationi-
bus fundatus eſt in *c. Cum ſcimus 9. q. 3.* ubi Epiſco-
pus declaratur Magiſter, & Cuſtos Sacrorum Canonum,
ideoque a Regulis eorumdem non debet præſumptione
diſcedere, ut inquit Text. *in cap. Igitur 25. quæſt.* 2. 200
Ad illud demum quod habemus in noſtro Textu,
Matrimonium omni tempore contrahi poſſe, dico quod hæc
verba, quæ clare, & patenter, ac ſine ulla reſtrictione
loquuntur, multis quæſtionibus cauſam dederunt, apud
Doctores Canoniſtas; An ſcilicet poſſit abſolute Matri-
monium contrahi quocumque tempore abſque diſpenſa-
tione, vel diſpenſatio ſit impetranda.
Nicolius *Lucubr. Civil. l. 1. t. 10. de nuptiis, num.* 71.
aſſeveranter aſſerit Matrimonium quolibet tempore con-
trahi, & conſummari poſſe, abſque alia Superioris li-
centia, ex vi verborum noſtræ Rubricæ, cui adhæret
Pignatell. *T. 6. conſ. 47. num. 17. circa finem*; e contra
Sayrus *de Cenſuris l. 5. c. 7. num.* 43. 47. interpretando
Textum *in c. Cappellanus de Feriis*, Ricci *Prax. p. 4.
reſol. 66. n.* 2. Biſſy. *Hierurg. litt. V., num.* 41. §. 1. &
communiter Doctores allegati a Monacello *d. l. t. 2. t.* 201
de privata traductione Sponſæ; ſuſtinent, Matrimonium
tali tempore non poſſe contrahi, niſi cum expreſſa li-
centia Ordinarii, ad hoc ut Parochus, & contrahentes
culpam, & pœnam arbitrariam effugiant. Idcirco vo-
lunt intelligendam eſſe noſtram Rubricam, loqui quoad
validitatem, non vero quod licitum ſit hoc facere.
Certum porro eſt, Matrimonium, quocumque tem- 203
pore contrahatur, ſervatis ſervandis, ſemper eſſe vali-
dum, ſed non ſemper eſſe licitum, quia obedientia,
quam debent Eccleſiæ Fideles, id exigit; & ſi contra
eam aliquid agatur, ſine peccato non fit.
Igitur Rubrica tam clare loquitur in noſtro caſu, tam- 204
quam ſi vellet dicere, Matrimonia quocumque tempore
fiant, ſemper ſervatis ſervandis valide fiunt, non autem
ſemper licite. Et quamvis nonnulli recentiores hanc
opinionem invadant, ea ratione, quia dummodo fiat
Matrimonium ſine ſtrepitu, & nuptiis ſolemnibus, ſem-
per bonum opus eſt, attamen non advertunt, quod Ec-
cleſia habet liberam poteſtatem reſervandi quodcumque
tempus ſibi lubet, a quo ſi aliquis recedere velit, ne-
queat hoc facere ſine participatione Ordinarii, qui Ec-
cleſiam repræſentat. Nonne bonum opus eſt jejunare?
Nihilominus prohibet Eccleſia jejunium in die Domini-
co, Galaſius Papa *in c. Jejunium, de conſecr. diſt.* 3.
D. Thom. *in 4. diſt. 15. & 2. 2. qu.* 147.
Clarius confirmatur hæc Concluſio ex verbis ipſiuſmet
Rubricæ, nam poſtquam dixerit: *Matrimonium omni* 205
tempore contrahi poteſt: ſubjungit: *Nuptiæ vero quæ decet
modeſtia, & honeſte fiant*. Sed nuptiæ non poſſunt fieri
in tali tempore, niſi obtenta diſpenſatione, ut ſupra
demonſtravimus; ergo neque Matrimonium, per quod
fiunt Nuptiæ, ex Regula illa, quod ubi prohibetur an- 206
tecedens, prohibitum etiam præſumitur omne id, per
quod pervenitur ad illud, *l. Oratio. ff. de ſponſal. Gloſſ.
in Clement. 1. in verbo contrahere*, Ricci *Prax. p. 4.
Reſ. 164. num.* 1.

§. XIII. Quæ omnia fere ex Sacri Concilii Tridentini decretis deſumpta, & item alia, quæ ibi de Matrimonio rite contrahendo præcipiuntur, ſunt diligenter ſervanda.

Cum facile ſit a via recta aberrare tum in rebus di-
vinis, tum in humanis, ideo Patres œcumenicæ Triden-
tinæ Synodi, cum huic labendi facilitati, aliquam Me-
dicinam adhibere maxima operent, Canones, & De-
creta ſtatuerunt in rebus ad Matrimonium ſpectantibus,
a quibus recedere nemini liceret ſine piaculo.
207 Ubi vero dubium oriatur, & ambiguitas, ipſa Eccle-
ſia conſulenda eſt, nec tanta Fides præſtanda Docto-
ribus, qui Concilii, ſeu Eccleſiæ Doctrinam pro funda-
mento ſuarum opinionum non afferant, & hoc eo ma-
gis, quia Commentaria, Adnotationes, Scholia, & Gloſ-
ſæ, aut ullum aliud interpretationis genus edi non poſ-
ſunt ſuper Concil. Trident. ex Bulla Pii Quarti, quæ
incipit, *Benedictus 7. Kalend. Februarii* 1563. & hoc
ſub pœna excommunicationis.

RITUS
CELEBRANDI MATRIMONII
SACRAMENTUM
TITULUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

1 *Præſentia Parentum, & Affinium in Matrimonio laudatur.*
2 *Paranymphi quinam dicantur?*
3 *Paranymphi debent eſſe ætate provecti.*
4 *Conſenſus Contrahentium eſt Matrimonii fundamentum.*
5 *Interrogatio de conſenſu fieri debet.*
6 *Parochus eſt Teſtis omni exceptione major.*
7 *Conſenſus, ante interrogationes, non eſt præſtandus.*
8 *Nutus non debent præcedere Interrogationem.*
9 *Interrogationes vernacula lingua facienda.*
10 *Teſtes intelligere debent Interrogationem.*
11 *Si contrahentes eſſent latini, interrogandi latine*
12 *N. Littera Ritualis deſignat nomen.*
13 *Nomen Viri primo pronunciari debet in Interrogatione.*
14 *Nomen conſuetum, non Agnomen, ſeu Cognomen.*
15 *Contrahentes fictis nominibus male contrahunt.*
16 *Neceſſe non eſt ſuperaddere Cognomentum.*
17 *Volo, eſt Reſponſio libera, & abſoluta.*
18 *Poteſt exprimi per æquipollens.*
19 *Conditionata reſponſio ſuſpendit Contractum.*
20 *Contractus non concluditur niſi purificata conditione.*
21 *Signa, quæ exprimunt conſenſum, ſufficiunt.*
22 *Hæc ſententia valet pro mutis.*
23 *Nutus ſunt actus periculoſi, & fallaces.*
24 *Reſponſio ab utriſque Sponſis danda.*
25 *Parochus peccaret, ſi omitteret interrogationes.*
26 *Si error eſſet de conſenſu, eſſet peccatum veniale.*
27 *Natura contractuum eſt, ut contrahentes ad unum finem concurrant.*
28 *Contractus ſumitur, quando hinc inde eſt obligatorius.*
29 *Matrimonium eſt contractus mutuus.*
30 *Matrimonium debet firmari per amborum conſenſum.*
31 *Matrimonium per Procuratorem valide contrahitur.*
32 *Quænam ſint neceſſaria in Procuratore?*
33 *Actus Procuratoris conſtituit unum actum in genere moris.*
34 *Conſenſus exprimi debet nomine mandantis.*
35 *Manuum conjunctio eſt ſignum mutuæ fidei.*
36 *Manus dextera nobilior eſt.*
37 *Manus dextera, ut ſit nuda.*
38 *Per manuum conjunctionem non ſemper arguitur conſenſus.*
39 *Verba formæ pronunciari debent, dum manus conjunctæ ſunt.*
40 *Ad valorem Matrimonii minime requiritur, ut pronuncientur verba,* Ego vos conjungo, &c.
41 *Sententia contraria, & tutior.*
42 *Si Parochus omitteret verba, peccaret.*
43 *Verba in quocumque idiomate dici poſſunt.*
44 *Aqua benedicta corroborat verba Sacerdotis.*
45 *Annulus datur Sponſæ.*
46 *Cur Annulus ponatur in quarto digito manus?*
47 *Quare Annulus ſit unus tantum?*
48 *Annulus quare rotundus?*
49 *Amor Conjugum debet eſſe infinitus.*
50 *Annulo nubere antiquiſſimi ritus eſt.*
51 *Annulus pronubus benedicitur, & cur?*
52 *Matrimonia ſæpe infeſtantur a Diabolo.*
53 *Annulus pronubus ex qua materia eſſe debeat?*
54 *Annuli primi erant ferrei cum uno Adamante.*
55 *Annulus, quo deſponſata fuit S. Anna Mater Virg. Mariæ.*
56 *Annulus, quo deſponſata fuit Maria Virgo.*
57 *Cujus materiæ ſit, ignoratur.*
58 *Annuli ex quocumque metallo fieri poſſunt.*
59 *Item ex quocumque lapide pretioſo.*
60 *Sponſus accipere debet Annulum de manu Sacerdotis.*
61 *Annuli cæremonia eſt nuum Sacramentale.*
62 *Annuli geſtati fuerunt in utraque manu.*
63 *Annuli cum gemmis ferebantur in ſiniſtra manu.*
64 *Manus ſiniſtra deſtinata ad Annulum.*
65 *Cur Annuli potiſſimum ferantur in manu ſiniſtra?*
66 *Ratio magis obvia.*
67 *Digitus Annularis quare ſic appelletur, & quinam ſit.*
68 *Cur Sponſus imponat Annulum Sponſæ, & non hæc illi?*
69 *Benedictio quandoque differtur poſt contractum Matrimonium.*
70 *Conjuges non benedicti, hortandi, ut non cohabitent.*
71 *Benedictio cadit ſub præcepto, non vero peccati mortalis.*
72 *Benedictio, non eſt ad eſſentiam, neque integritatem Sacramenti.*
73 *Benedictio de jure eſt facienda a Parocho.*
74 *Miſſa an celebranda ſit a Parocho.*
75 *Ritus Matrimonii varii ſunt in Orbe.*
76 *Nuptiales cæremoniæ fere innumeræ.*
77 *Profana res arcenda a Matrimonio, & a Nuptiis.*
78 *Superſtitioſa, & gentilia a Matrimonio eliminanda.*
79 *Liber Matrimoniorum tenendus a Parocho.*
80 *Finis ob quem inſtitutus ſit iſte liber.*
81 *Fides inviolabilis habenda huic libro.*
82 *Parochus non ſcribens Matrimonium contractum peccat mortaliter.*

DE Pleriſque in hoc Titulo compendioſe contentis diffuſe ſermonem habuimus in explicatione antecedentis Tituli: pauca ideo remanent, ſuper quibus verba faciamus, cum non aliud in hoc Titulo habeamus, niſi modum, quo in praxi poni debent Doctrinæ ſupra explicatæ.

§. I. Parochus igitur Matrimonium celebraturus, publicationibus factis tribus diebus Feſtivis, ut dictum eſt, ſi nullum obſtet legitimum impedimentum, in Eccleſia, ſuperpelliceo, & alba ſtola indutus, adhibito uno ſaltem Clerico, ſuperpelliceo pariter induto, qui Librum, & Vas Aquæ benedictæ cum Aſperſorio deferat, coram tribus, aut duobus teſtibus, Virum, & Mulierem, quos Parentum, vel propinquorum ſuorum præſentia conhoneſtari decet, de conſenſu in Matrimonium interroget utrumque ſingillatim in hunc modum vulgari ſermone: N. *Vis accipere* N. *hic præſentem in tuam legitimam uxorem juxta ritum Sanctæ Matris Eccleſiæ?* Reſpondeat Sponſus: *Volo*. Mox Sacerdos Sponſam interroget: N. *Vis accipere* N. *hic præſentem in tuum legitimum Maritum juxta ritum Sanctæ Matris Eccleſiæ?* Reſpondeat, *Volo*.

De Stola, & ſuperpelliceo adhibendis in miniſtratione Sacramentorum, ſatis jam alibi dictum fuit, & præſertim in primo Titulo horum Commentariorum. Item de Clerico adjutore, de Libro Rituali, deque Vaſe Aquæ benedictæ, & Aſperſorio ſæpius mentionem fecimus in toto hoc Opere, ubi opus fuit.
1 Igitur, ad ea, quæ remanent me confero, & primo dicendum duco de Parentum, vel Propinquorum præſentia, quæ adeo a Rituali laudatur. Hæc pariter inſinuatur in *Act. Mediol. p. 4. de Sacr. Matrimon. cap. 2.*
2 ubi monemur, ut qui ad Eccleſiam Sponſos deducturi ſunt (qui Paranymphi dicuntur) ſint ætate provecti,
3 & morum gravitate præditi, ac plerumque eorum propinqui, & Parentes.
Prima interrogatio facienda a Parocho eſt de conſenſu in Matrimonium. Cumque conſenſus contrahentium 4
ſit Matrimonii fundamentum, ſine quo Matrimonium dici non poteſt tale, imo ad valorem Matrimonii neceſſario requiratur de eſſentia, ſine qua nihil poteſt exi- 5
ſtere, ideo debet iſte conſenſus eſſe notus Parocho, qui vel ut Miniſter, ſecundum aliquos Doctores, vel ut 6
Teſtis neceſſarius, ſecundum alios communiter, huic contractui operam ſuam præſtat, illumque firmat, & corroborat authoritate ſua, Coninck *diſp. 24. de eff. matr. dub. 4. & 5.* Nec Sponſi priuſquam interrogentur, debent præſtare hunc conſenſum inter ſe: Eſſet enim hoc contra ritum, & contra conſuetudinem: Nihilominus validum eſſet Matrimonium ita contractum, niſi aliud obſtaret impedimentum. Attamen non me-

lius

lint intelligitur conſenſus niſi poſt factam interrogatio-
nem, quam Mulieres præſumuntur expectare, ad aperien-
8 dum conſenſum ſuum: nutus enim, interrogatione non
præcedente, non attendi docet Marchant. *in Tribunal.*
Sacram. poſt. tom. 3. caſ. 3. Sacrament. matrim. fol. 32.
& 34.
9 Iſtæ interrogationes ut vernaculo ſermone fiant præ-
cipitur, ad hoc ut contrahentes intelligant naturam, &
10 vim interrogationis, & reſpondere valeant. Inſuper eam
intelligere debent Teſtes rogati, in quibus qualitas illa
requiritur, ut poſſint teſtificari de Matrimonio actualiter
coram ipſis contracto, ut obſervat Narbona *de ætate*,
Ann. 7. q. 31. num. 3. atque ut Teſtes ſint bonæ con-
ditionis, & famæ, Rota *dec.* 411. *n.* 1. coram Royas:
id quod tamen non limitatur a noſtro textu, qui nul-
lum diſcrimen ponit inter Teſtem, & Teſtem, quos ad
libitum vult accipiendos. Sed ut ad interrogationes re-
deamus, *Sacerdotale Brixinen.* a me toties commendatum,
has interrogationes ſcribit charactere Germanico.
Quod ſi tum Sponſi contrahentes, tum Teſtes bene
calleant linguam latinam, vel latini eſſent, non video,
11 cur Parochus eos non poſſit latine forma a Rituale de-
ſcripta, interrogare, & reſponſum accipere. Idioma e-
nim hoc nihil alterat eſſentiam Sacramenti, & contra-
ctus, ſicuti non adimunt quidquam in Baptiſmo Abre-
nunciationes, & Interrogationes, quæ a Sacerdote fiunt
Baptizandis latino ſermone juxta præſcripta.
12 Interrogationes incipiunt e nomine proprio contrahen-
13 tis, nam pro illo *N.* Intelligitur Nomen, & primo Vi-
ri, deinde Mulieris ob dignitatem, & præeminentiam
14 naturæ. Hoc nomen debet eſſe illud conſuetum, uſita-
tum, & proprium, quo quis illorum communiter appel-
latur; non Agnomen, ſeu Cognomentum, vel aliud an-
tonomaſticum, quo quis illorum communiter vocetur;
& hoc ad vere ſignificandam, & indicandam identitatem
15 Perſonæ: Contractum enim Matrimonium fictis nomini-
bus Titii & Bertæ, non valeret niſi iſta nomina appa-
rerent in diſpenſatione: *Rota in Romana Matrimonii* 19.
Januar. 1684. §. *pro ſexta, & ſeqq.* coram Urſino: Quod
etiam ad incertitudinem cognominis extenditur, Urſaye
T. 1. p. 2. d. 1. n. 36.
16 Poſt nomen non utique eſt neceſſarium addere Cogno-
men gentilitium, quia per verba illa: *hic præſentem*, ſatis
indicatur quinam ſit ille, de quo agitur. Nihilominus
ad abundantiam, nonnulli ſolent addere quoque Cogno-
men Proſapiæ, & Nomina Parentum illorum, qui con-
trahunt, ad evitandum omnem errorem circa Perſonam.
Reſponſio per Verbum *Volo*, libera eſt & abſoluta, 17
Barboſ. *dict.* 436. *num.* 1. talis etiam eſſe poteſt per æ-
quipollens, ut communiter in Italia ſonant Verba, *Signor* 18
ſi, & latine, *Utique: maxime: etiam vere*, & hujuſmodi
etiam in linguis cæteris, prout idiomate vario pronuntiant.
Conditionata Reſponſio, ſive conditionatus conſenſus, 19
ſuſpendit contractum, non firmat, ideoque ſi reſponde-
tatur per particulam *ſi*, v. g. *Si placet Parentibus meis*, 20
non concluditur contractus ante conſenſum Parentum; &
ille conſenſus debet clare exprimi: poſt quem Sponſus,
ſive Sponſa qui hanc conditionem appoſuerunt, debent
de novo interrogari, donec reſponſio ſit abſoluta, Engel.
p. 3. ſect. 2. num. 2. Coninck. *diſp. 24. de eſſentia Matr.*
dub. 4. qui in dubio antecedenti *num.* 33. *concl.* 2. ait:
ad valorem Matrimonii non requiri certa verba, ſed 21
quævis ſigna ſufficere, quæ internum conſenſum expri-
mant, & majora dicit *in dub.* 8. Sed hæc concluſio pro 22
mutis tantum valet, qui nutibus, & non aliter poſſunt
exprimere conſenſum. Ideoque idem Coninck *dub.* 8.
concl. 4. omnino vult eos, qui loqui valent, verbis ſuum
conſenſum exprimere: quare Parochi nullo modo debent
tolerare, aut permittere aliter fieri: nutus enim ſunt actus 23
valde periculoſi, & fallaciis pleni, ex Theſaur. *Quæſt. Foren.*
l. 2. q. 90. n. 77. Rota *dec. 308. num. 7. p. 10. recent.*
Singuli contrahentes interrogari debent, quia quamvis 24
eſſe debeat amborum voluntas, quæ concordet in unico
conſenſu, attamen poteſt dari, quod una non approbet
id quod altera exprimit. Itaque explorari debent ſingil-
latim, nam ſi primus interrogatus vel non reſponderet,
vel conditionata, vel negative ſe haberet, non opus eſ-
ſet ut amplius ad interrogandum alterum procederet Pa-
rochus, quia Matrimonium per unius tantum diſſenſum
diſſolvitur, *ex cap. cum locum 14. de Sponſal.* vel ſaltem
ſuſpenditur, & non firmatur.
Ultra quam quod ſi amborum debet eſſe conſenſus,
ut in ſequenti Paragrapho dicemus, duplex reſponſio e-
xigenda erit, ergo in duplici actu elicienda, ne confun-
dantur reſponſiones.
Quod ſi omitterentur iſtæ Interrogationes de mutuo 25
Contrahentium conſenſu, Parochus graviter peccaret, ut
docet Barboſa, & Baſil. Pont. *cap. 26. §. 2. verſ. ex qui-* 26
bus, condit. 6. niſi certus eſſet firme certitudine de mu-
tuo illorum conſenſu: tunc enim omiſſio hujus Interro-
gationis eſſet tantummodo Peccatum veniale, Bonacina
de Matr. q. 2. punct. 8. num. 40.

§. II. Nec ſufficit conſenſus unius, ſed debet eſſe amborum, & expreſſus aliquo ſigno ſenſibili, ſive fiat per ſe, ſive per Procuratorem.

27 Natura quorumcumque contractuum eſt, ut ſi conclu-
di, & firmari velint, debeat conſenſus partium in unum,
& eundem finem concurrere: Si enim una pars diſſen-
tiat ab alia, contractus non dicitur firmatus, cum con-
tractus ſit duorum, pluriumve in idem conſenſus, ſive
conventio ex utraque parte obligatoria *leg. Labeo*, §.
Contractum, ff. de verbo ſignif. l. 3. in princip. ff. de oblig. &
a l. Tuſc. *lib. C. concl.* 979. & quamvis (etiam ſi unus tan-
28 tum obligaretur) vocetur contractus, improprie hoc tamen
eſt: Contractus enim ſumitur proprie quando hinc inde eſt o-
bligatorius, *L. d. juncta l. 3. in princip. ff. de act. & oblig.*
29 Igitur cum Matrimonium communiter per Doctores
ſtatuatur eſſe Contractus, ad hoc ut ſit contractus obli-
30 gatorius, debet eſſe hinc inde firmatus, Soar. §. *final.*
Inſtit. de obligat. nec poteſt aliter, nec melius firmari,
niſi per amborum contrahentium conſenſum.
De expreſſione conſenſus, & ſigno ſenſibili, verba nu-
per fecimus in antecedenti Paragrapho in fine. Modo de
Matrimonio per Procuratorem contrahendo, ſermo fa-
ciendus eſt.
Matrimonium per Procuratorem valide contrahitur;
hoc enim aperte habetur *in c. fin. de procurat. in 6.* In 31
Procuratore tamen tria neceſſario requiruntur. Primo ut
habeat ſpeciale, & legitimum mandatum ad hoc. Secun- 32
do, ut Procurator per ſe agat hoc negotium; non enim
poteſt alium ſubſtituere, niſi hoc in mandato ſit expreſ-
ſum. Tertio, ut conſtituens Procuratorem, conſenſum
non revocaverit, antequam Contractus ſit initus, Co-
ninck *d. 24. de eſſen. Matrim. dub. 9. num.* 67. 68.
Hæc generaliter dicta ſint: ſed ut de conſenſu a no-
ſtra Rubrica aliquid dicamus ſciendum eſt, quod actus
Procuratoris conſtituit unum actum in genere moris cum 33
conſenſu Mandantis. Unde ſequitur, quod Procuratores
debent exterius exprimere, ſe nomine talis, cum tali
contrahere ita, & taliter, ut, ii, quorum intereſt, in- 34
telligant, Sanchez *d. l. 2. d. 11. n. 16. & 28.* & ille
conſenſus exprimi debet nomine mandantis, non autem
nomine mandatarii, ut pro illo, non autem pro ſe con-
trahat, Coninck *num.* 80.

§. III. Mutuo igitur contrahentium conſenſu intellecto, Sacerdos jubeat, eos invicem jungere dexteras, dicens: *Ego conjungo, &c.* vel aliis utatur verbis; juxta receptum uniuſcujuſque Provinciæ ritum.

35 Mutua fides nullo meliori actu externo exprimitur,
quam per manuum conjunctionem, qua olim Antiqui
exprimebant Concordiam, ut in Nummis veterum Im-
peratorum facile dignoſci poteſt. Textus eſt C. Taciti
Hiſt. l. 4. Centurionemque Siſennam dextras, concordiæ in-
ſignia, Syriaci exercitus nomine ad Prætorianos ferentem.
Manus dextra nobilior eſt, et qua ideo ea utendum præ-
cipitur, ad cordis fidelitatem, & concordiam demonſtran-
dam, Tiraquell. *de leg. connub. l. 9. num.* 147. & decet
37 has manus eſſe nudas, & abſque chirothecis, ob decen-
tiam Sacramento convenientem, Nevizzan. *Sylv. nupt.*
l. 3. & ne palliatus videatur contractus.
Notandum hic tamen eſt, quod nullum fieri valet
fundamentum ad probandum Matrimonii contractum in
manuum conjunctione ſimpliciter: conſtat enim inter Do-
38 ctores, ex dexteræ datione non ſtatim argui conſenſum ex-
preſſum tendentem ad finem conjugalem, cum multis ex
aliis de cauſis ſubinde adhibeatur; ex Hopping. *conſ. 7.*
circa finem; & melius Rota *dec. 175. in princ. & num.* 2.
coram Penning. ibi: *Ac ſtatim ambo concorditer ſibi ma-*
nus porrexerunt &c. Qui actus inter vulgares perſonas
frequens, ſecundum communem obſervantiam non præ-
ſefert Matrimonii contractum; & eſta poteſt ſignum
amicitiæ, & urbanitatis.
Dum dexteræ junctæ ſunt, Sacerdos pronunciat verba
a Rituali præſcripta, & dicens: *In nomine Patris, &c.* 39
facit ſuper manus ſignum Crucis, contractum illum in
nomine Sanctiſſimæ Trinitatis benedicendo. De Virtute
Signi Crucis alibi dictum eſt, & plura habemus ex
Quart. *de Benedictionibus, num. 322. dub. 3. titul. 3.*
Quoad verba a Rituali præſcripta, *Ego vos conjungo,*
&c. minime requiritur ad Matrimonii validitatem, ut
a Parocho, vel ab alio aſſiſtente pronuncientur, Barboſ.
de pot. Paroch. p. 2. c. 21. n. 88. cum Perez, & aliis
ſex-

ſexdecim Theologis ; quia Tridentinum Concilium in
41 clauſula irritante non facit ullam mentionem verborum.
Sed idem Barboſa concludit cum Bonacina *q. 2. punct. 8.*
42 *num.* 39. Quod Parochus tenetur ex præcepto Conc. Trid.
d. c. 1. adhibere prædicta verba, vel ſaltem illa, juxta
ritum, & conſuetudinem loci; & ſi omitteret dicta verba,
moraliter peccaret, quia violaret præceptum Concilii ſe-
cundum Salzed. ad Bernard. *c. 76. litt. B, verſ.* 2. Henriq.
l. 11. *c.* 2. §. 1. Rebell. *l. 2. q. 7. ſect.* 1. *n.* 4. Alii vero
cum Sanchez, tenent, eſſe peccatum veniale tantum,
Barboſ. *dict. loc.*

Certum equidem eſt varias Regiones varia conſuetu-
dine, & diverſis verbis uti. *Sacerdotale Brixinen.* quod
præ manibus habeo, utitur verbis idiomate Germanico,
& ponit in hac conjunctione nomina expreſſa Sponſi, &
Sponſæ, ſupra quorum manus extremitatem Stolæ ſu-
perimponit, eodem tempore quo verba pronunciat. Cum 43
vero hæc varia verborum pronunciatio Matrimonii vali-
ditatem non infirmet ſed idem per diverſa ſignificet,
cenſuit Eccleſia permittere, ut varie dici poſſent, & in
quocumque idiomate.

§. IV. Poſtea eos aſpergit Aqua benedicta.

44 Hic quoque ſuam virtutem oſtendit Aqua benedicta,
de qua pluries loquuti ſumus, & iterum mentionem fa-
ciemus ſuo loco in explicando *Ordine faciendi Aquam be-
nedictam*. In hoc caſu ſanctificat illa verba, corroborat
contractum, & gratiam concordiæ, & fidelitatis inſtil-
lat, Quartus, *de Benedictionibus* 205. & 46.

§. V. Mox benedicat Anulum. Benedictio Anuli: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini, &c.*

45 Anulum dari Sponſæ propter mutuæ dilectionis ſignum,
vel ut aliquo pignore, ideſt ſigno, eorum corda jungan-
46 tur, & in quarto digito manus inſereretur, quia in eo
vena quædam ſanguinis ad cor uſque perveniat, & hoc
pariter in Amoris ſignum, teſtatur Rubeus in Rational.
l. 1. c. 27. Atque ex ipſa Oratione ab Eccleſia in bene-
47 dicendo Anulo adhibita ſatis, & aperte eruitur. Eſt ve-
ro unus tantum, ut oſtendatur amoris ſingularitas, quia
etſi in omnibus Homo amicitiam colit, in Uxoris amo-
48 re tamen nulla debet eſſe. Eſtque rotundus in ſignum,
quod nunquam habere debet finem, niſi poſt mortem.
Idem Rubeus, & Corſett. quod melius explicat Nevi-
zan. *Sylv. nupt. l. 3. num.* 13. inquiens: In cujus dile-
ctionis ſignum in deſponſatione utuntur Anulo, quia ejus
49 rotunditas, quæ eſt infinita, deſignat, Amorem Conju-
gem debere eſſe infinitum; quod ex S. Iſidoro decerptum
duco, *lib. de Eccl. Off. c.* 19. ubi verba habentur: *Illud
vero, quod in primis Anulus a Sponſo Sponſæ datur, fit
hoc nimirum vel propter mutuæ fidei ſignum, vel propter
id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur.*
50 Quod antiquiſſimi ritus eſſe tum apud Hebræos, tum
apud Gentiles, & deinde apud Chriſtianos habemus ex
celatis e Kirchmanno in aureo ejus Opuſculo *de Anulis,
cap.* 18. *per tot.* & e Jo: Baptiſta Lauro Peruſino, in ſuo
Commentario *de Anulo pronubo Deiparæ Virginis*. de quo
infra.
51 Benedicitur itaque hic Anulus, & hæc benedictio ope-
ratur per modum interceſſionis, ut Sponſi vere, & ſin-
cera dilectione ſe mutuo proſequantur, & fidelitatem ſibi
invicem ſervent, Quart. *d. Præl.* 3. *num.* 294. Anulum
enim eſſe amoris, & fidei Symbolum, teſtatur Philipp.
Ferrarius *in Parœneſi ad Laurum*, *pag.* 120.
Inſuper benedicitur Anulus (hac conſtanti ſcripturæ
utor, *Anulum* cum unica *n* ſcribendi, non vero cum du-
plici, *Annulum*, ex fideli, & collatitia orthographia
adhibita a celeberrimo Jacobo Facciolato in pub. Patavii
Lycæo profeſſore, & latinæ linguæ optimo reſtitutore, a-
micoque meo præſtantiſſimo, in ejus Recenſione Magni
Dictionarii Ambroſii Calepini, *verbo Anulus*.) Benedi-
52 citur, inquam, Anulus ut omnis faſcinatio e Connubio amo-
veatur; nam in Anulis, Magi, & Striges multas Diaboli-
cas incantationes ad connubia infeſtanda ſolent inſculpere,
& infundere, ut bene notat del Rio, *diſq. Magic. l.* 1.
cap. 4. q. 1. num. 3. & S. Carolus, *Prov.* 1. *p.* 1. Jucoque
cum Signum Crucis, Benedictio Sacerdotalis, & Aqua
benedicta valeant ad effugandos Dæmones, optime ſtatuit
Eccleſia, ad pacem in connubiis ſervandam, hanc Anu-
li Benedictionem inſtituere, & præſcribere, per quam
Anulus ab omni Diabolica fraude purificetur.
53 Quæſtio eſſe poteſt, utrum Anulus pronubus, ſeu Ma-
trimonialis, debeat ex auro eſſe, vel ex quo Metallo,
ſeu alia materia? Circa quod cum nihil Rubrica præſcri-
bat, ſervandam eſſe duco conſuetudinem loci, & haben-
dam eſſe rationem ad Sponſi facultates. Si enim inter
pauperes, & miſerabiles perſonas contrahatur Matrimo-
nium, apud quas Aurum de raro hoſpitatur, onus illis
imponendum non eſt, ut dotem Anulo ſuperent: propte-
rea ſufficiet, & pro ſumma erit ſi argenteus eſſeratur A-
nulus, & ſine gemma, vel ad plus, vitreo lapillo.
Hinc ut omnis ſuſpicio arceatur, non laudo Anulos
gemmatos cum imagine in gemma ſculpta, quæcumque
Imago ſit vel ſacra, vel profana; nec etiam pro Con-
nubio Anulos in Crucifixi forma, certe inter Pythagoræ
ſymbola illud habetur *In Anulo ne Dei geſtes imaginem*.
Circa quod vide adnotata per Franciſcum Berni morali-
tat. arcana ſymb. 24.
Certum eſt, ex Nevizzan. *d. l. 3. num.* 3. quod pri-
mus Anulus qui ad hoc fuit electus, erat ferreus, cum 54
uno Adamante, ad deſignandum, quod ſicut Adamas at-
trahit ferrum a magnete, ita Vir retrahit amorem U-
xoris e Patre. Tertullianus *de Idol. cap.* 12. licet eum
ferreum vocet, tamen ſine gemma fuiſſe aſſerit.
Sed *in Apolog. cap.* 6. non obſcure aureum fuiſſe ſcribit;
atque ita Iſidorus *l.* 20. *Etymolog.* quos refert prædictus
Kirchmann. *c.* 18.
Exemplum habemus de Anulo pronubo argenteo, in
illo, quo deſponſata fuit S. Anna Mater Virginis Dei- 55
paræ a S. Joachino, quem deſcribit, argenteum fuiſſe, &
rudem cum Cryſtallina gemmula, Marchantius *Tract.* 7.
Candelabri myſtici, *lect.* 4. quem refert Clericat. *de Sa-
cramento Matrim. deciſ.* 16. *n.* 42.
Item Anulum Sponſalitium habemus ipſius Sacratiſſimæ
Virginis Mariæ Matris Dei, qui ſumma religione ſer- 56
vatur Peruſiæ in S. Laurentii. Ex qua materia iſte ſit, 57
ſe non dignoſcere teſtatur Bagatta *T.* 1. *Admirand. Orb.
Chriſt. l. 5. cap. 3. num.* 1. Alii ex Onyce, alii ex Sar-
donicha, alii demum ex Chalcedonio volunt: ſed com-
munis opinio e Lauro in ſuo *Commentario* allata *pag.* 10.
eſt, quod ex Amethyſto confectus ſit: Gemma quippe
eſt ſculptu facilis, neque ita præſtans, & in ea Arabiæ 58
parte gignitur, quæ finitima Syriæ, Petrææ vocatur, 59
eſtque Indica Amethyſto vilior, & magis obvia.
Cæterum ex quocumque Metallo, & pretioſo Lapide
Anulos in uſu fuiſſe omnes antiquarum rerum Scripto-
res teſtantur, quorum nonnullos antiqui operis ex ære,
aliosque ex Achate *in ſuo Cimelio* ſervat Nicolaus Ba-
ruffaldus Pater meus Dilectiſſimus. Ex quo inferri po-
teſt, nullam materiam definitam, ſeu limitatam fuiſſe,
nec eſſe ad conficiendos Anulos ſponſalitios inter Chriſtia-
nos.

§. VI. Deinde Sacerdos aſpergat Anulum Aqua benedicta in modum Crucis; & Sponſus acceptum Anulum, de manu Sacerdotis, imponit in digito anulari, ſiniſtræ manus Sponſæ, Sacerdote dicente: *In nomine Patris, &c.* Mox ſubjungat: *Confirma, &c.*

60 Non ex Pelvi, ſeu ex alio loco accipere debet Spon-
ſus ex ſe Anulum, ſed de manu Sacerdotis, qui Sponſo
debet eum tradere, ut demonſtretur authoritas Eccleſiæ,
in cujus tantum poteſtate ſunt Sacramenta: Quamvis
enim iſte Anuli cæremonia non ſit Sacramentum, tamen
61 eſt unum Sacramentale, quod Sacramento cohæret, &
Sacramentum integrat in deſponſationis argumentum,
Navæus *Catech. de Sacr. Inſtitut. ſer.* 15.
62 Digitus Anularis obſervandus eſt in traditione Anuli,
& ſiniſtræ manus. In utraque manu geſtati fuerunt Anu-
li: In dextera apparet ex Jeremiæ *c.* 22. *v.* 24. dum di-
cit: *Etiamſi eſſet Jechonias filius Joakim, Regis Juda,
Anulus ſignatorius in manu dextera mea, inde evellam*
63 *eum*. Sed poſtquam Anulis additæ fuerunt Gemmæ, ſi-
niſtra potiſſimum manus ad eos geſtandos aſſignata fuit,
de quo multa teſtimonia affert Kirchman. *d. c.* 4. & præ-
cipue Tertullianum *de hab. muliebr. c. ult.* ubi: *Graciles
aurium cutes Kalendarium expendunt, & ſiniſtra per ſin-* 64
gulos digitos de Saccis ſingulis ludit.
Ratio autem, cur in ſiniſtra potiſſimum ferentur Anu-
li, duplex ab eodem Kirchmanno *d. l.* aſſignatur. Una 65
eſt, quod læva ſit otioſior quam dextera, cujus officium
fuiſſet, non ſolum ab Anulorum geſtatione impeditum,
ſed & ipſi Anuli crebro motu, facile potuiſſent lædi.
Altera eſt, quod hæc manus plerumque lateat, nec ſe
tam crebro oculis hominum ingerat. Cum enim qui pri-
mo Anulos invenerunt propter rei novitatem, & inſo-
lentiam, in propatulo eos geſtare erubeſcerent, ſiniſtræ
tanquam magis latenti Anulos dederunt, ne ſi eos aperte
geſtarent, cenſuram aliorum incurrerent, ut ex Plinio
l. 33. *c.* 1. quod & a Kirchmanno confirmatur.
Sed ne myſterium in re notiſſima, & obvia fingamus, 66
ego

ego terriam, & tutiorem rationem ſuperaddam. Anulus
in ſiniſtra manu collocatur, ex eo quia dextera eſt ma-
gis apta ad illum digito imponendum, & a digito eruen-
dum, ob ejus agilitatem, & dexteritatem, qua pene omnia
manu dextera operantur. Siniſtra manus autem ut plu-
rimum auxiliatrix eſt, & de ſe parum valet; videturque
in pleriſque (qui ſcævæ non ſunt) quod fere inutilis ſit.
Qua propter ſi dextera eſt accipiendus Anulus, non pot-
eſt fieri quin in ſiniſtra collocetur. Igitur textus noſter
naturalem, & commodiorem uſum ſequutus eſt, ſini-
ſtram pro Anulo pronubo præſcribendo, & dexteram pro
Anulo dignitatis in Perſonis Eccleſiaſticis, & præcipue
Epiſcopis: *Cæremoniale Epiſc. l. 1. c. 7.* Gavant. *Manual.
Verbo Anulus*, & Nicol. *Fleſcul.*
67 Digitus Anularis ille eſt, qui minimo proximus habe-
tur, de quo A. Gellius *l. 10. c. 10.* inquit: *Repertum eſt,
nervum quemdam tenuiſſimum, ab eo uno digito, ad cor
hominis pergere, ac pervenire. Propterea non inſcitum vi-
ſum eſt, eum potiſſimum digitum tali honore decorandum,
qui continens, & quaſi connexus eſſe cum principatu cordis
videretur*. Alii non nervum, ſed Venam dicunt, inter
quos S. Caml. *Act. 4. de Matr.*
Cur vero Sponſus imponat Anulum digito Sponſæ, &
non hæc illi, cum mutua debeat eſſe fides, & concor- 68
dia, non ex alio evenire poteſt, niſi quia Fœmina ſit
ſubdita Viro, Nevizzan. *dict. l. 4.* Vinculum tamen
commune eſt, & ambos æqualiter ligat: Sed cum ab Ec-
cleſia in Oratione illa Benedictionis anuli quæ incipit:
Benedic Domine, &c. de Fœmina tantum loquatur, quæ
eum geſtaverit, & de fidelitate ab ea ſervanda, videtur,
quod magis de Mulieris fide dubitet, quam de fida Ma-
riti, & eam pronam magis ad declinandum, atque ad fi-
dem frangendam faciliorem timeat, ob imperfectiorem
naturam.

§. VII. His expletis, ſi benedicendæ ſint Nuptiæ, Parochus Miſſam pro Sponſo, & Sponſa, ut in Miſſali Romano, celebret, ſervatis omnibus, quæ ibi præſcribuntur.

69 Quandoque poſt contractum Matrimonium differuntur
Nuptiarum Benedictiones ad tempus magis opportunum:
70 Hoc intermedio temporis durante, Sacrum Concil. Tri-
dent. *d. l. c. 1.* hortatur, ut Conjuges in eadem domo
non habitent ante Benedictionem. Secluſo tamen ſcan-
dalo, & contemptu legis Eccleſiaſticæ, eo & magis ſi
probabile ſit incontinentiæ periculum, peccatum mortale
non erit Matrimonium conſummare ante hujuſmodi Be-
nedictionem. Ita reſolvit Barboſa *de pot. Par. p. 2. c.
21. n. 95. 96.* cum decem aliis Doctoribus.
71 Verum tamen eſt, quod iſta Benedictio cadit ſub præ-
cepto, atque ideo obligantur Sponſi eam recipere; *c.
nuſtiores 3. q. 5.* & ex Concil. Carth. *4. c. 13.* Sed hæc
obligatio non eſt ſub peccato mortali: quare illam negli-
gere, secluſo contemptu, non excedit culpam venialem;
non enim eſt ad eſſentiam, neque ad integritatem Sa- 72
cramenti, Quart. *de Benedictionibus, Prælud. 3. dub. 1.
num. 295.*
Si de jure hæc Benedictio debet fieri a proprio Paro-
cho, Trid. *ſeſſ. 24. de matr. c. 1.* (niſi ab Ordinario,
vel a Parocho, alteri Sacerdoti data ſit facultas benedi- 73
cendi) ſequitur quod ab ipſo Parocho celebranda ſit Miſ-
ſa pro Sponſis, in qua adſunt præſcriptæ Orationes.) 74
De iſta Miſſa nihil dicere ſtatuo, cum ſufficientes ſuper
ea ſcripſerint Gavantus, & alii inſignes Doctores, de
Sacrificio Miſſæ tractantes.

§. VIII. Cæterum, ſi quæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus, & cæremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas Sancta Tridentina Synodus optat retineri.

75 Adeo variæ, & diverſæ inter ſe ſunt cæremoniæ, &
conſuetudines in toto Orbe Catholico, circa celebrandum
Matrimonium, ut plures Authores in iſtis moribus col-
ligendis non parum inſudaverint. Præter id quod do-
ctiſſime ſcripſerunt Tiraquellus, Nevizzanus, Briſſonius,
Stuckius, Tertullianus, Madius, Rhodiginus, Lanzo-
nus, & alii, ſive ex profeſſo, ſive incidenter, extat
præcipuus liber Italico idiomate inſcriptus: *Cerimonie
Nuziali di tutte le Nazioni del Mondo, Venet. 1685. in
12.* ubi quidquid deſiderari poteſt circa Nuptias, & ea-
rum ritus, habetur.
76 Quare & hoc cognovit Eccleſia Catholica, ut textus
noſter clare demonſtrat, Cumque delere introductas, &
per longa ſæcula approbatas cæremonias, impoſſibile ju-
dicaverit, illas quodammodo retineri laudavit, optavit-
que, dummodo ſint vere laudabiles, & meræ conſuetu-
dines, non autem Ritus Sacramentales, Sacramentum
deformantes. Quare S. Carolus, *Act. 4. in Inſtruct. Matr.* 77
damnavit omnem rem depravato uſu introductam profa-
namve in Sancta Matrimonii celebritate; ut olim fuit
bibendi, eyathive frangendi corruptela, & ſimilia. Iſta, 78
& alia deformia, gentilitatemve redolentia Eccleſia non
approbat. Cætera vero quæ circa cæremonias laudabilia
ſunt, optat retineri, in rebus, quæ ſubſtantiam Sacra-
menti non lædunt, nec pietatem offendunt.

§. IX. Peractis omnibus, Parochus manu ſua deſcribat in Libro Matrimoniorum nomina Conjugum, & Teſtium, & alia juxta formulam præſcriptam; idque licet alius Sacerdos, vel a ſe, vel ab Ordinario delegatus Matrimonium celebraverit.

Opus eſt, ut in hoc, quod a Rubrica præſcribitur,
Parochus ſit diligentiſſimus, nec parcat labori, nullique
committat hoc opus, ſed ipſe illud impleat manu pro-
pria. Hunc Librum apud ſe indiſpenſabiliter habere de-
79 bet propter finem neceſſarium vitandi lites. Unde jure
80 optimo, mortuis teſtibus & Parocho, ſolo hoc libro,
abſque aliis probationibus Matrimonium plene probari
81 dicendum eſt, quia in hoc Parochi fides, & induſtria
fuit electa a Concilio, Bellet. *de Cler. teſte*, §. 1. n. 9.
Barboſ. *de pot. Ep. p. 2. all. 32. num. 175.* Rota *dec. 750.
num. 1. p. 1. recent.*
Quod ſi Parochus Matrimonium contractum in Libro 82
non deſcribet, peccabit mortaliter, Rota *dec. 233. n. 11.
p. 10. dec. 435.* Donnec. *jun. deciſ. 896. n. 3.* Monacell.
T. 1. tit. 10. for. 8. n. 7. Sed alia, & majora dicamus in
fine hujus Operis, tunc cum *Formulas ſcribendi in Libris
habendis apud Parochum, explicabimus.*

DE
BENEDICTIONE MULIERIS POST PARTUM,

TITULUS QUADRAGESIMUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

1 *Benedictio hæc inſtituta eſt ab Eccleſia.*
2 *Habet connexionem cum Sacramento Matrimonii.*
3 *Partus eſt fructus Matrimonii.*
4 *Benedictio hæc eſt de conſilio, non de præcepto.*
5 *Verba hortatoria non obligant, etiam ſi eſſent verba Concilii.*
6 *Benedictio hæc eſt antiquæ originis.*
7 *Originem trahit a Veteri Teſtamento.*
8 *Maria Virgo voluit implere hanc legem.*
9 *Mulieres Chriſtianæ hoc faciunt ad ejus imitationem.*
10 *Hæc fit quadrageſima die poſt partum.*
11 *Poteſt etiam anticipari, vel poſticipari.*
12 *Hæc Benedictio habet ſuam materiam, & ſuam formulam.*
13 *Cauſa finalis hujus Benedictionis.*
14 *An Puerpera ipſa ſola, vel cum Prole accedere debeat.*
15 *Proles non benedicitur.*
16 *Fructus ſpirituales hujus Benedictionis.*
17 *An Puerpera poſſint ſine hac Benedictione accedere ad Eccleſiam?*

18 *An*

18 *An Benedictio hæc fieri poſſit a ſolo Parocho.*
19 *An impertiri poſſit in ſola Eccleſia Parochiali?*
20 *Poteſt dari in quavis Eccleſia, & a quovis Sacerdote.*
21 *Sacra Rit. Congr. reſolvit in Contrarium.*
22 *Stola debet eſſe albi coloris.*
23 *Quare Puerpera genuflectat ad limen Eccleſiæ?*
24 *Siſtere non debet ad Portam Sacriſtiæ.*
25 *Candela accenſa quare deferatur a puerpera?*
26 *Candela an pertineat ad Benedicentem?*
27 *Oblationes aliæ, quæ in hac Benedictione ſolent fieri.*
28 *Aqua Benedicta quare adhibeatur?*
29 *Stola quare porrigatur Puerperæ?*
30 *Pars ſiniſtra eſt porrigenda.*
31 *Mulier genuflectit, Sacerdos ſtat.*
32 *Altare ad quod ſe ſiſtere debet Puerpera.*
33 *Oratio facienda ad libitum Mulieris Puerperæ.*
34 *Quare mulier de novo aſpergatur Aqua Benedicta?*
35 *Pſalmi XXIII. recitandi ſignificatio.*

QUAMVIS hæc ſit una ex Benedictionibus inſtitu- 1
tis ab Eccleſia, attamen in Rituali extra nume-
rum Benedictionum ponitur, nulla prius data regula ge-
nerali de modo tenendo in ea impertienda. Ratio eſt,
quia cum hæc aliquam connexionem habeat cum Sacra-
mento Matrimonii, cujus fructus eſt Partus creaturæ, 2
ſatius duxit eam collocare immediate poſt Matrimo-
nium, ut ita facilius ad manus accurrat Parochi tunc 3
quando opus ſit illam adhibere: atque ita extra nume-
rum, ſive extra Rubricas ad Benedictiones ſpectantes
remanſit. Rubrica itaque eſt.

§. I. Si qua Puerpera poſt partum, juxta piam, ac laudabilem conſuetudinem, ad Eccleſiam venire voluerit, pro incolumitate ſua Deo gratias actura, petieritque a Sacerdote Benedictionem, ipſe Superpelliceo, & Stola alba indutus, cum Miniſtro Aſpergillum deferente, ad fores Eccleſiæ accedat, ubi illam foris ad limina genuflectentem, & candelam accenſam in manu tenentem, Aqua benedicta aſpergat, deinde dicat: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini, &c.*

4 Hæc Benedictio de conſilio eſt, non de præcepto; per
illa verba: *venire voluerit*, quæ eam non præcipiant,
5 ſed hortentur, liberam voluntatem excitant, ſed non
obligant, *c. ult. in fine 4. diſt. gloſſ. verb. ſtatuta in
cap.* 5. ubi Abb. *n.* 9. & Felin. *n.* 20. *de conſtit.* etiamſi
eſſent verba Concilii, quia conſilii natura eſt, ut quam-
vis excitet ad deliberandum, non tamen obliget ad ſe-
quendum; ut multis citatis probatur in libello *de prin-
cipiis utriuſque Juris, lit. c, num.* 50. Hinc eſt, quod
S. Carolus *Concil. Prov.* 1. *p.* 2. non aliud dicit, niſi,
quod Parochi moneant Puerperas, ut cum primum, poſt
partum, domum exierint, mox ad Eccleſiam Deo gra-
tias acturæ accedant, ubi Benedictionem a Parocho ſu-
ſcipiant.

6 Conſuetudinem hanc antiquæ originis eſſe in Eccleſia,
teſtatur Quart. *de Benedictionibus, num.* 298. *ſect.* 12.
Prælud. 1. afferens *c. unicum, de Purific. poſt Partum,
& diſt.* 5. *c. ſi mulier*. A Lege veteri antiqui Teſta-
7 menti originem trahere ſatis patet ex *Levitico, cap.* 12.
ubi præcipitur, ne Mulieres poſt Partum Templum in-
grediantur, niſi præmiſſa Purificatione.

8 Hinc legem implere voluit Maria Virgo Dei Geni-
trix Immaculata non ex obligatione, quia legi non erat
ſubjecta, ſed ut ſuam eximiam puritatem, & humilita-
tem oſtenderet. Idem a Mulieribus Chriſtianis hoc idem
fit ad devotionem, & imitationem Dei Genitricis Ma-
riæ, quæ nulla legis obligatione arctata ſponte acceſſit
ad Templum, quadrageſimo die a ſuo Divino Partu.
Hinc eſt quod etiam poſt quadrageſimum diem ſolent
9 Puerperæ accedere ad hanc Benedictionem. Quod ſi ci-
10 tius a purgatione Partus expediantur, poſſunt anticipa-
re hunc acceſſum, vel poſticipare ad libitum, quod etiam
11 laudabile erit, ne videantur tam rigoroſe hebraicæ legi
adhærere, quæ idem a Maria Virgine ſtricte imitata fuit,
quia tunc lex illa non erat omnino abrogata: incipiebat
enim infirmari, & periit tota in Cruce Chriſti Redemptoris.

12 Benedictio hæc habet ſuam materiam, & ſuam for-
mulam, Quartus, *ibid.* Materia, ſeu ſubjectum, eſt
Mulier poſt Partum: Formula eſt illa, quæ præſcribitur
13 in Rituali cum Pſalmis, & Orationibus. Tandem fina-
lis cauſa eſt gratiarum actio pro fœcunditate a Deo Mu-
lieri tradita, & pro felici ejus Parto habita, quatenus
talis fuerit.

14 Nonnulla autem circa hunc Ritum quæri poſſunt, &
primo: An Puerpera ipſa ſola accedere debeat ad hanc
Benedictionem, vel ſecum geſtare Prolem ſuam recen-
ter editam? Circa quod videtur, Quartum *dict. loc.* de-
clarare favore Prolis, dum dicit ſubjectum Benedictionis
eſſe Mulierem cum Prole recenter edita, Corſettus etiam
tr. 2. *p.* 2. *cap.* 8. *ſect.* 2. *num.* 8. aſſerit, deferendam
eſſe Prolem ad Eccleſiam, ut pro ea preces ad Domi-
num fundantur, & confirmatur a Caſtald. *Prax. l.* 2.
ſect. 14. *c.* 9. *n.* 11.

Inſuper ſi hoc fit ad imitationem B. Mariæ Virginis,
certum eſt, quod ex S. Luca 2. habemus, eam obtuliſſe
Puerum Jeſum, & Simeonem illum accepiſſe in ulnas ſuas.

Nihilominus conſuetudo invaluit, ut ſolæ Puerperæ
abſque Prole accederent ad Templum, quia vere hæc
15 Benedictio ab Eccleſia inſtituta fuit ad benedicendas
Puerperas, non vero earum Prolem. Et de facto in Pre-
cibus & Orationibus ad hanc Benedictionem adhibitis,
ſemper mentio fit de Matre, nuſquam vero de Filio,
& Benedictiones ſupra illam cadunt, non ſuper Prolem.
Factum quoque fortaſſe hoc fuit ad effugiendum incom-
modum, & periculum deferendi, & exponendi Puerum
noviter natum, aeris detrimento. Inſuper, cum ſæpe de-
tur, quod Pueri vix nati moriantur, Matri negaretur
iſte ſpiritualis fructus, ſi ad Templum accedere non
poſſet niſi cum nova Prole.

Et quoniam de fructu ſpirituali loquutum eſt, videan- 16
tur omnes iſti fructus late explicati a Quarto, *d. l. Præ-
lud.* 2. *n.* 299.

Secundo: An Mulieres poſt Partum poſſint libere ac- 17
cedere ad Eccleſiam, abſque prævia hac Benedictione?
Cui reſpondeo: poſſe ingredi ad inſtar aliarum, quia
nuſquam præcipitur oppoſitum, Sanchez *de Matrim. l.* 9.
diſp. 22. *n.* 8. Quart. *d. l. n.* 301. *diſp.* 1. *Prælud.* 3.

Tertio: An iſta Benedictio fieri debeat in ſola Ec- 18
cleſia Parochiali, & an a ſolo Parocho? Videtur, quod
cum hæc Benedictio ſit quid conſequens ad contractum
Matrimonii, & Matrimonium non poſſit celebrari, niſi
in Eccleſia Parochiali ab ipſo Parocho, vel ab alio Sa-
cerdote, de ejus licentia, hæc quoque Benedictio non
ſit impertienda, niſi in Eccleſia Parochiali, & a proprio
Parocho: Et hæc eſt ſententia multis rationibus, & fun-
damentis comprobata a Pignatell. *T.* 5. *conſ.* 76. Sed
Quart. *d. l. dub.* 2. *num.* 302. tenet opinionem contra-
riam, nempe quod iſta Benedictio dari poſſit in quavis
Eccleſia, & a quovis Sacerdote ſive Sæculari, ſive Re- 20
gulari, quia cum ſit meri conſilii, & devotionis, ſicuti
poteſt Puerpera libere ipſam Benedictionem vel ſuſcipe-
re, vel negligere: ita etiam poteſt pro ea ſuſcipienda,
eligere tum Eccleſiam, tum Sacerdotem ad ſuum libi-
tum, atque ita fuiſſe deciſum a S. C. refert Lezana *qq.
RR. T.* 1. *c.* 52. *n.* 41. *& T.* 2. *verbo Benedicere, n.* 17.
Diſparitas enim inter Benedictionem Sponſorum, & Be-
nedictionem puerperæ eſt, quod prima cadit ſub præce-
pto, & aliquo modo eſt connexa ſolemnitati Matrimo-
nii: ſecus vero Benedictio puerperæ.

Hoc non obſtante circa hanc Benedictionem aliud 21
oraculum habemus a S. C. R. *in Urbis, & Orbis* 10.
Decembris 1703. in qua reſolvitur quidem hanc Benedi-
ctionem non eſſe de juribus mere parochialibus, ſed
ſtatim in eadem reſolutione ſubjungitur illam fieri
debere a Parochis, ut videre eſt apud Monacell. *in
Formul. t.* 2. *f.* 11. & concordant adducti per Gannen.
Prax. c. 70. *num.* 13. & per Emm. Lambertini in libro
Inſtructionum *ſ.* 50.

Stola in hoc caſu, & pro hac Benedictione, debet 22
eſſe Albi coloris, quia cadit ſub eodem Ritu, ac Purifi-
catio Beatæ Mariæ Virginis, pro qua utitur Eccleſia
Paramentis Albi coloris.

Genuflexio ad limina Eccleſiæ fit, ut clara pateat hu- 23
militas petentis, quæ ex ſe declarat, non eſſe dignam,
ut ingrediatur, cum adhuc impuram ſe confiteatur; At-
que propter hoc Sacerdotem expectat, qui eam ſuſcipiat.
Ex hoc venit non eſſe approbandum morem illarum Fœ-
minarum, quæ erubeſcunt ſe ſiſtere ad fores Eccleſiæ;
& ad Sacriſtiæ portiunculam ſe conferunt, ut ex illa ſu- 24
ſcipiantur: hoc enim Rubricæ opponitur, quæ dicit: *ad
fores Eccleſiæ*, non *ad Sacriſtiam*. Quandocumque enim
compleri vult iſte actus liber, debet totaliter fieri ad
normam præſcriptam, & omnis erubeſcentia arceri in re
tam ſancta.

Candela, quæ defertur accenſa a Puerpera, eſt quia 25
Benedictionem non meretur niſi, qui timet Dominum,
& mandatis ejus obtemperans, lucis exempla common-
ſtrat, unde in Pſalm. 127. habetur: *Ecce benedicetur Ho-
mo qui timet Dominum; & videas Filios Filiorum tuo-
rum, &c.* Vel etiam in memoriam, & reverentiam Bea-
tæ Mariæ Virginis, quæ cum Proceſſione Candelarum,
& cum luminibus accenſis ab Eccleſia colitur, Quart.
de Benediction. l. 3. *ſect.* 12. *prælud.* 2. *num.* 290. Qui 26
etiam ait, *lib.* 2. *præl.* 7. *dub.* 2. *n.* 302. non poſſe Pa-
rochum ſibi poſtulare, & uſurpare Candelas, aut alia,
quæ occaſione Benedictionis prædictæ, a Mulieribus
Puerperis Eccleſiis non parochialibus, etiam Regula-
rium repræſentantur; ſed ea pertinere ad ipſos Sacer-
dotes,

dotes, vel Regulares, ut eam de la Crux, & aliis, probat Leander *de Præceptis Eccleſiæ*, *Tract.* 6. *diſp.* 10. *q.* 20. ubi affert declarationem Sacr. Congr. ſuper hoc favore Regularium.

27 Per verba illa Quarti, *d. l. aut alia*: intelligi videntur quædam oblationes, ſeu Buccellata, & dulciaria, quæ tamquam pro Eleemoſyna, & munere, ſponte a Puerperis offeruntur Sacerdoti illi, qui incommodum habet recipiendi illas in Eccleſia: quod licet expreſſe ab Eccleſia vetitum non ſit, attamen aliquo modo poteſt cadere ſub prohibitione primi Tituli generalis hujus Ritualis, §. 23., ubi monentur Parochi, ne in Sacramentorum adminiſtratione, aliquid, quavis de cauſa, vel occaſione, directe, vel indirecte exigant, &c. Hæc tamen Benedictio non eſt Sacramentum, ſed Sacramentale, & pro conſuetudine locorum, poteſt tolerari oblatio illarum rerum.

Quoad aſperſionem cum Aqua Benedicta faciendam: 28 cum illa Benedictio fiat ad mundandum, & purificandum, ideo bene ſtat illa aſperſio cum Verſiculo: *Aſperges me Domine*, *& mundabor*, *&c.*

§. II. Deinde porrigens ad manum Mulieris extremam partem ſtolæ, eam introducit in Eccleſiam, dicens: *Ingredere*, *&c.*

29 Iſta porrectio ſtolæ fit ad tutandam Fœminam ingredientem ab omni Diabolico incurſu, & ad faciendam illi partem rei ſacræ, de qua agitur, eodem modo quo fit in Miniſtratione Sacramenti Baptiſmi. Vide quæ dicto loco diximus *De Ordine Baptiſmi Parvulorum*, §. 10.
30 & etiam in *Baptiſmo Adultorum*, §. 23, ubi advertendum, quod ſiniſtra pars Stolæ Sacerdotalis ea eſſe debet, quæ porrigatur, ita & taliter, ut faciliter a manu dextera Mulieris ingredientis accipi poſſit, & hoc pacto intrare, & progredi in Eccleſiam ſtans ad ſiniſtram Sacerdotis illam ſuſcipientis, cui locus dignior convenit.

§. III. Et ipſa ingreſſa genuflectit coram Altari, & orat, gratias agens Deo de beneficiis ſibi collatis, & Sacerdos dicit, *Kyrie eleiſon*, *&c.*

31 Mulier genuflectit, & Sacerdos ſtat. Illa orat; & hic Preces a Rituali aſſignatas recitat.

32 Altare, ante quod ſiſtere debeat Fœmina, regulariter eſſe poteſt illud, in quo aſſervatur Sanctiſſima Euchariſtia in Tabernaculo, quia ibi vere ſub ſpeciebus Sacramentalibus exiſtit Filius Dei natus ex Maria Virgine, & ita bene diriguntur verba illa Ritualis: *Adora Filium Beatæ Mariæ Virginis*, *&c.* Nihilominus iſta verba non adeo ſtricte intelligenda ſunt, ut prohibeatur ne accedat ad Altare Beatæ Mariæ Virginis, quatenus adſit in illa Eccleſia.

Oratio facienda a Muliere perdurare debet ad ſui libitum, nec opus eſt, ut Sacerdos expectet finem illius: 33 ſed procedere debet cum præſcriptis precibus; quibus finitis, eam ad Altare orantem relinquere poteſt.

§. IV. Deinde illam aſpergit iterum Aqua benedicta, in modum Crucis, dicens: *Pax*, *& Benedictio*, *&c.*

34 Nova aſperſio fit pro terminatione actus, qua plene purificata remaneat Mulier in Anima ſua; de effectibus Aquæ Benedictæ multoties diximus, & iterum ſuo loco, dicemus, Titulo XLV.

35 Remanet, ut de Pſalmo: *Domini eſt Terra*, *& plenitudo ejus*, *&c.* aſſignato pro hac Benedictione aliquid dicam. Iſte Pſalmus in ordine Pſalterii Davidici eſt 23. & nuncupatur *Pſalmus Aſcenſionis Dominicæ*, quia in illo habetur ſpecioſe mentio de Aſcenſione Filii Dei, Bellarm. *in Pſal.* 23. Ad Benedictionem iſtam pertinent illa verba in hoc Pſalmo: *Quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus*, *& mundo corde. Hic accipiet Benedictionem a Domino*. Atque ideo aſſignatur recitandus in illa Benedictione.

DE BENEDICTIONIBUS REGULÆ GENERALES,

TITULUS QUADRAGESIMUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

1 *Errores in adminiſtratione Sacramentalium, & Sacramentorum proveniunt ob ignorantia rerum ſignificatarum.*
2 *Benedicere quid ſignificet?*
3 *Eulogia quid ſit?*
4 *Eccleſia fuit inſtitutrix Benedictionum.*
5 *Benedictionum inſtitutio tribuenda Apoſtolis.*
6 *Benedictiones noviſſime inſtituta ab Eccleſia.*
7 *Benedictionum ſignificationes multæ ſunt.*
8 *Benedictionum effectus ſunt quinque.*
9 *Benedictiones aliæ uſurpandæ non ſunt, niſi quæ præſcribuntur a Miſſali, & Rituali Romano.*
10 *Benedictiones falſæ multæ circumferuntur.*
11 *Crux in omnibus Benedictionibus apparet.*
12 *Crux non facienda circulariter, ſed in figura quadrangulari.*
13 *Cruces in modum circuli ſunt ſuperſtitioſa.*
14 *Manus in benedicendo debet eſſe aperta, non autem clauſa.*
15 *Eccleſia fuit ſemper ſollicita pro filiis ſuis.*
16 *Sacerdotibus in conſecratione traditur poteſtas benedicendi.*
17 *Benedictionum myſteria ſunt explicanda Populo.*
18 *Benedictiones aliæ ad Epiſcopos, aliæ ad Sacerdotes ſpectant.*
19 *Benedictiones neque validæ, neque licitæ ſunt, niſi ab eo, qui habeat facultatem illas faciendi.*
20 *Benedictiones verbales, & ſimplices pertinent ad Sacerdotes.*
21 *Benedictiones aliæ pertinent de jure, aliæ ex delegatione.*
22 *Epiſcopus in omnibus Benedictionibus non poteſt delegare.*
23 *Regulæ generales pro dignoſcendis Benedictionibus quæ ſpectant ad Epiſcopos, & ad Sacerdotes.*
24 *Benedictiones exiſtentes in Miſſali poſſunt fieri a Sacerdotibus.*
25 *Benedictiones exiſtentes in Rituali poſſunt fieri a Parochis.*
26 *Benedictiones facienda a Sacerdote per delegationem Epiſcopi.*
27 *Benedicens ſine facultate peccat mortaliter, & fit irregularis.*
28 *Benedictiones intra Miſſam faciendæ cum caſula.*
29 *Benedictiones extra Miſſam cum ſuperpelliceo, & Stola facienda.*
30 *Sacerdos quare cum benedicit, ſtet?*
31 *Stare eſt Juſtorum.*
32 *Sacerdos benedicens caput habere debet apertum.*
33 Adjutorium noſtrum, &c. *Initium omnium Benedictionum.*
34 *Orationes præſcriptæ omnes recitari debent.*
35 *Orationes novæ non debent efformari.*
36 *Si verba Eccleſiæ tranſmutentur, nulla eſt Benedictio.*
37 *Quot modis Benedictio deſtruatur?*
38 *In Benedictionibus ſemper Aqua benedicta habet locum.*
39 *Utrum requiratur tactus phyſicus Aquæ Benedictæ?*
40 *Moraliter impoſſibile eſt, ut Aqua aſperſio omnes res tangat benedicendas.*
41 *Res benedicta donec perduret Benedictio, non ſacra eſt.*
42 *Res benedictæ thurificantur ob venerationem.*
43 *Non in omnibus Benedictionibus fit thurificatio.*
44 *Thurificationis ſignificationes.*
45 *Cur non omnes res benedictæ thurificentur?*
46 *Tempore Aſperſionis, & Thurificationis nihil dicit Sacerdos.*
47 *Ante Benedictionem omnia neceſſaria paranda.*
48 *Res paranda pro Benedictione enumerantur.*
49 *Rituale Romanum eſt commodius Miſſali pro Benedictionibus.*

Comment. ad Ritualis.

50 *Miſſale, & Rituale ſunt fontes Benedictionum.*
51 *Alii libercul Benedictionum ſunt periculoſi.*
52 *Altare non eſt onerandum rebus non ſacris, occaſione Benedictionis.*
53 *Eſculenta non ponenda ſuper Altare.*
54 *Nec Veſtes, nec Lapides, nec Campanæ, nec alia benedicenda.*
55 *Menſa debet eſſe parata pro his prope Altare.*

ORIGINES, & ſignificationes Benedictionum explicandæ veniunt, antequam ad particulares Benedi-
ctiones deveniatur: quæ ſignificationes perutiles erunt
1 Sacris Miniſtris; nam ita bene gerent omnia, ſi bene no-
verint ſignificationes, & myſteria rei regendæ: Errores
enim, & omiſſiones in adminiſtrandis Sacramentis, &
Sacramentalibus plerumque proveniunt ab ignorantia il-
larum rerum, quæ ab iiſdem ſignificantur, quæ vere
grandes ſunt, & ſi attente, & plene animadverteren-
tur, majorem in Miniſtro gignerent venerationem.
2 Benedicere igitur, ſeu bene alicui dicere, ſecundum
proprietates latini ſermonis, idem eſt quod bene de illo
loqui: In ſcripturis vero Benedicere varia ſignificat, prout
variis Perſonis, & cum reſpectu ad res varias tribuitur:
nam Hominem Benedicere Deo, idem eſt ac laudare Deum,
& ei gratias agere, Sarnell, *Ep. Eccl, t. 7. Ep.* 58. E adverſo,
Deum Benedicere Homini, vel rebus creatis, ni-
hil aliud eſt, quam ipſis aliquid Boni tribuere, aut virtu-
tem in illis inducere, Sic Deus, *Geneſ,* 1. omnibus Ani-
malibus benedixit dando illis vim creſcendi: Hominem vero
Benedicere aliis creaturis idem eſt, ac aliquid boni iis adpre-
cari, aut futurum prædicere, ut patet ex Benedictione
Iſaac, & Jacob reſpecte Filiorum, *Geneſ,* 27. & 49. &
Coninck *de Sacramentis*, *q.* 78. *art.* 1. *dub.* 2. *n.* 13.
3 Per alios Authores idem ſignificabat *Eulogia*, ac Bene-
dictio, ſeu munuſcula benedicta, quæ in ſignum Commu-
nionis Catholicæ ad invicem accipiebant, Clericat, *de Eu-
chariſt, dec.* 9 *caſ.* 2. *n.* 20.
Quo vero ad Authores Benedictionum, ſeu aliarum Cæ-
remoniarum, & Sacramentalium, quæ ſunt extra ſub-
ſtantiam Sacramenti, debet dici, quod omnium Inſtitutrix
4 fuerit Eccleſia. Nomine hujus Eccleſiæ veniunt Apoſtoli,
& Apoſtolorum ſucceſſores, nempe Summi Pontifices, &
Epiſcopi, ut ex Conciliis, & Patribus fuſe probat Suarez
T. 3. *in* 3. *part. diſp.* 16. *ſect.* 1. Unde quando Benedi-
ctiones ſunt antiquæ, nec de earum origine, & principio
conſtat, tunc juxta regulam communiter acceptam ex S.
5 Auguſt. *l.* 4. *de Baptiſmo, contra Donatiſtas*, earum inſtitu-
tio tribuenda eſt immediate Apoſtolis. Verba Sancti Do-
ctoris ſunt: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec eſt a Con-
ciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authori-
tate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*, Quando vero
recentiores ſunt, & approbatæ, tunc dicendum eſt,
6 quod eas Eccleſia inſtituerit: cui Eccleſiæ certum eſt,
collatam fuiſſe hanc poteſtatem a Chriſto, nempe, ut in
diſpenſatione Sacramentorum, ſalva eorum ſubſtantia,
ea ſtatueret, quæ vel Sacramentorum venerationi, vel
utilitati Fidelium magis expedire judicaret; atque hoc ex-
preſſe habetur ex Trident. *ſeſſ.* 21. *c.* 2. Sed Benedictio-
nes ad divinum cultum, & utilitatem Fidelium inſer-
viunt; ergo ab Eccleſia ſunt inſtitutæ, prout late probat
Quartus *d. l. n.* 25.
Significationes vero Benedictionum non minoris nume-
7 ri ſunt quam *ipſæ* Benedictiones; unaquæque enim illa-
rum id ſignificat, atque pro myſterio habet, ad quod
inſtituta eſt: quare non poteſt hic aſſignari ulla præcipua
illarum ſignificatio, niſi de ſingulis ſermo habeatur. Hinc
eſt, quod dum de ſingulis earum tractabimus, illarum
ſignificationem exponemus. Omnes certe ſignificationes,
vel ad Sacramentorum venerationem, ut diximus, vel ad
Fidelium utilitatem diriguntur, cum quinque eſſignentur
præcipui effectus Benedictionis. Primus eſt, remiſſio pec- 8
catorum venialium: Secundus collatio gratiarum excitan-
tium, ſeu prævenientium: Tertius remiſſio pœnarum:
Quartus, expulſio, vel compreſſio Dæmonum: Quintus
demum operatio ſanitatum, & ſimilium donorum tempo-
ralium, ut cum Quart. *d. l. ſect.* 5. *dub.* 2. *n.* 47. commu-
niter tradunt Doctores de Sacramentalibus tractantes.
Quare, ut ad hunc finem directe perveniant illæ Be- 9
nedictiones, admonet Corſett. *d. Tr.* 1. *p.* 2. *c.* 14. *in add.*
quod Sacerdotibus omni ratione cavendum eſt, ne alias
Benedictionis formas, ritus, aut cæremonias uſurpent,
quam quæ in libris Eccleſiaſticis, nempe Pontificali, Miſſali,
& Rituali Romano continentur, circumferuntur enim, ut 10
ipſe deplorat, non paucæ a ſuperſtitioſis, & maleficis ho-
minibus compoſitæ, & arte Dæmonum excogitatæ Bene-
dictiones, quæ ut latens venenum non ſatis produnt,
& ita multos incautos decipiunt, & in impietatem, præ-
texta devotionis, aut remedii neceſſarii facile pertrahunt;
neque ad alios fines quocumque prætextu detorqueri
debent, quam ad quos ab Eccleſia Dei inſtitutæ ſunt;
Jac. Eveillon. *Tract. de Proceſſ. Eccleſ. cap.* 31. *t. de
Benedictionibus Eccleſiaſticis*.
In omnibus fere Benedictionibus triumphale Crucis ſi- 11
gnum appares, ſive manu fiat, ſive aſperſione Aquæ Be-
nedictæ. Hoc ſignum, ut notat Corſett. *ibid. n.* 2. non
debet fieri per modum circuli, quemadmodum nonnulli 12
faciunt, ſed debet exprimi in figura quadrangulari, quia
efformando per modum circuli, ſignum Dæmonis eſſet.
Dextera ergo ſurſum porrecta, inde quaſi recta ducitur 13
linea deorſum, & tranſverſalis altera extenditur a ſini-
ſtro ad dextrum latus, & exinde perfecte fit ſignum Cru-
cis ſuper quamcumque rem: ubi advertendum eſt, ma-
num in Benedictionibus, ſeu in benedicendo ſemper aper- 14
tam eſſe debere, non autem inflexam, juxta reſponſum
Sacr. R. C. *in una Albiganen.* 24. *Julii* 1683. allegata a
Sarnellio, *Ep. Eccl. T.* 4. *ep.* 9. *n.* 13. Quæſitum fuit -- *Utrum
celebrans, alios, vel rem aliquam benedicens, debeat ma-
num ſemper extenſam tenere, aut illam inflectere?* Reſpond.
*In Benedictionibus congruentes juxta Rubricas, & Ritum,
videtur modus benedicendi manu recta, & digitis ſimul
junctis, & extenſis.*
Hæc itaque ſigna adamuſſim fieri maxime intereſt, ad 15
hoc ut ſuum ſortiantur effectum, Leon. *Prax. Archiep.
p.* 1. *cap.* 6. *num.* 29. *in fine*. Sollicita namque fuit
Eccleſia pro cheriſſimorum filiorum ſuorum tam vivorum,
quam Defunctorum benedictione, & ſanctificatione: non
enim ſola Sanctiſſima Sacramenta a Chriſto Domino Spon-
ſa ſua accepit, ſed varias Orationes longa efficaciſſimas
ordinavit.
Itemque advertas, humani generis hoſtem Diabolum,
hominum ſpirituali, & corporali ſaluti, etiam in rebus
creatis eorum uſui neceſſariis, identidem inſidiari, diver-
ſos exorciſmos, precationes, & benedictiones Sacerdo-
tales præſcripſit ad omnem infeſtiſſimi inimici poteſta-
tem eradicandam, ſalutemque populorum, in quiete,
& felici ſtatu tuendam, & conſervandam. Unde in Sa- 16
cerdotum Conſecratione, Spiritu Sancto dictante, fieri
cernimus, quod dum eorum manus Sacro Chriſmate
ab Epiſcopo inunguntur, poteſtas traditur, & confer-
tur, ut quidquid benedixerint, benedicatur, & quidquid
conſecraverint, conſecretur, & ſanctificetur, *Sacerdotal.
Brixin. diſt.* 10. *de diverſis Benedictionibus, p.* 368.
Quarum omnium Benedictionum myſteria, & ſignifi-
cationes decrevit S. Carolus, *Act. p.* 1. *Conc. Prov.* 2. *tit.* 17
1. *decr.* 7. ut ab Epiſcopis explicarentur Populo in actu ſole-
mniter alicujus rei benedicendæ, ut magis Fideles ad Di-
vinarum rerum cultum excitentur; quod & a Parochis inſi-
nuat faciendum, *Act. p.* 4. *Inſtruct. Prædic. Verbi Dei*, non
enim ſemper Epiſcopi verbo prædicare valent.

§. I. Noverit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipſum, & quæ ad Epiſcopum ſuo jure pertineant, ne majoris dignitatis munera temere, aut imperite umquam uſurpet propria auctoritate.

18 Opus eſt itaque, ut Sacerdos, authoritatem, & pote-
ſtatem ſuam bene noſcat, ne ſe extendat ultra munus
ſibi commiſſum: quælibet namque Benedictio non poteſt
neque valide, neque licite fieri niſi ab eo, qui ad tale
19 munus deſignatur ab Eccleſia, Quart. *ſect.* 4. *dub.* 2. *n.*
27. Ex deſignatione autem Eccleſiæ, aliquæ Benedictio-
nes pertinent ad ſimplices Sacerdotes, aliquæ ad ſolos
Epiſcopos, aliæ demum ad Summum Pontificem.
20 Ad Sacerdotes Epiſcopo inferiores pertinent Benedi-
ctiones ſolum verbales, ſeu ſimplices, in quibus non in-
tervenit unctio Chriſmatis, vel Sacri Olei. Inter iſtas
21 vero nonnullæ ſunt, quæ ipſi Sacerdoti pertinent de ju-
re, & ratione Ordinis, aliæ quæ poſſunt ab eo conferri
virtute delegationis factæ ab Epiſcopo; cum ſint etiam
nonnullæ verbales, & ſimplices, quæ ſoli Epiſcopo perti-
nent, ſed poſſunt ab eo delegari ſimplici Sacerdoti. Di-
xi, nonnullæ, quoniam non in omnibus Benedictionibus
22 habet poteſtatem Epiſcopus delegandi, ſed in iis tantum,
in quibus non intervenit unctio Chriſmatis, vel ſunt ma-
teria alicujus Sacramenti, cujuſmodi ſunt Benedictio
Chriſmatis, & Olei infirmorum, aliaque in Pontificali
enumerata.
Ad hoc vero ut clare pateat vel Parocho, vel ſimpli- 23
ci Sacerdoti, quænam Benedictiones ſibi competant, quæ-
nam Epiſcopo; & in quibuſnam neceſſaria ſit Epiſcopi
diſpenſatio, ponit regulam generalem Clericat. *de Sa-
crament. Euchariſt. deciſ.* 8. *caſ.* 1. *numer.* 45. dicens;
Quod Benedictiones exiſtentes in Miſſali poſſunt fieri a
quocumque Sacerdote, citra præjudicium jurium Paro- 24
chialium: Quæ vero ſunt in Rituali, a ſolo Parocho ſunt
faciendæ. Sed clarius procedit ipſum Rituale Roma- 25
num, dum per primum ponit Benedictiones ad Parochos,
ſeu Sacerdotes pertinent: poſt hæc identidem diſtribuit,
& enumerat Benedictiones ab Epiſcopis, vel aliis facul-
tatem habentibus faciendas. Ergo in his ſecundis de-
bet Parochus, ſeu Sacerdos animadvertere, & bene
digno-

26 dignoſcere quæ ſibi non pertinere poſſunt, niſi præmiſ-
ſa delegatione ab Epiſcopo facienda. Cuncta itaque cu-
ra Parochi, vel Sacerdotis debet eſſe in practico quo-
dam, & diligenti examine Rubricarum Ritualis, qua-
rum leges ſequendo errare non poterit ex imperi-
tia, ſed tantum ex temeritate, ſi nolit ea facere,
quæ ibi præſcribuntur.
Quod ſi temere, & ſcienter, & tamquam ex Officio 27
quis uſurpare vellet ſibi authoritatem benedicendi, com-
petentem ſoli Epiſcopo, & ſuperiori, peccaret mortali-
ter, & efficeretur irregularis, Quart. *titul.* 2. *dub.* 10.
num. 44.

§. II. In omni Benedictione extra Miſſam, Sacerdos ſaltem ſuperpelliceo, & ſtola pro ratione temporis utatur, niſi aliter in Miſſali notetur.

28 Notanda ſunt illa verba *extra Miſſam*, quia Benedi-
ctiones, quæ intra Miſſam fiunt, aliam veſtem non e-
xigunt, niſi illam, quæ Miſſæ convenit, nempe caſu-
lam, &c. Cæterum in Benedictionibus extra Miſſam,
ſemper ſuperpelliceo, & Stola uti debet Sacerdos, ut 29
jam dictum eſt *Tit.* 1. §. 7. Vide ibi rationes, & ſi-
gnificationes, & Gavant. *de Rubr. Benedict. p.* 4. t. 19.
nu. 3.

§. III. Stando ſemper benedicat, & aperto capite.

30 Idem affirmat Gavant. *d. l.* n. 4. ſed ibi rationem non
aſſignat, quæ tamen eruitur ex ab eo dictis *ad Rubr.*
31 *Miſſ. p.* 2. *t.* 5. nempe, quod ſtare, Juſtorum eſt: Genua
flectere, Peccatorum. Atqui in hoc loco Sacerdos Per-
ſonam, & figuram Juſti repræſentat, cum per Benedi-
ctionem tribuat juſtificationem, & Sanctificationem, re-
bus ab eo benedictis: Ergo ſtare debet ad inſtar Juſti.
Inſuper apertum, ſive detectum habere debet caput.
Itaque Papa, *cap. Nullus, de conſecrat. diſtinct.* 1. juſ- 32
ſit, ne velato capite Sacerdotes adſtarent Altari: Et
quamvis non omnes Benedictiones fiant ad Altare, at-
tamen in loco Sacro, ut plurimum, ex regula genera-
li, ſolent fieri, cui loco, & miniſterio convenit maxi-
ma reverentia.

§. IV. In Principio cujuſcumque Benedictionis dicat ℣. *Adjutorium noſtrum, &c.* Deinde dicatur Oratio propria, una, vel plures, prout ſuo loco notatum fuerit.

33 Cum Benedictio quævis a Deo proveniat, qui Author,
& largitor omnium Bonorum eſt, juxta illud: *Invoca-
bunt nomen meum ſuper Filios Iſrael, & ego benedicam
eis*, Num 6. 27. ideo in principio cujuſcumque Benedictio-
nis, ejus auxilium imploratur, ut adſtantium mentes
eleventur ad meditandum Deum, qui in illo actu, per
Sacerdotem Miniſtrum ſuum Benedictionem largitur.
34 Quo vero ad Orationes præſcriptas, omnes, & ſingu-
læ recitari debent, nec una omitti, nec nova efformari
magis apta ad rem benedicendam, nec demum abbre-
vianda, ſeu amplianda, nec transferenda. Sunt enim O-
35 rationes de eſſentia, ac neceſſitate ad valorem Benedi-
ctionis; ideoque ſi omitterentur, vel ſi aliquo modo de-
formarentur, male ageret Sacerdos; recedendo ab uſu
Eccleſiæ, & a verbis communiter adhiberi ſolitis: Imo
ſi mutatio fieret in alia verba diverſæ ſignificationis, &
tante fieret, ut principalis ſignificatio ab Eccleſia inten- 36
ta non haberetur, nulla eſſet Benedictio talis, eo quia
cum tota vis Benedictionis in applicatione ſignificationis
conſiſtat, conſequens eſt, ut deſtructa ſignificatione de-
ſtruatur etiam Benedictio, quod fieri poteſt, vel omiſ-
ſione, vel additione, vel mutatione, vel demum detra- 37
ctione: & ſi hoc malitioſe ageret Sacerdos, graviter pec-
caret, ut notat Quart. *ſect.* 3. *dub* 2. n. 20. & *ſect.* 4.
dub. 10. *n.* 45. cum variis DD. magna enim advertentia
iſtæ Orationes elaboratæ ſunt ab Eccleſia, & a locis Sa-
cræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum extractæ, ut id
ſignificent, cui ab Eccleſia applicantur.

§. V. Poſtea rem aſpergat Aqua benedicta, & ubi notatum fuerit, pariter incenſet, nihil dicendo.

38 In omni Benedictione, vel paucis certa exceptis, A-
qua benedicta habet ſuum locum, ob illas magnas, &
innumerabiles virtutes, de quibus dicemus in ſequenti-
bus Titulis; concurrit enim ut cauſa ad illas, quia dum
res aſperguntur, ſanctificantur, Quart. *d. tit.* 3. *ſect.* 1.
de Bened. ſimpl. nu. 203. Utrum vero ad conſequendos
39 effectus Aquæ Benedictæ, ſequiratur ejuſdem contactus
phyſicus, vel ſufficiat moralis? Reſpondet idem
Quart. *d. l. dub.* 7. *n.* 213. ſufficere contactum mora-
lem, quoties aſperſio Aquæ acceptatur a Perſonis, ſu-
per quibus dirigitur, exempli gratia, ſigno aliquo incli-
nationis, vel ſimili geſtu: Vel ſi fiat aſperſio ſuper re-
40 bus inſenſibilibus, quoties intentio Aſpergentis ad eas
dirigitur, quamvis Aqua non pertingat phyſice ad illas:
impoſſibile enim moraliter eſt, ut aſperſio ſemper phy-
ſice omnes res tangat, ſuper quibus fit: alioquin vana,
& fruſtranea eſſet ſæpiſſime iſta aſperſio.
41 Statim vero ac res una benedicta eſt, donec perdu-
ret Benedictio, ſacra eſt, & meretur thurificari ob ve-
42 nerationem. Non omnes vero res benedictæ thurificari
43 ſolent, ſed illæ tantum, quæ a Rituali præſcribuntur.
Multæ ſunt ejus ſignificationes, & myſteria a Quar-
to enumerata *d. t.* 2. *Prælud.* 2. n. 111. Sed præcipue
fit ad expellendos, & fugandos Dæmones, prout probat 44
Innoc. III. *de Myſt. Miſſæ*, *l.* 2. *cap.* 17. & exprimitur
in Benedictione quinque Granorum incenſi, his verbis:
*Expulſa Diabolica fraudis nequitia, virtus tua majeſtatis
aſſiſtat.*
Cur vero in aliquibus Benedictionibus præſcribatur ab 45
Eccleſia Incenſatio, & in aliis non, erit fortaſſe pro
majori ſolemnitate. Hoc tamen pro certo habendum
eſt, in illis omnibus Benedictionibus, quæ in noſtro
Rituali Romano deſcribuntur, nuſquam præſcriptam eſ-
ſe Incenſationem, ſive ſit Benedictio Sacerdotalis, ſive
ſit Epiſcopalis. Unice legimus incenſari debere novum
Tumulum in ejuſdem prima Benedictione, pro quo vi-
de quæ in illo loco diximus *Titulo de Exeq.* §. 15.
Dum fit Aſperſio, & Incenſatio nihil dicit Sacerdos 46
benedicens, quia preces jam abſolutæ ſunt, & Oratio
impetratoria expleta: eſtque hoc tamquam complemen-
tum Ritus, nullaque major additur ſignificatio, quæ
jam per Preces, & Orationes expreſſa non fuerit, ni-
hilque aliud eſt impetrandum.

§. VI. Cum Sacerdos aliquid benedicturus eſt, habeat Miniſtrum cum vaſe Aquæ benedictæ, & Aſpergillo, & cum hoc Rituali libro, ſeu Miſſali.

47 Optimum eſt conſilium circa hoc, quod a Sacerdotali
Brixinenſi habemus *diſt.* 10. *de diverſis Benedictionibus*,
pag. 370. *ad notan.* Inquit enim -- *Porro Sacerdotes ge-
neraliter monitos volumus, ne ad Sacras Benedictiones
imparati accedant; ſed agenda pridie ſtudioſe revideant,
neceſſaria præparent, ac cum Miniſtris circa Cæremonias
tempeſtive concordent: ne in ipſo actu confuſione oriri ne-
ceſſe ſit. Quibus autem in Eccleſiis Miniſtrorum nume-
rus, juxta præſcriptum, vel cantus, vel alia adhiberi
non poſſunt, Sacerdos ſolus faciat quod poteſt: nihil ta-
men in ſubſtantialibus omittendo, immutando, addendo,
aut detrahendo: etſi quæ cantari nequeunt, clara, & in-
telligibili voce, ita diſtincte, lente, ac graviter legantur,
ut ab omnibus facile percipiantur.*
In hoc conſilio habet Sacerdos benedicturus totam ſe-
riem rerum a ſe advertendarum, tum ante Benedictio-
nem, tum in actu ipſius Benedictionis, unde aliquid
aliud addere ſupervacaneum eſt. Unice dicam debere
ſecum in Benedictionibus habere hunc Librum Ritua-
lem, ſeu Miſſale, quia in ambobus illis Sacris volumi-
nibus Benedictiones legitime cum proprio Ritu deſcri-
buntur. Gavantus vero de *Benedict.* 19. addit, Miſſale
eſſe magis manuale, & copioſum, atque obvium: Ego
dico, magis amplum, & obvium eſſe Rituale, imo & 49
magis commodum. Quidquid ſit, iſti duo Libri unice
debent eſſe Fontes Benedictionum Sacerdotalium in Ec- 50
cleſia Romana Catholica faciendarum, non quidam alii
libelli, quorum uſus periculo non caret, cum ab Ec-
cleſia non ſint approbati, quia fortaſſe nimium copioſi: 51
unde eſt quod Summus Pontifex nonnullos illorum de
recenti prohibuerit, ut dictum fuit in Titulo 1. hujus
Libri, §. 16.

§. VII. Caveat, ne Benedictionis cauſa, ponat aliquid indecens ſuper Altare, veluti eſculenta: ſed quod ejuſmodi eſt, ponatur ſuper menſam, commodo loco paratam.

52 Hoc idem innuit Gav. *p.* 4. *t.* 19. non enim convenit,
Sacrum Altare in Menſam cauponæ tranſmutare. Eſcu-
53 lenta hic tantum notat Textus, prout ſunt Ova, Pa-
nes, Agni Paſchales, Fruges, & alia comeſtibilia: qui-
bus addo potulenta, prout Oleum, ob periculum effu-
ſionis, qua deturpetur Tobalea. Sunt etiam alia, quæ
quamvis nec eſculenta, nec potulenta ſint, attamen in-
decens videtur, quod ſuper Altare collocentur, prout
54 ſunt Veſtes, etiam Monialium benedicendæ, Enſes,
Vexilla, Lapides ad uſum Altaris, ſeu Petræ angulares,
Campanulæ, Candelæ, Olivæ, ſeu Palmæ, Cineres,
Sal, & ſimilia, de quibus etiam mentio fit in *Act. Med.*
p. 4. *Inſtr. general. pro Benedictionibus.*
Pro his rebus igitur debet eſſe Menſa parata, loco 55
commodo, ſeu in Sacriſtia, ſeu prope Altare ad cornu
Epiſtolæ, ubi fieri debent Benedictiones; ſemper tamen
pro ratione eorum, quæ benedicuntur. *Acta ibid.* Plu-
ra de Benedictionibus habebis ex Sarnell. *Ep. Eccleſ. T.*
3. *Ep.* 9.

ORDO AD FACIENDAM
AQUAM BENEDICTAM.
TITULUS QUADRAGESIMUS QUINTUS.

S U M M A R I U M.

1 *Quare prima Benedictio particularis ſit illa Aquæ luſtralis?*
2 *In omnibus Benedictionibus Aqua luſtralis adhibetur.*
3 *Benedictio hæc attente debet fieri.*
4 *Quare quandoque Dæmones non timeant Aquam luſtralem?*
5 *In quo differant materia, & forma hujus Aquæ?*
6 *Si Benedicens ſit aliqua cenſura innodatus, fit irregularis.*
7 *Quare dicatur Aqua luſtralis?*
8 *Victimæ in antiquis Sacrificiis aſpergebantur hac Aqua.*
9 *Quinam fuerit inventor Aquæ benedictæ.*
10 S. Matthæus *habetur pro vero Authore hujus benedictionis.*
11 Paulus Maria Quartus *diligenter ſcripſit de Aqua benedicta.*
12 *Alii Authores, qui de hac Aqua ſcripſerunt.*
13 *Aqua benedicenda diebus Dominicis.*
14 *Die Dominico non debet omitti iſta aſperſio.*
15 *Aqua difficiliter remanet pura per octo dies.*
16 *In die Paſchæ & Pentecoſtes, ubi adſit fons Baptiſmalis, non benedicitur Aqua.*
17 *Poteſt hæc Aqua benedici alio tempore.*
18 *Peccat is, cui incumbit renovatio Aquæ, ſi hæc ob ejus negligentiam putreſcat.*
19 *Sal benedicendus debet eſſe naturalis.*
20 *Sal quare benedicatur prius quam Aqua?*
21 Quartus *nihil loquitur de Salis Benedictione.*
22 *Aqua debet eſſe naturalis, & munda.*
23 *Cum Aqua benedicta non licet extraneum liquorem miſcere.*
24 *Niſi ſit parva quantitas Aquæ fragrantis.*
25 *Si Aqua extranea eſſet multa, peccaret qui hoc faceret.*
26 *Dare Candelam non benedictam pro benedicta non eſt grave peccatum.*
27 *Loca Sacra conveniunt rei Sacræ.*
28 *Aqua poteſt ubique locorum benedici.*
29 *Unica Benedictione an benedici poſſint multi Fontes?*
30 *Miniſter debet accedere ad ſingulos pro immiſcendo Sale.*
31 *An res benedicendæ debeant eſſe ſub oculis Miniſtri.*
32 *Stola violacea adhibenda eſt.*
33 *Niſi qui benedicit, debeat illico celebrare Miſſam.*
34 *Exorciſmi non omnes abſolute inchoantur.*
35 Oremus, *quare hic ponatur?*
36 *Quare exorciſmi dirigantur ad res inanimatas?*
37 *Si adeſſet Præſtigium in Aqua, conjurationes diriguntur ad Dæmones.*
38 *Quare Orationes terminentur:* Per eum qui venturus eſt?
39 *Cruces in exorciſmis bene efformandæ.*
40 *Immiſtio ſalis fit ter in modum Crucis.*
41 *Sal purificatur ab Aqua.*
42 *Scriptura Eliſæi Prophetæ.*
43 *Benedictio quid conferat materiæ?*
44 *Aqua Fidelibus omnibus debet diſtribui.*
45 *Aqua poteſt benedici quocumque tempore.*
46 *Aſperſio facienda a Celebrante ante Miſſam Parochialem.*
47 *Mos antiquus retinendi Aquam benedictam in domibus.*
48 *Aqua Baptiſmalis antiquitus cuſtodiebatur in domibus.*
49 *Sed ante Chriſmatis infuſionem.*
50 *Aqua benedicta in domibus debet ſæpe renovari.*
51 *Virtutes hujus Aquæ.*
52 *Ad cubile Fidelium ſervari ſolet.*
53 *Quare Olea Sacra cuſtodiantur ſub Clave?*
54 *Quare Aqua Benedicta palam exponatur?*
55 *Aqua Benedicta quæcumque maleficia diſſolvit.*

GENERALIBUS ita expoſitis de Banadictionibus, 1
ſuccedunt Benedictiones in ſpecie, quarum prima
eſt illa Aquæ luſtralis, ſeu Benedictæ, hac potiſſimum
ratione, quia illa una cum ſigno Crucis utendum eſſe 2
in omnibus fere Benedictionibus, præſcribit Eccleſia,
etiamſi res benedicenda fuerit prius Oleo Sacro inuncta,
ut videre eſt in conſecratione Calicis, & Patenæ. Si
itaque fieri volunt ceteræ Benedictiones a Sacerdote,
neceſſa eſt, ut paratam prius habeat hanc Aquam be-
nedictam, cum qua benedictiones ſuas expediat, ut pa-
tet ex ipſo Rituali, in quo poſt Orationes, & Preces
adhibitas in benedictionibus, ſemper ſubjungitur: *Deinde aſpergat Aqua benedicta, &c.*
In hac benedictione omnem diligentiam, & attentio- 3
nem adhibere debet Sacerdos, ut rite, & recte fiat:
quandoque enim Dæmones Aquam luſtralem nequaquam 4
timuiſſe dicuntur, quia non fuerat rite benedicta. Leo
Præn. Archiep. p. 1. *c.* 6. *n.* 29. *in fine.* Verba itaque at-
tente pronuncianda ſunt pro forma hujus Benedictionis: 5
in hoc enim differt materia a forma; quod ſi in forma
aliquid deeſt, amplius forma non eſt: materia vero ſem-
per eadem manet, ex Philoſopho, qui ait: *Remota a-
liqua parte materiæ remanet materia, ſed remota parte
formæ recedit forma*, Sarnell. *Ep. Eccl.* T. 4. *ep.* 18. Præter
diligentiam in adimplendis præſcriptis a Rituali in hac
Benedictione, debet Sacerdos cavere, ne ſit aliqua cen-
ſura innodatus, quia ſi cum tali vinculo Benedictionem 6
facere præſumeret, fieret irregularis, Corſett. *de Bened.
in adden. num.* 3. qui citat Sylveſt. & Polacc. *p.* 2. *t.* 7.
n. 1. *in add.*

Antequam vero ad explicationem Textus deveniamus,
neceſſarium duco, ut nomen explicemus hujus Aquæ,
& quare *Luſtralis* vocetur.

Ab antiquis, & quidem a Gentilium ritu ducitur 7
hæc Aqua, quæ ideo *Luſtralis* dicebatur, quia a Sacer-
dote, purgationis, cauſa aſpergebatur ſuper Victimas, 8
& ſupra Populum Templa ingredientem; ideoque pur-
gandi, ſeu expiandi vim habet hæc vox. Hinc Ovid. 3.
de Pont. El. 2.

Spargit Aqua captus Luſtrali Graja Sacerdos.

Qui Ritus poſtea ab Eccleſia ſanctificatus fuit, uſque
ab ejus exordiis, nam (quidquid dicant nonnulli Au-
thores, quod hujus Aquæ benedictæ inventor fuerit A- 9
lexander Papa I.) clare Marſilius Columna in ſua *Hy-
drogiologia* 2. *c.* 2. *a n.* 38. demonſtret, verum Autho-
rem debere cognoſci S. Matthæum Apoſtolum, a quo 10
deinde ceteri Apoſtoli, & ſubinde Epiſcopi ſuſcepere,
Durant. *l.* 2. *c.* 21.

De hujus Aquæ origine, cauſis, myſteriis, documen- 11
tis virtute, & effectibus diffuſe loquitur Quart. *Tit. de
Benedict. ſimpl.* ideoque ad tam diligentem Scriptorem
Lectores meos remitto, ne videar hic inutiliter repe-
tere quæ ab illo tam luculenter expoſita ſunt, in aureo
ejus libello *de Benedictionibus*. Unice addam, Wicleff.
& Walden. impie aſſeruiſſe, Aquæ Benedictionem,
quemdam magicæ artis uſum eſſe, ex Bellarmin. *l.* 3.
de cultu Sanctorum, c. 3.

Scripſit inſuper, & multa ſcitu digna notavit de A- 12
qua benedicta, Gavant. *p.* 4. *tit.* 19. Multa Piſcara *l.* 1.
ſect. 4. *cap.* 6. *n.* 4. *l.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1. *n.* 5. Multa Corſett.
& fere omnes, qui de Sacramentis & Sacramentalibus
pertractarunt, utpote Caſal. *de vet. Sacr. rit. cap.* 36. &
nuper Sarnellius Epiſcopus Vigilien. in *Epiſt. Eccl. T.* 4.
Ep. 18. Cardinalis Valerius in *Theſ. piar. inſtit. pag.* 273.
& 240. ubi ſignanter effectus tum ſpirituales, tum cor-
porales, ex B. Alexandri verbis enumerat. His dictis
ad Textum me confero.

§. I.

§. I. Diebus Dominicis, & quandocumque opus fuerit, præparato Sale, & Aqua munda benedicenda in Eccleſia, vel in Sacriſtia, Sacerdos cum ſuperpelliceo, & ſtola violacea indutus, primo dicat ℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini, &c.*

13 Adeo rigoroſum eſt hoc Præceptum de benedicenda
Aqua diebus Dominicis, ut Gavantus *d. p.* 4. *t.* 19. *litt.*
a, non renuerit ſcribere; namquam omitti debere tali
die hujuſmodi aſperſionem, & a priori benedictionem,
in memoriam baptiſmi, qui in Dominica Paſchatis ſo-
lemniter celebratur. *Microlog.* 41. Rup. *l.* 7. *cap.* 28.
Circa quam obligationem Burcard. *l.* 2. *cap.* 12. &
Caſal. *d. cap.* 36. afferunt Canonem Concilii Nannetenſis
14 hujuſmodi — *Omnibus diebus Dominicis, unuſquiſque Preſ-
byter, in ſua Eccleſia, ante Miſſarum ſolemnia, Aquam
Benedictam faciat in Vaſe nitido, tanto myſterio convenien-
ti, de qua Populus intrans aſpergatur.* Ex quo apparet,
quod non tantum fieri debet aſperſio ex hac Aqua, ſed
etiam nova benedictio quolibet die Dominico, contra
malam conſuetudinem nonnullarum Eccleſiarum, etiam
Cathedralium, in quibus utique Aſperſio fit, ſed ex
Aqua jam alias benedicta, quod aperte eſt contra ritum,
qui præcipit hanc renovationem Aquæ benedictæ ad evi-
tandam facilem ejus corruptionem, & immixtionem cum
ſordibus: puta enim difficile remanet Aqua extra ſuum
15 fontem expoſita per integram hebdomadam. Ultraquam
quod hæc renovatio Aquæ ſuum habet myſterium, ſi-
gnificando ſingulis diebus Dominicis memoriam Sacra-
menti baptiſmatis, Quart. *s.* 3. *dub.* 4. *num.* 210.

16 Excipiuntur tamen a prædicta Regula, Dominicæ Re-
ſurrectionis, & Pentecoſtes, in quibus non benedicitur
hæc Aqua in Eccleſiis ubi adſit fons baptiſmalis, ſed
aſpergitur Clerus, & Populus cum Aqua pridie benedi
cta in Fonte ad hunc finem reſervata, ut clare loquitur
Miſſale de Bened. Font. bapt.

17 Poteſt etiam alio tempore benedici hæc Aqua, prout
notat textus noſter, nempe *quandocumque opus fuerit*,
ſcilicet infra hebdomadam, quando jam benedicta con-
ſumpta, vel putrefacta ſit, præcipue tempore Æſtivo. Et
in hoc caſu projici debet in Sacrarium alia Aqua, vel
18 præcedentis hebdomadæ, vel quæ fœtens jam ſit. Quod
ſi putreſcat hæc Aqua benedicta ob negligentiam Sacriſtę,
vel ejus ad quem hoc pertinet, & non fiat ſtatutis tem-
poribus talis benedictio, illi peccant venialiter contra reve-
rentiam debitam rebus ſacris, ob indecentiam, & ali-
qualem Populi offenſam: quamvis hæc Rubrica habeatur
a nonnullis pro directiva, non vero præceptiva, Quart.
ibidem, *num.* 210.

Sed ut de Sale dicamus. Iſte Sal debet eſſe naturalis,
19 albus, ſi fieri poteſt, arena, non vero humidus, & in-
ſuper qualis a nobis deſcriptus fuit in Titulo *Ordinis Ba-
ptiſmi parvulorum*, §. 6. & in illo *de Sacris Oleis*, *&
aliis requiſitis ad Baptiſmum*, §. 8. Atque ideo iſte Sal
20 benedicitur ante Aquam, quia debet immiſceri cum
Aqua in actu benedictionis, ideoque prius debet eſſe be-
nedictus.

21 Miror tamen, quod alioquin diligentiſſimus Paulus
Maria Quartus, qui de benedictionibus adeo luculenter
ſcripſit, & præſertim de Aqua luſtrali, nullam mentio-
nem facit de Salis benedictione neque in actu baptiſmi,
neque in actu conficiendæ dictæ Aquæ luſtralis, quia
benedictio Salis, ut alibi diximus, duplex eſt: tunc enim
loquuti fuimus de Sale inſerviente ad baptiſmum, nunc
vero de Sale adhibendo in conficienda Aqua benedicta;
Sed ſignificationes, & myſteria utrobique ſunt eæ-
dem, unde ad prædicta loca videre eſt, quæ jam
diximus, & inſervient ad explicationem Rubricæ præ-
ſentis.

Aqua porro quæ benedicenda eſt, debet eſſe natura- 22
lis, ſive e fonte, ſive e fluvio, ſive e puteo, ſive e ci-
ſterna pluviali, dummodo ſit pura, & munda, ob di-
gnitatem rei Sacræ, ad quam inſervire debet, & ne in-
quinet res, ſeu Perſonas, ſuper quibus projicitur. Nec
licitum eſt quidquam extranei liquoris miſcere cum Ita 23
Aqua, niſi ſit in parva quantitate, & ad decentiam
congruus, veluti Aqua roſacea ob fragrantiam odoris,
quia in hoc nulla apparet indecentia, & obtinuit tole- 24
rantiam in Eccleſia; quæ tolerantia cum ſit tacitus con-
ſenſus, facit, ut Sacramentalia, quæ pendent ex arbitrio
Eccleſiæ, non alterentur, ex Quart. *d. l. dub.* 6. *n.* 211.

Si vero tanta quantitas extraneæ, & non benedictæ 25
Aquę ſuperaret Aquam benedictam, & ita exponeretur
Aqua non benedicta pro benedicta, peccaret is, per
quem talis immixtio fieret, ſed tantum venialiter, ut no-
tat idem Quart. *d. l. n.* 212. quia in hoc non apparet
gravis irreverentia contra Religionem, nec grave damnum
aliorum: ſicuti nec graviter peccaret qui dares eleari 26
Candelam non benedictam pro benedicta.

Loca præſignata ad faciendam iſtam Aquam benedictam 27
ſunt Eccleſia, vel Sacriſtia. De facto loca Sacra magis
conveniunt rei Sacræ: ſed nihilominus extendi poteſt
hæc Benedictio etiam ad domos privatas; ut in *Titulo
de Sanctiſſimo Viatico* diximus, atque ideo poteſt hęc Aqua 28
ubique locorum benedici tam valide, tam licite, quia
non eſt in ſuperiori ordine rerum Sacrarum; cum ſæpiſ-
ſime contingat, Aquam iſtam, licet benedictam, in ter-
ram cadere, quando illa aſperguntur fideles, nec ulla
adhibetur cautela ad impediendum, ne a prætereuntium
teratur pedibus, Quart. *d. l. num.* 212. Ubi curioſam
quæſtionem promovet *dub.* 3. *num.* 209. ſcilicet, Utrum
unica Benedictione poſſint benedici plures fontes Aquę 29
inter ſe diſtantes? & Reſpondet, poſſe valide, & lici-
te benedici omnes Aquę fontes, qui ſunt coram Sacer-
dote benedicente intra viginti paſſus: modo idem Mini-
ſter poſt Orationes, vel exorciſmos, accedat ad ſingulos 30
quando facienda eſt mixtio Salis cum Aqua. Ratio eſt,
quia ſufficit præſentia moralis materię, quę benedicitur
coram Miniſtro, quę judicio prudentum ſalvatur intra
viginti paſſus. Quę doctrina valet etiam ad reſponden- 31
dum illi dubio: An Res quęcumque benedicendę de-
beant eſſe præſentes Miniſtro, a quo fit Benedictio? Cir-
ca quę vide Quartum, *d. Sect.* 2. *dub.* 4. *n.* 10.

Sacerdotis eſſe hanc Benedictionem ex Concilio Nan-
netenſi docet Gavantus, *p.* 4. *tit.* 19. *litt. b*. De Stola 32
vero violacei coloris (qui color eſt mœſtitię, & humili-
tatis) non currit ſemper regula: nam ſi Sacerdos bene-
dicturus Aquam, illico celebraturus eſt Miſſam, debet
ſuper Albam adhibere ſtolam Miſſę convenientem, tan- 33
quam pro initio ad Sacrificium. Si alius eſt, tunc vio-
laceam adhibere debet, quia connectitur unice cum Ritu
pœnitentiali ad expianda peccata cum aſperſione Aquę
luſtralis, Gavant. *ib.*

§. II. Deinde abſolute incipit Exorciſmum Salis, &c.

Non omnes exorciſmi abſolute inchoantur, ſed aliqui-
bus anteponitur admonitio, ſeu indictio: *Oremus*. Cum
34 hęc vero Oratio non ſit, non debet invitare Populum
ad orandum, ideoque abſolute incipit. In adjuratione
35 aliquid petimus propter Deum: in Oratione vero ali-
quid a Deo petimus. In hoc loco, pro benedicendo Sa-
le utitur Sacerdos, primum exorciſmo, ſeu adjuratione,
& deinde Benedictione. Vide fuſius Quart. *d. de Bene-
dict. in genere*, *dub.* 1. *num.* 18 19. ubi clara affertur
Doctrina de exorciſmis, & de omnibus quę ad rem pre-
ſentem faciunt, doctiſſima fit explicatio. Circa quod no-
36 tabile eſt verba exorciſmorum dirigi ad res inanimes,
nempe ad Salem, Aquam, &c. ac ſi eędem obedire de-
beant conjurationi, vel ſenſum verborum concipere, ſed
id non propter hoc fit: fit ad denotandum ipſam Adju-
rationem operaturam ſuum effectum in prędictis rebus,
vel tanquam in ſubjectis, vel per ipſa, tanquam per
inſtrumenta. Si adeſſent in Sale, vel Aqua aliqua præ-
ſtigia, conjurationes diriguntur Dęmoni occupanti illud 37
corpus, ut effugiat, & ſinat talem materiam operari in
bonum Fidelium.

Porro Orationes quę recitantur ſuper Aquam, finiunt: 38
Per eum qui venturus eſt judicare ſæculum per ignem;
quia Diabolus timens Dei judicium, timet, & fugit, Ru-
beus *lib.* 2. *cap.* 30. *de Orat.*

Benedictiones, ſeu ſigna ✠ Crucis, quę in exorciſmo 39
ter, & in Benedictione bis fiunt, oportet, ut bene ef-
formentur, & diligenter, ne videamur potius illudere
inane ſignum, quam in utilem uſum adhibere, ut ſupra
diximus cum Corſett. in *Titulo de Regulis generalibus
Benedictionum*.

§. III. Exorciſmus Aquæ, & dicatur ſine *Oremus*, *&c.*

Ad hunc locum faciunt ſingula, quę in antecedenti §. 2. diximus de exorciſmis faciendis Sali ante Benedictionem Aquę.

§. IV. Hic mittat Sal in Aquam in modum Crucis, ✠ dicens ſemel: *Commixtio Salis, & Aquæ pariter fiat, &c.*

40 In Rubricis Miſſalis Romani *de Benedictione Aquæ lu-*
ſtralis, additur, debere fieri hanc immixtionem ter in
modum Crucis: quæ ſane Rubrica approbanda eſt: cum
enim ter debeat fieri ſignum Crucis, cum manu, pu-
gillo ſal tenente, ſequitur, ut ter quoque immixtio,
ſive immiſſio Salis fieri debeat: Donec enim Sanctiſſi-
mæ Trinitatis nomen durat in ſignis faciendis, durare
debet etiam immixtio, ut in virtute Trinitatis fiat Be-
nedictio, & mixtio Chriſti cum Populo, Gavant. *p. 4. t.*
19. Rub. 10. In hoc inſtanti Sale iſto purificatur, & ſana- 41
tur Aqua, quemadmodum factum fuiſſe ab Eliſæo ha-
bemus, *ex 4. Regum 2.* ubi, *Afferte mihi vas novum:* 42
accepit Vas, & poſuit Aquam, & miſcuit Sal dicens:
Hæc dicit Dominus: Sanavi Aquas has, & non erit ultra
in eis mors, neque ſterilitas.

§. V. Poſt Benedictionem Aquæ Sacerdos, Dominicis diebus, antequam incipiat Miſſam, aſpergit Altare, deinde ſe, & Miniſtros, ac Populum, prout in Miſſali præſcribitur.

43 Cum Benedictio, uti forma, conferat Sanctitatem,
efficaciam, & Divinam virtutem materiæ, nempe Sali,
& Aquæ, ut docet S. Ambroſ. *de his qui initiantur,*
cap. 31. his verbis: *Aqua ſine prædicatione Dominicæ Cru-*
cis ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt: cum vero fuerit ſaluta-
ris Crucis myſterio conſecrata, tunc ad uſum ſpiritualis la-
vacri, & populi temperatur. Hinc eſt ut fidelibus omni-
44 bus debeat diſtribui. Quare Concilium Nannetenſe alle-
gatum a Caſalin *d. c.* 36. hæc præcipit: *Omnibus diebus*
Dominicis, unuſquiſque Presbyter, in ſua Eccleſia, ante Miſ-
ſarum ſolemnia, Aquam Benedictam faciat, & Atrium
ejuſdem Eccleſiæ cum Crucibus circumeundo ſimiliter aſper-
gat, & pro Animabus ibidem quieſcentibus oret. Cæte-
ra vide in ſimilis Rubricæ expoſitione facta a Gavan-
to.

Alio quocumque tempore benedici poteſt hæc Aqua 45
in forma privata: ſed in illis Eccleſiis, in quibus non
cantatur Miſſa, decens eſſet, ut in diebus Dominicis
fiat Aquæ aſperſio a celebrante ante Miſſam Parochia- 46
lem, quæ habetur loco Miſſæ conventualis: vel cum
Pluviali ſi habetur, vel cum Stola ſuper Albam ſine
Manipulo, Caſtald. *lib. 2. ſect. 2. cap. 5.* Quart. n. 210.

§. VI. Poſtea Chriſti fideles poſſunt de ipſa Aqua benedicta in Vaſculis ſuis accipere, & ſecum deferre ad aſpergendos Ægros, Domos, Agros, Vineas, & alia, & ad eam habendam in cubiculis ſuis, ut ea quotidie, & ſæpius aſpergi poſſint.

Idem Concilium Nannetenſe, allegatum in antece-
denti paragrapho, antiquitatem ſatis demonſtrat hujus
47 Ritus, nempe habendi in domo, & retinendi Aquam
Benedictam his verbis: *Qui voluerit, in Vaſculis ſuis ac-*
cipiat ex ipſa Aqua, & per manſiones, & agros, & vi-
neas, ſuper pecora quoque, atque ſuper pabula eorum;
necnon ſuper cibum, & potum ſuum aſpergat. Convoca-
tum fuit hoc Concilium circa annum 890.
48 In quorum uſibus conſuavere etiam priſci Fideles adhi-
bere Aquam Baptiſmalem prius quam Sacrum Chriſma
illi infunderetur; ut in *Can. In Sabb. de conſecr. diſt.* 4.
& legimus in Capitularibus Caroli Magni, Ludovici,
& Lotharii Imperatorum, *l. 6. c.* 77. ut infra: *In*
49 *Sabbato Sancto Paſchæ, vel Pentecoſtes, ſi quis velit*
Aquam conſecratam ad aſperſionem in domo ſua recipere,
ante chriſmatis infuſionem recipiat.
In privatis domibus ſervabatur Aqua Benedicta, uſque
50 ab anno 57. ut refert Baronius ad illum Annum. Quæ
Aqua in domibus poſita, debet ſæpe renovari, ne pu-
treſcat, & immunda fiat. Hac enim Fideles debent
uti ſæpiſſime, ob maximas, & innumeras virtutes,
ad fugandos, & proſternendos Dæmones, & ut proxi-
mi ſanctiores fiant; ita jubente Nicæno Concilio, ut
51 dum inviſitur æger, tam ipſe, quam cubiculum, in
quo degit, aſpergatur Aqua luſtrali, a qua Venefi-
cia, & Incantationes magicæ diſſolvuntur, aliæque
Diaboli artes evertuntur, Aoliſius *Inſt. adjuvan. morien.*
cap. 7. Atque ideo in promptu eſſe debet in quacumque
Fidelium æde, & præſertim ad cubila cujuſcumque, in
Vaſe mundo, & decenter collocato: quod inſervit 52
etiam ad evitandum incommodum Sacerdotibus, ſeu Pa-
rochis, luſtralem aquam ſecum deferendi, quocumque
tempore ſe ad illas domos conferunt, vel ad viſitandos
Infirmos, vel ad miniſtrandum Sanctiſſimum Viaticum,
vel ad aliud Parochiale munus exercendum.

Quærendum hic ultimo remanet cum Sarnellio, *loc.*
citat. Quare, cum Aqua benedicta ſit Sacramentale, eo
pacto, quo Sacramentalia ſunt Olea Sacra: hæc rigoro- 53
ſe, & ſub clava cuſtodita tenentur Parochus; Aqua
vero benedicta omnibus eam ſumere volentibus pa- 54
teat? Cui inſtantiæ reſpondet: Olea ſervari ſub rigoroſa
cuſtodia, eo quia illis abuti poſſunt Malefici ad male-
ficia perpetranda: Aqua vero benedicta cum quæcum-
que maleficia diſſolvat, exponi debet publicæ commodi-
tati. Sed ratio hæc difficultatem non ſolvit; nam &
maleficia multa ea Aqua benedicta confici poſſunt, ut
notum eſt. Diceremus itaque rigoroſe cuſtodiri etiam
Aquam conſecratam pro Baptiſmo, quia ſolemniore ri-
tu, & Olei infuſione dicata eſt, non vero illam Bene-
dictione minus ſolemni benedictam, quia hæc non
propria ad Baptiſmum inſervit, ſed tunc tantummodo,
quando Aqua e Sacro Fonte haberi nequit.

BENEDICTIO CANDELARUM

Extra diem Purificationis Beatæ Virginis MARIÆ,

TITULUS QUADRAGESIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

1 *Duæ Benedictiones Candelarum præſcribuntur ab Eccleſia.*
2 *Prima in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.*
3 *Iſta inter functiones Parochiales enumeratur.*
4 *Secunda poteſt fieri quandocumque, & a quocumque Sacerdote.*
5 *Candelæ benedictæ ad quid valeant?*
6 *Candelæ benedictæ habendæ a Fidelibus ut accendantur in agone Mortis.*
7 *Utilitates aliæ harum candelarum.*
8 *Debent eſſe ex cera.*
9 *Earum uſus haberi debet in rebus honeſtis.*
10 *Poſſunt etiam inſervire ad ſtudendum.*
11 *Qui illis abuteretur, peccaret.*

1 CANDELARUM Benedictiones duæ ab Eccleſia præ-
ſcribuntur; Una in die Purificationis Beatæ Ma-
2 riæ Virginis, ut in Miſſali Romano habemus die 2. Fe-
bruarii, ubi Gavant. *p. 4. t.* 14. eruditiſſime explicat quæ
neceſſaria ſunt ad hunc Ritum explendum, & ad Proceſ-
ſionem faciendam, de qua nos quoque verba faciemus
tunc cum Rubricas ad Proceſſiones ſpectantes, ejuſque
3 Titulos explicabimus: eſt enim una de Parochialibus fun-
ctionibus, ut notat Barboſa, *de Pot. Paroch. p. 1. c. 8. n.* 4.
4 Altera Benedictio Candelarum quandocumque, & ubi-
que locorum, & a quocumque Sacerdote fieri poteſt,
cum nec inter Parochialia munera adſcribatur, nec fa-
cultas alicui circa hanc Benedictionem limitetur.
5 Valent hujuſmodi Candelæ benedictæ contra fulgura,
& tempeſtates, & contra malignorum ſpirituum incur-
ſiones, ut patet ex verbis Orationum, quæ in tali Be-
nedictione leguntur in Rituali, & Miſſali.
Præſertim in quacumque Fidelium domo utilis, necnon 6
neceſſaria videtur hæc Candela, ut accendatur coram mo-
rientibus in extremo agone, ad effugandos Dæmones,
pravas cogitationes repellendas, & Divinum auxilium 7
impetrandum, necnon, & corporalem ſalutem, Quart.
de Bened n. 148. Quibus utilitatibus alias etiam ſuperad-
dit Card. Valerius, *Theſ. Pior. Inſtitut. p.* 244. Valent
enim ad ſanitatem Animarum, & corporum, terra, ma-
rique; ut de locis ubi accenſi fuerint iſti Cerei, Dæ-
mon, & quidquid Dæmonis ars eſt machinata, depella-
tur; ut mentes, & corda noſtra inviſibili igne, & ſplen-
dore Sancti Spiritus illuſtrentur, omniumque peccatorum,
& vitiorum cæcitate careant; & cernere poſſimus quæ
Deo ſunt placita, & utilia ſaluti, & demum ut ignis
charitatis cum lumine Fides in Animis noſtris accenda-
tur; qui nos ad lumen indeficiens in vitam æternam
deducat, &c.
Hæ Candelæ ex Cera eſſe debent, non vero ex alia 8
materia, & earum uſus haberi in rebus honeſtis, & rei
Sacræ convenientibus, & decentibus, ac etiam ad ſtu- 9
dendum inſervire poſſunt, Quart. *d. n.* 66 n. 149. 10
Qui vero illis abuteretur, ut accendendo in conviviis,
& aliis ſimilibus rebus profanis, peccaret ſaltem veniali- 11
ter, ſecluſo contemptu.
Alia dicemus de uſu Candelarum benedictarum in
explicatione *Tituli de Proceſſione in die Feſto Purificatio-*
nis Beatæ Mariæ Virginis, Paragraph. 1.

BENE-

BENEDICTIO DOMORUM
In Sabbato Sancto Paſchæ,

TITULUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Hæc Benedictio ſpectat ad Parochos.*
2 *Regulares illam præſtare non poſſunt extra limites Monaſterii.*
3 *Quilibet Sacerdos de conſenſu Parochi poteſt hoc facere.*
4 *Debent ad hoc eligi Sacerdotes ætate provecti.*
5 *Parochus cum multo Clero, & Miniſtris accedere debet ad benedicendum.*
6 *Benedictio hæc debet fieri in Sabbato ſancto.*
7 *Cum Aqua Benedicta ad fontem.*
8 *Hodie iſte Ritus non adimpletur.*
9 *Rationes cur non adimpletur?*
10 *Hodie anticipatur iſta Benedictio.*
11 *Mos aliarum Regionum circa hanc Benedictionem.*
12 *Modus faciliter adimplendi hoc munus.*
13 *Parochus non debet tranſilire fines ſuos.*
14 *Cathedralis Ferrariæ plene ſatisfacit huic Ritui.*
15 *Cauſa finalis hujus Benedictionis.*
16 *Myſterium hujus Benedictionis.*
17 *An domus omnes capaces ſint hujus Benedictionis?*
18 *Loca, ſeu Ædes quæ benedicenda non ſunt.*
19 *Utile per inutile non vitiatur.*
20 *Caniſtrum pro ovis non deportandum in hac Benedictione.*
21 *Benedictio facienda in domo, non extra eam.*
22 *Parochus non tenetur totam domum circuire.*
23 *Sufficit, ut nobiliora loca aſpergat.*
24 *Antiphona:* Vidi Aquam, &c. *a quo inſtituta?*

1 HANC Benedictionem ſpectare ad Parochos, ſatis clare docet Barboſa *de Pot. Paroch. cap.* 12. *num.* 11. cum pluribus Doctoribus, & decretis Sacr. Rit. Congr. præcipue contra Regulares emanatis, quibus prohibe-
2 tur hanc Benedictionem facere extra limites ſuorum Mo-
3 naſteriorum, ne jura Parochorum violentur. Attamen quilibet Sacerdos de conſenſu Parochi, poteſt idem præſtare.

Sed prudenter cavere debet Parochus, quoſnam Sacer- 4
dotes ad hoc munus exercendum mittat, ne Benedictio in maledictionem convertatur, ob varia Perſonarum genere, ad quas haberi debet acceſſus. Quare S. Carolus, *Act. p.* 1. *Conc. Prov.* 3. circa hanc Benedictionem multa docet, quæ præſtanda ſunt a Parocho, inter quæ lo-
com habet, ut accedat multis Sacerdotibus comitatus, 5
ac Clericis, ſi fieri poteſt, ad evitandas omnes occaſiones ſiſtendi, & alloquendi cum Perſonis in illis domibus degentibus.

Generice loquendo, & univerſaliter, debet hæc Be- 6
nedictio fieri in Sabbato Sancto, ita præſcribente Rituali noſtro: & taliter hac die facienda eſt, ut non aliam Aquam adhibere poſſit Sacerdos pro illa habenda, niſi
eam, quæ in tali die de more ad fontem ſolemniter be- 7
nedicitur ante perfuſionem Chriſmatis, ea ratione, quia ſi adhiberetur Aqua cum Oleo, & Chriſmate, de facili macularentur veſtes, & loca, ſuper quibus aſperſio fieret.

Verum hodie iſte ritus quoad diem, & quoad Aquam 8
plene non adimpletur; excuſatio a Parochis allata eſt,
quia Parochiæ ut plurimum vaſtæ ſunt, nec una die cir- 9
cui commode poſſent. Inſuper dies iſta abbreviatur ſi attendenda eſt Benedictio Fontis, quæ ſummo mane fieri non ſolet. Ulterius Parochus in mane illius diei ad functiones eccleſiaſticas incumbere debet: Horis vero veſpertinis, in audiendis Sacramentalibus Confeſſionibus
totum inſumitur tempus. Igitur anticipatio hæc videtur 10
quaſi neceſſaria, ut ſingulæ domus Benedictionis munere purificentur, expienturque: Pro quo Aqua luſtralis conſueta adhiberi ſolet, non illa de Benedictione Fontis, quia nondum conſecrata eſt. De facto, ut notat Barbo-
ſa *d. l.* in Italia tantum ſolent fieri aſperſiones domo- 11
rum in die Sabbati Sancti, ſed in Luſitania fiunt vel primo, vel ſecundo die poſt Dominicam Reſurrectionis. Tunc ſervari poteſt ritus præſcriptus de adhibenda Aqua benedicta in Benedictione Fontis ſervata ſine infuſione Chriſmatis.

§. I. Parochus, ſeu alius Sacerdos, ſuperpelliceo, & ſtola alba indutus, cum Miniſtro deferente Vas Aquæ ex Benedictione Fontium, ante perfuſionem Chriſmatis acceptæ, viſitat Domos ſuæ Parochiæ, eas aſpergens eadem Aqua benedicta.

Juxta præſcriptum Rubricæ, ut ſupra diximus, difficile eſt procedere (niſi Parochia ſit in brevi circumdario
12 contenta) nec alio modo hoc fieri poteſt, quam plures Sacerdotes adhibendo, & cuique portionem ſui Itineris aſſignando: Ubi advertantur illa verba noſtri textus:
13 *Domos ſuæ Parochiæ*, a quibus præcipitur ne Parochus tranſiliat fines ſuos, neque falcem mittat in meſſem alienam, jura Parochialia turbando, contra omnem juſtitiam: reprehenſibilis enim eſſet, & ab Ordinario puniendus qui aliter faceret. Cæterquin mos eſt pene univerſalis hanc Benedictionem facere in hebdomada majori incipiendo a feria ſecunda.
14 In Eccleſia vero Cathedrali Ferrarienſi, quæ Parochialis eſt, indiſpenſabiliter hæc Benedictio fit in Sabbato Sancto, cum Aqua ad fontem benedicta, quam Capellani Curati deferunt, & aſpergunt per Domos. & Officinas publicæ Plateæ inter tamen fines Parochiales.
15 Cauſa finalis hujus Benedictionis eſt incolumitas Fidelium, & pacifica habitatio illorum in ſuis domibus: My-
16 ſterium vero eſt, ut ſi ex malitia habitantium, maligni ſpiritus ibi fixerint ſedem, virtute Benedictionis, & Reſurrectionis Chriſti expellantur, ſicuti a Chriſto triumphante in ſua Reſurrectione Princeps hujus mundi ejectus eſt foras. Item quia in Sabbato Sancto ſanctificati Fideles per Sacramenta annuæ confeſſionis, & communionis, in domibus Benedictione ſanctificatis habitare debent. Ideo etiam in ſignum Reſurrectionis Chriſti adhibetur Stola albi coloris, quæ non poteſt adhiberi in antecedentibus diebus, ita Quartus *de Benedictionibus*, *n.* 270. 271.
17 Quæritur, an omnes domus capaces ſint hujus Benedictionis? Cui reſpondeo cum S. Carolo, *Prov.* 5. *p.* 1.
18 non eſſe benedicendas ædes, in quibus aliquis excommunicatus habitat. Item neque illas, quas Feneratores, Meretrices, publici peccatores, manifeſtique crimino ſi homines incolunt. Similiter neque illas, quæ publice expoſitæ ſunt aleis, ludiſque vetitis. Quod confirmat Quart. *d. num.* 274. ubi notat, quod ſi excommunicatus vitandus ſit Pater familias, ita ut omnes habitatores in ea domo ſint ſubordinati, & ſubjecti ipſi excommunicato, tunc abſolute ea domus benedici non debet; quia in hoc caſu benedictio non poteſt moraliter fieri niſi in favorem excommunicati. Quod ſi in eadem domo habiteat alii non
ſubordinati, nec ſubditi excommunicato, poterit benedici 19
domus in favorem illorum, quia utile per inutile non vitiatur. Si excommunicatus pariter eſſet toleratus, & non vitandus, poſſet ejus domus & valide, & licite benedici, quia licet excommunicatus privetur Eccleſiæ ſuffragiis, & non poſſit communicare cum aliis Fidelibus, nihilominus quando eſt toleratus, poſſunt libere alii fideles communicare cum illo, etiam in divinis.
Inſuper non omni laude dignus eſt uſus ille aliquorum 20
locorum, in quibus Parochus, ſeu alius Sacerdos, habita facultate, circuit ad benedicendas domos cum Clerico deferente Vas Aquæ benedictæ, & inſimul cum Vaſe Caniſtrum ad Ova, & ſalſamenta colligenda, non pro mercede Benedictionis, ſed ſponte oblata in ſignum gratuitum, ac etiam Nummos, & pecuniam, quam in Vas Aquæ benedictæ immergere ſolent; quia præter malum odorem avaritiæ, & ſuſpicionem Simoniæ, habemus ex Concilio Provinciali V. S. Caroli iſta præciſa verba, hoc prohibentia: *Benedictionis hujus cauſa, ſeu occaſione, nihil plane quidquam vel minimum, neque ii, neque Sacerdotes, Clericive, quos ſibi ſocios, adjutoreſve adjunxerint, petant, exigant, ac ne ſponte quidem* (quod notabile eſt) *ultroque oblatum, donove datum capiant*.

§. II. Ingrediens domum dicit: *Pax huic domui, &c.*

De hoc verſic. *Pax huic domui, &c.* jam verba feci-
21 cimus *Tit. de viſitat. & cura Infirmor.* Per illa verba *Ingrediens domum, &c.* præcipitur, in domo fiat Benedictio, non extra illam, vel in janua.

§. III. Deinde aſpergens loca præcipua domus, & eos, qui habitant in ea, dicit Antiphonam: *Vidi Aquam, &c.*

22 Non tenetur Parochus, ſive Sacerdos totam domum circuire, aſcendere, & deſcendere ad altiora, ſeu info-
23 riora loca, & multo minus ad ſerviles cellulas; ſed ſufficit, ut nobiliora loca viſitet, & aſpergat: Præcipue enim pars, & nobilior trahit ad ſe ignobiliorem.

Antiphona *Vidi Aquam*, *&c.* inſtituta eſt ab Eccleſia dicenda in Paſchate loco alterius *Aſperges me*, *&c.* Atque ex hoc etiam patet, quod iſta Benedictio fieri non poteſt niſi in Sabbato Sancto; quia in feriis antecedentibus Eccleſia utitur alio Verſiculo & Antiphona *Aſperges me*, *&c.* Verba illa *Vidi Aquam*, *&c.* deſumpta 24
ſunt, & accommodata ad hanc rem ex Ezechiele, *cap.* 47. ubi Propheta deſcribit Aquas ſubter limen domus egredientes, & in latus Templi dextrum deſcendentes, quæ efficiuntur Torrens, qui tandem non poteſt tranſvadari, & ſanat omnia, ad quæ pertigerit.

ALIA

BENEDICTIO DOMORUM

Alio tempore facienda cum Aſperſione Aquæ Benedictæ.

TITULUS QUADRAGESIMUS OCTAVUS.

SUMMARIUM.

1 *Domus benedici poſſunt quocumque tempore.*
2 *Hæc Benedictio nequit repelli ab habitantibus.*
3 *Conſuetudo eſt, ut non niſi vocatus Parochus accedat.*
4 *Aqua luſtralis conſueta adhibenda eſt.*
5 *Quæcumque loca poſſunt benedici hac Benedictione.*
6 *Et non tantum nobiliora, ut in antecedenti Benedictione.*
7 *Antiphona:* Aſperges me, *eſt communis cuicumque Benedictioni.*

XENOCRATES Philoſophus dicere ſolebat: Domum diis amicam illam eſſe, quæ Cœleſti rore quotidie aſpergeretur, *Stob.* 16. Quod ego ad Chriſtianam veritatem transferens, dico: Domum Deo amicam illam fore, quæ ſæpe cœleſti benedictione perfunditur. – Hoc animadvertens Eccleſia Mater, ad omnium conſolationem, hunc Ritum, domos Benedicendi quocumque tempore inſtituit.

§. I. Parochus, ſeu alii Sacerdotes, volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium, alio tempore infra annum aſpergere Aqua benedicta, ingredientes domum dicant: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea, &c.*

1 Quocumque igitur tempore domus benedici poſſunt, ut ex textu apparet: immo videtur, quod Parochus,
2 quocumque tempore ſibi libeat, poſſit hoc facere abſque eo quod interpelletur, adeo ut repelli ab habitantibus nequeat, verbum enim illud *volentes*, importat jus diſpoticum, & liberum, abſolutumque arbitrium, Barb. *d.* 436. *nu.* 1. *l.* 1. *§. Scientiam d. de tribut. l.* 3. *d. de*
3 *diverſ. reg.* Alciat. *lib.* 1. *c. de Summ. Trin.* Conſuetudo tamen eſt, ut nonniſi vocatus accedat ad benedicendam domum, ob ſpirituum infeſtationem, ob jurgia, & diſſenſiones inter familiares, ob infirmitates numeroſas, ſeu ob aliam rationabilem cauſam.

Aqua benedicta, quæ in hoc caſu adhibetur, eſt illa 4
præſcripto modo facta extra Sabbatum S. quia extra hunc diem non eſt in uſu aſperſio ex Aqua de Sacro Fonte, unice Sabbato S. aſſignata.

§. II. Deinde loca aſpergendo dicat Antiphonam, *Aſperges, &c.*

5 In hoc caſu poſſunt benedici quæcumque loca, non vero præcipuiora domus, ut in antecedenti Benedictione,
6 quia hæc fit elective, illa vero præceptive.
7 Antiph. inſuper *Aſperges me, &c.* eſt illa communis cuicumque Benedictioni, & quocumque anni tempore, excepto Paſchali, adhibenda: Verſiculus ex *Pſ.* 50. *Miſerere* deſumptus eſt.

BENEDICTIO LOCI,

TITULUS QUADRAGESIMUS NONUS.

SUMMARIUM.

1 *Loca plura in domibus ſunt, quæ benedici poſſunt.*
2 *Quo fine inſtituta fuerit hæc Benedictio?*
3 *Locus quid, & quotuplex ſit?*
4 *Multa nomine Loci ſignificantur.*
5 *Benedictio hæc adhiberi poteſt pro Univerſitate Populi intra metas unius Loci habitante.*
6 *Locus poteſt eſſe habitaculum Viventium, & Mortuorum.*
7 *Hæc opinio valet in temporalibus, non in ſpiritualibus.*
8 *Benedictio Populi, & Agrorum amplior eſt.*

1 LOCA plura in Domibus, ſive in Ædibus ſunt, quibus impertiri poteſt Benedictio particularis, ſi id loci habitatores, ſeu poſſeſſores poſcant: atque ita pro
2 illis præcipuam Benedictionem ſtatuit Eccleſia, ad benedicendum, purgandum, & ſanctificandum eumdem locum, atque habitatores in eo.
3 Quid ſit Locus, & quotuplex eſſe poſſit, clare demonſtratur ab Antonello *de loco leg. lib.* 1. *cap.* 1. *&* 2. Ubi, cum ſit, quod nomine loci accipi poſſit Territorium, Diſtrictus, Parochia, vel Juriſdictio, Roſenth. *de feud. cap.* 12. *concl.* 15. *nu.* 20. ſequitur, ut iſta Benedictio adhiberi poſſit non tantum pro Benedicendo loco particulari alicujus Ædis, ſed etiam pro Univer- 5
ſitate, & Communitate, ſeu Hominum Congregatione intra metas unius Loci habitantium, *l. locus, ubi* 6
gloſſ. ff. de verb. ſignif. Qui locus, non tantum Viventium eſſe poteſt habitaculum, ſed etiam Mortuorum, Cepoll. *in tit. de uſucap. pro donato, §. ſive Dominus, n.* 4. atque ideo Benedictione indigere poteſt. Sed ego puto, hanc opinionem habere locum in rebus tempora- 7
libus, non autem in ſpiritualibus; nam pro his poſtremis Eccleſia ſtatuit aliam Benedictionem adhibendam, quæ eſt illa nuncupata *Benedictio Populi, & Agrorum*; de qua in fine Ritualis. Nihilominus cum hæc ſit re- 8
centioris originis in Eccleſia (approbata enim fuit anno 1635. ſub Urbano VIII. Papa) non improbabile videtur, Eccleſiam hac nova Benedictione, antiquam ampliare voluiſſe Precibus, Orationibus, & Ritu majoribus.

BENEDICTIO DOMUS NOVÆ.

TITULUS QUINQUAGESIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Tres Benedictiones aſſignantur pro Domibus.*
2 *Primo in Sabbato Sancto.*
3 *Secunda quocumque tempore.*
4 *Tertia quando Domus ſit noviter ædificata.*
5 *Benedictio hæc pro tertia ratione inſtituta eſt.*
6 *Nomine Domus veniunt alia loca.*
7 *Cauſa & effectus hujus Benedictionis.*
8 *Benedictio hæc poteſt impertiri a quocumque Sacerdote.*
9 *Benedictio iſta non eſt de juribus Parochialibus.*
10 *Aqua conſueta luſtralis adhibenda pro hac Benedictione.*

TRES

1 TRES Benedictiones aſſignantur a Rituali Romano 2 habendæ circa domos: Prima fit Sabbato Sancto 3 cum aqua a Fonte Baptiſmali deſumpta: Altera alio 4 quocumque tempore, & ad libitum Poſtulantis: Tertia vero quando domus eſt recenter ædificata. De prima, & altera jam expoſuimus quæ neceſſaria ſunt in antecedentibus 5 Titulis XLVII. & XLVIII. Remanet igitur ut de tertia aliquid dicamus. Domus itaque nova, vel 6 quodcumque ædificium ad uſum fidelium, de recenti conſtructum indigere poſſunt hac Benedictione, ut locus, & habitantes in eo ſanctificentur, & ab omni Dæmonum incurſu tueantur.

7 Fit eo modo, quo ſecunda, ſed a quocumque Sacerdote fieri poteſt, quia de Parocho nullam mentio- 8 nem facit Rituale, & conſequenter ad eum de jure non pertinet, Quart. *tit.* 3. *dub.* 1. *numer.* 253. 9

Inſuper in hac Benedictione adhibenda eſt Aqua, quocumque tempore, in forma Eccleſiæ conſueta, benedicta, non vero ea, quæ benedicitur in Sabbato Sancto, niſi hæc Benedictio fieret Tempore Paſchali.

Non venire nomine Domus Officinas a domibus ſe- 10 junctas opinatur Peregrin. *de fideicommiſſ. art.* 31. & quidem multa ratione, ſed tantummodo in civili ſudicio hanc ſententiam valere credo. Secus in ſpiritualibus negotiis, præcipue loquendo de Benedictione, quæ cum ſit quid Boni, limitationem non patitur; *cap. Nemo, de conſecr. & cap. authoritatem, de privil. in* 6. Sicuti enim benedicitur nova Domus ut in ea habitantes tueantur ab adverſis, ita poteſt & hac benedictione indigere officina ad tuendos in illa habitantes, & laborantes.

BENEDICTIO THALAMI,

TITULUS QUINQUAGESIMUS PRIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Hæc Benedictio videtur ſpectare ad Parochum.*
2 *Thalamus quid ſit?*
3 *Cohabitatio Sponſorum venit de conſequenti poſt Matrimonium.*
4 *Poteſt tamen fieri hæc Benedictio a quocumque Sacerdote.*
5 *Thalamus debet eſſe ornatus.*
6 *Sacerdos benedicens non debet vana loqui.*
7 *Tempus proprium hujus Benedictionis.*

1 VIDETUR, quod ſicuti Benedictiones Nuptiales ad Parochum de jure ſpectant, ita quoque, & de conſequenti, ad eumdem Parochum pertineat Benedictio 2 Thalami, qui conſummationi Matrimonii inſervire ſolet, Thalamus enim communiter accipitur pro Cubiculo Nuptiali, ſeu Lectulo Sponſis deſtinato, ut ex verbis Orationis in tali Benedictione adhibitæ, clare patet. Unde cum cohabitatio, & conjunctio utriuſque Spon- 3 ſi veniat de conſequenti poſt Sacramentum Matrimonii, & poſt Benedictionem Nuptiarum, poſſet hujus Thalami Benedictio conſiderari inter jura Parochialia. Sed contraria, & negativa ſententia tenenda eſt; nam Rituale hanc Benedictionem exponens, nihil de Paro- 4 cho loquitur. Igitur a quocumque Sacerdote fieri poteſt, dummodo ſervet quæ ab eodem Rituali præſcribuntur.

Iſte Thalamus debet eſſe decenter ornatus, & ab omni 5 ſorde mundatus, ob dignitatem Sacramentalis Benedictionis; atque in ea miniſtranda non multum immore- 6 ri, nec vana loqui debet Sacerdos.

Tempus ad hanc Benedictionem deſtinatum eſſe ſolet 7 illud ipſum, quo celebrantur Nuptiæ, vel paulo poſt, & ſemper antequam Sponſi conveniant.

BENEDICTIO NOVÆ NAVIS,

TITULUS QUINQUAGESIMUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

1 *Temeritas humana eſt navigare.*
2 *Navis in Aqua multis periculis expoſita.*
3 *Benedictio hæc inſtituta ad tuendam Navem a periculis.*
4 *Intentio Eccleſiæ in hac Benedictione.*
5 *Sacerdos quilibet poteſt eſſe Miniſter hujus Benedictionis.*
6 *Sacerdos quomodo indutus accedere debet ad Navale.*
7 *Naves benedici debent antequam Mari tradantur.*

1 SIBI ipſi diſcrimen eſt in navigatione temeritas humana, ut optime inquit S. Ambroſius allegatus a Quart. *Sect.* 10. *Prælud.* 1. *num.* 282. Quare cum Navis in Aqua ſit multis periculis expoſita, maternus Eccleſiæ 2 amor optime diſpoſuit, ut priuſquam nova Navis, Ventorum, & Aquarum libero dominio poneretur, per ſanctam Benedictionem aliquo ſupernaturali munimine tu- 3 taretur, ut fidentius illi gentes, & merces ſe traderent. Qua Benedictione ſalutare documentum Nautis præbe- 4 tur, ut in caſu tempeſtatis, & procellæ, Deum invocare non deſinant, ejuſque auxilium, cui Mare, & Venti obediunt, ut mittat Angelum ſuum ad Navem cuſtodiendam, dexteramque ſuam porrigere non dedignetur, eo pacto, quo illam porrexit Petro ſuper Mare ambulanti, & timenti.

Miniſter hujus Benedictionis poteſt eſſe quilibet Sacer- 5 dos; non enim eſt de juribus Parochialibus, ut ex ipſa Rubrica patet, quæ nullam de Parocho mentionem facit.

Sacerdos itaque cum ſuperpelliceo, & ſtola violacei co- 6 loris, atque inſuper cum Aqua benedicta, ſe conferre debet ad Navale, ſeu ad locum, ubi conſtructa fuit nova Navis, & perfecta ab omni opere abſoluta, atque illam, priuſquam in Aquam immittatur, ibi in forma 7 conſueta benedicere.

BENEDICTIO COMMUNIS
SUPER FRUGES, ET VINEAS,

TITULUS QUINQUAGESIMUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

1 *Quid veniat Frugum appellatione.*
2 *In hac Benedictione intelliguntur ſegetes adhuc virentes.*
3 *Quid intelligatur nomine Vinearum?*
4 *Poteſt intelligi etiam de Agris.*
5 *Vineæ non ubique eodem modo plantantur.*
6 *Origo hujus Benedictionis.*
7 *Finis hujus Benedictionis.*
8 *Myſteria hujus Benedictionis.*
9 *Benedictionis hujus præcipui effectus.*
10 *Tempus pro impertienda tali Benedictione.*
11 *Eſt functio quaſi Parochialis.*
12 *Sacerdotes intervenientes huic Proceſſioni non debent deferre Stolam.*

UNO Nomine Frugum, omne illud ſignificatur, 1 quod eſt ad victum humanum: ut colligitur ex *l. frugem* 77. *in fine, ff. de verb. ſignif.* & quod importet fructus ſubſtantiam, & rem fructiferam, refert Card. Tuſc. *pract. concl. tom.* 8. *litt.* T, *concl.* 392. *num.* 6. Barboſ. *de Appell. verb.* 104. In noſtro caſu vero e præſenti Textu allegato, nomine Frugum intelliguntur Se- 2 getes adhuc virentes, ut ex ipſiuſmet benedictionis verbis docet Quart. *Sect.* 8. *Prælud.* 1. *numero* 282.

Ita nomine Vinearum intelligitur etiam Terrenum, 3 in quo ſunt Vites plantatæ, necnon Arundinetum, ſive Cannetum Vineæ perpetuo deſtinatum, Bald. *conſ.*

410. Ca-

410. Caputaquen. *dec.* 223. Barboſa *de Appell.* 273. nu.
4 *1.* & 3. Textus vero noſter amplectitur etiam Agros,
quia non ubique locorum viget uſus Vinearum, ſed in
5 pleriſque Regionibus Vites plantatæ inſurgunt per arva,
& Agros, arboribus complicatæ.

Iſta Benedictio antiquiſſimæ originis eſt, & uſque a
temporibus Apoſtolorum, ut refert Marſil. Columna *in*
6 *Hydragiologia*, *ſec.* 2. *cap.* 2. ad tradit. per Quart. *ibid.*
quo ait: cum vera Fides doceat, omnium rerum productiones,
ſeu ortus, & pariter incrementa ex Dei nutu pendere, ſemper conſueverunt Fideles incrementa Fru-
7 gum, & Segetum per Benedictionem petere a Deo, *qui
operit Cœlum nubibus, & parat Terræ pluviam: Qui
producit in montibus fœnum, & herbam ſervituti hominum*, Pſ. 846.

8 Myſteria hujus Benedictionis multa ſunt, tradita a
Quart. *dict. l. nu.* 263. effectus vero præcipui ſunt, ut
fructus ad maturitatem Deo auxiliante perveniant, ut 9
nequitia Dæmonum arceatur, & ut debita moderatione,
in Dei laudem utamur iiſdem fructibus.

Tempus hujus benedictionis ſolet eſſe in Vere: imo 10
Quart. *d. n.* 262. docet, quod ſolet ſolemniter fieri, indicta
propria Proceſſione, ut concurrentibus Populis
votis, & precibus, benedictio ſit magis efficax: unde
frequentius fieri ſolet in Feriis Rogationum, ante Aſcenſionem,
vel in die S. Marci, quando dicuntur Litaniæ
majores. Hinc hæc Benedictio dici poteſt quaſi Paro- 11
chialis; atque ideo S. C. Concil. *die* 28. *Auguſt.* 1688.
allegat. a Monacell. *T.* 2. *tit.* 13. *n.* 79. decrevit, quod
ſimplicibus Sacerdotibus Sæcularibus & Regularibus (ni- 12
ſi gerant vices Parochi) vetitum fuit in hac functione,
& Benedictione deferre Stolam.

BENEDICTIO PEREGRINORUM

Ad Loca Sancta prodeuntium,

TITULUS QUINQUAGESIMUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

1 *Non omnes qui vagantur, ſunt Peregrini.*
2 *Peregrini quinam vere ſint?*
3 *Qui Romam petunt, vocantur Romei, ſeu Romipetæ.*
4 *Qui Hieroſolymas petunt, appellantur Solimei.*
5 *Cæteri appellantur Vagi, Vagabundi, Advenæ, Birbones, &c.*
6 *Primi indigent hac Benedictione.*
7 *Loca Sacra quænam ſint?*
8 *Qui ad alia loca Sacra peragraret, dicitur etiam Peregrinus.*
9 *Peregrini in ſua Regione dicuntur Incolæ.*
10 *Vagabundis totus Orbis Patria eſt.*
11 *Antiquæ Peregrinationes.*
12 *Peregrini antiquis benedicebantur.*
13 *Benedictio hæc impertiri ſolet Anno Sæculari, ſeu Jubilæi.*
14 *Paulus II. reduxit Jubilæum ad quoſcumque 25. annos.*
15 *Litterarum Patentium pro Peregrinantibus nulla formula.*
16 *Formula ex Cancellaria Epiſcopali Ferrariæ.*
17 *In formula expreſſe enunciari debent loca Sacra, ad quæ, &c.*
18 *Iſtæ litteræ Patentes vocantur formatæ.*
19 *Tradebantur iſtæ Litteræ a Chorepiſcopis.*
20 *Ad Epiſcopos ſpectat tradere has litteras.*
21 *Parochus debet ferre teſtimonium de Sacramentorum ſuſceptione.*
22 *Peregrini ante iter confiteri debent, & ſumere Euchariſtiam.*
23 *Sacerdotes, & Clerici quid ferre debeant?*
24 *Miſſa pro Peregrinantibus dicenda.*
25 *Ritus hujus Miſſæ eſt Votivus.*
26 *Si per Mare iter fiat, dici poteſt Miſſa pro Navigantibus.*
27 *Peregrini ad Altare benedicendi ſunt a Sacerdote.*
28 *Peregrini quomodo induti eſſe debeant?*
29 *Veſtes maſculorum peregrinantium.*
30 *Si Peregrini plures ſint, habere debent Vexillum cum Sacra Imagine.*
31 *Ritus hujus Benedictionis.*
32 *Benedictio hæc non incipit per* ℣. Adjutorium noſtrum, &c.
33 *Cur omittatur,* ℣. Adjutorium, &c.
34 *Peregrini ſunt Cruce ſignandi.*
35 *Peregrini aſpergi debent Aqua benedicta.*
36 *Sacerdos debet accommodare verba ſenſibus, & Perſonis.*
37 *Advertenda circa Sacerdotes Peregrinantes.*
38 *Sacerdotes debent habere litteras Dimiſſoriales.*
39 *Sacerdotes debent explorare comites itineris ſui.*
40 *Sacerdotes debent exprimere, an ſint Beneficiati.*
41 *Sacerdotes celebrare debent ante Peregrinationem.*
42 *Sacerdotes peregrinantes decet, ut habitu contractiori utantur.*
43 *Laici quaſnam litteras teſtimoniales habere debeant.*
44 *Peregrini habere debent Soſpitatis Syngraphas, ſive* Feda di Sanità.

BENEDICTIO hæc, ad hoc ut rite, & recte impertiatur, habet multa, quæ particulari animadverſione digna ſunt, de quibus in Textu mentio fit. Singula clariori qua poſſumus methodo, explicabimus, prout infra.

§. I. Peregrini ad loca Sancta profecturi, antequam diſcedant, juxta Veteris Eccleſiæ inſtitutum, deberent accipere patentes, ſeu commendatitias litteras a ſuo Ordinario, ſeu Parocho.

1 Non omnes qui per Orbem vagantur, Peregrini nomine appellandi ſunt, ſed tantum illi, qui extra ſuam
2 verſantur Regionem, & devotionis gratia, peregre proficiſcuntur ad locum præfixum, in quo aliquod Sanctuarium adſit, Anaclet. *l.* 2. *decr. tit.* 2. §. 2. *per tot.* un-
3 de qui Romam petunt, Romei, ſeu Romipetæ appellantur: Solimei, ſeu Hieroſolymipetæ, qui ad Hieru-
4 ſalem tendunt. Quare hodie rariſſimi ſunt qui vere Peregrini dici poſſint, & unice ad hunc finem peregrinationem ſuam ineant. Cæteri vero Vagi, ſeu Vagabun-
5 di, Advenæ, Birbones, ſeu Mendicantes nuncupandi, Menoch. *de Arb. caſ.* 552. Igitur de primis habetur ſer-
6 mo in præſenti Titulo, & illi vere Benedictione indigent, ut tuti, & incolumes ad ſtatuta Sanctuaria perveniant.

7 In numero locorum Sacrorum, præter Sacrum Sepulchrum, & totam Hieroſolymitanam Regionem, in qua Chriſtus Redemptor noſter paſſus eſt, adnumeratur etiam Civitas Compoſtellæ in Hiſpania: Roma ſanguine Martyrum conſecrata; limina Apoſtolorum; Domus Sacra Lauretana a Nazareth translata, Aſſiſium ad Portiunculam pro Jubilæo univerſali, Patavium, ubi Corpus S. Antonii Patavini colitur, Tolentinum, ubi S. Nicolai brachia ſanguine manantia ſervantur: Neapolis, ubi corpus S. Januarii Martyris, & ampolla ſanguine ſuo ſervata mirabiliter inviſitur, & nonnulla alia Sanctuaria ab Eccleſia Catholica approbata, & definita: inter quæ locum habere poteſt, Ferrariæ, Sanctiſſimus Chriſti ſanguis prodigioſe jam ex Sacra Hoſtia emanatus, ab anno uſque 1135. qui in Eccleſia Sanctæ Mariæ in Vado nuncupata, Canonicorum Regularium S. Salvatoris, ad Capellam, inſigni architectura conſtructam, totamque ſanguine illo Sanctiſſimo in fornice aſperſam, religioſiſſime colitur. Quibus addo etiam magnum Sanctuarium Barienſe in Apulia, in quo corpus S. Nicolai Myræ Epiſcopi, & Confeſſoris manna inundans, ſumma celebritate veneratur. Quare 8
qui etiam ad aliquem alium locum, in quo vel Sacra Imago aliqua portentoſa, vel corpus alicujus Sancti colitur, peragraret, vere Peregrinus eſſet: non vero qui ad alium finem iter longinquum, vel breve peragerat.

Diſceſſus Peregrinorum fit a propria Patria, & domo; & ex hoc patet diſtinctio inter Peregrinos, & Vagabundos: illi permanentem locum non habent, illi antequam diſcedant, in ſua propria, & nativa Regione di- 9
cuntur Incolæ, & Cives. Secus vero illi qui ſemper vagantur quibus totus Mundus Patria eſt, & nunquam di- 10
ci poteſt eos diſcedere ad peregrinandum, quia vita illorum continua peregrinatio eſt, nec habent locum, in quo Patentes, ſeu commendatitias litteras poſſint accipere, quoniam nullibi degunt, & ubique ſunt, nec primum locum habent, a quo diſcedant.

De antiquis Peregrinationibus ad Reliquias Sancto- 11
rum, & ad alia Sancta loca luculenter ſcripſit Caſalius *d. cap.* 39. ubi multa affert teſtimonia hujus antiquitatis,

quæ

quæ magis, ac magis venerationem augens erga dictas Reliquias & loca illa Divino Cultui mancipata, ut pio
12 affectu, ac devotione frequententur. Quod vero benedicerentur ii, qui ad iſta Sanctuaria ſeu ex Voto, ſeu ex devotione pergerent, nullum adhuc inveni exemplum apud antiquos: ſtandum eſt tamen teſtimonio noſtri Ritualis, quod vetus Eccleſiæ inſtitutum hoc eſſe declarat.
13 Præcipue iſtæ Peregrinationes fieri ſolent, atque ſimul impertitur hæc Benedictio, Anno ſæculari, ſeu Jubilæi univerſalis, quando Fideles ad limina Apoſtolorum gregatim, e longinquis Regionibus ſe conferunt, quo-
14 cumque vigeſimo quinto anno, ex reductione Pauli II. Pont. *Conſtitut. Ineffabilis, anno* 1470. *die* 19. *Aprilis*, quam Confirmavit Sixtus IV. *Conſtitut. Quemadmodum operoſi,&c. an.*1475. & ſucceſſores Pontifices approbaverunt.
Secum itaque veri Peregrini deferre debent litteras Patentes Ordinarii ſui. Nulla vero habetur forma ha-
15 rum Patentium, ſeu commendatitiarum in ampliſſimo Formulario Monacelli: quare non inutile fore duco ſi eam hic deſcribam, prout in Cancellaria Epiſcopali hic Ferrariæ uſu habetur, & Peregrinantibus gratis tradi ſus, videlicet.

16 *N. Miſeratione Divina, &c. Epiſcopus N. &c.*
Univerſis, & ſingulis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Cum N. N. Præſentium lator Romam verſus (ſeu ad alia loca Sancta ſingillatim deſcribenda) *iter arripere intendat, prout nobis expoſuit, Sacra limina Principis Apoſtolorum* (ſeu aliorum locorum nominandorum) *cæteraſque Baſilicas viſitaturus devotionis cauſa: illum propterea in hujuſmodi pio deſiderio benigne confoventes, omnibus Chriſti fidelibus, & præſertim Hoſpitalium, Piorumque locorum Miniſtris quibuſcumque in Domino commendamus, ut cum charitate excipiant, piiſque charitatis officiis proſequantur, centuplicem a Deo Optimo Maximo, omnium bonorum Datore, mercedem recepturi.*
In quorum, &c.
N. Epiſcopus N. *Vel N. Vicarius Generalis.*
Loc. ✠ *Sigilli.* *N. Cancellarius.*

17 Ex qua formula clare apparet, quod expreſſa enunciari debent loca Sacra, ad quæ Peregrinus iter arripere intendit, ne a via illuc tendenta declinans, fraudulentes, & ad alium finem utatus his litteris.
18 Iſtæ litteræ aliter vocantur formatæ, & a Chorepiſcopis olim tradebantur, Macri *Hierolex. verb. Chorepiſco-*
19 *pus*; de quibus S. Carolus *in Synod. Diœc. XI. Act. p.* a. *& in Conc. Prov.* 4. *de Peregr.* §. *Laici*; hæc ait, *Id cura Parochi præſtetur, ita tamen, ut iis tantummodo, qui ejuſdem Parochi teſtimonium ſcriptum habent, & de Sacramentis debito tempore ſuſceptis, litteræ formatæ dentur eu Cancellaria Archiepiſcopali. Cavebit autem Peregrinus, ne cuiquam Homini vago, aut quaſtuariæ Artis nomine ſuſpecto, tale teſtimonium det.* Ex quo deducitur,
20 ad Epiſcopum tantummodo ſpectare tradere has litteras commendatitias, non autem ad Parochos, ad quos tan-
21 tum pertinet teſtimonium in ſcriptis facere de Sacramentis ſuſceptis, atque ita intelligendus eſt præſens Textus, ubi dicit debere Peregrinos accipere has litteras a *ſuo Ordinario, ſeu Parocho*; quas omnino gratis concedendas decrevit Innocentius Papa XI. in Taxa Innocentiana edita anno 1678.
Alio nomine nuncupantur etiam iſtæ litteræ, nempe *Litteræ Benedictionis*, & præcipue traduntur iis, qui pro quæſtu ad colligendas eleemoſynas in Captivorum liberationem, Orbem peragrantur, ut diſtinguantur a Vagis, & Birbonibus. Danturque una ſimul cum Benedictione ab Ordinariis: quarum exemplar unum habeo ſatis nobile, & authographum, quod ex Armeno Idiomate ad latinum tranſtulit D. Georgius Garabied Conſtantinopolitanus, & Monacus Baſilianus Ferrariæ diu commoratus, cujus verba fideliter hic reportare non inutile duco.

ĒÑS.
✠
Locus Sigilli, in quo habetur
Jeſu Chriſti Servus Joannes Doctor
Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Jeſu Chriſti ſervus Joannes Doctor, & miſeratione Dei, ac gratia Sancti Spiritus Præpoſitus, & Patriarcha Imperialis Metropolis Conſtantinopolis. A quo perveniunt Littera Benedictionis, *& epiſtola cuſtodia, gratia Apoſtolica, & divina multiplex Benedictio ad omnes Gentes Chriſtianorum; ubicumque pervenerit iſta* epiſtola Benedictionis noſtræ. *Sive in Civitates, ſive in Oppida, ſive in monaſteria, ſive in Eremos, ſive in quæcumque loca. Primis Theologis Doctoribus, Excellentiſſimis Epiſcopis, Peccatorum expiatoribus, Sacerdotibus, ſtudioſis Diaconis, Principibus, Nobilibus, Mercatoribus, Artificibus, Viris, & Fæminis, Senioribus & Juvenibus, Adoleſcentibus, & Virginibus, & omnis ætatis hominibus, Amen.* Gratia *vobiſcum, & Pax a Deo Patre omnipotente, & a Domino noſtro Jeſu Chriſto, & a Spiritu Sancto vivificante, & abundanter donorum datore. Amen. Benedictio Patris, cuſtodia Filii, & Providentia Sanctiſſimi Spiritus, ſemper, & omni tempore veniat, & requieſcat ſuper vos, & impleat vos omni ſpirituali, & temporali gaudio. Amen. Et ſimul cum iſta gratioſa, & a Chriſto donata* Benedictione noſtra, *notum ſit vobis ſuprascriptis, immaculato Sanguine Chriſti redemptis Fidelibus, de iſto Crimenſi Arachel nominato Chriſtiano, qui in Porta Principis Tartariæ multo tempore permanſerat, & erat mercator ejus, & multorum Chriſtianorum captivorum pretia decidebat, & ipſos conducebat ad ſuos; & accipiens pretia ipſorum, referebat ad Turcas: Et hoc anno, Juvenis cujuſdam nomine Franciſci Veneti etiam pretium decidit, quadringentorum Scutorum, & cum Socio ſuo Cyriaco nominato Chriſtiano mittit Conſtantinopolim ad Reſidentem Venetiarum; & iſte cœpit Juvenem, & cuſtodivit apud ſe, & non permiſit amplius exire e Palatio. Item bonorum adverſarius Diabolus, videns iſtum Arachel in iſta bona opera, perſecutus eſt ipſum. Iſte enim iter faciens cum quinque captivis, & cum mercibus trium millium Scutorum, incidit in manus latronum, qui ſpoliarunt illum, & captivos, & merces abſtulerunt; & ipſe vix ſalvatus, nudus, & miſer venit Conſtantinopolim, ſperando fore ut acciperet pretium ſuprascripti Juvenis Veneti: & tamen veniens invenit illum etiam captum e manibus Socii ſui Cyriaci, & diu huc illuc currens, nihil potuit efficere: Ille enim Reſidens Venetiarum, qui cœperat ſuprascriptum Juvenem, jam mutatus erat, & navem conſcenderat. Idem Arachel debebat Principi Tartariæ mille Scutos, qui audiens hoc factum, domum, & Filios Arachel in pignus cœpit; dicens, quod ſi ad annum uſque non ſolvat Arachel mille Scutos, Filios ipſius Mahumetanos faciet. Et iſte miſer acceſſit ad nos, ſperando in Deum, & in pietatem veſtram. Et nos examinatis omnibus, invenimus vera eſſe omnia ſuprascripta, ſecundum teſtimonium multorum Sacerdotum, & Laicorum; & miſerti ipſius, conceſſimus ipſi iſtam Epiſtolam BENEDICTIONIS, ut poſſit venire ad pietatem veſtram. Et vos, o Fideles, videndo iſtum, & miſerti ipſius, abundantem Eleemoſynam facietis ipſi, ut valeat liberet Filios ſuos a manibus alienigenarum. Et liberator Chriſtus vos a peccatis veſtris, & a Diaboli captivitate liberet, & pro donis veſtris centuplum reddat. Amen.*

S. ✠ *Loc. Ego Cocciadur Doctor Alepenſis, teſtis ſum veritatis hujus rei.*
S. ✠. *Loc. Ego Antonius Archipreſbyter Eccleſiæ S. Illuminati, teſtis, &c.*
Ego Jacobus Preſbyter Galatæ, teſtis, &c.
Ego Gaſpar Preſbyter Galatæ, teſtis, &c.
Ego Arutin. Preſbyter Galatæ, &c.
Ego Jo. Baptiſta Preſbyter Galatæ, &c.
Ego Abraham Preſbyter Galatæ, &c.

Scripta eſt hæc littera commendatitia anno Armenorum 1124. (*qui eſt Annus a Chriſto nato* 1675.) *Octobris* 23. *die Sabbati.*
Ecce quomodo una ſimul cum littera commendatitia, adeſt Benedictio, quæ æquivalet ſolemni Benedictioni impertitæ hujuſmodi peregrino ab Ordinario loci, non vero ab alio ordinis inferioris, qui non habet talem poteſtatem.

§. II. Quibus obtentis, & rebus ſuis diſpoſitis, facta peccatorum ſuorum confeſſione, & audita Miſſa, in qua dicitur Oratio per peregrinantibus, Sanctiſſimam Euchariſtiam devote ſuſcipiunt.

Hoc idem præcipitur in *Concil. Prov. V.* §. *de Religio-*
22 *ſis peregrinationibus, &c.* tam perſonis Eccleſiaſticis, quam Laicis. De his dicit, quod antequam peregrinationem ſuſcipiant, ſuum quiſque Parochum conveniant, a quo ſancte peregrinandi conſilium capiant, & peregrinationis iter ſuſcipiant, ubi rite confeſſi, Sacram Euchariſtiam religioſe ſumpſerint.
23 De Eccleſiaſticis vero ait, quod ſi fuerint vel Sacerdotes, vel Clerici, antequam peregrinationi ſe commiſerint, peccata primo confeſſi, tum ſi Sacerdotes ſint, Miſſæ Sacrificium, quod eſt *pro iter agentibus*, offerre: ſi Clerici inferiores, Sacram Euchariſtiam ſumere ſtudeant. Enim vero meliori viatico muniti procedere nequeunt, quam Pane Angelorum, qui eos in via confortet, atque in periculis tueatur.
De Miſſa, *in qua dicitur Oratio pro Peregrinantibus*, 24
nihil affert Gavant. niſi quod legitur cum aliis *in Sacramentario Gregoriano*. P. 4. *tit.* 17. *nu.* 21. unde clare liquet Ritum benedicendi Peregrinos antiquiſſimum eſſe. Tota Miſſa eſt *pro Peregrinantibus, & iter agentibus*, atque incipit cum *Pſal.* 25. *Redime me Domine, &c.* qui ſcriptus fuit a David ſene, cum graviſſimis calumniis accuſaretur, quaſi Regnum invadere appeteret, & propterea exulare, & latibula quærere cogeretur, Bellarm. *in Pſ.* 25.
Quoad ritum hujus Miſſæ, quæ a proprio Sacerdote 25
celebrari debet, advertit Caſtald. *Prax. lib.* 2. *ſect.* 12. *cap.* 3. *num.* 2.) quod celebranda eſt tamquam Votiva in

va in

va in paramentis violaceis, ſeu etiam de die, in paramentis congruis, pro dierum, & officiorum qualitate, in qua ſaltem poſt Orationem diei dicatur Oratio *pro Peregrinantibus*, deſumpta ex eadem Miſſa.

26 Quod ſi hæc Peregrinatio per Mare habenda eſſet, non inutile eſſet Orationem in Miſſali pro Navigantibus aſſignatam recitare: licet hæc Oratio proprie pro iis qui in Navi actu ſunt, non vero pro illis qui navigationi ſe committunt, præſcripta ſit.

§. III. Expleta Miſſa, Sacerdos ſuper eos genuflexos dicit ſequentes Preces. Antiphonam, *In viam pacis*, &c. Deinde aſpergantur Aqua Benedicta, &c.

27 Genuflectere, ut alibi diximus, eſt Orantis, & Petentis; unde expleta Miſſa omnes Peregrini genuflexi ſiſtere debent ad Altare, & Benedictionem expectare Sacerdotis, Caſtald. *ib.* Sed quomodo induti eſſe debent Peregrini dum benedicuntur? Reſpondeo eos debere eſſe indutos habitu Viatorio, prout deſcribitur a Caſtald. *ib. n.* 1.
28 nempe Haſta viatoria, Pileo, Lacerna ex corio, vel tela
cera imbuta ſed brevi, & veſte uſque ad genua produ-
29 cta, qui Habitus etiam Mulieribus convenit.

30 Quod ſi plures ſint ad id congregati, & catervatim peregrinari velint, Vexillum præferre debent cum Imagine vel Chriſti Crucifixi, vel B. M. Virginis, vel alicujus Sancti in ipſo depicta.

31 Benedictio vero impertiri debet hoc ritu. Sacerdos adhuc indutus Sacerdotalibus veſtibus (ſi poſt Miſſam hoc fiat) vel ſi extra Miſſam (quod de raro contingere ſolet) Cotta, & Stola violacei coloris, converſus ad Peregrinos circum Altare genuflexos, dicat: *In viam pacis*, &c. Ubi nota, quod iſta Benedictio non incipit more conſueto aliarum, & fere omnium Benedictionum per *Adjutorium noſtrum*, &c. ſed per Antipho- 32
nam, & Canticum *Benedictus*, &c. aſſignatum *in Itinerario Clericorum*, in fine Breviarii: Et ratio eſt, 33
quia cum imploratio Divini adjutorii habita jam ſit per diverſas Preces antecedentes in Miſſa, hanc brevem invocationem repetere inutile videtur.

Dum Sacerdos dicit *Pax*, & *Benedictio*, ſignum Cru- 34
cis ſuper ipſos dextera efformabit, Caſtald. *d. l. n.* 4. ut muniantur virtute Redemptionis contra omnes hoſtes tum ſpirituales, tum corporales.

Aſperſio denique cum Aqua Benedicta ſuper ſingulos 35
facienda eſt, ut in illorum Animabus purgentur, & expientur etiam peccata venialia, & ita Deo magis placentes, proſpere iter ſuum aggrediantur.

§. IV. Quod ſi unus fuerit peregrinaturus, omnia dicuntur in numero ſingulari, ac ſi Sacerdos; ipſe, qui benedicit, fuerit ſocius Peregrinationis, dicat in perſona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.

36 Sacerdotis benedicentis tota cura eſt accommodare verba ſenſibus, & perſonis, nec in hoc eſt ultra morandum.

37 Occaſione illorum verborum: *Si Sacerdos fuerit ſocius*. Multa advertenda a Sacerdote peregrinante notavit S.
38 Carolus *Act.* 1. *Prov. V.* & primo: Ne ſine litteris dimiſſoriis, ac teſtimonialibus Ordinarii ſui ſe committat itineri, peregrinationis cauſa. II. Ut exponat Or-
39 dinario, vel ejus Vicario Comites Peregrinationis, quos
40 ſibi adjunxerit. III. Si obtinet Beneficium cum reſidentia, vel aliquo miniſterio, ut ſubſtituat Sacerdotem ab Epiſcopo approbatum, cui rem, & miniſterium ſuum committat. IV. Ut antequam peregrinationi
41 ſe tradat, vel celebret Sacrificium Miſſæ, vel ſumat Sacram Euchariſtiam, præmiſſa Sacramentali Confeſſione. V. Ut in itinere uti poſſit habitu contractiori, &
42 a laicali veſtitu diſtincto, necnon Tonſuram Clericalem perpetuo habeat; & alia, quæ in primo Tomo *Act. Eccl. Mediolan.* videri poſſunt, §. *de Religioſis Peregrinationibus*.

Inter iſtos Religioſos Peregrinantes habere locum poſſunt Epiſcopi, & præſertim illi, qui Orientalibus Eccleſiis præſunt, ſi ad noſtras Regiones aliqua de juſta cauſa ſe conferre velint: pro quibus vere dignoſcendis, an vere Epiſcopi ſint, an Eccleſiæ Romanæ Catholicæ Filii, an vero Schiſmatici, neceſſe eſt, ut ſecum teſtimoniales, patriarchaleſque litteras habeant: quæ *Litteræ Benedictionis* etiam vocantur, & dignæ ſunt, ut de illis in hac Benedictione Peregrinorum mentio fiat. Afferam itaque pro corollario, & ornamento hujus Tituli Litteras teſtimoniales Benedictionis, & collationis, Archiepiſcopatus Exteramenſis Iſaaco Sahokovia Armeno, qui Romam petens, & per Ferrariam tranſiens hoſpitatus fuit in Domo Parochiali D. Joſeph Antenoris Scalabrini piiſſimi ac eruditiſſimi Parochi Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Bocca, die 20. Decembris 1726. Hujuſmodi Litteræ ex Armeno idiomate ad latinum tranſlatæ fuerunt per ſuperannunciatum D. Georgium Garabied Conſtantinopolitanum Monachum Baſilianum Ferrariæ degentem. Sunt vero

ENS.
Locus ✠ Sigilli.

Jeſu Chriſti Servus Joannes Generalis Armenorum & Patriarcha Caltiæ & Miniſter Sanctæ dexteræ Gregorii illuminatoris. Anno Armenorum 1170. (Qui latine eſt 1721.) *Auguſti* 28. *Per voluntatem, & Miſericordiam Increati, & Immortalis Dei, qui eſt ſine loco, ſine tempore, ſine qualitate, ſine quantitate, innarrabilis, & indiviſibilis SS. Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, qui vivit, & regnat nunc, & per infinita ſæcula. Item per voluntatem, & conſenſum, & electionem Sacerdotum, & principalium, & totius fidelis populi, & cum omnium atteſtatione, ordinavimus chariſſimum, ſpiritualem filium noſtrum Iſaacum Doctorem Epiſcopum, ipſo volente, in nomine terribili Sanctiſſimæ Trinitatis, & per ſignum Sanctæ Crucis, & per potentem dexteram Sancti Gregorii illuminatoris noſtri, & Sancti Nicolai Smyrnenſis Thaumaturgi, & Sancti Silveſtri Papæ, & aliorum Sanctorum, quorum Reliquiæ exiſtunt in Sancta Sede noſtra ad cuſtodiam omnium Fidelium Chriſtianorum. Quapropter dedimus Baculum honoris, & prælaturæ, & doctoratus, & epiſcopatus ad judicandos malefactores cum juſtitia, & ſine acceptione perſonæ: item Anulum in ſignum fidele, & permanens Divinæ deſponſationis ſuæ cum Sancta Eccleſia, in vera, & recta fide. Item dedimus ipſi Baculum, ut abiens prædicet per Orbem Terrarum omnibus Armenis fidelibus Chriſtianis ſecundum Dominicum præceptum: quod omnis qui offendat in hunc lapidem, corruat, & ſuper quemcumque inciderit, conteret ipſum: item dedimus poteſtatem perficiendi officia Epiſcopatus, ſive benedicere Crucem, ſive ordinare Sacerdotem, ſive conſecrare Eccleſiam, ſive ordinare Diaconos, & Subdiaconos, & alios omnes Ordines concedendi poteſtatem dedimus ſpirituali Filio noſtro Iſaaco Epiſcopo. Nemo habet poteſtatem opponendi ſe illi, ſive ex noſtris, ſive ex alienis. Ligatus ab iſto ſuper terram, ſit ligatus in Cælo: & quemcumque abſolverit, ſit abſolutus in Cælo, ſecundum Dominicum præceptum: & quorumcumque peccata retineat ipſe, & non dimittat, non dimittantur: & quæcumque abſolverit, & dimiſerit, ſint ipſis dimiſſa. Maledicti ab ipſo ſint maledicti; & omnes adverſantes ipſi, nobis, & S. Gregorio illuminatori adverſantur, Et obedientes ipſi, nobis, & S. Sedi obediunt, ſecundum Dominicam vocem, quæ dicit:* Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: qui vos ſuſcipit, me, & mittentem me ſuſcipit: & quiſquis potaverit vobis unum calicem Aquæ frigidæ in nomine meo, non perdet mercedem ſuam: *& alia omnia præcepta, quæ habentur in ſalutari Sancto Evangelio. Perficientes mandata noſtra, & obedientes, benedicti ſint a ſummo Deo, & omnibus Sanctis, & a nobis. Amen.*

Hoc eſt mandatum ad omnes Fideles Armenos Chriſtianos, & littera atteſtationis Epiſcopatus in manibus ſpiritualis Filii noſtri Iſaaci Doctoris. Amen.

Quibus omnibus addo, reſpective ad Laicos peregrinan- 43
tes, optimi conſilii eſſe alias teſtimoniales litteras ſecum habere: nempe de ſtatu libero, ſi liberi ſint: de conjugali, ſi conjugati, de Vita, & moribus, & liberatione a Criminalibus.

Item pro cunctis, ſi Peregrinatio ad longinquas Re- 44
giones fiat, optimæ erunt Litteræ teſtimoniales Patriæ ſuæ, quæ Soſpitatis Syngraphæ, ſeu *Fede di Sanità* nuncupari ſolent. Sintque in authenticam formam redactæ, ad hoc ut ſi interim Peſtis ingrueret in aliqua Regione, non arceantur, & ad Patriam remeare cogantur, peregrinatione incompleta: ſed appareant ſani, & incolumes, atque e Provincia ſana, & incolumi provenientes.

BENE-

BENEDICTIO PEREGRINORUM
POST REDITUM,
TITULUS QUINQUAGESIMUS QUINTUS.

SUMMARIUM.

1 *Reditus felix non eſt omittendus ſine gratiarum actione.*
2 *Peregrini gregatim debent accedere ad Eccleſiam.*
3 *Sacerdotes, & Clerici Epiſcopum ſuum adire tenentur.*
4 *Teſtimonium Peregrinationis deferre debent.*
5 *Laici Parochum adire debent.*
6 *Omnes in reditu benedici debent.*
7 *Ritus hujus Benedictionis.*

REDITUM Peregrinorum relationem habere ad
illorum exitum ſatis patet, ex quo ſicuti præſcripſit
1 Eccleſia Ritum benedicendi peregre proficiſcentes, ita
aliam Benedictionem ſtatuerit pro feliciter ad Patriam
redeuntibus: non enim ſine gratiarum actione prætereundus eſt reditus felix poſt tot pericula, poſt tot labores,
& incommoda, ad quæ ſubeunda, vires Peregrinanti a
Divina bonitate præſtitæ ſunt. Proprie igitur iſta non
eſt Benedictio, ſed Gratiarum actio, cui ſubſequitur Benedictio.
2 Gregatim itaque, & eodem pacto, quo Benedictionem
petierunt antequam procederent ad longinqua, accedere
debent ad eandem Eccleſiam, gratias Deo acturi, &
Benedictionem a Sacerdote accepturi.

Sacerdotes, ſeu Clerici a peregrinatione reverſi, Epi- 3
ſcopum primo, aut Vicarium ſuum, cum Litteris dimiſſoriis, quas dedit, conveniant, ſanctæque ſuæ Peregrinationis teſtimonium ab Ordinario loci, aut ſaltem a 4
præfecto Eccleſiæ afferant, ad quam peregrinationis occaſione iter ſuſcepere, niſi in litteris dimiſſoriis alius
nominatim ab Epiſcopo exprimatur, cujus allato ſcripto,
id teſtatum facere debeant, *Prov. 4. Act.* 1.
Si vero fuerint Laici a Peregrinatione reverſi, primo 5
Parochum conveniant, a quo benedicantur, adhibitis ex Eccleſiæ inſtituto præſcriptis Sanctis Orationibus.
Ib.
Quicumque vero ſint, qui poſt Peregrinationem ad 6
Patriam redeant, omnes benedici debent convenientes eodem modo, in Eccleſia genuflexi: ſuper quibus Sacerdos, ſuperpelliceo, & ſtola violacea indutus, debet 7
Verſiculos, & Orationes in Rituali præſcriptas dicere:
poſt quæ aſperget eos Aqua benedicta, & manu per
ſignum Crucis benedicet, ut Pax, & Benedictio Dei deſcendat ſuper illos, redeantque tuti, & incolumes ad
priſtina eorum officia.
Si aliquis eorum in itinere obierit, moneantur qui reverſi ſunt, ut quam primum ſolemnes exequias ac Officium Defunctorum Confratri defuncto perſolvant ex charitate.

BENEDICTIONES
Eſculentorum præſertim in Paſcha,
TITULUS QUINQUAGESIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

1 *Eſculenta poſſunt benedici quocumque anni tempore.*
2 *Proprium tempus eſt in Paſchate.*
3 *Nihil ſumendum in die Paſchatis, quod non ſit benedictum.*
4 *Diabolus in ea die tentat ad crapulam.*
5 *Hac Benedictione populus præmunitur contra inſidias Diaboli.*
6 *Nomine Eſculentorum veniunt & Pocula.*
7 *Non ſunt collocanda ſuper Altare, ut benedicantur.*
8 *Benedictio hæc cujus juris ſit?*
9 *Sacerdos nihil recipere debet pro hac Benedictione.*
10 *Iſta decimatio ſapit aviditatem.*

1 FUNCTIO hujus Benedictionis Eſculentorum quamvis in quocumque Anni tempore haberi poſſit ſuper quibuſcumque comeſtibilibus, ac etiam potulentis,
ad imitationem Chriſti Domini, de quo ſæpe legimus
in Evangelio, benedixiſſe alimenta, quæ vel ipſe ſumpſit, vel aliis diſtribuit, ob illas rationes, quas adducit
Quart. *d. n.* 216. Nihilominus proprium tempus hujus
2 Benedictionis eſt Paſcha, eo quia nihil in hac ſancta die
3 ſumendum eſt, quod a Sacerdote prius benedictum non
fuerit, Caſtald. *in Sabb. Sanct.* & Durand. *Rational. l. 6. cap.*
4 86. *n.* 7. Ex quo Inimicus noſter tunc magis ſatagit ſupplantare, videlicet ſuggerando crapulam, & immoderatum uſum ciborum Paſchalium poſt Jejunium Quadrageſimale. Sicut enim tentavit Chriſtum in Deſerto poſt
5 jejunium, ita & membra Chriſti, ſeu Fideles tunc
præcipue ſupplantare conatur, videlicet completo jejunio
Quadrageſimali, quando appetitus ciborum avidior eſt.
Ne igitur Diabolus prævaleat, præmittitur Benedictio
Ciborum, atque illa præmunitur Populus Fidelis contra
Inſidias Inimici, Durand. *l. c.*
Quod nomine Eſculentorum veniant etiam Poculenta, 6
& humores uſui humano ad menſam inſervientes, clare
patet ex Cyrill. Hieroſol. *Catech.* 13. ubi ait: *In omnibus Crux fiat, & in Panibus comedendis, & in Poculis
bibendis.* Ultra quam quod cum regulariter potus ſequatur cibum, & in nutrimentum convertatur, diſparitas
nulla aſſignari poteſt, cur uti non debeat eodem favore,
de quo ſupra cum Durando loquuti ſumus. Ita etiam
cætera liquida, puta Oleum, Acetum, & ſimilia, Benedictione frui debent.
Quæ tamen omnia collocanda non ſunt ſuper Altare 7
ad hoc ut benedicantur, prout diximus in explicatione
Regularum generalium de Benedictionibus, §. *ult.*
A quo facienda ſit hæc Benedictio, & an competat 8
hoc Jus ſoli Parocho, diſputant inter ſe Doctores, Bellett. *diſq. Cler. d.* 1. §. 3. *num.* 11. ſtat pro Parochis.
Sed Quart. (qui erat Regularis) *n.* 31. ſimplici Sacerdoti,
abſque ulla licentia Parochi, facultatem tradit. Et de facto Rituale nullam in hac Benedictione mentionem facit de Parocho, ut advertit idem Quart. *d. l.*
Nihil pro hac Benedictione accipere poteſt Sacerdos benedicens, unde abolendus, & eliminandus eſt Abuſus in 9
aliquibus Regionibus vigens, decimandi Cibos benedictos,
ſtatim ac benedicti ſunt, quia avaritiam, & gulam ſapit,
in rebus ſacris præſertim fugiendam. 10

BENEDICTIO
AGNI PASCHALIS,
TITULUS QUINQUAGESIMUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Agni Paſchalis myſteria.*
2 *Antiquitas hujus Benedictionis.*
3 *Ante ſumptionem alicujus Cibi poteſt ſumi pars Agni.*
4 *Significationes variæ hujus Agni.*
5 *Agnus debet eſſe mortuus, & coctus.*
6 *Non refert, an ſit Agnus maſculus, vel femina.*
7 *Dummodo non ſit annoſus.*
8 *Nullum peccatum committit qui ab eſu Agni ſe abſtinet.*
9 *Abſtinens a ſumenda Euchariſtia, ſine juſta cauſa, peccaret.*

MYSTERIA, & ſignificationes hujus Agni ſatis 1
patent, ſi legatur Oratio ab Eccleſia præſcripta
in danda hujuſmodi Benedictione. In ea enim ſermo habetur de Agno occiſo de mandato Moyſis in liberatione
de Ægypto, & de poſtium innuctione cum ſanguine

ejuſ-

ejuſdem Agni. Quæ omnia pro typo habenda ſunt Redemptoris noſtri, qui tamquam Agnus ad victimam ductus fuit, & inſuper a Joanne indicatus fuit verbis illis, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.*

2 De antiquitate hujus Benedictionis conſtat ex vetuſtiſſimo ordine Romano, ubi ſitus præſcribitur benedicendi hunc Agnum in Paſcha, ut poſt Quadrageſimale jeju-
3 nium ſumatur a Fidelibus aliquid de carnibus benedictis Agni, priuſquam aliæ carnes guſtentur, cum gaudio, & lætitia ob adimplementum Scripturarum, quæ jam promiſerant, hunc Agnum eſſe venturum, & ſanguine ſuo humanum genus redempturum.

4 Agnum inſuper comedunt Fideles in Paſcha ad recolendum beneficium Sacramenti Altaris, ſeu Agni Euchariſtici, eodem tempore a Chriſto inſtituti, & per Agnum legalem præfignati, ut habemus in Hymno.

Poſt Agnum typicum,
Expletis Epulis,
Corpus Dominicum
Datum Diſcipulis, &c.

Debet eſſe mortuus iſte Agnus, non autem vivus ante 5
Benedictionem, imo coctus, & aſſatus, adeo ut a Be-
nedictione ad Menſam illico afferri poſſit, nec refert 6
utrum maſculus, vel fœmina ſit, dummodo non ſit
multis annis adultus; Figura enim Agni innocentis præ- 7
terit ſi cum Armento per annos miſceatur.

Si quis ſe abſtineret a comedendo Agno Benedicto in 8 Paſcha (ſecluſo contemptu) nullum peccatum committerat; non enim eſt de Præcepto iſta benedictio, ſed tantum de conſilio. Secus vero peccaret, ſi ab Eucha-
riſtica Menſa ab Agno figurata ſe abſtineret, quia com- 9
munio Sacramentalis in Paſcha eſt de Præcepto Eccleſiæ, ut alibi diximus.

BENEDICTIO OVORUM.

TITULUS QUINQUAGESIMUS OCTAVUS.

SUMMARIUM.

1 *Ova habent præcipuum locum inter Cibos Paſchales.*
2 *Ratio phyſica, & naturalis.*
3 *Ovum Gallinaceum optimæ nutritionis.*
4 *Ova vel cocta, vel cruda, vel alba, vel tincta & picta benedici poſſunt.*
5 *Functio hæc non eſt mere Parochialis.*
6 *Reſolutiones Sacrarum Congregationum, ut Papales leges, ſunt obſervandæ.*

1 INTER Cibos qui tempore Paſchatis benedicuntur, locum præcipuum ſibi vindicant Ova. Rationes multæ circa hunc Ritum adducuntur a Quart. *Sect. 4. Prælud. 2. nu. 234.* ſed cum fere omnes ſint rationes morales, & myſticæ, ego illas non reprobando, ad phyſicam rationem devenio: Eccleſia enim etiam in Sacris Ritibus humanæ naturæ commodum reſpicit, & ea ſanctificat, quæ ad naturæ levamen data ſunt.

Cum igitur a Jejunio Quadrageſimali fiat tranſitus in
2 die Paſchatis ad quorumcumque Ciborum libertatem; ratio poſtulat, ut ſtomachus non gravetur tam cito durioribus Cibis: a levioribus enim incipiendum, inquit Hippocrates: Cumque Ova, præcipue Gallinacea ſint
3 optimi nutrimenti, hinc eſt, quod ab his incipiendum fore Cibum Paſchalem rationabiliter duxit hominum conſuetudo ad ſalutem humani corporis: atque ideo pro iis Eccleſia ſtatuit Benedictionem, quia communiter ab Ovis initium habent Cibi Paſchales, qui, ut dixi, benedicendi ſunt.

Sint iſta Ova vel cruda, vel cocta, vel cum cortice, 4
vel nudata, vel colore aliquo tincta, prorſus benedici poſſunt, quia hæc accidentia non mutant ſubſtantiam. Vide Quart. *d. l. a n. 233. ad 240.*

Quo vero ad jus iſtius Benedictionis, propoſitum fuit 5 dubium Sacræ Rituum Congregationi: *An Capellanus Confraternitatis poſſit benedicere Ova tempore Paſchali in Sacriſtia ejuſdem Confraternitatis?* Reſpondit eadem Sacra Congregatio 10. *Decembris* 1703. hoc pacto: *Iſtam functionem non eſſe mere Parochialem, nec ſpectare privative ad Parochum, fieri proinde poſſe a Capellanis Confraternitatum, quidquid antiquitus diſputaverint Doctores.* Quam Reſponſionem per viam legis ſequuta eſt poſtmodum S. Rota in *Magiſtrali deciſ. Neapolitana, Jurium Parochialium 23. Martii 1725. per tot. coram Anſald.* Ubi nervoſe probat, & hanc regulam ſolide firmat, quod ubi non agitur de functionibus mere Parochialibus, cætera de jure permittuntur
aliis Regularibus, & Capellanis, Uſaya *T. 1. p. 1. d. 56. nu.* 129. 130. Qui alio loco docet Reſolutiones Sa- 6
crarum Congregationum uti Papales leges ſervandas eſſe, *p. 2. d. 18. n. 5.*

BENEDICTIO PANIS.

TITULUS QUINQUAGESIMUS NONUS.

SUMMARIUM.

1 *Panis Benedictiones duæ ſunt.*
2 *Prima eſt inſtituta pro tempore Paſchali.*
3 *Altera pro quocumque tempore.*
4 *Panis benedictus diſtribuebatur in die Paſchatis Fidelibus.*
5 *Panis ex quocumque Blado, ſeu Farina ſit, benedici poteſt.*
6 *Figura Panis non limitatur.*
7 *Dummodo ſit cibus comedendus in die Paſchatis.*

1 DUÆ ſunt Benedictiones Panis præſcriptæ ab Eccleſia in Rituali Romano. Prima videtur, quod
2 inſtituta ſit, ut adhibeatur tempore Paſchali, ut apparet ex verbis ipſiuſmet Orationis in hac Benedictione adhibitæ, nempe: *Panis Angelorum: Panis vivus æternæ Vitæ;* Quia tempore Paſchali, omnibus fidelibus diſtribuitur Cibus Euchariſticus, qui vere eſt Panis vivus vitæ æternæ, & Panis Angelorum, ut clara demonſtrant verba Eccleſiæ in adminiſtratione hujus Sacramenti adhibita.

3 Altera vero eſt pro quocumque tempore: ideo de hac ſecunda dicemus in ſequenti Titulo: modo de prima benedictione facta in Paſchate.

4 Diſtributum fuiſſe hunc Panem benedictum in die ſolemni Paſchatis habemus ex antiquo *Ordinario Cæremoniali* Ferrarienſis Eccleſiæ, in membranis conſcripto, characteribus Sæculum decimum tertium redolentibus, aſſervato in Archivio Capitulari, a quo hanc particulam fideliter deſumpſit R. D. Joſeph Antenor Scalabrini Parochus Eccleſiæ S. Mariæ de Bocca in rebus antiquis ſatis eruditus. Verba ſunt: *Reſurrectio Domini, duplex Majus; & duo dies ſequentes. Paramenta Alba tota illa ſeptimana; tres campanæ; tribus vicibus; tribus diebus; Reliquiæ, & Crux ponuntur in Altare; Fit Proceſſio; DATUR DE PANE BENEDICTO. Prædicatur tribus diebus, & fit Proceſſio ad Baptiſmum in Veſperis, Tobaleæ pulchræ, Topegia, &c.*

Iſte Panis non limitatur, quod eſſe debeat vel triti- 5
ceus, vel ex alio grano: ſcimus enim, Chriſtum Dominum benedixiſſe, & multiplicaſſe quinque panes hordea-
ceos, *Matth.* 10. Neque præſcribitur quod ſit talis, vel 6
talis figuræ, ſicuti neque prohibetur, quod cum Saccaro, vel alia re ſit conditus; dummodo Panis iſte ſit
Cibus in Menſa Paſchali comedendus, nihil obſtat quin 7
benedicatur ad ſervandum ritum, & conſuetudinem apud Fideles introductam, & laudabilem non ſumendi cibum in illo Sacratiſſimo die, niſi benedictum, ut ſupra demonſtravimus in *Benedictione eſculentorum, Tit.* 56. n. 3.

ALIA

A L I A
BENEDICTIO PANIS,

TITULUS SEXAGESIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Hæc Benedictio inſtituta eſt ab Eccleſia pro quocumque tempore,*
2 *Habet originem ab Apoſtolis, imò a Chriſto.*
3 *Sanctus Petrus ſolitus erat benedicere Panes.*
4 *Fuit introducta in ſolatium illorum, qui non communicabant Sacramentaliter.*
5 *Spectabat ad Clericos Lectores.*
6 *Hodie ſublatus eſt iſte uſus.*
7 *Panis benedicitur pro Infirmis.*
8 *Habebatur in magna veneratione apud antiquos.*
9 *Documenta ex hac Benedictione Panis deſumpta.*
10 *Benedictio hæc poſt Miſſam antiquitus fiebat.*
11 *Panes benedicti mittebantur ad abſentes.*
12 *Panis benedicendus debet eſſe communis, & uſualis.*
13 *Panes S. Nicolai Tolentinatis.*
14 *Panes ex clibano S. Catherinæ Vigriæ.*

1 ALTERA Panis Benedictio, de qua modo loquimur, inſtituta eſt ab Eccleſia, pro quocumque tempore, circa quam plura, & majora ſunt dicenda, quam dicta ſint in antecedenti.

2 Ab Ipſis Apoſtolis originem habet hæc Benedictio, imo ab ipſo Chriſto, prout clare videmus in Luc. 9. & 24. Refert etiam Abdias, *l. 1. certam. Apoſtol.* D. Petrum Apoſtolum ſolitum fuiſſe benedicere Panes, & illis plu-
3 res Infirmos a variis morbis liberaſſe. Sed hunc Scriptorem damnat Bellarmin. *de Script. Eccl.*

4 Iſte Ritus benedicendi Panem in primitiva Eccleſia introductus fuit in ſolatium eorum, qui non communicabant ſacramentaliter, ut loco Euchariſtiæ, Panem benedictum acciperent veluti ejus typum, & umbram, Quarti *Prælud. 2. tit. 3. n. 241.*

5 Cujus Benedictionis munus ſpectare ad Clericos conſtitutos in ordine Lectoratus, apparet ex Pontificali Romano in Orationibus pro ordine Lectoratus, ubi hæc verba leguntur: *Lectorem ſiquidem oportet, benedicere Panem, & omnes fructus novos.* Sed in uſu amplius non eſt apud Clericos iſte Ritus, ex quo multiplicatus eſt, 6 & abundat numerus Sacerdotum, ex Sarnell. *Ep. Eccl. T. 6. Ep. 16.*

Inſuper ad illum ſervandum, & Infirmis diſtribuen- 7 dum benedicitur Panis, unde in maxima veneratione olim erant apud Chriſtianos Panes benedicti a Viris San- 8 ctis, Scribit enim S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis hæc verba ad noſtrum caſum facientia: *Concurrebant Epiſcopi, & Presbyteri; Greges etiam Monachorum, altique nobiles, & ignobiles, ut benedictum ab eo Panem acciperent, quo innumeri ſanabantur.*

S. Vincentius Ferrerius diffuſe de hac Panis Benedictione loquitur, *ſerm.* 10. ſub hoc titulo: *de Pane Benedicto*, & in eo triplex documentum oſtendit, videlicet 9 Veritatis, Utilitatis, & Charitatis, quæ diſtincte explicat Quart. *ibid. num.* 242.

Hæc Panis Benedictio fieri ſolebat antiquitus poſt Miſ- 10 ſam, & diſtribuebatur Fidelibus, ne illi, qui Sacram Euchariſtiam non ſumpſerant, abſque ullo fructu Benedictionis diſcederent, & ſaltem communicarent ſpiritualiter.

Mittebantur etiam Panes Benedicti ad abſentes, in 11 ſignum Catholicæ unionis, ſicuti aperte colligitur *ex Can. Pii I. de oblationibus Popul. & ex Concil. Laodic. can. 14. & 49. & ex Concil. Carthag. 3. c. 5.* Quart. *d. nu.* 241. ubi nota, quod iſte Panis debet eſſe communis, 12 & uſualis, nullaque alia re immiſtus.

Hodie Benedicuntur Panes nuncupati S. Nicolai de To- 13 lentino, qui fidelibus Infirmis diſtribuuntur, in memoriam Jejunii diuturni ejuſdem Sancti. Ferrariæ quoque benedicuntur, & diſtribuuntur Panes in honorem S. Ca- 14 tharinæ de Vigris, qui coquuntur in Clibano Monaſterii Sanctiſſimi Corporis Chriſti, in quo ipſa portentum illud operata eſt, ut Panis, quem ad coquendum intulerat, per longas horas, ab ea in Sacra prædicatione audienda impenſas, non combureretur, neque aſſaretur, licet Clibanus valido igne arderet.

B E N E D I C T I O
NOVORUM FRUCTUUM,

TITULUS SEXAGESIMUS PRIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Primitiæ omnes Deo offerendæ.*
2 *Benedictio hæc quare inſtituta?*
3 *Antiquitus hæc Benedictio ſpectabat ad Lectores.*
4 *Nomine Frugum quid intelligatur?*
5 *Fructus debent nominatim exprimi in Oratione.*
6 *Fideles non obligantur ad hanc Benedictionem.*
7 *Niſi illam velint titulo gratitudinis erga Deum.*

1 PRIMITIAS Frugum Terræ, Deo omnium rerum Authori, & Datori, oblatas antiquitus fuiſſe, ex præcepto Legis, clare demonſtrat *Exod. cap. 33. & Deuteronom. cap. 26.* Abrogata vero Lege antiqua, illud apud Chriſti fideles remanſit, ut Deum omnium donorum largitorem recognoſcerent: quare non ad illius præcepti adimplementum, ſive imitationem, ſed ad recognoſcendos
2 hos fructus a divina largitate, fuit ab Eccleſia hæc Benedictio inſtituta, tamquam juri naturali valde conformis, rejectis tamen Ritibus, & Cæremoniis Veteris Teſtamenti. Ejus origo a temporibus Apoſtolorum eſt apud Fideles, prout teſtatur Clemens Romanus, *l. 7. c. 3.*

3 Antiquitus ad Clericos Lectores ſpectabat hoc officium benedicendi novos Fructus, ut in antecedenti Titulo diximus, *numer.* 5. ex Pontificali Romano: ſed hodie propter copiam Sacerdotum a ſolis Presbyteris peragitur.

Nomine Frugum, ſeu Fructuum veniunt omnes Fru- 4 ctus tum Arborum, tum Herbarum, & Graminum, & nomine *novorum* veniunt qui primo ad maturitatem perveniunt: & ii omnes in Oratione præſcripta ad illam litteram N, debent nominatim exprimi: v. g. Poma, Pira, 5 Ficus, Uvæ, Fabæ, Fraga, Pepones, & ſimilis naturæ quicumque Fructus benedici velint, ut ſanctificati per hanc Benedictionem proſint ſumenti ex eis, tum Corpori, tum Animæ, Quart. *Tit. 3. num.* 149. Et ſic omnes reliqui Fructus Deo oblati cenſentur.

Ad hanc Benedictionem impetrandam non obligantur 6 Fideles ſub rigoroſo præcepto, ſeu ſub ritu Cæremoniali veteris Legis, quia jam illa abolita eſt, ſed tantummodo ex titulo gratitudinis erga Deum, quatenus ipſe eſt 7 Fructuum Terræ largitor, & conſervator. Quare Origenes, *Hom. 11. in lib. Num.* ſic ait: *Si quis non offerat Primitias Sacerdotibus, non videtur hujuſmodi habere memoriam Dei; nec cogitare, nec credere, quod Deus dedit fructus, quos cepit, &c.* Verum hic de Primitiis ſermo fit, non autem de Benedictione; & Titulus, ſive textus noſter de hac ſecunda loquitur, quæ poteſt impertiri fructibus in proprium dominorum eſum convertendis, & non ſemper Sacerdotibus tradendis, jure primitiarum.

B E N E D I C T I O
Ad quodcumque Comeſtibile.

TITULUS SEXAGESIMUS SECUNDUS. 1

SUMMARIUM.

1 *Cibus humanus multiplex.*
2 *Benedictio hæc omnes Cibos amplectitur.*
3 *Unde appareat erronea quædam Benedictione Circeli Aurei.*
4 *Benedictio hæc fit extra tempus Paſchale.*

CUM

1 CUM multiplex ſit humani Corporis Cibus, quo Ho-
mines veſci poſſunt, ſi ſingulo eorum aſſignanda
eſſet particularis forma, & Oratio pro ſpeciali Benedi-
ctione, Opus, & Ritus Benedictionum pene in immen-
ſum procederet. Hinc eſt, quod Eccleſia provide ſtatuit,
poſt traditas nonnullas particulares Benedictiones, com-
2 munioribus, & uſu obviis cibis, unam præſcribere for-
mam, quæ omnia, & ſingula comeſtibilia, ſeu eſculen-
ta, ſeu potulenta amplecteretur, & quibuſcumque ſi-
milis naturæ impertiri poſſet, ſemper expreſſo nomine
talis Cibi, ſeu potus, ad appoſitam litteram N.
3 Hinc erroneæ videntur, & jure merito ab Eccleſia
damnatæ quædam Benedictiones ſpecificæ, Caſeorum,
Lactis, & Mellis; Medicinæ, vel Juris, Orizarum, Pi-
ſcium, Prandii, vel Cœnæ, Vini, & Aceti, & ſimi-
lium quæ in libello quodam nuncupato *Circulus Aureus*,
inſertæ fuerunt, abſque Sacræ Rituum Congregationis
approbatione, quæ in his rebus magiſtra eſt, & ab o-
mnibus attendenda. Non enim cuique licet novas Be-
nedictiones, novas formulas, & novos Ritus adinvenire,
ſpreta eadem Sacra Congregatione; quæ ad quodcumque
Comeſtibile in rerum natura, in genere, & in ſpecie
hanc formulam Benedictionis aſſignavit, circa quam ni-
hil habeo quod ſuperaddam ad ea, quæ adnotavi ad Ti-
tulum *Benedictionis Eſculentorum*; niſi quod etiam extra
tempus Paſchale poteſt hæc Benedictio fieri, quia non 4
omnia comeſtibilia in una tantum e quatuor Anni par-
tibus producuntur, ſeu in uſu ſunt, Verenim habet ſua
conveniequia, & apta comeſtibilia; Æſtas, Autumnus,
& Hyems ſua, quæ alteri non conveniunt.

B E N E D I C T I O
OLEI SIMPLICIS.

TITULUS SEXAGESIMUS TERTIUS,

S U M M A R I U M,

1 *Aqua ſola non eſt, quæ inſerviat Sacramentis, & Sa-
cramentalibus.*
2 *Oleum quoque ad hanc dignitatem aſſumitur.*
3 *Oleum, in quot locis Sacris adhibeatur.*
4 *Oleum ſimplex quodnam ſit?*
5 *Benedictio hæc eſt ordinaria, non Epiſcopalis.*
6 *Benedictio iſta a quocumque Sacerdote poteſt haberi.*
7 *Exorciſmi, cur adhibeantur in Benedictione Olei?*
8 *Oleum ſolet præſtigiis inſervire.*
9 *Finis hujus Benedictionis.*
10 *Oleum hoc eſt ad curandos Infirmos, & Energume-
nos.*
11 *Oleum Lampadis Sanctiſſimi ſumitur pro Benedicto.*

1 NON in ſola Aquæ ſubſtantia, ad ſalutem humani
generis, Deus condidit Sacramenta: Oleum quo-
2 que ad hanc dignitatem aſſumpſit Divina Miſericordia,
ut in aliquibus Sacramentis locum, & quidem digniſſi-
3 mum haberet, nempe in Baptiſmo, in Confirmatione,
in Ordine, & in Extrema Unctione: ideo pro materia ſa-
tis nobili, & conſpicue habetur Oleum in Eccleſia Catho-
lica, & multimodis purificationibus præparatus ad inſer-
viendum tam Sacramentis, quam Sacramentalibus.
4 Textus noſter loquitur de Oleo ſimplici, quæ vox *ſim-
plex*, dupliciter intelligi poteſt; nempe quod tale O-
leum ſit ſimplex Olivarum, & uſuale, non compoſitum,
neque mixtum, aut medicatum. Vel quod talis Bene-
5 dictio, quæ ſupra Oleum cadit, ſit ſimplex, & ordina-
ria, non autem, illa ſolemnis, quæ fit ab Epiſcopo in
Feria quinta majoris Hebdomadæ, Quart, *d. n.* 305. 6
Hæc itaque Benedictio eſt ſimplici ritu facienda, & a
quocumque Sacerdote impertiri poteſt. Sed quæſtio oriri 7
poteſt, cur iſtud Oleum, Exorciſmo adjuratur, non ve-
ro alia potulenta? Cui reſpondendum eſt, videri neceſ- 8
ſarium hunc Exorciſmum, quia materia Olei ſolet mul-
tis præſtigiis quandoque faſcinari a maleficis, ut ad ma-
leficia inſerviat, monente P. del Rio, *diſq. Magic. l.* 1. *p.* 1.
q. 3. *ſect.* 2. qui narrat etiam Olivarum oſſa incendendo 9
quandoque fieri maleficia. Ut igitur omnis Diabolica vir-
tus abjiciatur, ſi adſit, inſtituit Eccleſia hunc Exorciſ-
mum, ut ex ipſiuſmet Exorciſmi verbis clare patet. 10
Ultra quem quod iſtud Oleum ſolet benedici ad cu-
randos Infirmos, & Energumenos liberandos, & pro-
pterea neceſſe eſt, ut in illo adſit Virtus a Chriſto Do-
mino emanata, cujus mandato Apoſtoli, aliique diſcipu-
li ungentes Oleo Infirmos, plurimos a variis morbis li-
berarunt, & ab innumeris obſeſſis Dæmonia ejecerunt,
Quart. *d. l. n.* 305. 11
Communiter etiam pro Oleo benedicto ſumitur illud,
quod ardet in lampadibus coram Sanctiſſimo Sacramento,
vel piis Imaginibus, vel Reliquiis Sanctorum, tanquam
Deo dicatum. Certe de eo narrat multa prodigia Gret-
ſer. *de Benedictionibus l.* 2. *c.* 23.
Optimum eſt, ut iſtud Oleum diſtribuatur Fidelibus,
ob varias infirmitates ſanandas ex interceſſione illius San-
cti, in cujus lampade ardebat: ſed non optimum, nec
laudabile eſſet, ſi pro gutta hujus Olei, aliquid vel e-
tiam minimum ſolveretur, niſi hoc ad titulum eleemo-
ſynæ fieret illi Eccleſiæ, ſeu Altari, ad quod lampas
ardaret.

B E N E D I C T I O N E S
Ab Epiſcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendæ,

TITULUS SEXAGESIMUS QUARTUS.

S U M M A R I U M.

1 *Sacerdos noſſe debet Benedictiones, quæ ad ſe perti-
nent, & quæ ad Epiſcopum.*
2 *Quales res ſint, quæ benedici poſſunt ab Epiſcopo?*
3 *Benedictiones reales ſpectant ad Epiſcopum.*
4 *Et illæ, quæ Sacra Unctione perficiuntur.*
5 *Benedictiones verbales reſervatæ Epiſcopis.*
6 *Poſſunt ab eo delegari Sacerdotibus Inferioribus.*
7 *Opinio contraria diverſorum Authorum.*
8 *Munus benedicendi ſpectat ad Ordinem.*
9 *Rationes in contrarium.*
10 *Aliquis minor Epiſcopo poteſt habere hanc facultatem.*
11 *Abbates, & alii poſſunt benedicere.*
12 *Vera ſignificatio Verborum hujus Tituli.*
13 *Opinio negativa magis probabilis.*
14 *Uſus invaluit, ut Epiſcopi ſubſtituant in Benedictio-
nibus verbalibus.*
15 *Iſti tamen Sacerdotes debent eſſe graduati.*
16 *Ratio Epiſcoporum ſubſtituentium.*
17 *Verba Ritualis omnia conveniunt ſimplici Sacerdoti.*
18 *Rituale Romanum pro Parochis elaboratum.*

1 SACERDOTEM recte diſtinguere debere, quæ ſui ju-
ris ſunt, & quæ Epiſcopi in materia Benedictionum,
jam ſatis expoſuimus in Regulis Generalibus *de Benedi-
ctionibus*, a nobis primo loco in *Titulo XLIV.* explica-
tis. Et hoc ne majoris dignitatis munera, temere, aut
imperite unquam uſurpet propria authoritate.
Hucuſque noſtrum Rituale Benedictiones aſſignavit,
quæ Parochis, & quibuſcumque minoribus Sacerdotibus
conveniunt: modo ad illas deſcendit, quæ ad Epiſco-
pos, vel alios facultatem habentes pertinent.
Quales vero ſint res, quibus a ſolo Epiſcopo, vel ab 2
alio facultatem habente impertiri poteſt Benedictio, ha-
bemus ea Quart. *tit.* 1. *dub.* 5. *nu.* 32. qui ait, Benedi-
ctiones rerum, quæ nonniſi ut benedictæ, ſunt materia
alicujus Sacramenti, de jure divino pertinere ad ſolum
Epiſcopum: quare nec authoritate Summi Pontificis,
poſſunt delegari aliis Epiſcopo inferioribus; ſed ad ſo-
lum Chriſma, & Oleum Infirmorum ſe extendit iſta
privativa, non vero ad alias res, de quibus infra dice-
mus.
Item ſpectant ad Epiſcopum Benedictiones reales, 3
quæ Sacra Unctione perficiuntur, atque ſtricto jure, ita
ſunt Epiſcopi propriæ, ut delegari nequeant Sacerdoti 4
inferiori. Tales ſunt, Benedictio, ſeu Conſecratio Al-
taris, Calicis, Campanarum, &c. atque hoc conſtat ex
cap. nemo, de conſecr. diſt. 1. & *cap. tua fraternitas, de
conſecr. Eccl. vel Altaris*, ut docet Suarez, T. 3. *in* 3.
part. diſput. 81. *ſect.* 5. & 7. Layman *l.* 5. *tract.* 9.
cap. 13. n. 7. Barboſ. *de pot. Ep. p.* 2. *alleg.* 27. Et alii
cum Quart *d. l.*
Inter Benedictiones vero, quæ dicuntur verbales, 5
nonnullæ ſunt, quæ Epiſcopis ſunt reſervatæ: Puta,
Benedictio Indumentorum ad Sacrificium inſervientium,
& omnium, atque ſingularum, de quibus infra di-
cemus, & a noſtro Rituali identidem enumerantur,
atque

atque exponuntur. Harum rerum benedictio fieri præcipitur ab Epiſcopis, ſed non ita ſtricte, & rigoroſe eſt Ordini Epiſcopali annexa, ut inferioribus Sacerdotibus nequeat delegari, ſaltem ex privilegio Summi Pontificis.
7 Nam quæſtio eſt inter Doctores, an Benedictiones verbales ſuperenunciatæ, & quæ de jure ordinario ad Epiſcopum pertinent, poſſint ab ipſo Epiſcopo committi, ſeu delegari aliis Sacerdotibus, & præſertim ſibi ſubditis?

Sententia illorum, qui hoc fieri poſſe negant ab Epiſcopo, innititur illi fundamento, & regulæ, non poſſe Epiſcopum delegare ea quæ ſunt Ordinis, ſed tantum ea quæ ſunt juriſdictionis, c. *Aqua*, *de conſecr. Eccl.*
8 Sylveſt. *Benedict. q. 2. num. 4.* Cum vero munus benedicendi ſpectet ad Ordinem, non autem ad Juriſdictionem, Sylveſt. *ibid.* hinc eſt, quod Epiſcopus delegare non poteſt Perſonam, quæ in dignitate Epiſcopali non ſit conſtituta. Hanc ſententiam ſuſtinent Gavant. Barboſ. Ugolin. Panormitan. & Quart. *dict. lib. n. 33. in fine.*

9 E contra alii ſuſtinent Benedictiones verbales non ita ſtricte eſſe annexas Ordini Epiſcopali, ut nequeant committi Sacerdotibus inferioris gradus: ſed ratio a Quart. *dict. lib. num. 34.* adducta ad hoc probandum, non omnino videtur eſſe genuina, cum mala ab eo percipiantur verba noſtri Ritualis. Opinio favorabilis fundata eſt in illis verbis capitalibus hujus Tituli, nempe *Benedictiones ab Epiſcopis, vel ab aliis facultatem habentibus faciendæ, &c.* Ex his verbis tale argumentum format idem Quartus. Facultas benedicendi indumenta Sacerdotalia, & alia, quæ ſub eodem titulo continentur, poteſt competere aliis Epiſcopo Inferioribus, & hoc non jure ordinario, ſed propria authoritate: ergo ex delegatione: ergo hæc facultas eſt delegabilis; ergo demum poteſt delegari ab Epiſcopo, cui de jure ordinario competit.

Verum in verbis ejuſdem Tituli illa ſubſtitutio, ſeu delegatio non apparet; nam quando dicitur, *vel ab aliis facultatem habentibus*, non per hoc exprimitur, quod talis facultas proveniat ab Epiſcopo; nam poteſt dari aliquis minor Epiſcopo, & major ſimplici Sacerdote, qui
10 habeat talem facultatem a jure proprio, non ex delegatione: quod confirmatur, *Prov. 2. p. 3. decr. 20.*

De facto Abbates, qui medium locum tenent inter 11
Epiſcopos, & ſimplices Sacerdotes, a jure habent facultatem non ſolum largiendi Benedictiones verbales, ſed etiam illas, quæ Sacra Unctione perficiuntur, Paſqualig. *de Sacrific. Nov. leg. T. 2. q. 790.* & ideo benedicendi, & conſecrandi Calices, Altaria, Campanas, & alia hujuſmodi, Tamburin. *de Jure Abbat. diſp. 11. q. 3.*

Ex quo infertur, veram ſignificationem noſtri Tituli, 12
non verſari circa ſubſtitutionem, ſeu delegationem, ſed intelligi debere, quod tales Benedictiones, quæ in Rituali, & in tali Titulo deſcribuntur, poſſunt tantummodo impertiri ab Epiſcopis, & ab Abbatibus, cæteriſque Regularibus, Prælatis Præpoſitis, ſeu quo nomine alio appellentur, qui uſum Mitræ, & Baculi habeant, quibus de jure competunt vel omnes, vel plures ex iiſdem Benedictionibus, ut late probat idem Quart. *ib. n. 36.*

Ergo opinio negativa primo loco allegata, probabilior, 13
& magis conſona veritati videtur, ſcilicet, non poſſe Epiſcopos ſubſtituere, vel delegare Sacerdotes inferiores, & præcipue in Benedictione Paramentorum, ut in fine ſequentis Tituli videbimus, *ex Decr. Sacr. Rit. Congr. 14. Nov. 1615.*

Uſus tamen invaluit (& hoc in praxi a me ſæpe vi- 14
ſum fuit) ut in Benedictionibus verbalibus, in quibus non intervenit Sacra Unctio, ſed ſimplex uſus Aquæ
Benedictæ, & Incenſi, Epiſcopi ſubſtituant Sacerdotes 15
minores, ſed tales qui aliqua dignitate, vel gradu inſigniti ſint, nempe Vicarios, Protonotarios, Archipresbyteros, Canonicos, & hujuſmodi, qui ab Epiſcopali charactere, quoad minus fieri poſſit, diſtare videantur. Quo- 16
rum Epiſcoporum ſubſtituentium potior ratio illa eſt, quod tales Benedictiones in Rituali Romano deſcribuntur. Cum vero in dicto Rituali nulla adſit cæremonia, 17
ſeu nullus Ritus, qui ſimplici Sacerdoti, vel Parocho non conveniat, imo Rituale ad hoc unum elaboratum
ſit, ut Parochis inſerviat ex conſtitutione Pauli V. ipſi 18
Rituali antepoſita, ideo facilem ſibi vindicant hanc ſubſtitutionem, quia nihil a Rituali videtur diſſentire.

B E N E D I C T I O

SACERDOTALIUM INDUMENTORUM

in Genere,

TITULUS SEXAGESIMUS QUINTUS.

S U M M A R I U M.

1 *Omnia Sacerdotalia indumenta benedici poſſunt ſejunctim.*
2 *Benedictio hæc convenit omnibus Indumentis.*
3 *Indumenta debent eſſe elaborata juxta formas præſcriptas.*
4 *Benedictio durat quamdiu durat figura artificialis.*
5 *Perdita figura, perditur Benedictio.*
6 *Veſtes deformes remanent ſuſpenſæ.*
7 *Quando remaneant ſuſpenſæ Sacræ Veſtes.*
8 *Veſtes profanæ ad Sacrum uſum an converti poſſint.*
9 *Benedictionis hujus ſignificationes, & myſteria.*
10 *Qui in Sacris adhiberet veſtes non benedictas, peccaret.*
11 *Abbates poſt Epiſcopos benedicere poſſunt Veſtes Sacerdotales.*
12 *Pro uſu tamen ſuarum Eccleſiarum.*
13 *Epiſcopus non poteſt delegare in præjudicium Abbatum.*
14 *Veſtes adhibitæ a Schiſmaticis iterum non benedicendæ.*

1 ETSI quodcumque Sacerdotale Indumentum (dempto Pluviali, ut alibi diximus) poſſit ex ſe, & ſeparatim benedici hoc eodem Ritu, transferendo ad ſingularem numerum id, quod eſt in plurali, attamen ad
2 evitandam frequentem repetitionem ejuſdem formulæ, ponitur hic ſub una tantum deſcriptione, Benedictio omnium Indumentorum in genere, applicando cuique in ſpecie, mutatis mutandis.
3 Hæc Benedictio convenit iiſdem Veſtibus, quando tamen, juxta præſcriptionem Sacrorum Canonum, & De-
4 creta, ſint elaboratæ, tam circa materiem, quam circa formam; & durat quamdiu retinent figuram, ſeu formam artificialem. E contra per fractionem, vel ſciſ-
5 ſionem, qua perditur prædicta figura, perditur etiam Benedictio, & fiunt ineptæ ad uſum Sacrificii: quare, ipſo
6 facto, ſuſpenſæ remanent, licet fulminata non ſit hæc ſuſpenſio per decretum in viſitatione. Quæ regula valet etiam in quibuſcumque aliis rebus benedictis, ut docet Quart. *d. n. 59.*

Comment. ad Rituale.

Suſpenſæ item remanent, & profanatæ Sacræ ſupel- 7
lectiles ſi commodentur profanis hominibus ad profanum uſum; puta hiſtrionibus ad comœdias recitandas, vel Per
ſonandis, vel Hebræis pro pignorum venditione. Quod 8
fieri acriter, & ſub gravi pœna prohibuit S. Carolus, *Act. 1. Prov. 1. p. 2. & 3. tit. de Eccleſiis, & earum cultu, & de Judæis, cap. Altar. 39. de conſecrat. diſt. 1.* Quærit propterea hac occaſione Samuellius, *Epiſt. Eccl. t. 7. Epiſt. 45.* An Veſtes profanæ quamvis pretioſæ, poſſint in Sacrum uſum converti? Fundatur hæc Quæſtio ſuper *gloſs. in cap. ad Nupt. de conſecr. diſt. 1.* ubi: *Ad Nuptiarum ornatum divina myſteria non præſtentur, ne dum improborum contactu, pompaque ſæcularis luxuriæ polluuntur, ad officia Sacri myſterii videantur indigna.* Et arguit; *quod ex veſte alicujus dominæ, vel alterius, non debet fieri caſula, vel aliquis ornatus Eccleſiæ.* Sed hodie Canon obſolevit, & uſus eſt contrarius; exemplo etiam ſanctarum fœminarum, quæ veſtes ſuas Deo oblaerunt. Benedictio enim purgat profanum quidquid inſit
in illis. 9

Significationes, & myſteria, ſive effectus hujus Benedictionis ſatis clare apparent in verbis precum, & Orationum pro tali Benedictione adhibitarum; ex quibus
liquet quanta veneratione dignæ ſint, & quam neceſſa- 10
riæ in rebus divinis peragendis: unde qui in divinis Officiis, Veſtes, & Ornamenta, ex Ritu, inſtitutioneve Eccleſiæ, non benedicta adhibuerit, gravi mulcta puniri voluit S. Carolus *Act. p. 9. in Tabella erratorum, Prov. 2. t. 2. cap. 20. d. 2. cap. p.* Statuerat enim in decreta *XX. Concil. Prov. 2.* quod Veſtes, & Ornamenta cujeſvis generis, ad uſum Sacrum comparata ex Eccleſiæ inſtitutione, benedici deberent, & ne prius adhiberentur, quam ſolemnibus precibus ab Epiſcopo, vel ab alio, qui authoritatem haberet, benedicta eſſent: ex quibus poſtremis verbis, quæ cum noſtris titularibus concordare videntur Tituli antecedentis, magis comprobatur. eſſe in Eccleſia tales Perſonas poſt Epiſcopos, qui-
bus de jure competit talis Benedictio, & hi ſunt Ab- 11
bates, & Regulares Mitrati, qui prout diximus, poſſunt
benedicere Paramenta Sacra, pro uſu tamen ſuarum Ec- 12

12 cleſiarum, non vero aliarum: alias puniri poſſunt cenſura Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, vel ſuſpenſionis ab uſu Pontificalium, cum hoc ipſis expreſſe vetitum ſit a *Decr. gen. S. R. C.* 27. *Sept.* 1659. & 20. *Julii* 1660. quoad hoc confirmatis, & approbatis ab Alexandro VII. ad tradita per Monacell. *T.* 3. *form.* 6. *n.* 13. *addicti convocationes Proceſſionis*. Hinc eſt, quod Decretum *S. R. C.* 14. *Novemb.* 1615. non poſſe Epiſcopos delegare Bene-
13 dictiones Paramentorum aliis, allegat. a Gavant. *Manual, Ep. verb. Benedictio, num.* 5. intelligi debet, ſine præjudicio Abbatum, & illorum, quibus talis Benedictionis uſus competit. Vide Paſqualig. *de Sacram. nova leg. qu.* 790. *T.* 2.

Ultimo loco notandum eſt, Veſtes Sacerdotales cum 14
quibus Schiſmatici Sacrum celebraverint, non eſſe iterum benedicendas, Anaclet. *l.* 2. *decr. tit.* 16. *de Sacr. non iteran. n.* 30. nihil enim inſluunt ad conficiendum Sacramentum Euchariſtiæ.

BENEDICTIO MAPPARUM,

SIVE LINTEAMINUM ALTARIS,

TITULUS SEXAGESIMUS SEXTUS,

SUMMARIUM.

1 *Mappa ac Tobalea, ſeu Linteamen idem ſunt,*
2 *Dicitur etiam Lineum Velum.*
3 *Tobalea tres ſuper Altare extendi debent,*
4 *Ideo debent benediri.*
5 *Opinio, quod non ſit neceſſaria iſta Benedictio,*
6 *Benedictio hæc eſt de præcepto.*
7 *Qui ſciens celebraret ſupra Tobaleam non benedictam peccaret,*
8 *Rubrica hæc eſt præceptiva,*
9 Pignatellus *revocavit ſententiam ſuam.*
10 *Tobalea poſſunt eſſe ex Canape, vel Goſſypio,*

1 LINTEAMEN, ſeu Mappa idem eſt ac quod communi-
2 ter dicitur *Tobalea*. Dicitur etiam Lineum Velum, ex qua materia pro cooperiendo Altari, juxta Bonifacii III. Decretum, eſſe debet, quæ a S. Clemente *Ep.* 2. appellantur *Palla*, ſive *Syndon*; item *Endoxys*; de quibus conſulendus eſt Macrius in *Hierox.* & Gavant. qui explicat originem, antiquitatem, materiam, menſuram, & ejus uſum.

3 Quod ſuper Altare, ubi Divinum Sacrificium celebratur, debeant, ultra corporale, tres Mappæ extendi, habemus ex *c. ſi per negligentiam, de conſecr. diſt.* 2. Ideoque cum ad tam magnum Sacrificium inſerviant, con-
4 gruum eſt, ut Sacra Benedictione conſecrentur; niſi neceſſitas aliter ſuadeat, Sylveſter *verb. Benedictio, qu.* 5. Azor. *l.* 10. *c.* 28. *q.* 8. Imo Suarez hac de re negat jus aliquod eſſe 3. *p. diſp.* 81. *ſect.* 5. cui videtur adhærere Pignatell. *T.* 9. *conſ.* 186. *n.* 1. aſſerens non eſſe ne-
ceſſario benedicendas Mappas Altaris, contra quem no- 5
viſſime inſurgit Monacell. *d. T.* 4. *ad II. T. tit.* 16. *form.* 2. *n.* 335. & pleniſſime laxiorem opinionem Pignatelli reprobans, probat hanc Benedictionem eſſe de præ-
cepto, nec poſſe omitti. Rubrica enim Miſſalis in *tit.* 6
de defect. grav. in miniſtr. Miſſ. occurrent. hunc defectum ponit his verbis — *Poſſunt etiam defectus occurrere in miniſterio ipſo, ſi aliquid ex requiſitis ad illud deſit: ut ſi celebretur in loco non Sacro: Si veſtes Sacerdotales, & Mappæ non ſint ab Epiſcopo, vel alio habente hanc facultatem benedicta, &c.* Et hinc eſt, quod qui ſcienter celebrat
extra caſum neceſſitatis ſuper Altare coopertum cum 7
Mappis non benedictis, non eſt immunis a culpa, ut advertunt Gavant. *p.* 1. *tit.* 20. *litt.* S, Paa Jord. *t.* 1.
lib. 4. *tit.* 1. *nu.* 225. quia Rubrica eſt præceptiva, & 8
imperativa, ut clare patet ex verbis relat. in *tit. de Præparat. Altaris*: ibi: *Hoc Altare operiatur tribus Mappis, ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem, benedictis*, Rota *deciſ.* 238. *coram Cerrin.* Monacell. *dict. l. n.* 326. 337.

Quod & recte cognovit idem Pignatell. *conſ.* 98. *n.* 36. 9
T. 6. ubi loquens de præparatione Altaris erigendi in Oratorio, &c. hæc habet: *Eſtque neceſſaria cooperiendum tribus Mappis, ſeu Tobaleis ex Lino, vel Canapi, vel ex*
Goſſypio, &c. ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem 10
benedictis. Ex quo patet etiam, materiam Mapparum poſſe eſſe Canapim, & Goſſypium.

BENEDICTIO

CORPORALIUM,

TITULUS SEXAGESIMUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Multa dicta ſunt de Corporali in Titulo de SS. Viatico.*
2 *Corporalia benedicenda ſunt ab Epiſcopo.*
3 *Quia tangunt Chriſti Corpus conſecratum.*
4 *Inter Græcos a ſolis Epiſcopis benedicuntur.*
5 *A Græcis ſacro Chriſmate unguntur.*
6 *Corporale immundum adhibens, peccat.*
7 *Corporalia non amittunt Benedictionem, quando lavantur.*
8 *Palla, ſeu Animetta an benedicenda?*
9 *Etymologia hujus nominis Animetta.*

1 FACTA eſt alibi mentio de Corporali, tunc cum ſermo habitus fuit de Sacramento Euchariſtiæ, & præſertim de SS. Viatico: ad quæ loca poteſt Lector accedere, & ibi Etymologiam, originem, antiquitatem, uſum, & menſuram, figuramque cognoſcere cum Gavanto, & aliis.

2 Benedicenda quoque ſunt hæc Corporalia vel ab Epiſcopis, vel ab Abbatibus, etiam ſi inſerviant alienis Eccleſiis, juxta opinionem Paſqualig. *qu.* 790. quia inſer-
3 viunt Sacrificio Altaris, & digna facta ſunt, ut tangant Sacratiſſimum Chriſti Corpus in Hoſtia conſecratum.

Ideo inter Græcos Corporalia benedicuntur a ſolis 4
Epiſcopis, conſecrantur, & Sacro Chriſmate unguntur, 5
Macri *Hierolex.* modo vero ab iis etiam, qui a jure facultatem habent, prout ſunt Abbates, &c. ſed amplius non adhibetur unctio cum Chriſmate, quia obſtat nito-
ri, & munditiæ, qua ornari debent ſpecialiter corpora- 6
lia; unde qui iis immundis utitur, ſecundum Doctorum opinionem, non excuſatur a mortali, ſi immunditia ſit notabilis, *c. Relinq. de Cuſtod. Euchar. in* 6. Immunditia vero non eſt cauſa amiſſionis Benedictionis; nam Corporalia tunc amittunt illam, quando ita lacerantur, ut amplius inſervire nequeant, non autem quando la-
vantur de novo, & amido imbuuntur, Paſqualig. *de* 7
Sacr. Nov. Leg. T. 2. *q.* 788.

Quæri poteſt hic, an nomine Corporalium, benedi-
cenda veniat quoque *Animetta*, nempe illa Palla, quæ 8
Calicem tegit, ita dicta quia quaſi Anima in corpo-
rali plicato includitur, & conſervatur, Vicecom. *lib.* 7. 9
cap. 5. & ideo Græcus Auctor illam *Pſichin* vocat, id eſt *Animam*. Alii deducunt hoc nomen ex *Antimenſia*; Vide Macr. in voce *Corporale*. Cui reſpondendum duco, non eſſe benedicendas iſtas *Animettas* ſpecifica Benedictione, ſed una, & ſimul cum Corporalibus, quia ſunt quaſi partes corporalium, & cadunt ſub eodem genere; De facto Rituale de his nullam præſcribit Benedictionem.

B E N E D I C T I O
TABERNACULI, SEU VASCULI
Pro Sacroſancta Euchariſtia conſervanda,
TITULUS SEXAGESIMUS OCTAVUS.

S U M M A R I U M.

1 *Tabernaculum eſt benedicendum.*
2 *Tabernaculum quid ſit?*
3 *Paſtophorium etiam appellatur.*
4 *Quid nomine Vaſculi intelligatur?*
5 *Eſt quaſi Pyxis.*
6 *Pyxis benedicenda.*
7 *Pyxis Oleo Sacro non inungitur.*
8 *Aliud Vaſculum pro Pyxide inſerviens.*

1 TAbernaculum ligneum, in quo aſſervenda eſt Sacratiſſima Euchariſtia, benedicendum eſſe ſtatuta
2 prece habemus *in Conc. Prov. Med. 6.* Quid vero ſit Tabernaculum ſatis explicatur a Gavant. *P. 3. de menſu-*
3 *ris propriis Sacræ ſupellectilis, & P. 2. tit. 2. litt. g*, quod alias *Paſtophorium* appellatur, ut diximus in explicatione *Tituli 23. num. 62. de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.*

4 Quid vero veniat in hoc Titulo nomine *Vaſculi* pro Sacroſancta Euchariſtia conſervanda, dignoſci poteſt ex iis, quæ alibi diximus de Pyxide, quæ Vaſculum quan-
5 doque appellatur, ut habemus ex *Actis Eccl. Mediol. verb. Vaſa*. Pyxis igitur & ipſa eſt benedicenda, quia inſervit non unice Altari, ſed ipſimet Chriſti Corpori immedia-
6 ta: ſi enim benedici debet Tabernaculum, in quo Pyxis ſervari ſolet, multo magis debent benedici Pyxides; in quibus immediate aſſervatur Chriſti corpus conſecratum.

De ejus materie & figura vide quæ tunc diximus in enunciato Titulo: Hoc unum tantummodo addi poteſt, non debere iſta Vaſcula, ſeu iſtas Pyxides Oleo Sacro 7 inungi quemadmodum Calices, & Patenæ, ſed ſolum benedici, & Aqua benedicta aſpergi, quamvis enim Altari inſerviant, non adhibentur tamen ad Sacrificium conficiendum.

Eſt & aliud Vaſculum, quod Sanctiſſimæ Euchari- 8 ſtiæ inſervit, ad modum Capſulæ efformatum, italice *Scattola* nuncupatur, quod argenteum eſſe ſolet, & ſaltem intus inauratum, cum parva Cruce ſuper operculo. Adhibetur hæc Capſula ad intus reponendam Hoſtiam conſecratam, exponendam in Oſtenſorio, quando Tabernaculum capax non eſt ejuſdem Oſtenſorii, & ideo inſervit per modum proviſionis eidem Sacramento, nec pro alio uſu adhibetur. Iſta Capſula eſt, & ipſa benedicenda præſenti ritu, mutatis mutandis, eadem ratione, qua benedicitur Pyxis. Memini tamen 9 Card. de Verme Epiſc. Ferrariæ, in ſua Paſtorali Viſitatione, non approbaviſſe hujuſmodi Capſulas, & quaſcumque invenit, exaugurasſe, ratione illa fretus, non eſſe multiplicanda entia ſine neceſſitate, cum Pyxis ad hunc finem conſervandi Sacram Euchariſtiam ſit inſtituta, non vero Capſula: ſi vero Pyxis non haberetur, Calicem poſſe ad hunc uſum ſuppeditari, quemadmodum fit Feria V. in Cœna Domini, pro reponenda Euchariſtia in Sepulchro.

B E N E D I C T I O
N O V Æ C R U C I S,
TITULUS SEXAGESIMUS NONUS.

S U M M A R I U M.

1 *Occaſio benedicendi Crucem multiplex eſſe poteſt.*
2 *Benedictio hæc non eſt pro Cruce collocanda ſuper Altare.*
3 *In Cruce benedicenda eſſe non debet Imago Chriſti Crucifixi.*
4 *Benedictio hæc eſt tantum pro Cruce.*
5 *Cruces collocantur ad capita viarum.*
6 *Deferuntur in itinere a Peregrinis.*
7 *Ad diverſos alios uſus inſerviunt Cruces.*
8 *Benedictio hæc non eſt de neceſſitate, ſed de convenientia.*
9 *Rituale Romanum non inutiliter Regulas ſtatuit.*
10 *Opinio Auctoris circa hanc neceſſitatem.*
11 *An Epiſcopus dare poſſit hanc facultatem ſimplici Sacerdoti?*
12 *Sacerdotes adſtantes Benedictioni orare debent.*
13 *Claſſes diverſarum Benedictionum.*
14 *Sacerdotis nomen pluribus competit.*
15 *Crucis oſculatio eſt ſignum venerationis.*
16 *Inſuper eſt quædam tacita profeſſio Fidei.*

1 OCcasio novæ Crucis benedicendæ multiplex eſſe poteſt; nunquam vero pro Cruce ſuper Altare col-
2 locanda eſt facienda hæc Benedictio, eo quia textus loquitur de ſimplici Cruce, non autem de Cruce cum Ima-
3 gine Chriſti Crucifixi, quæ ex ritu collocanda eſt ſuper Altare cum Candelabris, hinc inde, & pro qua ſpecialis Benedictio ſtatuta eſt circa Imagines Jeſu Chriſti, Gavant. *p. 1. t. 20. de præparatione Altaris.*

4 Eſt ſermo hic de Crucibus (ex quacumque materia ſint) ſine Crucifixi Redemptoris Imagine, quæ variis de
5 cauſis conſtrui ſolent, & collocari in capitibus viarum, in triviis frequentioribus, in cœmeteriis, ut monet S. Carolus *Act. p. 1. Conc. Prov. 3.* Item ad Oſtia Religioſarum domorum, & præcipue Regularium ſtrictioris Obſervantiæ, prout ſunt Capuccini, & hoc tam in Civitatibus, quam extra illas, & in aliis locis, vel Sacris, vel honeſtis, in Clauſtris, in Hortis, & ſimilibus, ut arboribus illis perſpectis, Fideles ſeſe erigant ad ſummi myſterii in Cruce peracti gratam memoriam, & orandi, ſeu adorandi ſtimulum ſentiant, quotieſcumque illam inſpiciunt, vel illis occurrunt.

Peregrini inſuper nonnulli ſunt, qui pœnitentiæ cauſa 6 ad longinquas Urbes, & Sanctuaria inſignia procedere ſolent, bajulando magnas Cruces in Dominicæ Paſſionis memoriam. Item Confratriæ nonnullæ tempore pœni-
7 tentiæ publicæ, ſeu Sacrarum Miſſionum prægrandes Cruces erigere, & bajulare ſolent in viſitatione Sepulchrorum in hebdomada Sancta, vel alia pia, & devota occaſione. Cunctæ iſtæ Cruces ratio poſtulat, ſi ad res Sacras inſervire debent, ut ſtatuto ritu benedicantur; eodem pacto, quo S. Carolus *Prov. 4. p. 1.* ſtatuerat his verbis: *Cruces, & Sanctorum Imagines, ſolemniter, & ſtatutis precibus, ex Eccleſiæ ritu benedicantur.*

Utrum vero indigeant novæ Cruces hac Benedictione, diſerte diſputat Quart. *n. 321.* & concludit non eſſe hoc 8 de neceſſitate, ſed de convenientia, quia cum materialiter ſit res profana, quatenus componitur ex ligno, vel alia quavis materia, ratione benedictionis debet acquirere eſſe Sacrum, & ſic majorem honorem, & venerationem apud Fideles.

Non aſſentio tamen Quarto, in eo quod dicto loco loquitur de benedicenda Cruce collocanda in medio Altaris, quia hæc habere debet Imaginem Chriſti Crucifixi, ut diximus; & pro hac Imagine alia Benedictio præſcribitur, ſicuti hic ſpecialiter aſſignatur pro Cruce nuda ſine Imagine. Ideoque cum Rituale inutiliter ſuas Regu- 9 las, & ritus præſcripſiſſe dici non debeat, ego ſum in vo- 10 to, ut novæ Cruces benedicendæ ſint neceſſario, & ſit contra Ritum Eccleſiaſticum collocare Crucem non benedictam in loco publico, ut adoretur a Fidelibus. Quare invigilare ſuper hoc non parum debent Epiſcopi, quibus de jure competit hæc ſolemnis Benedictio, vel Prælati Regulares, qui habent hanc facultatem.

§. I. Sacerdos genuflexus ante Crucem, devote adorat, & oſculatur, & idem faciunt quicumque voluerint.

11 Patet ex hoc, poſſe Epiſcopum tradere ſimplici Sacerdoti facultatem benedicendi novas Cruces, quod vide. *Comment. ad Rituale*, tur contrarium rationibus a me in Titulo LXIV. adductis, cum quibus ſui in voto, non poſſe hanc faculta-

tem tradi ſimplicibus Sacerdotibus ab Epiſcopo: Nihilominus (quæſo, ne videar in mea opinione nimis conſtans) neque per hoc a ſupradictis recedo, quoniam nonnullæ, & quidem, meo videri, validæ rationes id comprobant.

Et primo. Per hoc quod verbum *Sacerdos* in præſenti
§. inſcriptum, vere ſignificet Sacerdotem ſimplicem (eo
magis quia paulo ante facta fuit mentio Epiſcopi) non
ſequitur, hoc debere dici de Sacerdote benedicente. Da-
ri poteſt, imo datur ſine dubio, quod inter adſtantes
huic benedictioni, reperiantur Sacerdotes, atque ideo,
ut detur illis tamquam dignioribus hæc præeminentia,
primo loco nominantur, & invitantur; & de facto ſe-
quuntur hæc verba: *& idem faciunt quicumque volue-*
12 *rint*. Ergo hic tractetur de gradibus Perſonarum aſſiſten-
tium, non de Miniſtro Benedicente.
Secundo. Claſſis Benedictionum hujus Ritualis in duas
13 partes dividitur. Prima eſt de Benedictionibus faciendis
a Parocho, vel a ſimplici Sacerdote: Secunda de Bene-
dictionibus ab Epiſcopis, vel aliis facultatem habentibus
faciendis. Si poſſet fieri a ſimplici Sacerdote, utique enu-
meranda eſſet hæc Benedictio in prima Claſſe. Sed eſt
in ſecunda, in qua enumerantur Epiſcopi, & qui de ju-
re, vel ex privilegio, ut diximus, facultatem habent,
ergo tantum ab iſtis facienda eſt, non vero ab illis.
Ulterius, nomen *Sacerdotis* convenit tam Epiſcopo, 14
quam Abbati, & Prælato, quia omnes ſunt Sacerdotes
(de Abbatibus intelligo, qui ad Sacerdotium jam pro-
moti ſint cum *Quæſt. d. n.* 35.) ergo non per hoc ve-
nit ſemper ſimplex Sacerdos.

Quod omnino adimplere cupiens piiſſimus Archiepiſcopus Ravennatenſis Criſpi anno 1723. die 26. Julii perſonaliter ſe contulit ad Terram Criſpini Diœc. Ravenn. in Legatione Ferrarienſi: & cum ibi FF. Minores Ord. Cappuccinorum novum cœnobium ædificare inchoaſſent, idem Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ſolemniter, & pontificaliter Magnam Crucem inibi fixam benedixit, magna populi frequentia, & miniſtrante Societate Sacrorum Stigmatum S. Franciſci, Ferraria illuc proceſſionaliter ad hoc opus translata.

Adoratio, & oſculatio Crucis, quam præcipit textus 15
noſter, ſigna ſunt venerationis, & quædam tacita Fidei 16
profeſſio compendioſa, qua proteſtamur, teſtificamurque
nos militare ſub Chriſti Vexillo, *S. Auguſt. in Pſ.* 141.

BENEDICTIO IMAGINUM
JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI,
B. M. Virginis, & aliorum Sanctorum.

TITULUS SEPTUAGESIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Imagines Sacræ cur adorentur?*
2 *Hæretici Iconoclaſtæ ſunt contra Imagines Sacras.*
3 *Eccleſia triumphat Imaginibus ſuorum Athletarum.*
4 *Uſus antiquiſſimus Sacrarum Imaginum.*
5 *Eccleſia ſtatuit, ut Imagines Sacræ benedicerentur.*
6 *Benedictio hæc an ſit neceſſaria?*
7 *Imagines Sacræ bene examinandæ ab Epiſcopis.*
8 *Imagines debent effingi juxta præſcriptum Sacrorum Canonum.*
9 *Pictores, qui ſecus agerent, puniendi ſunt.*
10 *Similiter, ſi Vultum alicujus Sancti ſimilem fecerint alicujus viventis.*
11 *Imagines benedici debent, antequam exponantur.*
12 *Benedictio hæc fieri debet ſolemniter.*
13 *Colores Paramentorum pro hac Benedictione.*
14 *Feſta Sanctorum peragenda ſunt in Paramentis convenientibus.*
15 *Quomodo decenter pingenda ſint Sacræ Imagines.*

1 HÆC Benedictio Sacrarum Imaginum, quæ a Fideli-
bus adhibentur ad venerationem Perſonarum in il-
lis repræſentatarum, atque ad imitationem, quantum fie-
ri poteſt, rerum ab eorum Prototypis geſtarum, prælie
multa ab Hæreticis, & præcipue ab Iconoclaſtis ſuſti-
2 nuit: nunquam vero per hoc, Sacræ Imagines fuerunt
ab Eccleſia eliminatæ, quin potius auctæ, & locupleta-
tæ quotidie ad venerationem inſurgunt, & quo plus an-
tiquitatis redolent, majori veneratione coluntur. Idem
3 triumphat Eccleſia ſuorum Heroum, & Athletarum Ima-
ginibus ſive ſculptis, ſive depictis, ſive impreſſis, ſive
tandem quocumque alio decenti modo efformatis ad con-
ſolationem, & utilitatem filiorum ſuorum. Quapropter
4 pius, & antiquiſſimus Sacrarum Imaginum uſus ex an-
tiquorum PP. ſcriptis Dionyſii, Athanaſii, Baſilii, &
aliorum colligi poteſt, quorum teſtimonia in ſeptima Sy-
nodo, *Act.* 3. 4. 5. magna ex parte referuntur, & a Sua-
rez *T.* 1. *in* 3. *part. diſp.* 54. *ſect.* 1. enumerantur.
Verum non nudas haſce Imagines adhiberi, & vene-
5 rari voluit Eccleſia: eas, ea præſcripta Benedictione ex-
ornari quoque ſtatuit; præcipue illas, quæ in Templis
publicæ venerationi ad Altaria exponuntur; quare non
eſt curandus Pignat. *t.* 9. *conſ.* 86. qui videtur negare
6 hanc neceſſitatem, dum dicit, hujuſmodi Imagines poſ-
ſe, ſed non debere neceſſario benedici. Cui opinioni ad-
verſatur Monacell. T. 4. *ad II. Tom. tit.* 16. *for.* 2. *n.* 330.
doctiſſime probans, quod Rubrica præſentis Tituli de
Benedictionibus Imaginum ſit conſtitutiva, non directi-
va; atque ideo debere omnino, & neceſſario ſervari, eo
magis quia præſcribitur, & præcipitur in Pontificali,
qui liber habet vim legis, ut docent Faguan. *in cap. Presbyt. num.* 41. *de Sacram. non iterr.* Pax Jord. *t.* 1. *l.* 5. *tit.* 12. *n.* 165. *&* *n.* 169. atque alii apud Monacell. *ibid. n.* 332. Nam hac Benedictione fit, ut res Benedictæ conſtituantur tantum Cultui Divino, adeo ut amplius non debeant in profanos uſus converti.

Qua occaſione Benedicendi hujuſmodi Imagines, fit, 7
ut Epiſcopi videant, & ſedulo examinent Tabulas, &
Picturas Imaginum, an ſint juxta præſcriptum *Conc.* 8
Trid. ſeſſ. 25. *de invoc. vener. & reliq. Sanct. & Sacr.*
Imag. & illas approbent, vel reprobent; cum in illis ni-
hil profanum, nihil inhoneſtum, nihilque falſum debeat
pingi, unde *Conc. Prov.* 4. *p.* 1. *t. de Sacr. reliq. &*
Imag. Pictoribus, & Sculptoribus, gravem mulctam, ac 9
pœnam, etiam interdicti ab Eccleſia, Epiſcopi arbitratu
proponit, ſi quid inordinate, aut præpoſtere, aut tumul-
tuarie accommodatum; ſi quid profanum, aut inhone-
ſtum effinxerint, & ſi vultum aliquem, nimium vero
vultui hominum notorio ſimilem pinxerint. Ubi etiam 10
præcipitur, ut benedicantur Imagines antequam expo- 11
nantur, neque hæc benedictio privatim habeatur, ſed 12
ſolemniter fiat, & ſtatis Precibus in Pontificali, vel Ri-
tuali libro præſcriptis conſecrentur, *Act. p.* 4. *l.* 1. *Inſtr. Fabr. Eccl. de Ritu Benedict. Imagin.* Plura vide in Sarnell. *Ep. Eccl. T.* 1. *Ep.* 37.

Sed contra Picturas, & Sacras Imagines indecentes, & immodeſte efformatas, ſtat pro cunctis Edictum de Mandato SS. D. Alexandri PP. VIII. in Urbe evulgatum ſub die 15. Julii 1690. relatum in Synodo Senogallienſi nuper coacta per eximium, & omni laude dignum ejus Epiſcopum Bartholomæum Caſtelli, tenoris videlicet:

GASPAR TIT. S. M. IN TRANSTYBERIM S. R. E. Presb. Card. de Carpinea, &c.

VOlendoſi provvedere agli abuſi, che poteſſero prati-carſi nelle Chieſe publiche, Oratorj, e Cappelle private per le pitture poco oneſte, che vi ſi collocaſſero, mentre in quegli ſteſſi luoghi, dove i Fedeli devono radunarſi per l'Orazione, non è giuſto vi trovino occaſione di ſcandolo. Quindi è, che inerendo agli altri Decreti ſopra tal materia altre volte emanati, giuſta le Sante Determinazioni del Sagro Concilio di Trento, ſi comanda eſpreſſamente a qualſivoglia Perſona, e ſpecialmente a tutti li Rettori delle Chieſe, ſotto le infraſcritte pene, che non permettano, che nelle Chieſe, Cappelle, ed Altari, iv eretti, come da erigerſi, nè in alcun luogo ſieno collocati, Quadri, Statue, Pitture, e Baſſi rilievi ſenza noſtra precedente licenza. E per la più puntuale oſſervanza di queſto, ſi ordina ancora, e ſi comanda a tutti li Pittori, e Scultori, che non ardiſcano, nè preſumano ſotto qualſivoglia preteſto dar fuori a tal fine Quadri, o Sculture, ſe prima d'incominciarle non averanno eſibito a Noi, e al noſtro Vicegerente i Cartoni, o Abbozzi, o Diſegni dell'Iſtoria, e fatto con le figure, come averanno da ſtare, per ottenerne a tergo degli ſteſſi Cartoni da reſtituirſi loro ſubito la licenza gratis, ſotto pena, oltre la perdita di tali Opere di Scudi venticinque a ciaſchedune, e per ciaſcheduna volta da applicarſi a luoghi Pii, e della Carcere, eſiglio, ed altre maggiori, riſervate a noſtro arbitrio.

erio. In oltre ſi prohibiſce parimenti a' Pittori eſporre nelle vie, e luoghi pubblici Figure oſcene, e troppo laſcive per la nudità, benchè profane; e molto più, ſe rappreſentaſſero coſe Spirituali, come di Santi, e Sante, certificando ognuno, che ſi procederà irremiſſibilmente, ſenza dichiarazione alcuna contro tutti all' eſecuzione delle pene di ſopra comminate, &c.

Dat. Romæ ex Ædibus noſtris, die 15. Julii 1690.

G. Card. Vicar.

Aleſs. Prevoſt Beneventura Segr.

13 Quo colore autem debeant eſſe paramenta, nempe Pluviale, ſive Stola adhibenda a benedicente in tali functione, nemo eſt qui doceat: ego puto, quod iſta Paramenta eſſe debeant coloris convenientis ordini hierarchico illius Sancti, ſeu illius Imaginis depictæ: nempe ſi Martyr, Rubea: ſi Confeſſor, aut Virgo, Alba; & hujuſmodi ad præſcriptum in Rubricis *de colore Paramentorum*: & ratio poteſt eſſe, quia talis Benedictio eſt particularis illius Sancti, vel Beati, nominatim expreſſi in Benedictione; cujus primum Feſtum tunc agitur, quando benedicitur, vel ſaltem, illa occaſione, & tempore. 14
Sed Feſta Sanctorum celebranda ſunt in paramentis illis convenientibus; ergo quoque in hoc loco.
Quomodo vero pingendæ ſint decenter Sacræ Imagines, vide Sarnell. *d. T. 4. Ep. 37. & T. 3. Ep. 7.* ubi multa utiliſſima ſcitu invenies. 15

RITUS BENEDICENDI,

Et imponendi primarium lapidem pro Eccleſia ædificanda, ſervandus a Sacerdote facultatem habente ab Epiſcopo,

TITULUS SEPTUAGESIMUS PRIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Hæc eſt prima Benedictio, in qua fiat mentio ſubſtituendi.*
2 *Eccleſiarum erectio ſpectat ad Epiſcopum.*
3 *Eccleſia erigi non poteſt, ſine Epiſcopi licentia.*
4 *Epiſcopus licentiam denegare non debet, niſi rationabiliter.*
5 *Lapidis primi impoſitio eſt de jure Epiſcopi.*
6 *Eſt actus Juriſdictionis, atque ideo committi poteſt.*
7 *Facultas poteſt tradi ab Epiſcopo ſimplici Sacerdoti.*
8 *Facultas hæc debet eſſe expreſſa.*
9 *Super ea facultate Inſtrumentum debet confici.*
10 *Formula delegationis.*
11 *Formula Inſtrumenti poſitionis primi lapidis.*
12 *Iſta actio non poteſt impugnari, ſi adſit Inſtrumentum.*
13 *Functio hæc debet innoteſcere habitantibus in illo loco.*
14 *Crucis plantandæ magnitudo.*
15 *Crux debet eſſe lignea.*
16 *Crux Chriſti ſcaturigo omnium Benedictionum.*
17 *Crux erigenda in loco eodem, in quo fabricari debet Altare majus.*
18 *Altare unicum erat in antiquis Eccleſiis.*
19 *Quinam figere debeat Crucem?*
20 *Sacerdos quilibet poteſt Crucem hanc plantare.*
21 *Dies ſtatuta fundationi primi lapidis.*
22 *Fieri hoc poteſt etiam die feſto.*
23 *Benedictio hæc fieri debet mane.*
24 *Lapis iſte poteſt eſſe ex marmore, vel ex latere.*
25 *Convenientius eſt, ut ſit lateritius.*
26 *Tophaceum ſaxum poteſt facile ſignari.*
27 *Lapis debet eſſe quadratus.*
28 *Lapis debet eſſe manualis, & facilis pertractationis.*
29 *Myſteria hujus Quadraturæ.*
30 *Lapis iſte debet eſſe angularis.*
31 *Myſteria, & rationes hujus formæ.*
32 *Lapis ponendus eſt in angulo ſuperiori.*
33 *Quare dicatur Lapis angularis?*
34 *Præparatio rerum anticipanda eſt rationabiliter.*
35 *Paramenta pro hac functione Alba eſſe debent.*
36 *Pluviale quare adhibeatur in hoc caſu.*
37 *Miniſtri neceſſarii pro hac functione.*
38 *Aqua luſtralis conſueta adhibetur.*
39 *Menſura loci benedicendi.*
40 *Herba hyſſopus an adhibenda pro hac Benedictione?*
41 Pſalmus 83. *quare in hoc loco recitandus aſſignetur?*
42 *Quare Sacerdos ſe convertat ad locum Altaris?*
43 *Nomen Dei, & Beatæ Mariæ Virginis nunquam reticetur.*
44 *Templa primo dedicantur Deo.*
45 *Secundario dedicantur Sanctis.*
46 *Sancti, quibus dedicatur nova Eccleſia, nominari debent.*
47 *Abuſus illorum, qui Sanctis dedicant Templa.*
48 *Dulia Cultus convenit Sanctis.*
49 *Tituli Eccleſiarum quomodo inſcribi debeant.*
50 *Teſtimonium majoris Baſilicæ S. Petri in Urbe.*
51 *Templa ſine expreſſa dedicatione antiquitus erigebantur.*
52 *Benedictio Lapidis quando initium habeat?*
53 *Lapis benedicendus debet eſſe paratus in loco convenienti.*
54 *Quare lapis aſpergatur Aqua Benedicta?*
55 *Quare conveniat, ut lapis ſit lateritius?*
56 *Signari debet cultri acumine.*
57 *Culter qualis eſſe debeat?*
58 *Signa leviter ſculpi debent in lapide.*
59 *Signa jam præventive ſculpta eſſe debent.*
60 *Cruces quot ſculpendæ ſint in lapide?*
61 *Praxis eſt contraria Ritui.*
62 *Singulæ ſex partes ſignandæ ſunt.*
63 *Forma primarii Lapidis.*
64 *Teſtimonium hujus formæ ex antiquo lapide Eccleſiæ Bergomensis.*
65 *Explicatio antiqui lapidis Bergomensis.*
66 *Litteræ quoque inſculpi poſſunt in dicto lapide, & Nummi infigi.*
67 *Reliquiæ item ſepeliri poſſunt cum lapide.*
68 *Litaniæ ordinariæ quænam?*
69 *Cantare illas in hac Benedictione decentius eſt.*
70 *Preces conſuetæ poſt Litanias non dicuntur.*
71 *Cæmentum paratum eſſe debet.*
72 *Quare cæmentum adhibeatur?*
73 *Cruces licet obſtruantur, myſterium non deſtruitur.*
74 *Cæmentarius aſſiſtere debet Sacerdoti.*
75 Antiphona *pro hac Benedictione unde deſumpta?*
76 Pſalmi 126. *ſignificatio.*
77 *Stola eſt ſignum authoritatis.*
78 *Tangere debet Sacerdos lapidem, non portare.*
79 *Catinus cum Aqua ad lavandas manus, paratus eſſe debet.*
80 *Officium, & induſtria Cæmentarii in locando lapide.*
81 *Immediate poſt impoſitionem lapidis, locus fit Sacer, & immunis.*
82 *Fundamenta Eccleſiæ debent ſaltem eſſe deſignata.*
83 *Fundamenta aſpergenda ſunt Aqua benedicta, & quare?*
84 Pſalmus 86. *quid ſignificet in hoc loco.*
85 *Circulus perfici debet in benedictione fundamentorum.*

ÆDIFICANDÆ Eccleſiæ tota ratio explicatur in hoc Titulo; & quia iſta Ædificatio ad finem Sacrum dirigitur, initium quoque Sacrum habere debet: Propterea de primo lapide in illa ponendo, & benedicendo hic ſermo habetur. aſſignaturque totum id, quod tum a Sacerdote, tum a Miniſtris, & adjutoribus operari debet, ut rite, & recte omnia, quæ ad hanc functionem ſpectant, perficiantur.

§. I. Eccleſiam ex Epiſcopi auctoritate tantum, juxta Sacrorum Canonum decreta, ædificari fas eſt: Si vero Sacerdos ejus ædificationis primarium lapidem benedicendi poteſtatem habens, ejuſmodi functionem peragat, hunc ritum ſervabit.

1 Hæc eſt prima Benedictio, in qua expreſſa fiat mentio de facultate tradenda ſimplici Sacerdoti ab Epiſcopo, quia vere extra omnem controverſiam eſt, Eccleſiarum fundationem, ſeu erectionem ad Epiſcopum unice
2 ſpectare; ex *c. quicumque 16. q. 7. c. ſtem. 16. q. 5. c. nemo, de conſecr. & c. authoritatem, de privileg. in 6.* in quibus locis concluditur, novam Eccleſiam erigi non poſſe ſine
3 Epiſcopi licentia: Et hoc verum eſt, etiam ſi quis haberet privilegium Eccleſias ædificandi, quia intelligitur ſine præjudicio juris Epiſcopi. Concurrentibus tamen cauſis rationabilibus, Epiſcopus licentiam denegare non debet, Monacell. *d. T. 1. tit. 6. form. 10. n. 2. 3.* Si igitur de 4
juribus Epiſcopi eſt ædificatio Eccleſiarum, erit etiam de ejuſdem juribus materialis conſtructio ipſius: & cum hæc conſtructio fieri nequeat niſi per lapidum impoſitionem, iſtius lapidis impoſitio erit quoque de 5
ejuſ

Commem. ad Rituale.

ejuſdem Epiſcopi juribus, hac tamen animadverſione,
6 quod cum iſta ædificatio non ſit actus Ordinis, ſed ju-
riſdictionis, poteſt Sacerdoti etiam non Epiſcopo, &
inferiori delegari, quandoquidam actus Ordinis nemini de-
legari poſſunt, qui Epiſcopi charactere non ſit inſignitus.
7 Facultas igitur benedicendi, & imponendi primarium
lapidem in ædificatione Eccleſiarum poteſt ab Epiſcopo
tradi ſimplici Sacerdoti, quia iſta eſt actus juriſdictionis;
atque ideo inſcribitur iſte Ritus in hoc Rituali, quia
functiones ibi deſcriptæ, omnes, & ſingulæ poſſunt e
Sacerdotibus peragi, quamvis nonnullæ ſint de juribus
Epiſcopalibus. Sed iſta facultas debet eſſe expreſſa, non
8 vero tacita, atque ſuper ea debet Inſtrumentum poſitio-
9 nis primi lapidis confici e Cancellerio Epiſcopali, cu-
jus Inſtrumenti radix, & fundamentum eſſe debet iſte
delegatio in ſcriptis ab Epiſcopo ſecta. Quapropter pro-
vida Monacell. *d. 3. Append. form. 4.* affert formulam
ejuſdem delegationis, quam hic tranſcribere minime pi-
get, ut omnibus innoteſcat.

10 *N. N. Epiſcopus, &c.*

Dilecto, &c.

*Cum ad inſtantiam N. in loco N. noſtræ Diœceſis, ædi-
ficari debeat nova Eccleſia ſub invocatione S. N. Nos aliis
gravioribus negotiis præpediti, illuc perſonaliter accedere
non valentes, tibi facultatem committimus, & delega-
mus, ut vice, & authoritate noſtra, & ſervata forma in
Pontificali & Rituali Romano præſcripta, primum lapi-
dem in fundamento ipſius Eccleſiæ ſolemniter ponas. Vo-
lumus autem, ut præſentes noſtræ delegationis litteras,
una cum actu publico peractæ functionis in Archivio N.
reponere, & ad nos authenticum exemplar tranſmittere
debeas,*

Datum, &c.

N. Epiſcopus N.

Loc. ✠ Sigilli.

N. Cancellarius.

Formula vero Inſtrumenti poſitionis primi Lapidis eſt
hujuſmodi.

In Dei Nomine. Amen. 11

*N. N. Presbyter ab Illuſtriſs. & Reverendiſs. ſeu,
&c. N. Epiſc. N. delegatus.*

*Exiſtens in loco N. vocabulo N. in quo N. intendit no-
vam Eccleſiam ſub invocatione S. N. ædificare, ubi Crux
lignea erecta conſpiciebatur, indutus Amictu, Alba, Sto-
la, & Pluviali albi coloris, exorcizata cum Sale Aqua,
lapidem primum benedictum, in fundamento ipſius Eccle-
ſiæ, ſervata forma in Rituali Romano præſcripta, populo
adſtante, ſolemniter poſuit, & mandavit mihi Notario
infraſcripto, ut de prædictis publicum Inſtrumentum con-
ficerem, prout rogatus fui. Præſentibus diſcretis Viris N.
N. Teſtibus.*

Actum, &c.

Loc. ✠ Sigilli.

Ita eſt N. Notarius, &c. 12

Hæc ſunt quæ convalidant actum, legitimumque red-
dunt tam benedictionem, quam impoſitionem primi la-
pidis, adeout nequeat impugnari.

§. II. Pridie quam primarius lapis benedicatur, Ligneam Crucem, in loco ubi debet eſſe Altare, figat ipſe, vel alius Sacerdos.

13 Anticipatio hæc fit, ut habitantibus, & prætereunti-
bus innoteſcat deſtinatio hujus loci Sacri, & ſaltem ali-
quo obſequio veneretur, nec ita violanter fiat, & imme-
diate iſte tranſitus de loco profano ad Sacrum. Preces
enim Fidelium anticipatæ, magis divinam voluntatem
præparant, & movent, ad cœleſtem Benedictionem im-
pertiendam. Item per Crucem ibi plantatam anticipa-
tur expulſio, vel compreſſio Dæmonum, ne amplius in
prædicto loco vim habeant nocendi: atque ita fit, ut
quando Sacerdos accedit poſtridie ad peragendam functio-
nem, locus non indigeat exorciſmis, neque nova expia-
tione.

14 Aſſignatur materia hic, non vero magnitudo hujus
Crucis: ideo arbitrariæ menſuræ eſſe poteſt, dummodo
talis ſit, ut emineat, & valeat in competenti diſtantia
conſpici etiam ab illis, qui extra locum benedicendum
adſtent.

15 Lignea eſſe debet, ut facile a Sacerdote plantari va-
leat, non vero tam gravis, ut illi ſit magni incommo-
16 di: Fitque etiam ad imitationem Dominicæ Crucis, quæ
vere lignea fuit, & fons omnium Benedictionum, Quart.
17 *d. nu. 193.* unde cum locus iſte benedici debeat, ab ea
principium deſumendum eſt.

18 Quando Textus dicit, debere Crucem plantari *ubi de-
bet eſſe Altare*; intelligitur de Majori Altari, quia vere
antiquitus non niſi unum Altare erigebatur etiam in
Baſilicis, ad ſignificandam Unitatem Sacrificii, & Chri-
ſti; ut ex S. Ignatio Martyre, *Epiſt. ad Philadelph.* qua-
propter appellatur ab Euſebio: *Unigenitum Altare*, 10.
Hiſt. Eccl. Et cum hæc vox *Altare*, quaſi ab *Alta Ara*
proveniat, Macri *Hierolex.* ideo de altiore Altari, quod ſo-
lat eſſe majus, debet intelligi, non vero de minoribus.

Hanc Crucem debet figere, vel ipſe benedicens, vel 19
alius Sacerdos. Caſtald. in *Prax. l. 2. ſect. 11. cap. 5. n.*
5. aliter faciendum præſcribit; nam vult, quod ipſe qui
benedicturus eſt lapidem, figat Crucem; & inſuper ip-
ſe, vel alius Sacerdos præparet etiam Lapidem quadra-
tum, & angularem, qui in fundamento plantari debeat.
Sed attendenda magis eſt præſcriptio noſtri Textus: dum
enim dicit, quod vel ipſe, vel alius Sacerdos, figat
Crucem, videtur ut liberum locum relinquat. Laudabi- 20
lius credo tamen eſſe poſſe, ſi hoc fiat ab alio Sacerdo-
te; nam qui benedicturus eſt lapidem, cum vices gerat
pontificales, conveniens eſt, ut in loco non appareat
niſi ad talem Benedictionem, & impoſitionem pontifi-
caliter faciendam, eo magis quia non præſcribitur a
Rubrica, an Sacerdos in actu iſtius plantationis debeat
Sacris Veſtibus eſſe indutus. Quapropter, cum tam in-
fixio Crucis, quam præparatio lapidis aliquid ſervile ha-
beat in ſe, opinor quod potius Sacerdoti pertineat,
quam delegare, quia iſte Pontificis vices ſuſtinet, ille
Miniſtri.

§. III. Sequenti vero die, lapis in Eccleſiæ fundatione ponendus, qui debet eſſe quadratus, & angularis, benedicatur hoc modo.

21 Hæc dies debet eſſe immediata, ac ſubſequens illi,
in qua fixa fuit Crux, niſi aliud obſtet, & ſine ma-
gno incommodo fieri poſſit: puta ſi pluvia, vel nix,
vel aliud impediret facilem acceſſum ad locum deſigna-
tum.

22 Nec refert ſi ſit feſtivus; imo cum hæc actio ſit Sa-
cra, congruum magis videtur, quod ſit talis dies, ut
cum ſolemnitate concordet: opus enim hoc, quod per
cœmentarium fit, non dicitur ſervile, cum in Dei hono-
rem fiat, ex Tamburino in *Decalog. l. 4. c. 3. §. 2. n.
3.* ubi *de Dei cultu.*

An vero in mane facienda ſit Benedictio hæc, vel
23 poſt Veſperas, Rubrica omnino negligit dicere: quare
pro libito erit Sacerdotis Benedicentis hoc facere vel
uno, vel alio tempore. Congruentior tamen videtur,
quod in mane fieri debeat ante Miſſæ celebrationem,
& priuſquam Sacerdos, & Miniſtri, rebus ſæculi immi-
ſceantur.

24 Modo de Lapide. Primo Lapis iſte a ſaxo vivo poteſt
eſſe, & ex latere, cum nihil circa hoc Textus noſter præ-
ſcribat. Verum videtur magis conveniens materia lateri-
25 tiæ, ſi conſideremus, quod per manus Sacerdotis cultrum
tenentis, debet in eo ſculpi ſignum Crucis per ſingulas
ipſius partes, ut infra demonſtrabitur ex præcepto Rubri-
cæ: non enim ita facile ſculpi quidquam poteſt in vivo
ſaxo, niſi ſit tophaceum, quod facile a quocumque fer- 26
ro ſignari, et incidi poteſt.

Quadratus inſuper debet eſſe iſte lapis, nempe ut ha- 27
beat quatuor latera recta æqualia, & totidem angulos
rectos, ut facile collocari poſſit in loco deſignato, &
firmiter jaceat ſine adjumento alterius lapidis, vel ſa-
xorum minutorum.

Ulterius talis decet ut ſit, qui facile pertractatur, & 28
in quacumque ejus parte ſculpi poſſit ſignum Crucis,
ut diximus; ſi enim eſſet informis, nec figuram quadra-
tam præſeferret, nullo latere ſculpi poſſet. In quadro 29
etiam poſitam Civitatem Dei Joannes aſſerit, *Apoc. 21.*
Jeruſalem quoque eodem pacto, & in quadrata figura,
ædificata, & innovata fuit per Jonathem, *1. Machab.*
10. ex quibus myſtica, & moralitas deduci poſt myſte-
rium noſtri lapidis quadrati.

Angularis quoque præcipitur, ut ſit iſte lapis. Hæc 30
vox Synonyma eſt, & æquivalet *Quadrata*: ſed multis
de cauſis hoc titulo appellatur lapis noſter in hac cære-
moniæ: Chriſtus enim tali nomine pluries appellatur in 31
Divinis Scripturis, rationibus, & cauſis ab interpretibus
explicatis, quarum mentio habetur in Orationibus pro
hac Benedictione adhibitis.

Rat-

Rurſus dicitur Angularis non tantum quia per latera
32 ſua quadrata faciat quatuor angulos, ſed quia ponitur in
angulo ſuperiori Eccleſiæ ædificandæ; & faciens caput
anguli, jungit utrumque angulum, quemadmodum de
Chriſto Redemptore canit Eccleſia in Hymno dedicationis.

Summi Parentis filius,
Domus ſuperna, & infima,
Utramque junxit angulum.

Hic ergo lapis, notat Clar. *in Act. 4. utrumque Parie-*
tem conjunxit & Judæorum, & Gentium in unam Fidei
conſpirationem; unde de Chriſto dicitur, *Act. 4.* quod fa-
ctus ſit *caput Anguli*. Quæ omnia latius explicavi *anno*
1724. in ſexageſima quarta mearum Lectionum ſuper *Act.*
Apoſt. habitarum in Eccleſia Cathedrali Ferrariæ.
Itaque lapis iſte imponendus in Eccleſia, & pro Ec- 33
cleſia ædificanda, dicitur angularis eo potiſſimum, quia
a duobus angulis inſpici debet, & facit caput anguli Ec-
cleſiæ ædificandæ.

§. IV. Sacerdos indutus Amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis, Salem, & Aquam benedicit, niſi prius in promptu habeat jam benedictam ordinaria benedictione, ut ſupra, & interim dum cantatur a Clericis Antiphona cum Pſalmo ſequenti, aſpergit locum, ubi Crux poſita eſt, cum aqua benedicta.

Caſtaldus *in Prax. lib. 2. ſect. 11. c. 5. n. 2.* provida anti-
cipat præparationem rerum neceſſario adhibendarum in
hac Benedictione, dum dicit: *In die, quo lapis eſt be-*
34 *nedicendus, paretur loco congruo menſa cum Sacerdotalibus*
indumentis albi coloris, videlicet Amictu, &c. quibus in-
dutus, adſtantibus Sacerdotibus, & Clericis, ſuperpelliceo
indutis, benedicet Aquam, &c.
Indumenta hæc ſunt albi coloris, ea potiſſimum ra-
35 tione a Gavanto adducta in *Dedicatione Eccleſiæ*, juxta
illud: *Amicti ſunt ſtolis albis Apoc. 7.* in Dedicatione
Cœleſtis Jeruſalem.
36 Adhibetur in hac functione Pluviale, quia iſte eſt ha-
bitus viatorius, & Benedictio hæc fit ſub die, quamvis
Proceſſio non fiat.
37 Miniſtri vero neceſſarii pro peragenda hac Benedictio-
ne plures ſunt, ſed ſaltem unus Sacerdos de neceſſitate
eſt, ſi Crucem debet figere in loco deſignati Altaris, ut
diximus *in §. 2. hujus Tituli*. Omnes iſti Miniſtri a-
ctionem hanc magis ſolemnem faciunt, ideo neceſſa-
rii videntur, ſaltem ut cum Sacerdote benedicente pſal-
lant.
De Aqua Benedicta ſatis diximus ſuo loco: hic nihil
ſubdo, niſi quod nulla particularis Benedictio ſtatuta eſt
ab Eccleſia pro hac Aqua, ſed communis, & conſueta,
qua aſpergi debet locus Crucis, nempe locus deſignatus 38
pro conſtruendo Altari, ubi Crux fixa fuit. Menſura igi-
tur hujus loci tranſcendere non debet menſuram Altaris 39
conſtruendi una cum ſuis gradibus. Pro iſta aſperſione
aliqui utuntur aſperſorio, ſeu faſciculo ex herba hyſſopo 40
viridi compacto, ut demonſtrat Pontificale Romanum in
ſuis Tabulis, ſed Rubrica noſtra hoc non docet.
Pſalmus: *Quam dilecta Tabernacula, &c.* præſcriptus 41
& aſſignatus, ut hoc tempore cantetur, eſt 83. in ordi-
ne Pſalterii Davidici; atque in eo mentio fit *Taberna-*
culi, Atrii, Domus Dei, Nidi, Altaris, & aliarum re-
rum, quæ cum Templo Deo dicato concordant.

§. V. Finito Pſalmo, Sacerdos verſus ad locum per eum aſperſum dicit: *Oremus, &c.*

Scil. ad locum Altaris conſtruendi, ubi Crux fixa eſt.
42 Sed quæri poteſt cur Sacerdos ad hunc locum Altaris
conſtruendi ſe convertat, ſi tota Eccleſia benedicanda
eſt? Reſp. cum Quart. *tit. 2. dub. 2. nu.* 158. Eccleſias
præcipue dedicari in ordine ad Sacrificium. Sacrificium
autem eſt peragendum ad Altare, ergo ad Altare prin-
cipaliter reſpicere debet, implorando gratiam Divi-
nam.

§. VI. Nominando Sanctum, vel Sanctam, in cujus honorem, ac nomen fundatur Eccleſia.

43 Nomen Dei, & B. Mariæ Virginis nunquam retice-
tur, quia primario Templa dicantur Deo, & pertinent
44 ad cultum Latriæ: Secundario vero dicantur Sanctis ab
45 Eccleſia approbatis, qui expreſſe nominari debent in actu
46 Benedictionis, utpote quibus nuncupantur ſecundario, &
minus principaliter. Hinc eliminandus venit abuſus illo-
47 rum, qui in fronte Eccleſiarum Titulum, & epigraphem
imponunt hujuſmodi, & quidem litteris cubitalibus; e.
g. DEO. DIVOQUE N. titulari Sancto, ut videre eſt
in nonnullis Civitatibus. Qui error in hoc conſiſtit; quod
non poteſt dici Eccleſiam ullam eſſe dicatam Sancto par-
ticulari, ſed ſoli Deo, in honorem Sanctorum: Et ſub
hoc reſpectu, quatenus dedicatio refertur indirecte ad San-
48 ctos, continet cultum Duliæ, quo Sanctos, & Dei Ami-
cos veneramur. Tituli igitur Eccleſiarum hoc pacto in-
ſcribi deberent juxta ſaniorem doctrinam: DEO. IN 49
HONOREM. SANCTI. N. de quo teſtimonium habe-
mus in majori Baſilica S. Petri de Urbe, cujus Frons ita
ſonat: IN HONOREM PRINCIPIS APOSTOLO- 50
RUM; ut fuſius demonſtravi in meo *Commentario Hi-*
ſtorico de Antonio Muſa Braſavolo, §. 1. pag. 62.
Sine dedicatione quoque, ſaltem expreſſa, ab antiquis 51
ædificabantur Eccleſiæ, ut videre eſt in antiquo Marmore
apud me exiſtente his litteris inciſo, una cum tribus ma-
nibus apertis pro ſtemmate illorum de Maynardis, Eccleſiæ
illius fundatorum, quæ modo demolita eſt, extabatque in
Pomœrio Arcis Ferrariæ, ubi talis inſcriptio fuit effoſſa.
✠ M.CCLXXXVIII. FACTA EST HÆC ECCLE-
XIA PRO ANIMA D. OTOLINI DE MAYNAR-
DIS ✠

§. VII. Poſtea ſtans benedicit primarium lapidem dicens: *Adjutorium noſtrum, &c.*


52 Hic vero incipit Benedictio Lapidis, nam quæ antece-
dunt, ſunt præparatoria ad hoc. Ubi advertendum,
quod lapis iſte debet eſſe paratus in loco convenienti
53 ſupra Menſam ad id electam, ut commode fieri poſſit
Benedictio, & alia quæ præſcribuntur facienda a Sacer-
dote ſtante in ſignum auctoritativum, ſeu imperativum,
Barboſ. *de dict. verbo ſtare.*

§. VIII. Tunc aſpergit lapidem ipſum Aqua Benedicta, & accepto cultro per ſingulas partes ſculpit in eo ſignum Crucis dicens: *In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ Amen.*

54 Aſperſio iſta fit, ut abjiciatur omnis diabolica inſidia,
ſi adſit, ut alias notavimus in aliarum rerum aſperſioni-
bus antecedenter.
55 Atque hic evidenter patet, quomodo conveniat, hunc
56 Lapidem eſſe potius lateritium, quam marmoreum; nam
57 cultri acumine debet ſignari. Iſte culter debet eſſe acutus,
ſed levis, & manualis, non autem menſarius, neque pli-
catilis; & ſi fieri poſſit, cum manubrio argenteo, vel
ſaltem eburneo, ob dignitatem miniſterii. Nec Sacerdos
debet illo violenter uti, tanquam ſi malleo percuteret;
nam ſufficit, ut ſigna leviter in lapide appareant ſcul-
58 pta. Verum cum iſta ſigna leviter ſculpta cito deper-
dantur, & obliterentur, fieri ſolet, ut per omnia
Sæcula ibi fixa remaneant, quod jam per ſcalptum
lapicidæ præventive ſculpta ſint ſormiter ſuis locis, 59
licet Epiſcopus, vel Sacerdos benedicens nihil aliud
præſtet, niſi ſervilem manuductionem cultri per ſi-
gna, & Cruces jam ſculptas, præſertim ſi lapis ſit ex
marmore.
Quot vero Cruces ſculpendæ ſint in iſto Lapide, va- 60
ria eſt opinio. In praxi unicam tantum vidi in prima 61
fronte lapidis ſignatam tunc cum novæ Fabricæ, ſeu
reædificationis Eccleſiæ Cathedralis Ferrariæ primum
impoſuit Lapidem Cardinalis de Verme ſemper re-
colendæ memoriæ. Verum Rubrica noſtra aliter do-
cet, & hæc omnino ſervanda eſt, quamvis in contra-
rium praxis ſuadeat; eſt enim corruptela, & abuſus
omnino a Magiſtris Sacrarum Cæremoniarum non

62 tolerendus. Verbe itaque Textus noſtri ſunt: *Accepto culteo, per ſingulas partes ſculpit in eo ſignum Crucis, &c.* Singulæ ergo partes hujus lapidis deſignantur, & hujuſmodi partes, meo videri, non duæ ſunt, ſed ſex, nempe, pars enterior, pars poſterior: latus dextrum, latus ſiniſtrum, caput ſuperius, & caput inferius, cum Lapis ſit quadratus, & quatuor latera habeat æqualia præter anteriorem, & poſteriorem partem. Quando igitur Textus dicit: *Per ſingulas partes*, ſaltem, & ad ultimum intelligit de parte non una, ſed bina, nempe anteriori, & poſteriori: attamen ly *ſingulas* auget numerum harum partium: ſi enim eſſent duæ tantum partes, diceret, *per ambas partes*, vel, *partem ſuperiorem, & inferiorem*; prout habemus in Ritu *Benedicendi novam Eccleſiam*; de quo infra: ubi: *Interim aſperget internos parietes in parte ſuperiori, & inferiori*. Cum itaque aliæ partes adſint in illo Lapide, & ſingulæ ſint benedicendæ, iſta dictio *ſingulas*, tribuis cuilibet parti actum ſimilem, & importat diviſionem, & disjunctionem, per allegat. a Sacr. *deciſ.* 378. n. 5. & poſt alios enunciatos a Barboſa *in dict. uſu ſequent.* 372. Bertazzol. *de Clauſul. Inſtr. Cl.* 4. *gloſſ.* 3. *ſub num.* 21.


63 His poſitis dico, Lapidem primerium quadratum, & angularem hujus hic deſcriptæ formæ debere eſſe:




Atque in eo ſculpi debere Crucem in quacumque ſui parte, ſeu in quocumque latere, uſque ad ſenarium numerum.

Neque hoc meo marte effingere, aut opinari auſus ſum: teſtimonium enim habeo ſatis antiquum quod aſſertionem meam ſtatuit, & confirmat. Eſtque Lapis effoſſus ex aggeribus Padi fl. ad Villam Bregantini, Diœceſis, & Ducatus Ferrarienſis, tunc cum dicta aggera obſtruerentur, poſt magnam truculentamque Epiclyſim, quæ amplam Ferrarienſis, Venetique Territorii partem Aquis obruit, anno 1705. Lapis hic quadratus apparet, & angularis, lateritius, magnæ craſſitudinis, & per ſingulas partes ſignum Crucis ✠ inſculptus, characteribuſque magnæ antiquitatis hue, & illuc inciſus, prout hic deſcriptus notetur, exhibeturque erudito Lectori.

64



Pars anterior.



Pars poſterior.

65 Quod vero hic fuerit lapis primarius in fundamentis antiquæ Eccleſiæ poſitus, ſatis confirmatur, non tantum ex ſui figura, & Cruce toties inſculpta, ſed ac litteris licet informibus, & rudibus in illo inciſis, quæ hoc pacto videntur interpretari poſſe.

Pars Anterior.

S. MICHAELIS ARCHANGELI DE BREGANTINO. MCXXIII. PRO. INDICTIONE. Hic lapis perfractus eſt: ſed Indictio tunc temporis erat prima.

Pars Poſterior.

KALIXTO PAPA. MARCUS DE MELLARIA PRESBYTER.

Cui interpretationi mirifice favet id, quod Marcus Antonius Guerinus in ſuo Compendio Hiſtorico Rerum Ferrarienſis Eccleſiæ ſcribit. *l. 6. pag.* 433. de Eccleſia Villæ Bregantini verba faciens, nempe: *Si ritrovava quivi di più antica tempo edificata una Pieve a S. Michele dedicata, ricordata da Lucio II. da Aleſſandro III. da Gregorio VIII. ed in fine, da Uguccione Veſcovo, chiamandola la Pieve di S. Michele di Bregantino maggiore, a diſtinzione di Bregantinello, &c. Queſta poi per le paſſate guerre dirupata, &c.*

Ecce rudera veteris Eccleſiæ deſtructæ; ecce titulus S. Michaelis de Bregantino. Concordant quoque Anni 1123. cum Calixto Papa, quia, ut ex Annalibus Eccleſiaſticis habemus, Caliſtus II. ad Cathedram S. Petri evectus fuit anno 1119. seditque uſque ad Menſem Decembris 1124. Quo vero ad Marcum Presbyterum de Mellaria, fortaſſe tunc iſte fuerat Rector, ſive Parochus Plebis S. Michaelis, & ejuſdem Eccleſiæ, oriundus ex Oppido *Mellaria* ſito prope Bregantinum, Diœceſis, & Ducatus Ferrarienſis ad confinia Mantuani Ducatus.

Sed ut ad rem noſtram deveniamus, Iſte Lapis tantæ antiquitatis ſatis demonſtrat, Cruces ſculpendas eſſe in ſingulis ejus lateribus, & præter Cruces, litteras quoque 66 poſſe ſculpi, prout etiam in recentioribus ſæculis factum fuiſſe legimus in fundatione aliarum Eccleſiarum, de quibus vide ſuperallegatum Guarinum, & Andream Borſettum in *ſupplemento* ad eumdem, dum de Fundatoribus, & Fundationibus diverſarum Eccleſiarum loquuntur. Ubi etiam apparet, quod præter primarium lapidem, imo ſub ipſo, quandoque poſitæ, & ſepultæ fuerent Reliquiæ Sanctorum, & Numiſmata variis Imaginibus, etiam fundatorum, exarata; quorum nonnulla in Muſæo Nicolai Baruffaldi Patris mei conſpici poſſunt. 67

§. IX. Poſtea dicantur Litaniæ ordinariæ ſine Orationibus in fine poſitis: quibus dictis, parato cæmento, & Cæmentario aſſiſtente, Sacerdos inchoat, Clericis proſequentibus, Antiphonam, *Mane ſurgens, &c.*

68 Litaniæ ordinariæ ſunt Litaniæ Sanctorum, quæ majores etiam nuncupantur, Quart. *de Litan.* n. 223. 224.

69 Decentius eſt iſto loco, ut cantentur in conſueto tono, non autem ſimpliciter recitentur. Celebritas enim diei indiget, ut ſolemniter omnia fiant, atque expleantur omni debita veneratione: ideoque genibus flexis cantari debent, quia ſunt Preces.

70 Non dicuntur Orationes, & Preces conſuetæ, quæ ponuntur in fine Litaniarum Majorum, eo quia in hoc loco invocatur auxilium Dei, & Sanctorum ad illius loci Sacri cuſtodiam tantum, non vero ad opem implorandam pro Principibus, aut pro Animarum ſalute, & ideo ſufficit, ut invocentur tantummodo Sanctorum Nomine.

Cæmentum debet eſſe jam paratum, ne immoretur 71 inutiliter Sacerdos in peragenda Sacra functione, ſed celeriter ſe expediat: verba enim iſta concepta per ablativum abſolutum: *Cæmentario aſſiſtente*, involvunt conditionem, & formam neceſſario implendam, ut in cauſa Matrimonii affert Urſaye, *T.* 4. *p.* 2. *diſc.* 19. 72 *num.* 21. Uſus Cæmenti eſt, ut Lapis firmiter ſiſtat, ut & ſuperimponendis Lapidibus conglutinetur, nec refert ſi Cruces in Lapide ſculptæ Cæmento inquinentur, atque obſtruantur, quia Myſterium non oblitera-

teratur, & hoc non obſtante, perdurant illa ſigna, quamvis amplius ſub oculorum ſenſu non cadant.

74 Aſſiſtere inſuper debet Sacerdoti Cæmentarius, & patientiam præſtare, ut Lapis recte, *adamuſſim*, & *ad libellam*, juxta artis architectonicæ præcepta collocetur: hoc enim præſtare non valet Sacerdos illius artis *ignarus*.

75 Antiphona: *Mane ſurgens Jacob*, &c. deſumpta eſt ex Geneſ. *cap.* 28. ubi de Jacob habetur ſermo, qui ſcalam vidit dormiens ſuper Lapides, quos ille erexit in titulum.

Pſalmus vero: *Niſi Dominus*, &c. eſt 126. in ordine 76
Pſalterii, & dirigitur ad Hebræos, quando laborabant in ædificanda Domo Dei, & reſtauranda Civitate Jeruſalem, ex Bellarm. in *Pſ.* 126.

§. X. Quo dicto, Sacerdos ſtans tangit, & ponit ipſum primarium lapidem in fundamento, dicens: *In fide* &c.

77 Recitato *Pſalmo*, ſurgit Sacerdos, & ſtat rectus, authoritatem demonſtrans. Per illud verbum *tangit*, videtur hic ſignificari velle, quod cum Lapis non levis eſſe ſoleat, ſufficit, ut manu Sacerdotis tantummodo tangatur, ſed
78 elevetur a Cæmentario, & tactum continuando, iter quoque Lapidis proſequatur, manutenendo, ſeu tangendo Lapidem, donec in ſitu definito collocetur.

Meminerint aſſiſtentes, & præparantes, quæ neceſſario 79
adhibenda ſunt in hac functione, ut Catinus cum Aqua *pura* paratus ſit, una cum linteolo, ut lotis manibus Sacerdotis (qui tangendo, & tractando Lapidem de facili coinquinari poſſunt) illas tergat, & mundet.

§. XI. Interim Cæmentarius locat ipſum Lapidem cum cæmento: poſtea Sacerdos ſpargit ſuper lapidem Aquam Benedictam, dicens: *Aſperges*, &c.

80 Officium Cæmentarii eſt, ut diximus §. 9. locare Lapidem ſecundum artem. Aſperſio vero fit a Sacerdote, ut Cæmentum quoque Lapidem tangens benedicatur, & ita abjiciatur inſidia Diabolicæ fraudis.

81 Statim ac locatus eſt Lapis iſte primarius in Eccleſia, fit locus ille Sacer, & Immunis, non vero ante dictam impoſitionem: *S. C. Immunitatis in una Januen. 5. Octobr.* 1688. *relat. a Riccio Synopſ. verbo Eccleſia, n.* 2.

Sequitur cum toto Pſalmo *Miſerere*, &c. uſque ad *Gloria Patri*, &c. incluſive, ut hoc intermedio tempore Cæmentarius valeat Lapidem recte collocare, & conſolidare.

§. XII. Quo dicto, Sacerdos ſpargit Aquam Benedictam per omnia fundamenta, ſi ſunt aperta: Si vero non ſunt aperta, circuit aſpergendo fundamenta Eccleſiæ deſignata: & incipiens aſpergere inchoat Antiphonam Clero proſequente: *O quam*, &c.

82 Si non aperta, ſaltem ex arte deſignata eſſe debent fundamenta, ut totus appareat ſitus benedicendus, tan-
83 quam Deo dicatus, qui benedici debet hac aſperſione, ut aliquo modo ſanctificentur initia, quæ occulta jacebunt in ædificio. Pſalmus eſt 86. in quo cantatur laus 84
Jeruſalem, per quam Eccleſia Chriſtiana proculdubio intelligi debet.

§. XIII. Interim aſpergendo procedit uſque ad fundamenta aperta, ſeu deſignata. Et repetita Antiphona, ſtans dicit *Oremus*, &c. *Flectamus genua*, &c.

85 De puncto ad punctum fieri debet circulus circa fundamenta vel aperta, vel deſignata per quem iter ſuum facit Sacerdos aſpergens.

RITUS BENEDICENDI

Novam Eccleſiam, ſeu Oratorium publicum, ut ibi Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium celebrari poſſit.

TITULUS SEPTUAGESIMUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

1 *Ritus hic ſpectat ad Benedictionem, non ad conſecrationem.*
2 *Locus fit ſacer duplici modo.*
3 *Differentia inter Benedictionem, & conſecrationem.*
4 *Benedictio a quolibet Sacerdote miniſtrari poteſt.*
5 *Conſecratio a ſolo Epiſcopo fieri poteſt.*
6 *Eccleſia benedicenda debet eſſe nova.*
7 *Non vero opus eſt, ut ſit de novo ædificata.*
8 *Miſſam celebrare non decet, niſi in loco Sacro.*
9 *Eccleſia nec benedicta, nec conſecrata gaudet immunitate.*
10 *Benedictio, ſeu conſecratio præſumi non poteſt niſi probetur.*
11 *Probatio per unicum teſtem ſufficit.*
12 *Niſi Eccleſia fuerit Cathedralis.*
13 *Inferiores Eccleſiæ præſumuntur benedictæ, ſi ibi pluries celebratum fuerit Miſſæ Sacrificium.*
14 *Eccleſia poteſt dici nova poſt profanationem, & reſtaurationem.*
15 *Ampliatio, vel additamentum non facit novam Eccleſiam.*
16 *Eccleſia per deſtructionem amittit conſecrationem, ſeu Benedictionem.*
17 *Exemplum conſecrationis Eccleſiæ S. Dominici Ferrariæ.*
18 *Oratoria benedicuntur eodem ritu.*
19 *Pro Oratoriis erigendis debent verificari omnia in Brevi contenta.*
20 *Domus Religioſæ poſſunt habere Oratorium privatum.*
21 *Oratoria in Domibus Religioſorum benedici poſſunt a ſuis Religioſis.*
22 *Facultas benedicendi Eccleſiam poteſt tradi ſimplici Sacerdoti.*
23 *Facultas debet dari in ſcriptis.*
24 *Littera ſcripta manet.*
25 *Facultas debet regiſtrari cum copia Brevis.*
26 *Origo hujus Benedictionis antiquiſſima.*
27 *Antiquis temporibus non tam ſolemniter benedicebantur Eccleſiæ.*
28 *S. Sylveſter Papa ampliavit hunc Ritum.*
29 *Cauſa finalis hujus Benedictionis.*
30 *Eſſet inconveniens, ſi in Eccleſia nunquam litaretur.*
31 *Altaria eriguntur ad effectum ibi litandi.*
32 *Alba eſt adhibenda in hac Benedictione.*
33 *Color Albus convenit huic Benedictioni.*
34 *Miniſtri in hac Benedictione ſunt neceſſarii.*
35 *Crux ſemper debet elevari in Proceſſione.*
36 *Benedictio hæc fieri debet in mane.*
37 *Eccleſiæ poſſunt habere plures januas.*
38 *Oratorii ſufficit unica Porta.*
39 *De Januis aliqui Authores ſcripſere.*
40 *Janua major vere dicitur Janua.*
41 *Januæ minores vocantur licentiæ.*
42 *Stare eſt imperativi modi.*
43 *Caput aperitur ob reverentiam rei Sacræ.*
44 *Aſperſio cum Aqua benedicta quare hoc loco fiat?*
45 *Eccleſia debet libere poſſe circuiri.*
46 *Mœnia exteriora denudata eſſe debent, ſecluſo magno incommodo.*
47 *Eccleſia pro benedictione debet eſſe nuda, & vacua.*
48 *Tabula ſeu Icon Altaris tolerari poteſt.*
49 *Eccleſiæ pollutæ omni Sacra ſupellectile denudentur.*
50 *Altaria in Eccleſia benedicenda expoliata eſſe debent.*
51 *Eccleſia quare Populo vacua eſſe debeat?*
52 *Aſpergillum ex Herba Hyſſopo adhibendum.*
53 *Hyſſopi myſteria, & uſus.*
54 *Hyſſopi deſcriptio.*
55 *Herba Hyſſopo fides, & humilitas deſcribitur.*
56 *Hyſſopus eſt Herba admodum purificativa.*

57 Qua-

57 Quænam Herbæ adhibendæ eſſent, ſi non adinveniretur Hyſſopus.
58 Aſpergillum hoc fieri poteſt etiam ex Ocymo, Baſilicò.
59 Muri exteriores aſpergendi primo ſunt.
60 Fundamenta quænam vere ſint in Eccleſia, & quid ſignificent?
61 Ubi fundamentum non eſt, ſuperædificari non poteſt.
62 Parietes exteriores Eccleſiæ gaudent immunitate.
63 Benedictio unde initium ſumpſit, ibi terminare debet.
64 Hæc dici poteſt prima ſolemnitas illius loci.
65 Ibi genuflectitur, quia locus Sacer eſt.
66 Qui componunt Proceſſionem, intrare poteſt Eccleſiam,
67 Populus vero ſe abſtinere debet.
68 Cum Eccleſia benedicitur quoque Altare.
69 Nomen Sancti Titularis exprimendum.
70 Signum Crucis in aere ſculpi debet.
71 Litaniæ debent cantari.
72 Eccleſia intus, quando incipiat benedici.
73 Diſtantia Sacerdotis benedicentis ab Altare,
74 Cur recedat Sacerdos ab Altari?
75 Sacerdos debet facere Chorum intonando.
76 Diſtantia hæc dependet a numero miniſtrorum.
77 Sacerdos debet præſtare commodum ad Proceſſionem faciendam.
78 Tertia adoratio loci Sacri.
79 Proceſſio iſta quando inchoari debeat?
80 Pſalmorum, qui ibi cantantur, ſignificatio.
81 Si non ſufficiant, addi poſſunt alii Graduales.
82 Parietes interiores benedicantur eodem ritu ac exteriores.
83 Populus ingreditur expleta Benedictione.
84 Altaria immediate veſtiuntur albo colore.
85 Miſſa defunctorum tali die celebrari non poteſt ibi.
86 Miſſa de Dedicatione eſſet celebranda.
87 Eccleſia Benedicta debet ab Epiſcopo conſecrari.
88 Benedictio eſt in ſubſidium, & ad modum Proviſionis.
89 Eccleſia de jure conſecranda eſt.
90 Oratoria tanta ſolemnitate non indigent.

BENEDICTIONIS hujus Titulus multa animadver-
ſione indiget, antequam ad explicationem Rubri-
carum in eo contentarum deveniamus, & primo, adver-
1 tendum eſt, Ritum hunc ad Benedictionem ſpectare,
2 non vero ad conſecrationem: Duplici enim modo fit lo-
cus ſacer: per Benedictionem, & per Conſecrationem.
3 Benedictio ſimplex, & Conſecratio Eccleſiarum diffe-
runt in hoc, quod prima minori ſolemnitate fit, quam
ſecunda: ſimplex enim Benedictio, quæ verbalis dicitur,
fit ſolis verbis, & ſimplicioribus Ritibus: Conſecratio
vero eſt Benedictio realis, quæ fit unctione ex Sacro O-
leo, & Chriſmate, a quibus nobilius ſignificatur excel-
4 lentia divinæ majeſtatis, cui Templum dedicatur. Pri-
ma a quolibet Sacerdote miniſtrari poteſt (habita tamen
facultate ab Epiſcopo) ſecunda ad Miniſtrum majoris
5 dignitatis pertinet, nempe ad ſolum Epiſcopum, Quart.
de Bened. ſolemn. num. 157. Ideoque cum Rituale Ro-
manum conſtructum fuerit ad uſum Parochorum, & ſim-
plicium Sacerdotum, ritum exponit benedicendi, non
autem Conſecrandi Eccleſiam.
6 Secundo, opus eſt, ut Eccleſia benedicenda ſit nova:
hoc vero non importat ut ſit de recenti ædificata: pot-
7 eſt enim dari caſus in quo antiquæ ædificationis ſit Eccle-
ſia, & nondum fuerit benedicta, neque in ea celebratum
fuerit divinum Sacrificium: Miſſam enim celebrari non
8 decet; communiter loquendo, niſi in loco Sacro, & ſpe-
cialiter Deo dicato, Quart. *ibid. n.* 157. Et in hoc caſu
talem Eccleſiam conſtructam, & fundatam authoritate
9 Epiſcopi, ſed nondum benedictam, vel conſecratam,
gaudere immunitate tenet Bellett. *diſp. Cleric. p.* 1. *de
favor. Cleric. eccl.* §. 4. *num.* 27. *& c. final. de conſe-
crat.* per allegat. a Monacell. *T.* 1. *t.* 6. *form.* 10. *num.* 24.
Nec præſumi poteſt iſta Benedictio, ſeu conſecratio, 10
niſi probetur ſaltem unico teſte, Barboſ. *de Off.* Ep.
Alleg. 27. *n.* 5. niſi hæc Eccleſia fuerit Cathedralis, 11
quia dicenti in contrarium incumbit onus probandi, Text. 12
in c. omnis Baſilicæ, de conſecr. diſt. 1. & firmat Rota co-
ram Manzan. *dec.* 801. *n.* 11. Ricc. *prax. Reſ.* 479. *tit.* 1.
Inferiores vero Eccleſiæ præſumuntur ſaltem benedi- 13
ctæ, ſi conſtet pluries ibi Miſſas celebratas fuiſſe; &
quod tunc gaudeant immunitate, diſtinguit Ambroſin.
de Immun. cap. 10. *num.* 2. Monacell. *ibid. n.* 2.
Nova etiam dici poteſt Eccleſia poſt profanationem, 14
& poſt reſtaurationem interius totalem, vel quaſi; *v. g.*
ſi novus ordo columnis, Cappellis, Altaribus, Pavimen-
to, parietibus circumdariis, tecto, & aliis eſſentialibus
partibus imponeretur, atque ita immutaretur ejus aſpe-
ctus, ut pene nova dici poſſit; non vero per additamen- 15
tum, vel ampliationem, aut perfectionem, quia hæc
non eſt nova conſtructio Eccleſiæ; ex Pignatell. *T.* 1.
conſ. 179. *num.* 15. Regula enim eſt eodem Pignatell. *T.* 10.
conſ. 39. allegata in vim *can. de Fabrica, de conſecr. diſt.*
1. *cap. propoſuiſti, & c. ligneis, de conſecr. Eccl.* per de-
ſtructionem, Eccleſiam amittere Conſecrationem, ſeu 16
Benedictionem; ſed in noſtro caſu deſtruuntur partes com-
ponentes Eccleſiam, licet permaneant in fundo jam be-
nedicto, ergo indiget nova Benedictione, ſeu Conſecra-
tione, Barboſ. *de Pot. Ep. T.* 2. *alleg.* 27. *n.* 13. utpote
factum fuit hic Ferrariæ de anno 1726. in Eccleſia S. 17
Dominici, jam anno 1274. primo lapide fundata a B. Al-
berto Prandono Epiſc. Ferrarien. quæ cum antiquæ ejus
ſtructuræ, per novam reædificationem (licet in antiquo
fundo jam conſecrato uſque ab anno 1555. a F. Thoma
Hiſtriæ Epiſcopo) formam immutaſſet, noviter ſolemni
ritu conſecrata fuit ab Em. & Reverendiſſ. D. Card. Tho-
ma Ruffo Epiſcopo Prænestin. & Ferrarien. immediate,
& poſtridie a peracta prima Synodo Diœceſana, nempe
die ſecunda Menſis Octobris ejuſdem anni 1726. Et ra-
tio notiſſima hujus Conſecrationis fuit, quia quamvis
mœnia circumdaria Eccleſiæ hujus pene eadem eſſent,
quæ primo conſtructa fuere, attamen tota forma intus
immutata remanſerat per novam Altarium, & Cappel-
larum conſtructionem, atque ipſius frontis, quæ antiqui-
tus ad occaſum extollebatur.
Præter Eccleſias, benedicuntur quoque Oratoria, ut 18
ex hoc Titulo apparet. Oratoria vero ſunt parvæ Ec-
cleſiæ, ſeu Cappellæ publicæ, quæ non poſſunt erigi abſque
Ordinarii licentia, *c.* 4. *de Privil. in* 6. Oratorium etiam
dicitur ſimpliciter locus, in quo non celebratur, quod
privata familia, abſque ulla licentia, erigere poteſt. *Gloſſ.
in d. c.* 4. *de Privil. in* 6.
Hic ſermo eſt de Oratoriis publicis, in quibus celebra-
tur divinum Sacrificium, & propterea benedici debent eo-
dem ritu, quo benedicuntur Eccleſiæ, ad hoc, ut gau-
deant immunitate. *S. C. Immun. in Sarzanen.* 13. *Junii*
1628. & divina Officia in eo celebrari poſſint.
Oratoria vero privata, quæ alias vocantur Capellæ,
ſeu Capellinæ, & in domibus Nobilium eſſe ſolent, vi-
gore alicujus Brevis Apoſtolici, non benedicuntur, ſed
ſufficit, ut in Altari adſit lapis ſacer, ſeu benedictus
more conſueto, & verificata ſint omnia in brevi enun- 19
ciata, Monacell. *T.* 4. *ſuppl. ad T.* 2. *n.* 171.
Domus Religioſæ quoque poſſunt habere Oratoria pri- 20
vata, & præcipue ſolent fieri in Hoſpitiis. Hæc benedici
poſſunt a Religioſis illius Hoſpitii, ut præcipue de PP. Re- 21
formatis notat Anaclet. *Op. Moral. T.* 3. *l.* 3. *t.* 10. *de Conſ.
Eccl. Reſp.* 6. *num.* 9. Atque hæc dicta ſint in genere pro
Benedictione novæ Eccleſiæ, ſeu Oratorii publici. Præ-
ſtat, ut ad explicationem Rubricarum deveniamus.

§. I. Sacerdos novam Eccleſiam, de licentia Epiſcopi, benedicturus, ut in ea Divinum Sacrificium Miſſæ rite celebretur, Stola ac Pluviali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus, & Clericis adhibitis, prælata Cruce media inter duos Clericos deferentes cereos accenſos, mane procedit ad primariam Eccleſiæ, vel Oratorii januam, ubi ſtans capite aperto, converſus ad eam, dicit abſolute Orationem, &c.

Inter jura Epiſcopalia, ut dictum eſt, illud connume-
ratur, benedicendi Eccleſias, non ita tamen, ut non
22 poſſit ab eodem facultas hæc minori Sacerdoti committi,
Barb. *Man. Ep. & de Pot. Ep. d. l.* Hæc vero facultas, &
23 licentia dari ſolet in ſcriptis, Monacell. *d. T.* 4. *ſuppl. ad T.
II. n.* 483. contra Pignatel. *Conſ.* 98. *n.* 43. Nam cum pro
24 forma debeat conſtare de approbatione loci, & de ejus Be-
nedictione, licentia oretenus habita perit; littera vero ſcri-
pta manet; & de ea apud Epiſcopos ſucceſſores conſtare de-
bet: imo hæc approbatio, ſeu licentia, una cum copia
25 Brevis debet regiſtrari in Cancellaria Epiſcopali, ne um-
quam de ea dubitari contingat, Monacell. *d. l. n.* 494.
26 Hujus Benedictionis origo antiquiſſima eſt; nam de S.
Sylveſtro legimus, quod Ritus, quos in conſecrandis Ec-
cleſiis, & Altaribus Romana ſervat Eccleſia, ipſe inſti-
tuerit. Nam etſi jam ab Apoſtolorum temporibus loca
fuerint Deo dedicata, non tamen illa adeo ſolemni ritu
conſecrabantur. Ex quibus, verbis, quæ in Romano Bre- 27
viario habentur ſub die 9. Novembris, in Dedicatione
Baſilicæ Salvatoris, Paulus Maria Quart. *de Bened. ſolemn.
in part. num.* 154. *prælud.* 1. infert, liquere, ſimpliciter
loquendo, Ritum benedicendi, & conſecrandi Eccleſias
originem ducere ab Apoſtolis, ſed a Sylveſtro (reddita
Eccleſiæ pace) ad ſolemniorem formam, quam modo 28
ſervat Eccleſia, redactum fuiſſe. Id etiam ſignificat S.
Clemens *ep.* 2. *ad Jacobum fratrem Domini:* Item *ex can.
Eccl.* 16. *q.* 7. & ex aliis juribus, & exemplis Sanctorum
Pontificum prædeceſſorum S. Sylveſtri.
Cauſa finalis hujus Benedictionis, eſt ut Eccleſia, quæ 29
eſt Domus Dei, tanquam locus ſacer, in majori honore,
& veneratione ſit apud Fideles, ut docet S. Thom. 3.
p. q. 83. *art.* 3. ſed major cauſa finalis eſt, ut in ea ſive
Ec-

Eccleſia, ſive Oratorio, Miſſæ Sacrificium celebretur: in-
30 conveniens enim eſſet, quod in Eccleſia, authoritate E-
piſcopi erecta, nunquam ea obligatione Miſſa litaretur,
cum ad hunc effectum Altaria ibi erigantur, Monacell.
31 *T. 1. t. 6. for.* 10. *n.* 5. Trott. *de perfecto Cleric. l.* 2. *c.*
28. *n.* 3. *de conſecr. diſt.* 1. *c.* 1. Nam ſi pro uſu tantum-
modo Orationum, & Piarum precum relinqueretur Ec-
cleſia, ſeu Oratorium, Miſſæ celebratio facile periret, &
Eccleſia tractu temporis derelicta remaneret, eſſetque de-
ſtituenda juxta monitum *c. ſi quis Baſilicam, cap. Eccleſiæ,*
& per tot. diſt. 1. *de conſecr.*

Veſtes aſſignatæ pro habenda hac Benedictione ſunt
Stola, & Pluviale, ſed Rituale, qua de cauſa neſcio,
prætermittit Albam, quæ ſuppletur a Caſtald. *Prax. l.* 2.
32 *ſect.* 11. *c.* 6. Ille eſt habitus Benedictionis ſolemnis, ut a-
lias diximus. Color albus convenit cum Miſſa de Dedi-
33 catione, & eſt de ritu talis ſolemnitatis, ob ſignum pu-
ritatis, & ſanctificationis illius loci.

Miniſtros aliquot poſtulat Rituale pro hac Benedictione,
34 & vere Miniſtri ſunt neceſſarii ad pſallendum, & ad plu-
ralitatem rerum agendarum in illa tam extra Eccleſiam,
quam intra; nec unus, vel duo ſufficiunt.

35 Quo vero ad Crucem: Myſteria Crucis plura ſunt, de
quibus alio loco diximus: Ratio vero fundamentalis hujus
prælationis eſt, quia cum hæc ſit Proceſſio, ſemper in
ea debet elevari Crux, quæ tamquam triumphale vexil-
lum, præcedat, ut in Titulo *de Proceſſionibus*, ſuo loco
dicemus.

Circa tempus hujus Benedictionis, ſciendum eſt, non-
nullas ex Benedictionibus ſolemnibus fieri debere determi-
natis anni temporibus, diebus, & horis, juxta ordinem
in Miſſalis, & Ritualis Rubricis aſſignatum. Hæc ha-
36 bet ſuum tempus præfixum, & eſt in mane, eo quia poſt
expletam Benedictionem, debet celebrari Sacrificium Miſ-
ſæ, quod nonniſi in mane peragi poteſt, Paſqualig. *de*
Sacr. nov. leg. c. 7.

Elata Cruce, procedere debet Sacerdos ad primariam
Eccleſiæ, vel Oratorii januam. Eccleſiæ, & Oratoria plu-
res habere poſſunt januas ob commoditatem ingredientium, 37
& egredientium: conſuetudo tamen eſt, ut in Oratoriis, una
tantummodo habeatur, quando non tam amplæ vaſtitatis 38
ſint: ſed in hoc attendenda eſt peritia artis architectonicæ.
Certe una ex iis major, & primaria eſſe debet, nempe
illa in fronte, quæ viam reſpiciat communem, & omni-
bus intrare volentibus pateat, quando opus eſt.

De Januis, ſeu Portis Eccleſiarum, & Oratoriorum lu- 39
culenter ſcripſit Marcellus Cavalieri in ſuo libro Italico:
Il Rettore Eccleſiaſtico iſtruito, Tit. 1. *per tot.* ubi de
earum ſitu, numero, forma & ornamentis ſatis erudite
loquitur. Inſuper, de earum uſu, & partibus, necnon de
aliis ad earum eruditionem ſpectantibus ſatis laudabilem
librum ſcripſit Gaſpar Sagittarius, *De Januis veterum*,
Altemburgi 1672.

Hic ad Januam majorem ſiſtere debet Sacerdos benedi- 40
cens; quia vere illa eſt Janua Eccleſiæ: Cæte-
ræ vocantur *Licentiæ*, ut habemus ex Alexandro Sar- 41
do in ſuo Opuſculo, *de Rerum Inventoribus*, quia illa
vere neceſſaria per ſe; aliæ vero reſpective, & ſecundum
quid, vel ut facilius evacuetur Eccleſia, vel ut fœminæ
ingreſſum habeant ſeparatum ab Hominibus, vel ob alias
cauſas, quæ a Cavallerio *l. c.* enunciantur: ſed iſta, quæ
appellatur primaria, omnibus patet, nec ſine ea dari
poteſt Eccleſia, vel Oratorium publicum.

Aliæ formalitates a Rituali præſcriptæ in hac Benedictio- 42
ne decent: *Stat* enim Sacerdos, tamquam imperativo
modo, quia ipſe Dominus, & Rector eſt actionis illius:
Caput aperit, ob reverentiam rei Sacræ, quam tractat: re-
citando enim Orationem, *Actiones noſtras, &c.* implorat 43
Divinam opem ad rem, quam tractaturus eſt: denique ſtat
converſus ad eam Eccleſiam, ſeu Oratorium, quia circa id
tota illa actio Benedictionis verſatur.

§. II. Deinde inchoat Antiphonam, *Aſperges me &c.* & Clerus alternatim dicit Pſ. *Miſerere, &c.* In fine, *Gloria Patri, &c.* Interim circumdant exterius Eccleſiam (quæ intus debet eſſe vacua, & nuda; & pariter Altaria nuda, excluſo Populo, donec abſoluta ſit Benedictio) & Sacerdos, accepto Aſpergillo ex herba hyſſopo, ad ejus dexteram ſe convertens, parietes Eccleſiæ in ſuperiori parte, & in fundamentis, cum Aqua Benedicta aſpergit, dicens: *Aſperges me, &c.*

44 Aſperſio cum Aqua benedicta fit ob purgationem, &
ſanctificationem loci, qui ſi Deo dicandus eſt, oportet,
ut ab omni labe mundetur, primum exterius; quia in
illa quoque parte locus ſit ſacer, & gaudet immunitate, ut
ex pluribus S. C. *Decretis* allegat. a Riccio *in Synopſi*, habe-
mus. Quapropter ut iſta Benedictio commode fieri poſ-
ſit, Caſtaldus *l. c.* monet, providendum, ut Eccleſia poſ-
45 ſit libere circuiri; atque ideo etiam muros adnexæ fabri-
cæ frangendo, curari debere, ut denudata remaneant
Mœnia exteriora Eccleſiæ ſaltem quantum ſufficiat ad il-
la frequentibus in locis aſpergenda.

46 Niſi tamen hoc cum magno incommodo faciendum ſit;
nam in hoc caſu ſufficit, ut Sacerdos benedicens ſe con-
formet quantum fieri poteſt Rubricis, & Regulis Ritua-
lis Romani, ut decrevit, loquendo de conſecratione S.
C. R. *in una Cortonen.* 10. *Decembris* 1610. *&* 17. *Julii*
1604. *in Aſten.* 17. *Novembris* 1600. 24. *Septembris in*
Collen. 25. *Junii* 1602. Barboſ. *Collectan.*

47 Vacua, & nuda inſuper debet eſſe Eccleſia, ſeu Orato-
rium. Vacua quoad Scamna, ſeu Menſas, & omne id quod
48 eſt amovibile. Unice Tabula ſeu lapis Altaris tolerari
poteſt, ob grave incommodum illam collocandi adeo prom-
pte, ut poſt Benedictionem poſſit in faciem illius cele-
brari Miſſa. Ratio vero hujus nuditatis eſt quia, cum
nondum Deo ſacer ſit ille locus, ornamenta, & ſupelle-
ctiles habere non debet quæ loco Sacro ſint convenien-
49 tes. Atque hoc paſſim videtur etiam in profanatione, ſeu
pollutione Eccleſiarum, quæ immediate omni Sacra ſu-
pellectile denudantur, eo quia locus ille non amplius ſa-
50 cer eſt. Altaria etiam expoliata omnino eſſe debent, quia
ante Benedictionem, ſeu Conſecrationem, nihil aliud
ſunt quam mere lapidum coacervatio, & locus ſimplici-
ter ædificatus.

Populo inſuper vacua eſſe debet Eccleſia, ut commode
51 fiat aſperſio interior: ſed intrinſeca ratio eſt, quia cum
Eccleſia locus ſit, in quo conveniunt Fideles ad oran-
dum poteſt eſſe talis donec abſoluta ſit Benedictio. Por-
ro Populus comes eſſe debet Sacerdotis Benedicentis, &
in Pſalmis, Precibuſque rite ſtatutis in tali Benedictio,
ne ſe exercere; atque ita in Proceſſione, cultum Dei,
& Templi magno cum apparatu facere, prout in Ve-
teri Teſtamento uſus erat, Bellarm. *Doct. Catech. l.* 4.
diſt. 2. *cap.* 24.

De Aſpergillo, & Herba Hyſſopo modo diſſerendum;
52 non enim ſine myſterio in re tam gravi, Eccleſia utitur
hac Herba. Hæc mirifice deſcribitur a Levinio Lemnio
53 Medico celeberrimo, in ſuo elucubratiſſimo opuſculo, *de*
Herbis Biblicis, *c.* 26. ubi myſteria, & uſus ejuſdem do-
ctiſſime explicantur. Hyſſopus hortenſis Herba eſt, exi- 54
mii odoris, ac ſaporis non ingrati, ſia, ut aliza quæque
non minus ſalubria efficiat, quam ſapida: nam pectus, &
pulmonem expurgat, capitiſque pituitam extergit; quo-
circa in expugnando pleureſi, ac morbo quovis laterali,
ſingularem affectum obtinet. Qua ratione viſum eſt Deo
Herbam hanc ſolemni Sacrificio adhibere, cum vel le-
proſi luſtrandi ſunt, aut ſcelus aliquod piaculare expiandum,
intincto hyſſopi faſciculo in ſanguine paſſerculorum,
vel Vitulorum. *Levitic.* 14. *Numeri* 19. Quocirca David
Pſalm. 50. Adulterii atque Homicidii ſcelere contamina-
tus, aſpergi expiarique hyſſopo cupit, quo abſterſa omni
macula, animi, mentiſque puritate niteſcat. Reſpexit is
ad legis ſuæ ritus, & ſacrificia: quæcumque enim, quæ pu-
rificabantur juxta præſcriptum legis Moſaicæ, ſanguine,
cum lana coccina, & hyſſopo aſperſa, puritatem ſunt
conſequuta. Quæ omnia umbram quamdam, & figuram
exhibebant (ut Paulus ad Hebræos teſtatur, *cap.* 9.) Chri-
ſti Redemptoris, cujus ſanguine omnia noſtra ſcelera ex-
piata ſunt, ac fideli acceſſu, oblivioni data. Hæc de Hyſ-
ſopo laudatus Levinius Lemnius, cui adſtipulatur Bellar-
min. in *Pſal.* 50. qui per Hyſſopum fidem, & humilitatem 55
intelligit. Herba enim eſt humilis, radices habens in pe-
tra. Nicephorus impie veniam, & remiſſionem inter-
pretatur. Imperturbatæ virtutis Symbolum expirat Euſe-
bius, & efficaciam Spiritus Sancti Cyrillus, & Athana-
ſius, ut in *Aurea catena* Danielis Barbari *ad Pſalmum* 50.
Ita etiam Lorinus, Ayguanus, & Titelmannus, qui inter
myſticas explicationes, & conſiderationes hujus Herbæ,
hanc ponit; nempe eſſe admodum purgativam, atque 56
mundificativam pectoris; præcipua autem pulmonis, &
vehementer curativam, ut per eam vel humilitas, vel
pœnitentia apta ſignificetur. Eccleſia igitur hoc habuit in
voto, ut Herbam iſtam ad hanc Benedictionem adhibe-
ret, quæ purgativa, & mundificativa eſſet, ad hoc ut
omni labe mundata, dignum locum Deo Omnipotenti
pararet.

Quæro hic. Si omnino inveniri non poſſet Herba Hyſ- 57
ſopus, num alia Herba adhibenda eſſet pro conficiendo illo
Aſpergillo? In hoc penuriæ caſu, opinor quod alia herba
adhiberi poſſet, quæ tamen eſſet in Sacris ritibus admiſſa
ſaltem in Veteri Teſtamento, cujuſmodi eſſet Ruta, ab-
ſynthium, Lactuca Agreſtis, Origanus, Serpillus, Ver-
bena, & omnes illæ de quibus in Chriſti Parabolis mentio
eſt pro inſectanda Phariſæorum avaritia, & fucata Religio-
nis Sanctimonia, Genebrard. *in Pſalm.* 50. Ocymo quo-
que

que *Baſilicò*) fieri Aſpergillum aſſerit Macrius, *Hierolex.*
v. *Aqua benedicta.*
Itaque hoc Aſpergillo ex herba Hyſſopo, in Aqua be-
nedicta intincto, debet Sacerdos benedicens aſpergere mu-
59 ros exteriores Eccleſiæ, ſeu Oratorii, a parte dextera in-
cipiens, quæ nobilior eſt, & commodior ex alibi addu-
ctis, in ſuperiori parte quouſque vibrare valet, decenti
ictu, aſperſionem, & in fundamentis; ubi nota, quod per
fundamenta intelligi debent partes inferiores fundamentis
60
proximæ; nam fundamenta jam in terra obſtructa ſunt, &
muro ſuperimpoſito, latent: tranſlate enim quandoque ſu-
mitur hæc vox pro principio, ſed principia in hoc caſu non
apparent, ergo benedicendæ veniunt partes principiis vici-
niores. Ratio autem, propter quam benedicuntur Eccleſiæ 61
parietes exteriores, eſt, quia & ipſa pars exterior gaudet 62
immunitate, Ciarlin. *Controv. T. 2. cap. 197. n. 22.* acceſ-
ſorium enim ſequitur naturam Principalis.

§. III. Reverſi ad locum, unde Proceſſio initium habuit, repetita Antiphona a Clero, Sacerdos ſtans, ut prius, verſus Eccleſiam dicit: *Oremus*; & Miniſtri: *Flectamus genua, &c.* ℟. *Levate.*

Circuli perfectio importat, ut unde initium ſumpſit,
63 ibi deſinat, & conformetur. Sic in noſtro caſu, cum Sa-
cerdos, circumeundo Eccleſiam, a parte dextera incœ-
perit, neceſſe eſt, ut ad idem punctum per partem ſiniſtram
devolvat, nempe ad januam primariam, a qua incœpit.
Pro complendo circulo exterioris Benedictionis murorum,
ſi Eccleſia muros habeat in interna clauſura Monaſterii
Sanctimonialium a benedicente haberi non debet ingreſ-
ſus in Monaſterium, cum non ſit ſummæ neceſſitatis
hoc facere; ſed ſufficiat Benedictio habita in majori parte
murorum, ad quos facilis habeatur acceſſus. Ita S. R. C.
in una Brunduſina reſpondente.
Ibi poſt *Gloria Patri, &c.* quo terminatur Pſalmus,
repetitur Antiphona eodem modo, quo fit in Officio ſub 64
ritu duplici, cum hæc vere ſit ſolemnitas dedicationis il-
lius loci. Stat igitur Sacerdos, & ſiſtit ubi prius, atque
primam dicit Orationem, qua perfecta remanet Benedi-
ctio exterioris partis illius Eccleſiæ, ſeu Oratorii, unde 65
ad probandum, vere hunc locum eſſe Sacrum, populus
hic primo genuflectit, audita voce *Flectamus genua*, quod
ibi non fieret, niſi locus eſſet Sacer.

§. IV. Qua finita Oratione, omnes bini in Eccleſiam intrantes, ad Altare majus procedunt, Litanias decantantes.

Qui intrant in Eccleſiam, ſunt qui proceſſionem com-
66 ponunt, ut patet ex illis verbis *Bini omnes, &c.* Cæte-
rum Populus, qui nullum miniſterium habet, abſtinere
debet ab hoc ingreſſu tali tempore: quando vero debeat
Populo patere ingreſſus, dicetur ſuo loco in hac eadem 67
Benedictione.

§. V. Ubi dictum fuerit: *Ut omnibus Fidelibus, &c.* Surgit Sacerdos, & intelligibili voce dicit: *Ut hanc Eccleſiam, & Altare ad honorem tuum, & honorem Sancti tui N. &c.*

Eccleſia, & Altare inſimul eadem Benedictione, &
68 eodem tempore benedicuntur, & dedicantur Deo in ho-
norem alicujus Sancti, ut alibi diximus, & illius Nomen
ſpecifice pronunciandum eſt in caſu genitivo, cum adver- 69
tentia mutandi generis, ſi dedicatur alicui Sanctæ Fœmi-
næ. Vide Quartum n. 158.

§. VI. Cum dicit, *Benedicere*; manu dextera benedicat Eccleſiam, & Altare: deinde ut prius genuflectit, donec perficiantur Litaniæ, & Cantores ſequuntur: *Ut nos, &c.*

Hæc Benedictio fit a Sacerdote ſtante, & non ſe ver-
tente ad latera Eccleſiæ, vel ad frontem, quæ illi poſt terga
ſtat: ſufficit ut Brachium, & manum elevet, & exten-
70 dat, amplum, & bene formatum Signum Crucis in aere
ſculpens. Cumque nondum Litaniæ expletæ ſint, opus
eſt, ut denuo genuflectat, donec perficiantur a *Centori-
bus*, qui appoſite ita appellantur, ad docendum, quod 71
hujuſmodi Litaniæ debent cantari in ſolito tono Gregoria-
no, non autem recitari ſimpliciter.

§. VII. Dicto ultimo *Kyrie eleiſon* Sacerdos dicit, *Oremus*. Miniſtri: *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Cum Eccleſia intus quoque incipiat eſſe benedicta,
72 ideo publica genuflexio a toto Clero adſtante, & a Mi-
niſtris hoc tempore fieri debet. Proprie vero hæc genu-
flexio pro hac prima vice, fit Altari.

§. VIII. Tum diſtans ab Altari congruenti ſpatio genuflexus, & ſe ſignans, dicit: *Deus in adjutorium, &c.*

In aſſignando hoc congruo diſtantiæ ſpatio, non uni-
73 formiter ſe gerunt Cæremoniarum Magiſtri. Alii paſſum
unum tantummodo præfigunt; alii ad medium Eccleſiæ,
ſeu Oratorii ducunt Sacerdotem; alii vero quaſi ad ja-
nuam. Priuſquam vero opinionem meam afferam circa
hoc, neceſſe duco rationem inquirere, cur Sacerdos re-
cedere debeat congruenti ſpatio ab Altari; nec alia ſe
mihi offert niſi illa, ut ſubſequenter inchoari debeat Pſal-
modia ad inſtar Divini Officii per introductionem conſue-
74 tam, *Deus in adjutorium, &c.* conſonum videtur, ut
cum ſuo Clero, Sacerdos faciat Chorum, & in medio
75 illius ſe ſiſtat. Si igitur debet ſe ſiſtere, medium inter
duo cornua Chori a Clero tunc efformati, debet etiam
ab Altari aliquantiſper recedere, & quantum ſufficiat
juxta numerum Miniſtrorum & intereſſentium in ha-
bitu Clericali) ad Sacerdotem benedicentem pro ſe con-
ſtituendo in medio ejuſdem; unde diſtantia hæc depen-
det a numero Miniſtrantium, & Proceſſionem compo- 76
nentium. Addo etiam, quod cum fieri debeat Proceſſio
per totam interiorem Eccleſiam, illam intus circumeun- 77
do, neceſſe eſt, ut ſpatium præſtet, & commodet ad
eam inchoandam ab Altari, ut infra dicemus, ne tu-
multus, & perturbatio fiat ob anguſtiam inter Sacerdo-
tem, & Miniſtros.

§. IX. Surgit, Clero reſpondente, *Domine ad adjuvandum me feſtina, &c.* Ipſe vero ſtans, dicit *Gloria Patri, &c.* Chorus reſpondet: *Sicut erat, &c.* Poſtea Sacerdos dicit: *Oremus &c.* Miniſtri, *Flectamus.* ℟. *Levate, &c.*

Ecce Chorus jam ſupra a me indicatus, a quo alter-
nari debent Pſalmodiæ. Hic iterum fit genuflexio ad
verba: *Flectamus genua, &c.* atque hæc eſt tertia ado- 78
ratio loci Sacri, facta in hac functione.

§. X. His dictis, inchoat Antiphonam, *Benedic Domine, &c.* cum tribus Pſalmis ſequentibus, videlicet: *Ad Dominum &c.*

79 Proceſſio ad inchoationem Antiphonæ initium habet,
quo tempore ſub eodem tono cantantur tres Pſalmi, at-
que tot ſunt, ut ſufficiant ad cantum faciendum in to-
to circulo Proceſſionis. Quod ſi Proceſſio finem ſuum
haberet (ut in parvis Oratoriis accidere poteſt) ante
expletionem Pſalmorum, ibi ſileant Cantores, ubi finem
habet Proceſſio, dicto in fine *Gloria Patri, &c.* Utpote
fieri ſolet in aliis Proceſſionibus.
Tres iſti Pſalmi ſunt 119. 120. 121. in ordine Pſalte- 80
rii Davidici, & vocantur Cantica graduum, ſeu Gra-
dualia, quia cantabantur una cum aliis duodecim, in a-
ſcenſione quindecim graduum Templi Salomonis: tot
enim

enim fuiſſe gradus ejuſdam Templi non ſolum ſcribunt Nicolaus Lyranus, & recentiores cum Bellarmino, *in Pſalmis Gradualibus*. Sed etiam S. Auguſtinus *in Pſal.* Eccegitur convenientie, propter quæ cantantur ii Pſalmi in hac Benedictione. Quod ſi Eccleſia benedicenda adeo veſtæ
amplitudinis eſſet, ut illi tres Pſalmi non ſufficerent,
addi poſſent alii ex gradualibus; quia ſunt ad eundem
effectum.

§. XI. Interim aſpergit interius parietes in parte ſuperiori, & inferiori, inchoans aſperſionem a parte Evangelii, dicens: *Aſperges, &c.* Tunc ad Altare reverſus dicit: *Oremus, &c.*

82 Eodem modo, & eodem circuitu, quo aſperſi fuerint parietes exteriores, benedicuntur & interiores a parte ſumma ad imam: ubi nota quod hic fundamenta non enunciantur benedicenda, eo quia per pavimentum tecta ſunt, nec de veſtigiis quidquam apparet, ut extarius. Inchoatur hæc aſperſio a parte Evangelii tamquam nobiliori, atque ut nobiliorque pars initium ſuum habeat: nam in Benedictione exteriori inchoata fuit e læva, interiori a dextera.

§. XII. His peractis dicitur Miſſa de tempore occurrenti, vel de Sancto.

83 Expleta Benedictione, Populus ingreditur Eccleſiam;
& hoc tempus aſſignatur a Caſtald. *d. loc. num.* 3. non
84 autem prius. Interimque a Clericis parantur Altaria, &
color paramentorum debet eſſe congruus tempori, & Officio. Miſſa propria non aſſignatur, ſed ad libitum dici
poteſt, non autem defunctorum, ob ſolemnitatem loci, 85
in quo magis conveniens videretur celebrare Miſſam *In* 86
Dedicatione Eccleſiæ.

§. XIII Eccleſia vero quamvis a ſimplici Sacerdote, ut ſupra, ſit benedicta, ab Epiſcopo tamen conſecranda eſt.

87 Strictius loquitur, & rigoroſius Caſtald. *d. l.* dum dicit: *Eccleſia autem hoc modo a ſimplici Sacerdote benedicta, debet omnino, opportuno tempore poſtea ab Epiſcopo
88 conſecrari:* eo quia benedictio eſt in ſubſidium, & ad modum proviſionis, non autem de natura loci tam digni, qui de jure conſecrandus eſt. De Oratoriis autem 89
id non dicitur; quia tanta ſolemnitate non indigent, 90
quamvis ſint publica.

RITUS RECONCILIANDI

Eccleſiam violatam, ſi nondum erat ab Epiſcopo conſecrata.

TITULUS SEPTUAGESIMUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſia proprie neque violatur, neque polluitur.*
2 *Eccleſia quando communiter habeatur pro polluta, & violata.*
3 *Eccleſia polluta reconciliatur ad Fidelium exemplum.*
4 *Eccleſia polluta non amittit privilegium immunitatis.*
5 *An ſub nomine Pollutionis comprehendatur Violatio.*
6 *Pollutio lato modo dicitur etiam Violatio.*
7 *Violatio latius patet, quam pollutio.*
8 *Omnis pollutio Eccleſiæ eſt Violatio.*
9 *Violare proprie quid ſit?*
10 *Non omnis Violatio indiget Reconciliatione.*
11 *Violatio, & pollutio quid ſint?*
12 *Pollutio Eccleſiam non deſtruit, ſed maculat.*
13 *Reconciliare quid importet?*
14 *Reconciliatio in opinione hominum fit.*
15 *Eccleſia quot modis polluatur?*
16 *Ut Eccleſia polluatur delicta debent eſſe publica.*
17 *Procurans Abortum in Eccleſia ſine vi non polluit Eccleſiam.*
18 *Reconciliatio eſt unicum remedium Pollutionis.*
19 *Sacerdos celebrans bona Fide in Eccleſia polluta non reconciliat Eccleſiam.*
20 *Eccleſia conſecrata nonniſi ab Epiſcopo reconciliari poteſt.*
21 *Si Eccleſia ſit benedicta, delegari poteſt Reconciliatio ſimplici Sacerdoti.*
22 *Quare Epiſcopus committere non poſſit Reconciliationem Eccleſiæ jam conſecratæ ſimplici Sacerdoti.*
23 *Reconciliatio Eccleſiæ pollutæ jam conſecratæ eſt de juribus Epiſcopalibus.*
24 *Reconciliatio Eccleſiæ conſecratæ differt a reconciliatione Eccleſiæ benedictæ.*
25 *Benedictio facit de non Sacro Sacrum.*
26 *Reconciliatio facit de immundo mundum.*
27 *Cauſa finalis Reconciliationis, & Benedictionis eadem eſt.*
28 *Reconciliatio univerſalis Eccleſiarum facta anno 1003.*
29 *Reconciliatio prima particularis facta anno 1172.*
30 *Delegatio Sacerdotis eſt facienda in ſcriptis.*
31 *Inſtrumentum publicum ſuper hoc faciendum.*
32 *Facultas reconciliandi eſt de convenientia impetranda.*
33 *Altaria Eccleſiæ pollutæ denudari debent, & quare?*
34 *Omnia amovibilia removenda ſunt ab Eccleſia.*
35 *Cautela adhibenda in ædificatione Eccleſiarum.*
36 *Aqua conſueta luſtralis adhibetur in hac reconciliatione.*
37 *Epiſcopus utitur Aqua diverſa ab hac.*
38 *Opinio contraria Doctorum.*
39 *Aſpergillum debet eſſe ex herba Hyſſopo.*
40 *Veſtes eædem adhibendæ, quæ adhibentur in Benedictione Eccleſiæ.*
41 *Cœmeterium cum Eccleſia benedici poteſt.*
42 *Quando Cœmeterium ſit contiguum Eccleſiæ.*
43 *Polluta Eccleſia, polluitur Cœmeterium contiguum.*
44 *Major pars trahit ad ſe minorem.*
45 *Acceſſorii, & Principalis idem eſt Judicium.*
46 *Reconciliatio Eccleſiæ, & Cœmeterii fit uno, & eodem tempore.*
47 *Cœmeterium ſi ſolum pollutum ſit, reconciliatur de per ſe.*
48 *Una eademque Benedictio utrumque locum reconciliat.*
49 *Parietes Eccleſiæ ſunt aſpergendi.*
50 *Cœmeteria aſperguntur ſolum in terra.*
51 *Loca contaminata aſpergenda ſpecialiter, & ſignanda linea nigra.*
52 *Reconciliatio Eccleſiæ Ferrarienſis facta anno 1693. ab Epiſcopo Comaclenſi.*
53 *Si Eccleſia polluta fuerit per ſepulturam excommunicati, Cadaver illius primo exhumandum eſt, ſi commode fieri poſſit.*
54 *Antiquitus radebantur Parietes, & tigna.*
55 *Nomen Sancti Titularis in Litaniis non exprimitur, & quare?*
56 *Cum Eccleſia in Benedictione nominatur Altare, & Cœmeterium.*
57 *Quare Antiphona tam longe repetatur in hac Benedictione?*
58 *Pſalmus 67. explicatur.*
59 *Antiphonæ ſignificatio.*
60 *Facultas reconciliandi Eccleſiam jam conſecratam non poteſt tradi ſimplici Sacerdoti.*
61 *Summus Pontifex poteſt tradere hanc facultatem.*
62 *Aqua in hoc caſu debet eſſe ab Epiſcopo benedicta, & Vino mixta.*

ZELUS Domus Dei id poſtulat rationabiliter, ut
nullo intermedio tempore, a cultu Divino in illo
tam Sancto loco habeatur ceſſatio; nam etſi pro rei veritate, Eccleſia neque fœdatur, neque polluetur, cum 1
enim Sancta ſit, coinquinari, nequit, *c. veſtra, de cohabit. Cleric.* Barboſ. *de pot. Epiſc. alleg.* 28. *num.* 20. 2
attamen talis communiter habetur, quando talia delicta in ea patrata ſunt, quæ eam enormiter læſerint: unde tamquam polluta reconciliatur propter ſcandalum & 3
ad fidelium exemplum, & terrorem: divina enim ibi
celebrari non poſſunt, donec reconciliatur, atque ideo
nuda, & deſtituta manet, licet privilegium Eccleſiaſticæ 4
immunitatis non amittat, ut docet Paſſerin. *de pollut. Ecc. diſp.* 2. *cap.* 22. *num.* 1. quia Pollutio non debet plus operari, quam Canones præſcribant, Suarez *de Relig. tom.* 1. *t.* 2. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 6.

Sed Textus noſter loquitur de Violatione, non autem
de Pollutione Eccleſiæ, & propterea quærendum eſt hic, 5
an ſub nomine Violationis comprehendatur quoque pollutio. Circa quod Paſſerin. *d. diſp.* 1. *c.* 3. *n.* 1. advertit
paſ-

paſſim ab Authoribus, Eccleſiæ pollutionem dici etiam
Violationem, ut videre eſt apud Plaet. *de Cenſura In-*
6 *terdicti*, *diſp.* 3. & alios a Paſſerin. ibi adductos. Vio-
lata enim eſt offendere. *Can. ſi quis hominem* 11. *q.* 3.
7 & pariter polluere eſt idem ſignificans, ut ea allegan-
dis. Nihilominus apud alios Authores violare Eccleſiam,
& polluere, valde diverſa ſunt: unde aliquando per il-
los Eccleſia violari poteſt, non autem pollui, Richard.
in 4. *diſt.* 16. *art.* 12. *quæſt.* 2. & alii apud Paſſerin. *d.*
8 *l. n.* 2. Hoc tamen non obſtante, tenendum eſt cum
eodem Paſſerin. omnem pollutionem Eccleſiæ, eſſe vio-
lationem ejuſdem.
Cum vero Violatio latius pateat, quam Pollutio, vi-
detur, quod Textus loquatur de generica violatione dum
10 dicit: *Ritus reconciliandi Eccleſiam violatam*: attamen
cum non omnis violatio requirat reconciliationem, ut
late docet Paſſerin. *ibid. num.* 2. & e contra quæcum-
que Pollutio non aliter reparetur, niſi per novam re-
conciliationem, & Rituale loquatur *de Reconciliatione*,
videtur, quod ſub nomine Violationis lato modo dictæ
intelligi debeat Pollutio, quæ nihil aliud eſt, quam mo-
ralis maculatio Eccleſiæ, propter quam ibidem divinæ
11 laudis organa ſuſpenduntur, donec per reconciliationem
proviſum ſit.
Quapropter cum Pollutio Eccleſiam non deſtruat, ſed
12 tantum quodammodo maculet tam Conſecrationem, quam
Benedictionem loci Sacri, ideo inſtitutum eſt, ut non
de novo conſecretur, ſeu de novo benedicatur, ſed ut
ſtatuto Ritu, & precibus, reconcilietur Eccleſia. Re-
conciliare enim importat in gratiam reſtituere, & in
13 concordiam reducere; quæ gratia, & concordia non de-
mortuæ, aut deſtructæ erant, ſed mortificatæ, & detur-
patæ: unde fit, quod, media reconciliatione, gratia, &
concordia reviviſcant, atque reſtituantur.
Iſta vero reviviſcentia, ſeu iſta reſtitutio, in homi-
14 num opinione fit, ſicuti in opinione dicitur Eccleſia
polluta, ex eo præſertim, quod committens talem actio-
nem pollutivam, fecit quoad ſe quantum potuit, ut Ec-
cleſiæ honorem macularet, & pollueret, ſi Eccleſia pol-
lutionis capax eſſet. Sic clare haberi dicit Paſſerin. *dict.*
diſp. 1. *c.* 7. *num.* 4. ex Teat. *in cap. quidam* 1. *quæſt.* 1.
ubi ratio redditur, cur Sacramenta quidam polluere di-
cantur, cum tamen illa impolluta permaneant.
De Violatione itaque Eccleſiarum ſub nomine Pollu-
tionis loquendo, dicam pollui Eccleſiam pluribus modis
relatis a Barboſ. *de Jur. Eccleſ. Univ. l.* 2. *c.* 4. *a n.* 16.
ad 25. & a Monacell. *d. T.* 1. *tit.* 6. *for.* 10. *n.* 27.
15 1 *Effuſione magna ſanguinis injurioſa ex violentia il-*
lata in ipſa Eccleſia.
2 *Seminis humani publica, voluntaria effuſione il-*
licita, ſive per copulam Conjugalem.
3 *Sepulture Cadaverum Hæreticorum, Infidelium, &*
excommunicatorum.
4 *Si Eccleſia reconcilietur per Epiſcopum publice ex-*
communicatum.
5 *Occiſione Hominis in ipſa Eccleſia, quamvis ſan-*
guis non effundatur, puta, quia lcqueo ſuſpen-
ſus, vel ſuffocatus fuit.
16 Verum advertendum eſt, quod ad hoc ut Eccleſia di-
catur polluta, & reconciliari indigeat, neceſſe eſt, quod
17 ſuperenarrata delicta ſint publica, Piaſec. *Prax. Epiſc.*
p. 1. *c.* 2. *art.* 4. *num.* 8. Unde procurans abortum in
Eccleſia, abſque externa vi, non polluit Eccleſiam,
etiam ſi Fœtus ſit animatus, atque media tendant di-
recte ad ipſum abjiciendum, Paſqualig. *de Sacr. Nov.*
Leg. T. 1. *q.* 544. *num.* 4. atque ex hoc magis conva-
lidatur ſententia illorum, qui aſſerunt, Eccleſiam dici
pollutam propter ſcandalum, & ad Fidelium terrorem,
atque exemplum. Inſuper neceſſe eſt ut talis actus pol-
lutivus fiat in ipſa Eccleſia: nam acta peccaminoſa pa-
trata in Sacriſtia, in Atrio, ſeu in Campanili Eccleſiæ,
non polluunt illam, ut docet Barboſ. *l. c. n.* 26 Nicol.
lucubr. Can. l. 5. *n* 39. *de pollut. Eccleſ. n.* 252. *limit.* 3.
Cui pollutioni, ſeu Violationi unicum remedium ſta-
tuit Eccleſia per Reconciliationem præſcriptis Ritibus, 18
& Precibus faciendam eo modo, de quo infra dicemus.
Dixi unicum remedium, reprobando cum Nicolio *Floſc.*
verb. Eccleſia, *num.* 29. id quod a Diana, *v. tr.* 13. 19
Reſ. 60. exhibetur, nempe poſſe remanere reconciliatam
Eccleſiam, ſi, bona fide, Sacerdos in illa jam polluta
celebret. Sacrificium enim Miſſæ licet ſummum, & ſan-
ctiſſimum ſit, attamen non habet extenſionem ad ſan-
ctificandum locum: aliter quæcumque loca, ubi erigi
polluunt Altaria, etiam extemporanea, & pro interim,
remanerent Sacra, & immunia.
Titulus hujus Rubricæ non inutiliter ſubdit illa ver-
ba: *Si nondum fuerit ab Epiſcopo conſecrata*, quia cum
in Rituali agatur de functionibus peragendis a ſimplici
Sacerdote, ſciendum eſt, Eccleſiam conſecratam a nullo 20
alio reconciliari poſſe, niſi ab homine in Epiſcopali di-
gnitate conſtituto. Unde ſtatim ac aliqua Eccleſia, vel
Oratorium remanet pollutum, quærendum eſt, an de
Conſecratione conſtet, vel de Benedictione. Si utique
Conſecratio apparet, vel probatur (non enim præſu-
mitur niſi in Cathedralibus, ut ſupra dictum eſt) non-
niſi Epiſcopus loci, ſeu de ejus delegatione alius pariter
Epiſcopus, eam Eccleſiam reconciliandi onus ſubire de-
bet, nec laborem ſibi fingere in præcepto, etiamſi di-
ſtans, & longinqua ſit, atque in inacceſſis, & inviis
montibus poſita. Si vero tantum de Benedictione con-
ſtet, tunc delegari poteſt ſimplex Sacerdos, ut locum
reconciliet; ita traditur expreſſe in *c. Aqua*, & *in c.* 21
prop. juſſit, de conſecr. 1. *ſi Eccleſia*, *cum gloſs. verb. lavetur*,
de conſecr. Eccl. Barboſ. *de poteſt. Ep. allег.* 29. *nu.* 55.
56. 57. Ratio vero cur Epiſcopus delegare non poſſit
ſimplici Sacerdoti Benedictionem Eccleſiæ Conſecratæ, 22
etiamſi in contrarium eſſet conſuetudo (quæ potius cor-
ruptela dici poteſt) eſt, quia, licet Epiſcopus commit-
tere valeat ea, quæ ad juriſdictionem ſpectant, attamen
quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis non poteſt inferioris gra-
dus Clericis demandare, ut cenſuit *S. R. C. in Came-*
racenſi 9. *Febr.* 1608. & alii apud Barboſ. *d. l. n.* 56.
Quod vero Reconciliatio Eccleſiæ pollutæ jam Con- 23
ſecratæ, ſit de juribus ordinis Epiſcopalis, probatur ex
eo, quia in conſecratione adhibetur Sacrum Chriſma,
& iſta Unctio nonniſi ab Epiſcopo fieri poteſt. Cum
vero Reconciliatio loci conſecrati ſit reſtitutio ejuſdem
loci, licet Oleum amplius non adhibeatur, attamen ha-
beri debet reſpectus ad altitudinem, & gravitatem pri-
mæ conſecrationis; qui enim primum characterem im-
preſſit, illum reſtituere unice poteſt, ſive ſaltem ad pri- 24
ſtinum decorem revocare. Ultra quam quod reconcilia-
tio Eccleſiæ conſecratæ differt a reconciliatione Eccleſiæ
ſimpliciter benedictæ, & habet Aquam aſpergendam,
particulari ritu benedictam, quæ in reconciliatione loci
benedicti a ſimplici Sacerdote non adhibetur, ut infra
dicemus, Paſſerinus vero *diſput.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. ali-
ter ſentit, & delegationem hanc tribuit convenientiæ.

§. I. Eccleſiæ violatæ Reconciliatio per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum fiat hoc modo, &c.

25 Quæ de Origine Conſecrationis, ſeu Benedictionis Ec-
cleſiæ in antecedenti Titulo diximus, applicari poſſunt
26 huic loco; nam ſicut Benedictio facit de non Sacro Sa-
crum, ita Reconciliatio facit de immundo mundum: &
cauſa finalis tam Benedictionis, quam Reconciliationis
27 eadem dici poteſt. Igitur antiquitus cum primum locus
ſacer violatus, ſeu pollutus fuerat, nihil magis in votis
habebatur, quam ejus Reconciliatio, ut denuo locus
ſanctificaretur, & aptus fieret ad ſacra ibi habenda.
28 Reſtauratio, & una ſimul Reconciliatio pene univer-
ſalis omnium Eccleſiarum per Orbem Chriſtianum facta
fuit anno 1003. ex dictis Baronii ad illum Annum,
nu. 10. ob ſuſpicionem jam abolitam venturi Antichri-
ſti in illis temporibus: quare omnia fere Templa & lo-
ca Sacra remanſere ſeu polluta, ſeu violata. Sed de præ-
cipua Eccleſiæ unius Reconciliatione clarius, & ad rem
noſtram convenientius loquitur idem Baronius ſub an-
29 no 1172. Tunc enim polluta Eccleſia Cantuarienſi, ex
ſanguine Thomæ Archiepiſcopi, Alexander Papa III.
decrevit illius Reconciliationem, ſeu expiationem, ſcri-
bens Concilio Northmanniæ: *Mandamus vobis quatenus*
Eccleſiam Cantuarienſem reconciliari faciatis; ita tamen,
ut Sacramentum priſtinæ dedicationis non debeat iterari:
Sed ſicut ſolet fieri, in Eccleſia B. Petri, tantum Aqua
benedicta aſpergatur. Et quamvis Legati Concilii ad Mi-
niſtros Eccleſiæ Cantuarienſis diverſimode ſcripſerint,
nempe ut denuo conſecrarent Eccleſiam, iſta nova con-
ſecratio lato modo ſumenda eſt pro Reconciliatione, nam
ſatis clare loquitur Pontifex, quod non debeat iterari
Unctio, ſed adhiberi tantum Aqua Benedicta. Quem
ritum ſequendum ſtatuit Eccleſia in præſenti Titulo,
& ſaltem uſque de anno 1172. eſt in robore, & obſer-
vantia apud omnes Eccleſias.
Delegatio Sacerdotis non eſt tantum facienda per ver- 30
balem ſubdelegationem, vel oretenus, ſed opus eſt, ut
in ſcriptis cum ſubſcriptione Epiſcopi habeatur; cum
enim facile haberi poſſit nullitatis vitium ob deficien-
tiam alicujus, ſeu clauſulæ, ſeu dictionis, ideo ſcripta
apparere debet ad hoc ut Cancellarius, deſcribens actum
reconciliationis, incipiat a facultate delegantis, & de-
legati, & conficiat publicum Inſtrumentum, quod in
Archivio Epiſcopali ad perpetuam rei memoriam regi-
ſtrari debet.
Nonnulli tamen Authores volunt, non eſſe neceſſa-
riam licentiam Epiſcopi ad reconciliandam Eccleſiam
non conſecratam, quos affert Paſqualig. *T.* 1. *q.* 604.
Sed rem mature perpendendo, concludit idem Doctor,
quod cum tractetur de Eccleſia ſubjecta, rationabiliter
Epiſcopus poteſt velle cognoſcere, quid circa ipſam fiat;
atque ideo ſaltem de convenientia eſſe impetrandam fa- 32
cultatem talis Reconciliationis præſertim pro Eccleſiis
Regularium.

§. II.

§. II. Altare Eccleſiæ omnino nudetur, provideaturque, ut Eccleſia poſſit libere circumiri tam exterius quam interius, ſi fieri poteſt.

33 Iſta denudatio fit non tantum ob horrorem inferendum
Fidelibus, ſed ob commoditatem Benedicentis, qui to-
tam Eccleſiam exterius, interiuſque circuire debet, aſ-
pergendo proceſſionaliter. Quapropter omnia, & ſingu-
34 la amovibilia, quæ obſtare poſſunt, amovenda ſunt, tum
intra, tum extra, nullo habito reſpectu ad ædificii, ſeu
rei amovendæ nobilitatem; neque labori, aut expenſis
parcendum eſt pro murorum fractura, ut liber, & com-
modus habeatur tranſitus præcipue in parte exteriori.
Hinc caveant qui ædificare volunt habitacula contigua 35
alicui Eccleſiæ, ne aditum obſtruant, quia ſemper in
dato caſu exponuntur ruinæ, & demolitioni.

§. III. Paretur Vaſculum cum Aqua benedicta, & Aſpergillum de herba Hyſſopo factum, &c.

36 Sufficit, ut ſit Aqua benedictione communi benedicta,
quia & qui benedicit, eſt ſimplex Sacerdos: Si vero eſſet
Epiſcopus, deberet eſſe Aqua alia benedictione, & ritu
37 ſanctificata ab eodem Epiſcopo. Oppoſitam tamen ſen-
tentiam tenet Tolet. *l.* 5. *Summ, cap.* 8. *num.* 13. Pax
38 Jordan. *T.* 1. *Lucub. l.* 5. *t.* 12. *num.* 160. qui volunt,
quod Aqua, cum qua reconciliatur Eccleſia, licet tantum
benedicta, debeat ab Epiſcopo benedici. Verum Paſqua-
lig. *d. T.* 1. *quæſt.* 603. *num.* 2. tenendum docet cum
communi, & vera ſententia, quod non ſit neceſſarium
benedici ab Epiſcopo Aquam, cum qua Eccleſia polluta
reconcilianda ſit: Et ſi Epiſcopus illam benedicat, non
benedicit tanquam Epiſcopus, ſed tanquam Sacerdos, &
communi modo. Vide Paſqualig. fuſius.
De Aſpergillo ex herba Hyſſopo compoſito jam dixi- 39
mus quod ſatis viſum fuit in explicatione antecedentis Ti-
tuli, ad §. 2.

§. IV. Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali albo, adhibitis aliquot Sacerdotibus & Clericis, procedit ad primariam Eccleſiæ portam, ubi ſtans, Antiphonam incipit dicens, Clero proſequente, *Aſperges me*, &c. Pſal. *Miſerere*, &c. totum cum *Gloria Patri*, &c.

40 Singula, quæ in hoc Paragrapho exponuntur, explicata
ſunt in antecedenti Tit. §. 1. & ſicuti idem eſt ritus
ſervandus ac in eo loco, ita ea omnia ad locum hunc
remittenda ſunt.

§. V. Quo finito, Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona, & Pſalmus dicuntur, Sacerdos cum Aqua benedicta aſpergit in circuitu extrinſecus Eccleſiam & Cœmeterium, ſimul aſpergendo alternatim ad parietes Eccleſiæ, ac ad terram Cœmeterii, præſertim ad loca contaminata. Quo facto, redit ad locum, ubi incœpit aſpergere, & ſtans dicit: *Oremus*, &c.

Prima pars hujus Paragraphi jam explicata fuit in an-
tecedenti Tit. *de Benedictione novæ Eccleſiæ*. Ritus enim
circa hoc eſt fere idem, ideoque nova explicatione non
41 indiget. Unum noviter additur hic de Cœmeterio ſimul
cum Eccleſia benedicendo, circa quod nonnulla dicemus
notatu digna, majora dicturi tunc cum de novi Cœme-
terii Benedictione, ſeu reconciliatione ſermo erit.
In caſu noſtri Textus ſupponitur, Cœmeterium eſſe
42 Eccleſiæ contiguum, ita ut tangat Eccleſiæ parietes, &
nullo medio ſeparetur: contigua enim ſunt, quorum ex-
trema ſe contingunt; *gloſſ. V. Contigua, in c. ſi civitas,
de ſent. excomm. in 6.* quo dato, firmum ſtat quod pol-
43 luta Eccleſia, cœmeterium quoque polluatur, non vero
e contra; ut communiter omnes DD. *ex d. cap. Unica,*
44 *de conſecr. Eccleſ. in 6.* quia major, & nobilior pars
trahit ad ſe minorem, & ignobiliorem, non autem hæc
illam, Paſſerin. *d. diſp.* 2. *cap.* 36. *num.* 5. & *c.* 37. *num.* 4.
45 Acceſſorii enim, & principalis idem eſt judicium, *cap.
acceſſorium, de Reg. jur. in 6.*
46 Suppoſito igitur, quod una ſimul cum Eccleſia pollu-
tum ſit Cœmeterium ob contiguitatem, indiget, ut re-
concilietur, quod fit uno, & eodem tempore, quo Ec-
47 cleſia reconciliatur. Secus vero eſt, ſi Cœmeterium ſo-
lummodo pollutum ſit, etiamſi contiguum Eccleſiæ, quia
in hoc caſu, ſicut ipſum polluitur, ita idem tantummo-
do reconciliatur, ſed ritibus, & precibus diverſis, & a
Rituali noſtro ſeperatim aſſignatis in fine Benedictionum,
ut ſuo loco videbimus ad *Titulum LXXV.*
Quod vero una, & eadem Benedictio utrumque locum
48 reconciliet, clare patet ex verbis textus, dum dicit:
*Aſpergendo alternatim ad parietes Eccleſiæ, ac ad terram
Cœmeterii.* Nam Cœmeteria, & Eccleſiæ fere pari paſſu
ambulant quoad Conſecrationem, vel Benedictionem,
ſacrilegium, immunitatem, interdictum, pollutionem,
violationem, & reconciliationem, ut expreſſe docent Pia-
ſec. *Prax. Epiſc. p.* 1. *c.* 5. *n.* 6. Fuſc. *de Viſit. l.* 1. *c.* 12.
num. 7. & 8. Barboſ. *de pot. Ep.* & alii apud Paſſerin. *l. c.
c.* 46. *n.* 5. & *c.* 47. *n.* 1. Cum vero iſta aſperſio ſit expia-
tiva maculæ, & offenſionis a locis Sacris receptæ, ad utra-
que loca eſt vibranda, ut ambo purificentur atque expien-
tur eodem inſtrumento, non minus quam eodem ritu.
49 Parietes itaque Eccleſiæ ſunt aſpergendi, quia iſti in
ſe continent, & formant locum Sacrum. Imo ex Paſſe-
rin. *diſp.* 2. *cap.* 50. *n.* 3. rationem regiæ cujuſdam do-
mus habent, atque ideo non tantum ſolo, ſed laterali-
bus quoque parietibus, & tecto ipſo, ut perfectæ ſint,
Eccleſiæ conſtare debent.
50 Cœmeteria vero non aſperguntur niſi in terra, quia
ſolo tantum opus habent, nec indigent laterali muro, cum
ad uſum unice ſint ſepeliendi, & locus iſte ſacer tan-
tummodo ſit a terra ad ſummum Cœlum, ut expreſſe do-
cet Samuel. *dict. tract.* 1. *controv.* 4. *num.* 3. & colligitur
ex l. ſi vitem, §. penultim. ff. quod vi & clam.
Specialiter vero aſpergenda ſunt loca contaminata pro
quocumque pollutionum actu ex quinque ſuper annuncia-
tis *num.* 15. *hujus Tituli*: quod ut facilius, & commo- 51
dius fieri contingat, in praxi vidi, ſignari atra linea
locum contaminatum intra Eccleſiam, ad hoc ut prom-
ptius innoteſceret Benedicenti, & Miniſtris comitanti-
bus, neque pedum deleretur conculcatione. Quod feli- 52
citer factum fuit anno 1697. hic Ferrariæ, tunc cum pol-
luta per injurioſam ſanguinis effuſionem Eccleſia Cathe-
drali, ſede Epiſcopali vacante per obitum S. M. Card.
Cerri Epiſcopi, delegatus fuit ad illius Reconciliationem
Nicolaus de Arcano Epiſcopus Comaclenſis, qui opus
hoc aſſumpſit, ac ſancte peregit die tertia menſis Julii
ejuſdem Anni, ut fuſius habetur in mea *Ferrarienſi Hi-
ſtoria, l.* 8. *pag* 428. Hac occaſione (cuncta diſponente An-
tonio Franciſco Montano Sacrarum Cæremoniarum Magi-
ſtro) loca a ſanguine contaminata nigris lineis ſignata,
& interclusa fuere, ad hoc ut faciliter innoteſcerent, at-
que aſpergerentur, ſubindeque debitis modis abſtergeren-
tur. Sed hæc fuit Reconciliatio facta ab Epiſcopo, in Ec-
cleſia jam conſecrata; nos vero cum Rituali de Reconci-
liatione a Sacerdote ex delegatione facienda loquimur, da-
ta occaſione de aſpergendis locis præcipue contaminatis,
ſuper quibus major, & ſignata aſperſio fieri oportet, eo
quia per illam contaminationem præciſe polluta remanſit
Eccleſia; ergo conveniens eſt, ut circa illa particularis
habeatur aſperſio, quæ locum illum præciſe purget, ubi
operatio diabolici inimici apparet per peccatum ibi com-
miſſum. Quart. *dict. num.* 155.
Advertendum eſt hic, quod ſi Eccleſia remanſerit pol- 53
luta per ſepulturam Infidelis, ſeu excommunicati, ante-
quam deveniatur ad Reconciliationem, eorum corpora
extrahenda, ſeu exhumanda ſunt, quando e cæteris di-
ſcerni poſſint: ſecus autem quando diſtingui nequeant,
ut declaratur in *c. Sacris, de ſepulturis*, Paſqualig. *d.
T.* 1. *q.* 614. *n.* 1. Regula tamen hujus pollutionis per
Cadaver excommunicati, non verificatur tunc, cum ab-
ſolutus ad reincidentiam, ſi reincidat, in Eccleſia ſepe- 54
liatur, Paſqualig. *d. q.* 581. *n.* 1. Ubi nota, quod nec
parietes, nec tigna radenda ſunt, prout antiquitus ordi-
nabatur, quando ſepulturæ Infidelium erant frequen-
tes.
Cum expleverit circuitionem Eccleſiæ Sacerdos, ad
priſtinum locum ſe ſiſtit, & novas inchoat Preces, &
Cæremonias, ut infra.

§. VI. Deinde Sacerdos incipit Litanias, & ingreditur Eccleſiam cum Clero, cantando eas, acceditque ante Altare majus, coram quo genuflectit: Cumque

dictum

dictum fuerit: *Ut omnibus fidelibus, &c.* Sacerdos ſurgit, & clara voce dicit: *Ut hanc Eccleſiam, & Altare hoc, & Cæmeterium purgare, & reconciliare digneris, &c.*

Quoad Litanias, & ingreſſum Eccleſiæ idem eſt Ritus, ac in Benedictione novæ Eccleſiæ, ideoque cum in proprio Titulo dictum ſit ad ſufficientiam circa hunc Ritum, nihil hic reſtat dicendum.

55 Unice advertendum eſt, Sanctum Eccleſiæ titularem in hac deprecatione: *Ut hanc Eccleſiam, &c.* non exprimi, eo quia licet Eccleſia polluta remanſerit, non tamen fuit exaugurata, nec ablatum fuit Patrocinium, imo nec Titulus talis Sancti, ſed eodem nomine ac prius appellanda eſt: nulla enim mutatio tituli fit; atque ideo nulla facienda eſt mentio Sancti titularis illius.

Ulterius una cum Eccleſia, nominatur in hac deprecatione Altare, & Cœmeterium, eo quia unum, & idem faciunt, ſi Cœmeterium adſit: ſi vero non adſit, neceſſario Altare aliquod exiſtere debet in Eccleſia, cum ad hoc ædificentur Eccleſiæ, ut illis divinum Sacrificium offeratur, Quart. *d. n.* 158. atque cum pollutum ſit quoque hoc cum ipſa Eccleſia; conſequenter debet reconciliari, & purgari a labe contracta peccatorum ibi commiſſum, in quo apparet aliqua operatio Inimici, ut docet S. Th. 3. *p. q.* 83. *a.* 3.

§. VII. Quibus dictis, rurſus genuflectit, & Litaniæ perficiuntur. Quibus finitis, Sacerdos verſus ad dictum Altare, dicit: *Oremus*, & Miniſtri: *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

§. VIII. Deinde Sacerdos genuflectit ante Altare, & ſigno Crucis ſe muniens, clara voce dicit: *Deus in adjutorium, &c.* tum ſurgit, & Chorus, ſeu aſtantes Clerici reſpondent *Domine ad adjuvandum, &c.* Et Sacerdos ſtans, dicit: *Gloria, &c.*

Circa hos duos Paragraphos vide quæ dicta ſunt *in* §§. 8. 9. 10. antecedentis Tituli.

§. IX. Quo dicto, Sacerdos inchoat, Clero proſequente, Antiphonam, *Exurgat, &c.* Pſalmus: *In Eccleſia, &c.* Repetitur Antiphona: *Ibi Benjamin, &c.* Et ſequentia.

57 Apposite fit iſta longa repetitio Antiphonæ, interpoſitis Verſiculis Pſalmi, ut eo tempore compleatur interna aſperſio, & ſufficiat ad præſtandam materiam canendi in illo intervallo aſperſionis.

58 Pſalmus eſt 67. in ordine Pſalterii, & inchoatur per verſiculum primum, qui pro Antiphona intercalari inſervit. Sed non totus iſte Pſalmus cantatur. A verſiculo primo *Exurgat, &c.* fit ſaltus ad Verſiculum 28. *In Eccleſiis, &c.* qui eſt quaſi parenthesis, qua David prævidens futuram lætitiam Principum Eccleſiæ, hortatur eos, ut in Eccleſiis, quas fundaturi erant, pergant benedicere Domino Deo, materiem laudis de fontibus Iſrael haurientes, Bellarm. in *Pſal.* 67. *verſ.* 28.

Per verba illa Antiphonæ *Diſſipentur inimici ejus, &c.* fit exorcizatio, & mundatio loci, ut ita expellantur virtute inimici. Ex quod infert Quart. *d. l.* in materialibus conſecrationibus, benedictionibus, & reconciliationibus fieri exorciſmos; atque hoc magis confirmatur ex eo, quod in fine Pſalmi, & repetitionis Antiphonæ, non dicitur *Gloria Patri, &c.* ob moram exorciſmorum. 59

§. X. Interim dum Antiphona, & Pſalmi prædicti dicuntur, Sacerdos circuit Eccleſiam intrinſecus aſpergendo: aſpergit etiam ſpecialiter loca contaminata: quo facto, ſtans in Presbyterio verſus ad Altare, dicit: *Deus qui, &c.*

§. XI. Deinde dicitur Miſſa de die occurrenti.

Hæc omnia explicata fuerunt in antecedenti Titulo, §§. 11. & 12.

§. XII. Simplex Sacerdos, tantum ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, poteſt Eccleſiam ab Epiſcopo conſecratam reconciliare: Et tunc utatur ritu in Pontificali deſcripto: procedatque indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali albi coloris, adhibitis ſecum aliis Presbyteris & Clericis, ſuperpelliceis indutis, cum Aqua ab Epiſcopo ad hunc uſum rite benedicta.

In principio hujus tituli, diximus Eccleſiam pollutam, ſed jam conſecratam, non poſſe reconciliari niſi per proprium Epiſcopum, vel alium, de ipſius licentia, dummodo, & ipſe Epiſcopi charactere refulgeat: unde inferunt, Epiſcopos hujuſmodi facultatem tradere non poſſe (60) ſimplici Sacerdoti, *c. Aqua, c. propoſuiſti, de conſecr. Eccleſiæ.* Summum Pontificem vero id poſſe, reſolvit Miranda *Manuel. Prælat. q.* 29. *art.* 8. *concl.* 2. Ugolin. §. 2. *n.* 8. Barboſ. *de pot. Ep. p.* 2. *alleg.* 29. *num.* 56. ubi addit, id poſſe, ex quo de jure poſitivo eſt; & omnium, quæ juris poſitivi ſunt, plenam habere poteſtatem. Id etiam tenet Mat. Alter *diſp.* 3. *c.* 4. Quare *S. R. C. in Gallicenſi* 24. *Septemb.* 1605. conceſſit Vicario generali licentiam reconciliendi Eccleſiam pollutam, attenta abſentia Epiſcopi, *Et in Rothomagenſi* 13. *Julii* 1601. eamdem facultatem conceſſit cuidam Abbati in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto. Quare ex iſtis duabus reſolutionibus apparet non omnino verificata propoſitio univerſaliter pronunciata a præfatis Doctoribus circa Sacerdotis ſimplicitatem, cui poteſt tradi a Papa hæc facultas; nam videmus in praxi per dictas Reſolutiones S. R. C. hanc delegationem factam fuiſſe non ſimplicibus Sacerdotibus, ſed in aliquo vel gradu, vel miniſterio, vel dignitate conſtitutis, nempe Vicario Generali, & Abbati.

61 (Note 61 begins at "ſimplici Sacerdoti" above.)

Aqua tamen, qua aſpergenda eſt Eccleſia polluta jam conſecrata, a quocumque reconcilietur, ſemper eſſe debet prius per Epiſcopum aliquem benedicta, vino admixto, & cineri, cum verbis, & ad formam, quæ habentur in Pontificali Romano. Sed cum hæc ſpectent ad Rubricas Pontificalis Romani, non autem Ritualis, non ſunt hic exponenda. Quæcumque vero in hac Reconciliationis materia deſiderari poſſunt, habebis in opere lucubratiſſimo Patri Franciſci Paſſarini, inſcripto *de Eccleſiarum Reconciliatione*; impreſſo Parmæ 1694. a cujus doctrina, & authoritate minime recedendum puto: ex profeſſo enim in illo habentur pertractata quæcumque ad Reconciliationem Eccleſiarum pertinent ex Juris Canonici Sanctionibus, ac moralis doctrinæ fundamentis. 62

RITUS BENEDICENDI

Novum Cœmeterium per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum,

TITULUS SEPTUAGESIMUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

1 *Delegatio pro Eccleſia benedicenda eſt ſimilis pro Cœmeterio.*
2 *Cœmeterium venit in conſequentiam Eccleſiæ.*
3 *Cœmeteria antiquitus erant extra Urbem.*
4 *Cauſa hujus Benedictionis.*
5 *Cœmeteriorum origines.*
6 *Cœmeteriorum varia nomina.*
7 *Dormitoria vocabantur.*
8 *Fideles mortui dicuntur dormientes.*
9 *Cœmeterii etymologia.*

10 Fo-

10 *Forma Cœmeterii a S. Carolo præſcripta.*
11 *Ampliationes Cœmeterii benedicendæ ſunt.*
12 *Cujus juris ſit ædificare novo Cœmeterio?*
13 *Reſtauratio Cœmeterii, & ejus murorum ad quem ſpectat.*
14 *Muri circumdarii non intrant in conſtitutione Cœmeterii.*
15 *Crux figitur in loco benedicendo.*
16. *Ratio æqualis eſt inter benedictionem Cœmeterii, & Eccleſiæ.*
17 *Cuſpides ferrei in ſummitate Crucis eſſe debent.*
18 *Paxillus quid ſit?*
19 *Debet eſſe tridens.*
20 *Ejus altitudo.*
21 *Eſt Crucis imago, ſed informis.*
22 *Myſterio hujus Paxilli.*
23 *Paxillus quare figatur in Terra?*
24 *Paramenta pro hac Benedictione cujus coloris eſſe debeant?*
25 *Benedictio hæc de mane facienda.*
26 *Cœmeteria quomodo in Urbibus introducta, & prope Eccleſias?*
27 *Si Cœmeteria ſint diſtantia ab Eccleſia, poteſt parari locus pro paramentis.*
28 *Aſpergillum cujus materia eſſe debeat?*
29 *Rituale Romanum adhibendum, & non alii libri.*
30 *Benedictio hæc fit nomine Sanctiſſimæ Trinitatis.*
31 *Quare lumen trinum accendatur?*
32 *Tapetum ſternendum in terra ante Crucem.*
33 *Prima aſperſio fit ſupra Crucem.*
34 *Cœmeterium aſpergitur tantummodo intra.*
35 *An Muri exteriores Cœmeteriorum gaudeant immunitate?*
36 *Tutior ſententia eſt, quod gaudeant.*
37 *Cur Benedicens Cœmeterium reſpiciat Crucem?*
38 *Summa Benedictionis eſt, ut lux æterna luceat Animabus Defunctorum.*
39 *Myſteria candelarum accenſarum.*
40 *Quare Crux aſpergatur, & incenſetur?*

1 UNIFORMITER ſe habet Benedictio Cœmeterii, ac Benedictio Eccleſiæ, atque eodem pacto, quo delegari poteſt ſimplex Sacerdos ab Epiſcopo ad benedicendam hanc ſeparatim, & de per ſe; ita deſtinari poteſt ad benedicendum illud, cum par ratio ſit inter iſta duo loca
2 Sacra, & iſta veniat in conſequentiam altaris, quamvis ſit ſeorſim benedicendus. Cumque dari poſſit Eccleſia ſine Cœmeterio, (prout de facto antiquitus dabantur, nam
3 collocata erant extra Urbem; quoniam intra mœnia prohibitum erat Romanis, ex leg. 12. Tabularum, defunctos ſepelire) ſi tractu temporis hoc ſubſidio, pro Defunctis ſepeliendis, munitur, debet iſtud particulari Benedictione ſacrari, ad illos effectus producendos, quos exponit
4 Quart. *d. de Benedictionibus, Prælud.* 3. n. 163. nempe ut locus præmuniatur ab infeſtatione malignorum ſpirituum, ut protegantur Defuncti, & Fideles excitentur facilius ad preces pro illis fundendas.

Quæ igitur diximus in genere de facultate, & delegatione Sacerdotis ad benedicendum Eccleſiam, ad hunc Titulum reportanda ſunt, abſque alia additione, & interim ad Ritum Benedictionis novi Cœmeterii procedendum.

Cœmeteria itaque antiquiſſimæ originis ſunt apud Chri-
5 ſtianos: modo Areæ, interdum Tumbæ, Catacumbæ, vel Cryptæ arenariæ, ex loci natura nomine comparato,
6 dici conſueverunt, ſed frequentius Cœmeteria, eo quod fides doceret, Chriſtianos non mori, ſed rurſus excitan-
7 dos; interea vero in Domino obdormire: unde quaſi Dormitoria vocabantur, ſeu Recubitoria mortuorum illorum
8 qui ab Eccleſia dormientes dicuntur, Joann. *cap.* 11. Paul. *ad Theſſalon. cap.* 4. quare domos, in quibus hoſpites dormire ſolebant, a Cretenſibus Cœmeteriums appellari ſolitas narrat Samuel. *dict. Tr.* 1. *concl.* 8. *num.* 17.
9 Inſuper dicitur a *Cimen*, quod eſt *dulce*, & *Sterion*, quod eſt *Statio*, ideſt dulcis mortuorum ſtatio. Acta vero S. Caroli ſemper *Cœmeterium* immutabiliter ſcribunt.
10 Forma vero ex præſcriptis a S. Carolo in *Act. Eccl. Mediolanen.* deſcribitur ſatis diligenter a Cavallerio *in Rett. Eccl. tit.* 16. *per tot.* Qui liber quamvis ſatis obvius ſit, & quotidie a Parochis præcipue præ manibus haberi poſſit, attamen verba ipſius Italice ſcripta, latino ſermoni tradam, atque hic efferam, ut exteris quoque Regionibus, & Sacerdotibus ibi commorantibus, qui Italicæ linguæ ignari ſint, innoteſcant: multa enim in hac deſcriptione animadvertenda ſunt magnopere neceſſaria, ut attendantur in nova Cœmeteriorum conſtructione.

DE CŒMETERIO.

I. Et ſi toleretur deſuetudo laudabilis, & antiquiſſimi uſus Eccleſiaſtici a SS. Patribus, & noviter a Sancta Tridentina Synodo adeo inculcati, habendi Cœmeteria, ad hoc ut ibi dictorum Defunctorum corpora ſepeliamus, attamen maxime neceſſarium eſt, ut in quacumque Parochia, vel ſaltem in quocumque Oppido, habeatur Cœmeterium, adeo ut ubi plures Parochiæ adſint, unum pro cunctis in- Comment. de Ritual. *ſerviat, ſaltem ad ibi transferenda, & ſervanda oſſa Fidelium Defunctorum, tunc quando a ſepulchris Eccleſiarum jam repletis eruuntur.*

II. Situs aptior pro Cœmeterio, eſſe poterit a latere Eccleſiæ ad Septentrionem, ſi ad hoc valeat, cum hac tamen cautela, ut tranſitum tranſeuntibus non præbeat: Feneſtræ ſupra illud non reſpiciant, & ſtillicidio immune exiſtat.

III. Magnum, & amplum ſit Cœmeterium, proportionabiliter ad numerum Parochianorum quocumque Anno morientium (libris Defunctorum inſpectis) forma quadratum, vel oblongum, juxta ſitus naturam, ad normam periti Architecti.

IV. Totum muro circumdetur, adeo ut cinctum ab omni parte appareat, (niſi alicujus ſciſſa Rupis altitudine circumvallatur.) Altitudo muri ſit ad undecim palmos circiter, ſed ob locorum penuriam toleratur etiam, ut ad quinque palmos tantum ſe extendat: ubi advertendum eſt, debere omnino adeo conſtructos eſſe iſtos muros, ut Beſtiæ prorſus, Homines vero difficiliter ingredi poſſint.

V. In parte exteriori ſint muri calce bene illiniti, & conflati: intus vero ſint calce eadem lævigati, & trulliſſati, necnon dealbati: interpolate vero, in ipſo muro interiori pingantur Cruces, ſeu piæ & devotæ Imagines, vel moralia dicta ex Sacra Scriptura, vel Sanctis PP. deprompta.

VI. Si Eccleſiæ facultates id conſentirent, in Oppidis inſignioribus, & præcipue in Cœmeteriis, in quibus dicitur humantur Cadavera, conſtrui deberet aliqua Porticus, ornata, atque Sacris Imaginibus adumbrata, quæ Cœmeterium circuiret: in cujus pavimento Sepulchra diverſa eſſent affabre conſtructa, & per illam diſtributa.

VII. In medio, alta Crux ferrea, ſeu etiam marmorea, eminere debet, e columna pariter marmorea, ſeu ſtructili inſurgens, quæ Crux, ſi fieri poſſit, aliquo modo, tecto obtegatur. Ad ſummum vero Crux ſit lignea, terra infixa perpendiculariter, & eminens quantum ſatis.

VIII. In aliquo Cœmeterii latere, ubi commode fieri poſſit, adſit loculus, ſeu loculamentum publico intuitu expoſitum muro munitum, & tecto fornicato (ubi fieri poſſit) in quo Oſſa nuda mortuorum, quæ a Sepulchris effodiuntur, in acervos conſtructo collocentur.

IX. Laudabile eſſet, ſi in Cœmeterio ad Orientem (ſi id commode fieri poſſet) conſtrueretur Cappella, in qua pro Defunctis orari poſſet: laudabilius vero, ſi iſta Cappella omnibus neceſſariis ad celebrationem Miſſæ conſtructa eſſet.

X. In qua Cappella, vel (ſi non adſit Cappella) ſub Cruce, vel in alio commodiori loco, & non ſub dio, adeſſe debet Vas Aquæ benedictæ, cum Aſpergillo, non ibi obligato, ſed libero, ut ex eo fieri poſſit aſperſio.

XI. Cæterum nec intra, nec extra Cœmeterium, muris colligata, ſeu pendentes eſſe debent Vites, aut Arbores cujuſcumque generis, neque aliqua arbuſta. Pariter neque fœnum, neque herba, neque lignorum acervi, ſeu trabium, Cœmenta, aut ſudera, nihilque prorſus, quod loci ſanctitati, ac decori repugnet.

XII. Denique Cœmeterii Porta, & quidem fortes ne deſint, clave, & ſera munita: Tres numero eſſe poſſunt in fronte; aliqua etiam lateralis non indecens erit: ſed ſi loci anguſtia id non ferat, unica tantum ſufficiens erit, convenientis vero latitudinis.

XIII. In fronte Cœmeterii, & ſupra Portam ejus ab extra, emineat ſeu picta, ſeu ſculpta Imago Sanctiſſimæ Crucis, in cujus pede, humani Cranii denudati effigies appareat: non vero ipſum Cranium naturale, cum vetitum ſit a Sacris Canonibus hujuſmodi Crania, extra Sepulchra, etiam in Eccleſiis tenere.

Hæc ſunt quæ de Cœmeterii Conſtructione affert Author 11
enunciatus, ſed multo majora etiam habentur in *Act. p.* 4. *c.* 27. *de Sepulchris, & Cœmeteriis, pag. mihi* 489. quæ nonniſi laudabilia eſſent, ſi adamuſſim adimplerentur; quibus addam quæ refert Samuel. *de Sepult. Tract.* 1. *contr.* 16. *concl.* 5. *num.* 10. *ad* 12. circa amplitudinem Benedictionis Cœmeterii, quæ non ſe extendit niſi ad limites primo deſtinatos, nec comprehendit ampliationes, quæ poſtmodum fieri poſſunt. „Cœmeterium antea Be-
„ nedictum, ſi poſtea amplificetur, & majus reddatur per
„ alterius loci additionem privati, cum nova interveniente
„ Benedictione, & ſolemnitate Diœceſani, fit locus ſa-
„ cer; alias minime gaudet. Probatur; nam ad conſti-
„ tuendum locum Sacrum requiritur deputatio cum aliis
„ ſolemnitatibus, & Diœceſani Benedictione, prout in
„ *Authent. de Eccleſia*, §. *Si quis, de fabrica, cum*
„ *authent. de Mon.* §. *Illud.* Nam pars addita non eſt
„ Cœmeterium: quia Cœmeterium eſt locus benedi-
„ ctus, Fidelium ſepulturæ dedicatus.

Hac occaſione, non incongruum duco (ob varias, quæ in dies inſurgere ſolent quæſtiones) aliquid ſuperaddere circa ædificationem novi Cœmeterii, cujus juris ſit, inquirendo primum, & deinde, ad quem ſpectet Murorum ipſiuſmet reſtauratio.

Quo ad primam Quæſtionem, nempe ad quam ſpe- 12
ctet Cœmeterii ædificatio: ſupponendum, & præmittendum

tendum eſt, quod aliàs diximus, parem rationem eſſe
inter Eccleſiam, & Cœmeterium; imo illud neceſſario
venire in conſequentiam eſtatius, Quart. *Prælud.* 3. *n.* 163.
Quo ſtante, videtur dicendum, ædificationem Cœmeterii
ſpectare ad eumdem, qui Eccleſiam conſtruxit; Acceſſo-
rium enim ſequitur naturam principalis, *de Regul. Jur.*
in 6. & illud Acceſſorium dicitur, quod per conſequen-
tiam ſui principalis venit, *l. Athletæ*, §. *ſive autem*, *ff.*
de his qui not. infam. Principale autem quod primario
intenditur, & in quod primum intentio principaliter di-
rigitur, Nid. *in Reg. Jur. Reg.* 42. *not. num.* 1. quæ Re-
gule ad quaſcumque diſpoſitiones, actioneſque humanas,
tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus empliatur
per Petr. Pech. n. 3. relat. in ſpecul. *tit. de except.* §.
3. *verſ. ſed quid, ſi gratia*, *&c.* Nid. *d. n.* 19. & præ-
cipue de Eccleſia loquendo (licet formali) habemus,
quod Eccleſia unita ſequitur naturam Eccleſiæ, cui facta
eſt Unio, Oldrad. *Conſ.* 257. *n.* 16. Tuſch. *lit. A*, *concl.* 76.
nu. 3. & quod membra Monaſterii ſequuntur caput, ni-
mirum ipſum Monaſterium, de Sen. *conſ.* 151. *n.* 3. Tuſch.
num. 5. Nid. *d. num* 10. Quod ad materialem Eccleſiam
reportari poteſt; Cœmeterium enim membrum eſſe Ec-
cleſiæ nemo dubitet, quamvis ab Eccleſia remotum,
Anaclet. T. 28. n. 5. *Tom.* 3. imo membrum neceſſarium;
inutilis enim redderetur Eccleſia (loquor de Parochiali
ſpecialiter) ſi abſque Cœmeterio ædificaretur, vel adibi
ſepelienda cadavera defunctorum, vel reponenda oſſa,
cum evacuantur ſepulchra Eccleſiæ, pro quibus cauſis
Cœmeteria inſtituta eſſe declarat S. Carolus *Act. p.* 4. *c.*
27. *de Sepulch. & Cœmeteriis*. Itaque Acceſſorium in hoc
caſu eſt tale, quod principali prodeſt ita & taliter, ut ſine
eo res vel inutilis, vel nulla redderetur, *c. ſi ſuper gra-*
tia, de Offic. deleg. in 6. *l. cum fundus*, *ff. de Fund.*
inſtrum. taliter enim ineſt, ut ſit portio, vel pars illius,
l. etſi non ſunt, §. *Prævenimus*, *ff. de aur. & arg. legal.*
in rem, §. 1. *& c. ff. de Rei vendicatione*; atque hic veri-
ficatur intelligi hanc Regulam de Acceſſorio per viam
neceſſitatis, & per viam inhærentiæ, juxta tradita a
Tuſch. *lit. A*, *concl.* 75. nam taliter neceſſarium, & ad-
hærens eſt Cœmeterium Eccleſiæ, ut perdat naturam
propriam, & recipiat naturam principalis, cui adnectitur,
Roman. *Conſ.* 230. *num.* 14. Barboſ. *num.* 6. *axiom.* 4.
numer. 7. Tuſch. *concl.* 76. *numer.* 27. pro quo habetur
exemplum, quod conceſſa, ſeu vendita, aut legata ali-
qua domo, venit etiam hortus contiguus, tanquam acceſ-
ſorius ad Domum, ſive tanquam de pertinentiis Domus,
l. Prædiis, §. *Qui domum*, *ff. de legat.* 3. Alex. *Vol.* 2.
conſ. penult. & conſ. 54. *l.* 3. *& Conſ.* 26. *l.* 4. & alii quos
ſequitur Nid. *d. Reg.* 42. *Commentar. num.* 25. ubi clarius
in terminis Sepulturæ, habetur, quod conceſſa ſepultura,
etiam celebratio pro Defunctis conceſſa præſumitur, Fede-
ric. de Sen. *conſ.* 186. *in princip.* Barboſ. *Axiom.* 4. *num.*
5. Ex qua illatio fieri poteſt, quod ſi intelligitur poſt
conceſſionem ſepulturæ, etiam conceſſa celebratio Offi-
cii, quæ venit de conſequenti, poſſit etiam intelligi, ſola
loco, & tempore, evacuatio ejuſdem ſepulturæ, & in
Cœmeterium, oſſium immiſſio: & ſi Cœmeterio deſtitu-
ta eſſet Eccleſia, ad hunc finem eſſet conſtruendum ab
eo, qui ſepulturam conceſſit, nec nova conceſſio eſt, ſed
intelligitur in prima, cum enim Cœmeterium ſit pars Ec-
cleſiæ, ea adducta, in toto partem non eſt dubium
contineri, *de Reg. jur. in* 6. *Reg.* 80. Quibus ſic ſtantibus,
hæc Concluſio facile ſtatui poteſt: ædificationem, ſeu
conſtructionem novi Cœmeterii ſpectare ad illum, qui Ec-
cleſiam ædificavit: Si vero nulla certa ſcientia de hoc ha-
beretur, opinor, hoc jus ad poſſeſſorem devolvi: rationi
enim congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in
honore, *de Reg. jur. in* 6. *Reg.* 77. *c. Filii, vel Ne-*
potes, 16. *q.* 6. nec aliter intelligendam puto ſententiam
Lavorii *Lucubr.* T. 1. *tit.* c. *c.* 8. *n.* 5. qui aſſerit, Eccle-
ſiaſticam pecuniam impendi debere pro conſtruendis Cœ-
meteriis, c. *aurum* 70. *c. nemo*, *ubi gloſſ.* 12. *q.* 2. licet il-
lam unice ad eaſdem neceſſitatis reducat, Sparall. *dec. for. Ec-*
cleſ. P. 1. *dec.* 68. *num.* 8. ſed cum de iſta neceſſitate nul-
la mentio ſit in allegato *c. aurum*, *&c.* tanquam illa, quæ
nullam habet legem pro ſe, *l. tutor, qui repert. ff. de admi-*
niſtr. tutor. Barboſ. *Axiom.* 157. Reſtrictio Sperelli vide-
tur nimis rigoroſa; & abſque ullo fundamento. Atque
hæc dicta ſint circa Jus conſtruendi Cœmeterium.
13 Potior vero, & frequentior quæſtio, atque Tribuna-
lis quotidie agitata eſt: Ad quem ſpectet Reſtauratio Cœ-
meterii, & ejus Murorum? Sparellus *p.* 1. *dec.* 68. *nu.* 8.
libere, & authoritative, tanquam Ordinarius, aſſerit, ſe
coegiſſe ſemper Parochianos ad hanc vel reparationem, vel
reſtaurationem, etiamſi Beneficiatus illius Eccleſiæ eſſet
dives, eo quia quamvis Cœmeterium ſit acceſſorium ad
Eccleſiam, nihilominus, nil aliud in ſe continet præter ſe-
pulchra ipſorum Parochianorum; ſepulchrum autem non
eſt conficiendum ſumptibus Parochi, ſed Parochiano-
rum: quod tamen limitandum venit, & dicendum de
ſepulchris, ſeu Familiæ, ſeu particularis Perſonæ, non ve-
ro de iis, quæ Parochianis in genere inſerviunt, & di-
cuntur ſepulchra communia tum pro Viris, tum pro Fœ-
minis illius Parochiæ, vel pro Infantibus, ſeu pro iis qui
ſepulchrum non elegerunt, cujuſmodi vere ſunt ſepulchra,
ſeu foveæ, quæ in Cœmeteriis communiter aperiuntur.
Eamdem ſententiam pleniſſima confirmat Panimoll. *dec.*
5. *adnot.* 8. *num.* 31. *dec.* 15. *adnot.* 1. *num.* 44. ſed ratio-
nibus Sperelli nimium inhærens, nullum aliud novum, vel
majus argumentum affert ad corroborationem ſententiæ
prolatæ.

Contra quam tamen nonnullas habeo rationes, & il-
lationes faciendas, per quas melius inſpecto negotio, &
debitis limitationibus appoſitis, fortaſſe Judicem a deci-
ſionibus tantorum Doctorum ſe reponentem inve-
niam.

Et primo: Conſiderando Cœmeterium ſimilis naturæ
ac Eccleſia, quoad ſepulchra; & parem rationem eſſe
inter illud, & illam, ut ſupra demonſtravimus, diſpari-
tas eſſet aſſignanda, cur ſi reparanda eſt Eccleſia collapſa
ex fructibus, & proventibus ejuſdem Eccleſiæ, ut ex
Conc. Trid. *ſeſſ.* 21. *de Ref. cap.* 7. Barboſ. *de poteſt. E-*
piſc. alleg. 64. n. 8. A Moſtaz. *de cauſis piis*, T. 2. *l.* 5. *c.*
6. *n.* 26. *ex c.* 1. *&* 4. *de Eccl. ædificand. c. final. de his quæ*
fiunt a major. part. Capit. Panimoll. *dec.* 15. *ad n.* 1. nam
fructus omnes illius Eccleſiæ ſunt de jure obnoxii, &
hypothecati ad ejus conſtructionem, & reparationem. A
Moſtaz. *ibid.* cum Bettojo, & Urrutigoyt *de Eccl. Cath.*
1. 13. *n.* 25. ſub eadem ratione, & hypotheca non ſit con-
ſiderandum quoque Cœmeterium, pars, & membrum
neceſſarium Eccleſiæ, ut cum Anacleto ſupra demon-
ſtratum fuit. Connexorum enim idem debet eſſe judi-
cium, *juxta Reg. de qua in l. jam hoc jure*, *ff. de vulg.*
& in l. cum qui aed. ff. de uſucap. Pollius *de manut.*
dec. 104. num. 8. Manli *Conſult.* 35. T. 1. n. 12.

Secundo. Nimis arcte Sperelli ſententia mihi videtur,
dum rigoroſe dicit, *Cœmeteria non continere, niſi ſepulchra*
Parochianorum: Si enim attendenda ſunt quæ ex *Act. p.*
4. *cap.* 7. demonſtravimus conſtituta a S. Carolo, & re-
lata noviter a Cavallerio *d. Tit.* 16. *per tot.* non ſola
ſepulchra Parochianorum continent Cœmeteria. Vide
quot enumerata ſunt in Inſtructione pro fabrica Cœme-
terii, & invenies *ſub* n. 9. Capellam, & Altare inſtructum
omnibus neceſſariis ad celebrationem Miſſæ, necnon alia
ibi deſcripta, quæ per muros circumdarios ejuſdem Cœ-
meterii tenentur, eo modo, quo a mœnia Eccleſiæ tenen-
tur ſepulchra, & alia in illa exiſtentia. Si igitur repa-
randi ſunt muri Eccleſiæ ex fructibus ejuſdem, ut ſupra
allegat. non video quomodo a reparatione Cœmeterii
iidem proventus retrahendi ſint, quando utraque loca
in ſe continent ſepulchra Parochianorum.

Ulterius, tunc cum in Inſtructione pro fabricando
Cœmeterio *ad n.* 6. dictum ſuit pro conſtruenda Portica
circa idem Cœmeterium; *Si Eccleſiæ facultates id conſenti-*
ent, *&c.* clare apparet, totum onus hujus ædificationis
Parocho, vel illius Eccleſiæ adminiſtratori, datum fuiſ-
ſe, nulla facta mentione Parochianorum, ſeu Incolarum:
ſed illæ *facultates* ſupponere debent poſſibilitatem manu-
tentionis: qui enim fundavit Eccleſiam, tenetur præſta-
re dotem ſufficientem pro victu Sacerdotis, luminaris,
fabricæ, & aliis neceſſitatis, *c. nemo de conſec. diſt.* 1. Panimol.
dec. 15. *adnot.* 1. *n.* 98. 29. igitur ad reparationem illius
quoque tenetur qui fabricam conſtruxit: nam connexo-
rum alterum recipiens, cenſetur ad alterum ſe obligare,
in c. Tua litteræ, *n.* 50. *de Cler. per ſalt. promot.* Gloſs. in
Clem. Ut ii, *in verb. Removeantur*, *eod. tit.* ubi Fagnan.
T. V. in d. c. Tua litteræ. *n.* 59.

Neque refragari poteſt opinio mea, ex quo *in d. Inſtru-*
ctione pro conſtruendo Cœmeterio, ſuperallegata, *ad n.*
4. moderetur altitudo Murorum per hæc verba *ob locorum*
penuriam, ac ſi de paupertate inhabitantium in illa Pa-
rochia intelligendum ſit: Vox enim illa *locorum penuriæ*,
interpretanda eſt pro anguſtia ſitus, & pro difficultate
fundamenta profunda jaciendi, non pro territorio, vel di-
ſtrictu, ſeu Parochia, vel juriſdictione, prout vult An-
tonel. *de loco legal. l.* 1. *c.* 1. *n.* 6. & ratio eſt quia in allata
Inſtructione, de Parochia nullus ſermo eſt, ſed de *lo-*
co, hoc eſt de ſito, & ambitu individuo, atque ſignato
pro conſtruendo Cœmeterio: & in hoc caſu Locus non
eſt fundus, ſed portio aliqua fundi, ex meo Clariſſimo
Cœlio Calcagnino, *de verb. ſignificat. pag.* 373. quæ por-
tio illa tantum eſſe poteſt, in noſtro caſu, quæ valet
pro fundamentis murorum. Penuria itaque loci venit pro
anguſtia ſitus, & pro difficultate fundamenta jaciendi
(prout dari poteſt in paludoſo ſolo, vel in lutoſo) non
vero pro paupertate Parochianorum, qui ad expenſas in
fundatione horum murorum non tenentur, & multo minus
in illorum reparatione, etiam per hoc, quod muri cir-
cumdarii non enumerantur inter requiſita a Synodis ad
conſtruendum Cœmeterium, ut per Mar. Ital. *de Im-* 14
munitate, *l.* 1. *cap.* 4. §. 7. *num.* 33. refert Pignatell. T.
6. *conſul.* 41. *num.* 9.

Inſuper ſi quid in Cœmeterio peragendum eſt, unice
ab eo, qui illius Dominus eſt, confici debet, ad quod vi-
detur relationem habuiſſe Sacra Concilii Congr. in una Foſ-
ſanen. 19. *Septembris* 1636. quam refert Nicol. *Floſc. verb.*
Cœmeterium: *& Lucubr.* T. 2. *l.* 5. *tit.* 36. *de Pollut. Eccleſiæ*,
Ibi reſcriptum fuit *Ad repurgationem Cœmeterii teneri*

eum,

rum, penes quem reſidet cura Animarum, & emolumenta Funeralium percipit. In ſubſidium vero teneri populum. Nec iſta expurgatio intelligi debet pro ſimplici herbarum evulſione, extirpatione; ageretur enim de paupere Regno, ad quod obligari ſolent communiter Campanarii, & Cuſtodes Eccleſiæ, ex officio; ſed cum non omnia Cœmeteria, vel non omnia Cœmeteriorum ſepulchra ſubdio ſint, nec herbis obnoxia, hinc eſt quod expurgatio iſta intelligenda eſt pro oſſium humanorum effoſſione, quibus ſeu foveæ, ſeu ſepulchra jam plena ſint, nec locum cadaveribus venturis præſtare valeant, pro quibus oſſibus ambitum, ſeu cellolam conſtituendam decrevit S. Carolus *Act. p. 4. de ſepulch. & Cœmet. c. 27.* per hæc verba, *De loco oſſario:* (forraſſe Oſſuario) *certus præterea locus intus ſit, pariete undique ſeptus, & tecto ac fornice, ubi poteſt, opertus: iſque in omnium conſpectu ſit, ubi mortuorum oſſa, aliquando effoſſa, ordine ſternuntur.* In hac expurgatione aepenſæ non modicæ quandoque occurrunt; per varios enim dies Operarii multi inſudare poſſunt juxta amplitudinem Cœmeterii; & tamen, licet aepenſæ ſint graves, nihilominus ad illas tenere Parochum (Parochus enim eſt *penes quem reſidet cura Animarum*) decrevit Sacra Congregatio Concilii, quæ incommodum Parochorum poſthabens, prout de jure ſibi viſum fuit, favore Populi pronunciavit. Si itaque expurgatio, quæ commodum Cœmeterii, & utilitatem Populi reſpicit, Parochis injuncta eſt, etiam gravi diſpendio, non video cur reparatio murorum ipſius, eidem Parocho non ſit injungenda, quamvis nullum ſibi commodum acquirat, ſed totum opus ad favorem Populi perficiatur. Pro qua ſententia, favore Parochianorum, & ſi neque Doctorem, neque Decretum, neque Reſponſum, neque Reſolutionem vel Sacræ Congregationis, vel Sacræ Rotæ Deciſionem habeam, Rem judicatam tamen in Ferrarienſi ſignaturæ anno 1717. afferam, quæ facit de albo nigrum, & ſufficit eam allegare, ad hoc, ut faciat de non debito debitum, Caroc. *de except. exc. 123. n. 48. sec. 24. n 3.* Propoſita itaque cauſa pro Communitate Terræ Portus Majoris Diœc. Ravenn. in Ducatu Ferrariæ, & Archipresbyterum illius Eccleſiæ Majoris Collegiatæ tanquam Parochum coram Em. Cardinali Patritio Ferrariæ de latere Legato, Viro vere Doctore, pro refectione expenſarum factarum in reſtaurationa murorum Cœmeterii illius Eccleſiæ, facta vigore Decreti emanati in Viſitatione habita ab Archiepiſcopo Ravennaten. qui decreverat refici debere muros ſeptadictos expenſis habitatorum in illa Parochia, quas expenſas inſtructo judicio in devolutivo, Communitas repetere intendebat, quoniam oculis clauſis, & prompte paruerat hujuſmodi Decreto, a quo non datur appellatio, tamquam in Viſitatione facto, cum pluribus Pignatell. *T. 1. Conſ. 388. n. 1.* & declaravit *S. C. C. in una Januen. 4. Februarii 1651. ad c. 10. ſeſſ. 24. de Reform. in Trid.* quia quando agitur de cultu Divino, aliquid decernitur favore Eccleſiæ, & ipſius divini Cultus, tunc, ne interim diminuatur, vel pereat, ab iis decretis non datur appellatio ſuſpenſiva, Rebuff. *tract. de ſent. proviſ. in præf. n. 37. & 38. tom. 1.* Re itaque plene, & mature per plures rationes hinc inde allatas diſcuſſa, Decretum emanavit gravatorium contra Archipresbyterum, ſeu Parochum, pro refectione expenſarum factarum a Communitate in reſtauratione murorum Cœmeterii. Nec authoritas Sperelli, quæ unica eſt in hoc caſu favore Parochi, conſiderata fuit, ex quo talis D. *l. c.* id aſſeruit debere fieri, quod ipſe fieri decrevit, authorizando rem propriam cum proprio decreto authoritative, & manu regia, atque ut ita dicam, more Belli, potens, & volens, non vero cum fundamento, & ratione.

Quod ſi aliquando, expenſis Parochianorum, ob paupertatem Eccleſiæ & Parochi, reſtaurata fuerint Cœmeteria, hoc regulam contrariam opinioni meæ non firmat, juxta regulam, quod in argumentum trahi nequeunt quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa, *de Reg. Jur. in 6. reg. 78. ibi gloſſ. num. 3.* ideoque ſtat ſemper quod, de jure, iſta reparatio ad Parochum ſpectet, non vero ad Parochianos, niſi per modum ſubſidii.

Quæ diximus de Cœmeterii reſtauratione, ad quam tenetur Parochus, valent tantummodo quando Eccleſia ſit liberæ collationis: Quod ſi eſſet de Jure patronatus, tunc illa obligatio reſtaurandi Cœmeterium devolvitur, ſeu remanet apud ipſoſmet Eccleſiæ Patronos: nam eo pacto quo tenentur Eccleſiam reparare, nulla videtur ratio in contrarium, cur Cœmeterium quoque reparare non debeant, cum ex dictis hoc veniat in conſequentiam Eccleſiæ. Quæſt. *Prælud. 3. n. 163.* ſicut enim juſpatronatus acquiritur ex reædificatione Eccleſiæ dirutæ. *Gloſſ. in c. 3.* ubi D. D. præſertim Abb. n. 8. *de Jurepat.* Hoſt. *in ſumm. eod. tit. §. ex quibus, verſ. Quid ſi readiſicavit, Rota coram Coccin. 21. Feb. 1625.* apud Vivian. *de Jurepatron.* ita in reædificatione, ſeu reparatione Cœmeterii Juſpatronatus non tantum acquiritur, ſed ſervatur, cum unum, & idem faciant Eccleſia, & Cœmeterium, hac tantum interpoſita diſtinctione, quod Eccleſia ſit principale, Cœmeterium vero acceſſorium, quamvis ab Eccleſia remotum. Quare unice diſpenſentur ab obligatione reparandi Cœmeterium Parochi illi, qui Eccleſiam regunt de Jure patronatus.

De modo diſtribuendi Taxam, & Ratam (in caſu paupertatis Eccleſiæ) inter Parochianos: vide A Muſtaz. *de cauſis piis, l. 5. c. 6. de Reparandis Eccleſiis.*

Sed ut ad Rituale noſtrum redeamus. Ædificato Cœmeterio, ad illud ab omnibus aliis locis diſtinguendum, hæc ſervanda ſunt, videlicet.

§. I. Pridie quam fiat Benedictio, ponitur in medio Cœmeterio benedicendo, lignea Crux alta ad ſtaturam hominis: & ante ipſam Crucem in terra figitur Paxillus tridens ligneus, altus ad Cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres Candelas.

Eodem pacto, quo in benedicendo, & imponendo primario lapide pro Eccleſia ædificanda, pridie quam benedicatur, figitur Crux in loco, ubi debet eſſe Altare; ita & in benedicendo Cœmeterio, pridie debet poni Crux in medio ejus ob rationes in dicta benedictione a nobis adductas: Cœmeteria enim, ut alibi diximus, & Eccleſiæ ſere pari paſſu ambulant quoad conſecrationem, vel be-
26 nedictionem, Paſſerin. *de pollut. Eccl. diſp. 2. cap. 46. n. 5.* in cujus doctrinæ confirmationem clara eſt aſſertio Pignatelli *T. 10. conſ. 117. n. 1.* Neminem ædificare poſſe Eccleſiam niſi prius Civitatis Epiſcopus, ſeu alter, de ejus conſenſu veniat, & ibi Crucem figat, ex quo clare infertur, æqualem rationem eſſe inter Eccleſiam, & Cœmeterium, ſaltem quoad Benedictionem, ſi in ambobus pro eorum earum agendarem figitur Crux.

In ſummitate hujus Crucis atque etiam in extremis
27 brachiis accommodantur cuſpides ferrei, ut in eis candelæ affigi poſſint, Caſtald. *Prax. l. 2. ſect. 11. c. 7. n. 1.* ſed Candelæ nondum figuntur in illis cuſpidibus, quia Crux nondum eſt benedicta, neque nondum accendendæ ſunt.

28 Paxillus, ſive parvus palus ex quacumque Arbore eſſe poteſt, & curari debet ut tridens ſit, quia in ſummi-
29 tate cujuſque rami cuſpides ferrei plantari debent, in quibus poſſint commode affigi tres Candelæ, nempe una pro quocumque cuſpide, Caſtald. *ibid.* Iſte Paxillus ad altitudinem unius cuſpidis deſtinatur, ne ſuperemineat Cruci, ſeu illius dignitatem occupet: eſt enim Crux informis, 20
quæ in veram Crucem transformari debet; quod fit in 21
memoriam ſerpentis Moſaici exaltati in deſerto ſuper li- 22
gno, quod fuit *ſymbolum* Crucis, *Joan. 3.* Sed ne fiat illa omnis materialis metamorphoſis de Paxillo in Crucem, paratur ſeparatim Paxillus, ſuper quem ponuntur, & accenduntur Candelæ antequam expleatur Benedictio. Hac vero expleta fit tranſitus de lege veteri ad novam, & de Paxillo ad Crucem, de ſignificatione ad ſignificatum, de Moyſe ad Chriſtum, & Crux eſt, quæ altior Paxillo eminet, & accenſa continet, ſicuti lex Gratiæ adimplet, non ſolvit legem naturæ.

Figitur in Terra iſte Paxillus, quod diſtincte præcipit 23
Rubrica dicens: *In terra figitur Paxillus,* eo quia lex antiqua in Marmore primo ſcripta fuit, de Cruce vero, dicit eadem Rubrica, *Ponitur non figitur,* quia eſt lex eminentior, ſanctior; unde nonnulli in praxi hujus Benedictionis ponunt Crucem ligneam ſuper Menſam ibi paratam, non autem in Terra.

§. II. Sequenti die, mane Sacerdos in Sacriſtia paratus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis indutis ſuperpelliceis, qui deferant vaſculum Aquæ Benedictæ, aſpergillum, & thuribulum, cum incenſi navicula, & hoc Rituali libro, & tribus Candelis cereis, procedit ad Cœmeterium benedicendum ante Crucem in medio poſitam, & affiguntur, & accenduntur tres Candelæ ſuper ligneum paxillum, & Sacerdos ante Crucem, & Candelas, ſtans diſcooperto capite, dicit: *Oremus, &c.*

24 De Paramentis, eorum qualitate, & coloribus, eadem omnino dicenda ſunt, quæ a nobis expoſita fuere in *Benedictione novæ Eccleſiæ.* Neque hic aliud addendum eſt, cum pari paſſu omnia procedant. Pariter de Aqua benedicta, de Incenſo, de Miniſtris, eadem legenda ſunt alias enunciata in dicta Benedictione: quod ſupereſt, & novam requiris indaginem, eſt prout infra.

Hæc Benedictio fit *Mane,* non eo quia celebranda ſit 25
Miſſa;

Miſſa; ſed quia Cœmeterium habet relationem ad Eccleſiam: ſicuti enim Benedictio Eccleſię mane fit, ita quoque fiari debet in Benedictione Cœmeterii, per ea, quæ ſopra diximus in explicatione §. 1. hujuſmot Tituli.

Quando Rubrica dicit: *In Sacriſtia paratus*, ſupponit, Cœmeterium eſſe Eccleſiæ contiguum, ut regulariter eſſe ſolet, ac quo, pace Eccleſiæ data, intra Urbes, ad Templorum limroe, fidelium corpora ſepeliri cœperunt tem-
26 pore Conſtantini Imperatoris, ut refert Panvinus *in lib. de ſepeliendis mortuis*, quem refert Lignatell. *T.* 5. *conſ.* 59. *n.* 34. Sed non per hoc ſequitur, quod omnia Cœmeteria procima ſint alicui Eccleſiæ de neceſſitate; nam poſſunt eſſe aliquantulum ab illis remota ad fœtorem evitandum, Lavor. *Elucubr. tit.* 2. *c.* 8. *num.* 3. quæ diſtantia tamen limitatur ab eodem, *tit.* 2. *c.* 5. *num.* 103. ad quadraginta paſſus, vel ſaltem triginta, *ex cap. ſicut antiquitus* 17. *q.* 4.

In tali caſo, ut evitetur incommodum, ſi diſtantia Miniſtros aggravarat, poſſunt omnia parari in viciniori loco
27 decenti, ſi adſit, vel ſi non adſit, conſtruendus erit locus congruus, & decenter ornatus, ut in eo Miniſtri, & res in Benedictione adhibendæ parentur, quemadmodum fit in benedicendo, & ponendo novo lapide, *ex Pontif. Rom.*

Aſpergillum conſuetum ſtatuit Rubrica, non vero ex 28
herba Hyſſopo contectum: ſed in praxi vidi eandem herbam adhiberi; unde cum ſit par ratio inter Benedictionem Eccleſiæ, & Benedictionem Cœmeterii, non video cur hic pariter non ſit adhibenda hæc Hyſſopus, eo magis quia etiam hic pronunciantur verba Pſalmi, *Aſperges me Hyſſopo*, *&c.*

Hic Ritualis liber denique paratus eſſe debet, ut rite,
& recta, de more Eccleſię Romanę fiat hęc Benedictio, nec 29
aliquid ſuperaddatur, neve imminuatur. Arceantur itaque omnes alii libri, qui Ritus Benedictionum ſtatuunt, qui a Romana Eccleſia approbati non ſint, & vulgati, pront ſunt nonnulli, qui in nonnullis libellis manualibus cum novis orationibus inſertis leguntur, qui licet pietatem redoleant, attamen a more Romanæ Eccleſiæ diſcedunt.

Accenduntur hoc tempore tres Candelæ Paxillo infixę in ejus tribus ramis, quia hic vere incipit Benedictio in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis. Lumen inſuper trinum
eſt, quia per trinam Benedictionem ſigno Crucis factam, 30
pront in Oratione, locus ille in Cœmeterium deſigna- 32
tur, purgatur, & ſanctificatur.

§. III. Mox ante ipſam Crucem omnes genibus flexis dicunt Litanias ordinarias, incipiente Cantore, cæteris reſpondentibus: Et cum dictum fuerit: *Ut omnibus fidelibus defunctis*, *&c.* *Te rogamus*, *&c.* Sacerdos ſurgit, & clara voce dicit, producens manu ſignum Crucis: *Ut hoc Cœmeterium*, *&c.* Deinde Sacerdos, ut prius, genuflectit, & Litaniæ perficiuntur.

Hæc omnia fiunt in Benedictione novæ Eccleſiæ, atque ita explicantur in illo loco ad ſuum Titulum, Caſtald. tantummodo monet *l.* 2. *ſect.* 11. *c.* 7. *n.* 1. in terra debere ſterni Tapetum, ubi Sacerdos, ac Miniſtri genu-
flectant, cum ſit in loco aperto, & vel cœnoſo, vel 32
pulverulento, vel herboſo.

§. IV. Quibus finitis, ſurgunt omnes, & Sacerdos Crucem aſpergit Aqua benedicta, dicens Antiphonam: *Aſperges me*, *&c.* Pſalm. *Miſerere*, *&c.* dicitur totus ab aſtantibus cum *Gloria*, *&c.* quo dicto, repetitur Antiphona.

Prima aſperſio fit ſuper Crucem, quæ ibi pro ſigno
31 futuræ loci ſanctitatis ponitur; & tunc Myſterium novæ Legis e ſanguine Chriſti in Cruce conſecratæ exprimitur. Totus item Pſalmus *Miſerere*, *&c.* recitatur, ut tempus ſufficiat circumeundi Cœmeterium, & illud in interiori parte benedicendi, & aſpergendi.

§. V. Dum dicitur Pſalmus, Sacerdos circuit, & perambulat totum Cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aſpergens ubique Aqua benedicta: quo facto, redit ante Crucem, & ad ipſam reſpiciens, dicit: &c.

Quamvis, ut ſupra dictum eſt, pari paſſu veniat ratio Eccleſiæ, & ratio Cœmeterii in illis benedicendis: atta-
34 men in hoc differunt, quod Eccleſia benedicitur Aqua ſanctificata, intus, & extra; Cœmeterium vero aſpergitur tantummodo intra, ſeu in parte interiori; unde ori-
35 tur quæſtio: An muri exteriores Cœmeterii cenſeantur benedicti, & conſequenter; An qui illis adhæret, gaudeat immunitate Eccleſiaſtica? quod videtur reſolvendum negative, eo quo muri extra non benedicuntur quemadmodum illi Eccleſiæ, nec habent ſtillicidium, pront habet Eccleſia, quod ſtillicidium pluries immune declaratum eſt per *S. C. Immunitatis*. Attamen ratio, & opinio contraria ſuſtineri poteſt, eo quia ille aſperſio materialis ſuam virtutem accipit ſpiritualiter, & totum comprehenſorium facit ſanctum, adeout pari paſſu ambulet cum Eccleſia etiam circa immunitatem, Anaclet. *Decr. lib.* 3. *tit.* 49. §. 1. *n.* 11. Sed Eccleſiæ mœnia etiam extra Eccleſiam cauſant immunitatem; ergo quoque Cœmeteria, licet non ab extra aſperſa Aqua luſtrali, Paſſerin. *l. c.* Fuſc. *de Viſit. l.* 1. *c.* 12. *n.* 7. Piaſec. *Prax. Ep. p.* 1. *c.* 5. *n.* 6. & alii.

Crucem reſpicit Sacerdos expleta Benedictione, ut a 37
ſigno humanæ Redemptionis auſpicium ſumat pro collata Benedictione, & propterea Animæ illorum, qui in illis Cœmeteriis ſepeliendi ſunt, fructum ejuſdem Redemptionis per ſanguinem Chriſti in Cruce effuſum recipiant.

36 §. VI. Tunc figit in ſummitate Crucis unam ex tribus Candelis ardentibus, & alias duas ſimiliter ardentes in duobus brachiis ejuſdem Crucis. Deinde incenſat ipſam Crucem, & aſpergens Aqua benedicta, redit cum Miniſtris in Sacriſtiam.

Summa totius Benedictionis eſt, ut lux æterna luceat
38 Animabus Defunctorum qui in illo loco ſepeliendi ſunt. Per lumen igitur Candelarum in ſummitate, & brachiis Crucis fixarum, fit, ut fides Reſurrectionis vigeat, & lumen æternę vitæ in illis reſplendeat per meritum Chriſti in Cruce paſſi.

Transferuntur inſuper Candelæ accenſæ a Paxillo, in
39 quo erant fixæ, & Cruci traduntur, ut demonſtretur, ceſſaſſe legis Moſaicę candelabra, atque extincta eſſe; quorum vice, lumen Chriſti ad revelationem Gentium in Eccleſia ſurrexit, quo Animę Fidelium in ſpe futuræ Reſurrectionis obdormiunt.

Incenſatur quoque Crux, & aſpergitur Aqua benedi- 40
cta, ut perfecta ſanctificata remaneat, atque ut arceantur omnes diabolicę inſidię ab illo loco: nec extinguuntur cerei accenſi, donec totaliter abſumantur, ut ita edoceamur, venerationem loci perpetuo durare debere, nec ab ulla humana vi poſſe extingui. Vide quę alibi diximus de Incenſatione, & de cereis luminibus.

O R D O R E C O N C I L I A N D I

Cœmeterium violatum, ſive Eccleſię contiguum ſit, ſive ſeparatum, ubi Eccleſia non eſt polluta.

TITULUS SEPTUAGESIMUS QUINTUS.

S U M M A R I U M.

1 *Polluta Eccleſia Cœmeterium venit pollutum.*
2 *Non vero a contra.*
3 *Contiguum quid ſignificet?*
4 *Porta non facit Cœmeterium Eccleſiæ contiguum.*
5 *Cœmeterium de per ſe pollui poteſt.*
6 *Cœmeteria loca commoda pro delictis, quia ſolitaria.*
7 *Reconciliatio fit in mane.*
8 *Facultas eſt impetranda pro Benedictione Cœmeterii.*
9 *Benedictio, ſeu Reconciliatio de jure ſpectat ad Epiſcopum.*
10 *Facultas debet committi Presbyt. in dignitate conſtituto.*
11 *Miniſtri, ac Paramenta ſunt eadem ac in Benedictione.*
12 *Color niger an adhibendus pro hac reconciliatione?*
13 *Reconciliatio cadit ſub Ritu dedicationis.*
14 *Tapetum pro genuflectendo parari debet.*
15 *Aſpergillo, an Hyſſopo utendum ſit.*
16 *Fere omnia adhibentur hic, quæ in Reconciliatione Eccleſiæ violatæ.*

Venit

1 VENIT de conſequenti, ut polluta Eccleſia, pol-
lutum quoque remaneat Cœmeterium; ſi adſit con-
tiguum immediate, ut diximus *in Ritu Reconciliandi Ec-*
2 *cleſiam*. Sed e contra ita non eſt, ſi ſolum polluatur Cœ-
meterium; nam ipſum ſolum pollutum manet, ſi deli-
ctum, & actio pollutiva patrata ſit in Cœmeterio, Ec-
cleſia ut prius ſanctificata, & illibata remanente.
Itaque, ſive hoc Cœmeterium ſit contiguum, & im-
3 mediatum per ejus extrema, alicui Eccleſiæ (contigua
enim ſunt illa, quorum extrema ſunt ſimul, ut cum A-
riſtotele obſervat Sanctus Auguſtinus, *lib. Cathegor. cap.*
10.) ſive ſit ſeparatum, ſemper polluitur de per ſe, ſi in il-
lius ambitu tantum, fiat ſanguinis, aut ſeminis injurioſa
effuſio, vel aliquid aliud perpetretur, quod ſit loci Sa-
cri pollutivum, prout alibi enumeravimus. Nec Adi-
tus, ſeu Porta facit Eccleſiæ contiguum Cœmeterium,
adeo ut Pollutio de minori tranſeat ad majus; ſicu-
ti neque quando Cœmeteria circumdata ſint propriis pa-
rietibus per totas ſuas partes, quamvis aditus, & ingreſ-
ſus ad ea ipſa pateat per Eccleſiam, dici non poſſunt Ec-
cleſiæ contigua, quia extrema illorum ſe non conjungunt,
atque ideo de Eccleſia non tranſit Pollutio ad Cœmete-
4 rium, ſeu de majori ad minus, ut aperte colligitur *ex*
Gloſſ. in ſignat. caſu ad præd. cap. unic. & apertiſſime
traditur e Jordan. *Var. Elucubr. t. 1. l. 5. tit. 12. n. 93.*
Paſſerin. *dict. diſp. 2. c. 47. n. 4. & 5.*
Caſus igitur præſentis Tituli eſt, ſi Cœmeterium ta- 5
lem labem per ſe ſuſceperit, ut mundari indigeat, ad
hoc ut denuo locus ſacer fiat, & aptus ad recipienda fidelium
Cadavera. Dari enim poteſt, & quidem facillime, ut
delictum aliquod patretur in iſtis locis, quæ ſolitaria ut 6
plurimum, & remota eſſe ſolent, atque apta ad ſcanda-
la multa lovenda, abſque Eccleſiæ matricis damno, non
tantum ſi diſtent ab ea, ſed etiam ſi contigua ſint, &
connexa.
Eccleſia itaque Catholica hoc in votis habuit, ut for-
mam præſcriberet benedicendi, ſeu reconciliandi Cœme-
teria, quando per ſe polluta, & violata ſint: quomodo-
cumque enim ſe habeant, ſemper pollutionis capacia
ſunt: Ex Boniſ. VIII. *in cap. unic. de conſecr. Eccl. 6.*
& aliis a Paſſerin. allegat. *diſp. 2. c. 46. n. 4.* contra
nonnullos, contrarium, ſed nulla ratione ſentientes. Cum
enim Cœmeterium ſit membrum Eccleſiæ, Lavor. *d. t.*
2. c. 7. e. 39. licet non principale, deforme eſt, ut læſum
maneat in reliquo corpore ſano.

§. I. Mane diei, qua facienda eſt Reconciliatio, Sacerdos, ſi ab Epiſcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus, & Clericis, indutis ſuperpelliceis, in Sacriſtia, aut alio decenti loco, veſtitus amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali albi coloris, accedit ad medium Cœmeterii, Clerico vaſculum Aquæ benedictæ & Aſpergillum deferente, & ibi ſuper Tapete genuflectit una cum Miniſtris: & Cantores, aliique genibus flexis, dicunt Litanias, in quibus cum dictum fuerit, *Ut omnibus fidelibus defunctis, &c: Te Rogamus, &c.* Sacerdos ſurgit, & manu dextra producens ſignum Crucis ſuper Cœmeterium, clara voce dicit: *Ut hoc Cœmeterium reconciliare,* ✠ *&c.*

7 In mane ſit Reconciliatio Cœmeterii ea ſana ratione,
quia poſt illam peractam, congruum videtur, ut Sacrifi-
cium celebretur ſive in Capella Cœmeterii, ſi adſit, ſi-
ve in Eccleſia, cui Cœmeterium inſervit, ut jam in Ti-
tulo de *Benedictione*, ſeu *Reconciliatione Eccleſiæ* dictum eſt.
8 Eo pacto, quo pro reconcilianda Eccleſia requiritur de-
legatio Sacerdotis facta ab Epiſcopo, ita & in reconci-
liando Cœmeterio opus eſt, ut hæc facultas obtineatur
in ſcriptis, & regiſtretur in Archivio, & Cancellaria E-
piſcopali, atque Eccleſiæ ad perpetuam memoriam per
allegata e Monacell. *T. 2. in Benedictione*, & *Reconcilia-*
tione Eccleſiæ. Ratio hujus facultatis delegandæ eſt, quia
9 hæc Benedictio, ſeu Reconciliatio, de jure ſpectat ad E-
piſcopum: quo in caſu Regula eſt, ut committatur hæc
10 facultas Presbytero in dignitate conſtituto, *S. C. R. 9.*
Febr. 1608. Gavant. *Manual.*
Miniſtri, qui in peragenda hac Reconciliatione adhi-
11 bentur, iidem ſunt qui in Benedictione Eccleſiæ uſuve-
niunt, cum ratio ſit eadem. Item Paramenta, & colores
non mutantur, ex quo idem cultus eſt, atque intentio.
Quæſtio olim fuit inter nonnullos, qui in Reconcilia- 12
tione, & Benedictione Cœmeterii autumabant congruen-
tius eſſe, adhibere colorem nigrum, ſeu ſaltem violaceum,
ob locum reconciliandum, qui proprie defunctis Sacer ſit.
Ratio enim in promptu erat, quia in Benedictione Se-
pulchri præſcripta a Rituali, de qua loquuti ſumus *in*
Titulo de Exequiis, ſeu de Exequiarum Ordine, §. 14. Sa-
cerdos utitur Pluviali, & Stola nigri coloris. Sed reſpon-
ſum fuit, diſtinguendam eſſe unam Benedictionem ab a-
lia ex diverſa ratione, occaſione, & tempore. In Exe-
quiis cuncta nigro colore induuntur, & Benedictio Se-
pulchri cadit ſub Ritu, & Ordine Exequiarum.
In Dedicatione vero cuncta alba debere eſſe; nam 13
Reconciliatio cadit ſub Ritu Dedicationis, ut late patet
ex eodem loco ejuſdem Tituli.
Hic inter ſupellectiles apponendas enumeratur Tapetum 14
ad genuflectendum, de quo cum Catald. mentionem fe-
cimus in antecedenti Titulo, §. 3.

§. II. Quibus dictis, ut prius genuflectit, Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, ſurgunt omnes, & Sacerdos, accepto aſpergillo cum Aqua benedicta, inchoat Antiphonam, *Aſperges, &c.* Clero proſequente, *& mundabor*. Pſalmus *Miſerere, &c.* dicitur totus ſine *Gloria, &c.* In fine repetitur Antiphona, *Aſperges, &c.*

Idem Ritus eſt ac in Reconciliatione Eccleſiæ alias a
15 nobis expoſita: neque hic mentio fit de Aſpergillo ex her-
ba hyſſopo, ſed videtur quod magis doceat, quam ea alia
materia, ad hoc ut adſit uniformitas cum Benedictione,
ſeu Reconciliatione Eccleſiæ.
Reticetur *Gloria, &c.* & hæc eſt unica imago mœro-
ris, quæ appareat in loco Defunctorum, ſed neque per
hoc dicunt, *Requiem, &c.* qui verſiculus in Ritu dedi-
cationis non bene ſonaret.

§. III. Dum hæc dicuntur, Sacerdos circuit totum Cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aſpergens ubique Aqua benedicta, præſertim in loco, ubi violatio commiſſa eſt. Quo peracto, redit ad locum, ubi Litaniæ dictæ fuerunt, & ibi ſtans dicit: *Oremus*. Et miniſtri: *Flectamus genua, &c.* ℟. *Levate*.

16 Circulus, aſperſio, & inſpectio loci præcipue violati
eadem ſunt, ſuper quibus alias animadverſiones noſtras in
Titulo *de Reconciliatione Eccleſiæ violatæ*. Atque ideo de
his nil amplius, &c. *

**Nova hoc etiam in loco acceſſio facta eſt Rituali Romano, quod Benedicti XIV. juſſu editum eſt. Additus enim eſt* Ritus abſolvendi, & benedicendi Populos, & Agros ex Apoſtolicæ Sedis indulto: *necnon* Methodus Indictionis præmittendæ Pontificiæ Benedictioni ſtatis diebus ſuper Populum elargiendæ; Rituſque in ea ſervandus a Regularibus, quibus a S. Sede hujuſmodi facultas indulta eſt, vel indulgebitur; prout præcipitur in Epiſtola Encyclica Benedicti PP. XIV. ad PP. Generales Ordinum Reg. Dat. Romæ die 19. Martii 1748. *Hæc nobis indicaſſe ſufficit, ſi quis enim legere cupiat, adeat idem Rituale a Benedicto XIV. editum, atque auctum, quod nuper etiam ex Remondiniano Typographio prodiit. Illud præterea Lectores*

noſtros admonitos volumus, SS. D. N. Clementem XIII. feliciter regnantem nuper, nempe tertio Nonas Septembris 1762. Encyclicas litteras Romanis typis evulgaſſe, quibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, necnon aliquibus inferioribus Prælatis, benedicendi Populo nomine Sanctitatis ſuæ facultatem poſtulantibus, concedendam eſſe ſtatuitur; Rituſque ſervandus præſcribitur. *Has litteras integras hic referre non inutile, neque injucundum fore exiſtimavimus. Sunt autem hujuſmodi.*

Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Clementis divina providentia Papæ XIII. Litteræ Apoſtolicæ per quas Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, necnon aliquibus inferioribus Prælatis, benedicendi Populo nomine Sanctitatis ſuæ facultatem poſtulantibus, concedendam eſſe ſtatuitur: Rituſque ſervandus præſcribitur.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

I*NEXHAUSTUM Indulgentiarum theſaurum a Jeſu Chriſto Domino Noſtro Eccleſiæ relictum, Chriſtiano Populo maxime ſalutarem, & ſummopere in pretio habendum eſſe, Catholicæ Eccleſiæ authoritas, & Summorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum geſta facillime ſuadent. Cumque per divinæ gratiæ abundantiam, nullis ſuffragantibus meritis in ſuprema Beati Petri Cathedra conſtituti, modo ad paſtoralem ſollicitudinem noſtram pertineat, per univerſum Domini gregem vigili cura providere, ut omnia in eo honeſte, & ſecundum ordinem fiant; veterem, & probatam Eccleſiæ conſuetudinem circa Indulgentiarum diſpenſationem, quantum fieri poteſt, reſtituere, & ſervare, ſimulque Chriſtifidelium utilitati accurrere ſtudemus.*

Inter cætera ſiquidem ſpiritualium gratiarum dona, quibus Summorum Pontificum liberalitate Chriſtifideles cumulantur, potiſſimum locum habet Plenaria peccatorum Indulgentia, & remiſſio, quæ ſtatis anni diebus conceditur, dum Romanus Pontifex ſolemni cæremonia Populo coram ipſo congregato benedicit, & non raro ipſius Summi Pontificis nomine, effundendæ Apoſtolicæ benedictionis ſuper Principes Viros abſentes delegata fuit facultas: ſed inde invaluit præter modum uſus, etiam Verbi Dei Præconibus indulgendi, ut ſimiliter cum Plenaria Indulgentia Apoſtolicam benedictionem, non ſingulari alicui Perſonæ, vel familiæ, ſed univerſo ad Eccleſiam confluenti Populo impertiri valerent: Nonnullos pariter, non ſine aliquo Eccleſiaſticæ diſciplinæ diſcrimine, circa harum facultatum exercitium, irrepſiſſe abuſus deprehendimus.

Ut autem ſpiritualium gratiarum dona, pie, ſancte, atque incorrupte adminiſtrentur, quodque adeo ſalubriter inſtitutum eſt in perniciem non cedat abutentium: Præmiſſa omnia Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis præpoſitæ examinanda commiſimus, quæ exquiſitis etiam Conſultoribus, votum ſuum Nobis aperiret. Poſtquam igitur, quid eadem Congregatio, auditis Conſultoribus hac in re ſentiret, percepimus; omnibus mature perpenſis, juſtam rationem, congruoſque limites in his præſcribere volentes, de ipſius Congregationis conſilio, Motu proprio & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula particularia indulta, & privilegia effundendi ſupra Populum Apoſtolicam benedictionem, per Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, ac per Nos etiam, quibuſvis particularibus Perſonis, ſive Eccleſiaſticis ſæcularibus, ſive cujuſvis Ordinis, & inſtituti Regularibus, ad certum tempus, ſeu ad earum vitam, non tamen illa per Prædeceſſores prædictos aliquibus Ordinibus Regularibus attributa, quæ modo infraſcripto ſalva eſſe volumus; reſpective conceſſa, & elargita, etiamſi eadem particulares Perſonæ, ex quavis cauſa illa impetrarint, & in poſſeſſione Indultorum ac privilegiorum hujuſmodi reperiantur; harum ſerie revocamus, ac de medio tollimus, & abolemus.

Porro ad ſubmovendos quoſvis abuſus, qui in hac re, vel ſuborti deprehenduntur, vel quandoque ſuboriri poſſent, & ad augendam erga Paſtores eminenti Epiſcopatus dignitate pollentes Populorum devotionem, ſimulque Chriſtifidelium utilitati, de immenſo & ineſtimabili theſauro Eccleſiæ tradito conſulere volentes, ipſarum tenore præſentium ſtatuimus, quod deinceps Venerabilibus Fratribus Noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon dilectis filiis Prælatis inferioribus, Mitræ, & Pontificalium uſum, Territoriumque ſeparatum cum vera qualitate nullius Diœceſis habentibus, & activa in Clerum & Populum juriſdictione gaudentibus, nunc & pro tempore exiſtentibus; Patriarchis, videlicet, Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, duobus anni ſolemnitatibus, unicum Paſchate Reſurrectionis Domini, aliaque die feſta ſolemni eorum reſpective arbitrio deſignanda: Prælatis vero, præmiſſis qualitatibus præditis, & in propriis Territoriis degentibus, ſemel in anno, in una ex diebus, quibus eorum ſingulis Pontificalium uſus ab Apoſtolica Sede permittitur, Populo in Eccleſia congregato, Apoſtolica Summi Romani Pontificis pro tempore exiſtentis auctoritate, illiuſque Nomine, facultas ſolemniter benedicendi, cum elargitione Plenariæ Indulgentiæ, juxta ritum & formulam inferius tradendam, concedi poſſit, & ipſorum unicuique, quamdiu illi ſuis reſpective Eccleſiis præfuerint, gratiamque & Communionem cum Apoſtolica Sede habuerint, per Literas Apoſtolicas in forma Brevis, gratis, ut in ſimilibus mos eſt, concedatur. Ad quorum effectum ipſos Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ac ſupramemoratos Prælatos, nunc, & pro tempore exiſtentes, in Domino hortamur, ut pro Dignitatum eorum ſplendoris augmento, & fidelium Populorum ipſis creditorum, congrua erga Divinam juſtitiam ſatisfactione, a Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus, facultatem hujuſmodi ultro ipſis oblatam poſtulent, & impetrare non prætermittant.

Quoniam vero eas facultates, impertiendi Romani Pontificis nomine Apoſtolicam benedictionem, aliquibus Regularibus Ordinibus conceſſas præſervare intendimus; harum ſerie declaramus, illas juxta conceſſiones Apoſtolica Auctoritate factas, ſalvas & illæſas eſſe debere: Diſtricte tamen dilectis filiis eorumdem Ordinum Superioribus, & Profeſſoribus, etiam ſpeciali mentione dignis, facultate, & indulto hujuſmodi gaudentibus, & qui in poſterum gaudebunt, harum quoque ſerie præcipimus & mandamus, quod in illius exercitio, in omnibus ritum, & formam a fel. rec. Benedicto P. P. XIV. per ejus Epiſtolam Encyclicam ſub die XIX. Martii Anni Domini MDCCXLVIII. Pontificatus Sui Anno Octavo editam, præſcriptum, ſervare: & inſuper in dictis duabus ſolemnitatibus, quatenus Epiſcopi in illis facultate hujuſmodi utantur, ab effundenda benedictione penitus abſtinere reſpective debeant. Ac itidem, ad ſubmovendam quamcumque dubii cauſam, declaramus etiam, per Benedictionem Apoſtolica Auctoritate, ſive per ipſos Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ſive per Regulares quoſlibet, ut præfertur, impendendam, nullam prorſus a cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis ſcienter, vel ignoranter incurſis, abſolutionem concedi, neque ab illis abſolutio prætextu Benedictionis hujuſmodi ſuſceptæ prætendi poſſit.

Decernentes præſentes Noſtras Litteras, & in eis contenta quæcumque ſemper validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios effectus perpetuo ſortiri, & obtinere, atque iis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum pleniſſime ſuffragari, ac reſpective ab omnibus obſervari debere.

Non obſtantibus, quatenus opus ſit, quibuſvis Apoſtolicis, & in generalibus ac Provincialibus Conciliis editis generalibus ſeu ſpecialibus Conſtitutionibus: Nec non Ordinum Regularium quorumcumque præmiſſis, & aliis Privilegiis, ac indultis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam ſimili motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine conceſſis, ac pluries approbatis, confirmatis, & innovatis: Necnon Noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illarum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, latiſſime & pleniſſime, ac ſpecialiter & expreſſe derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis. & ſigillo Perſonæ in eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Ritus vero, & formula a Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis pro impertienda Benedictione, una cum Plenaria Indulgentia poſt Miſſarum ſolemnia, triplici ſigno Crucis emiſſo, & in Epiſcopali Throno, cum mitra, cæteriſque ſacris paramentis indutis, circumſtantibus Miniſtris, adhibendus, quod congrue de Prælatis inferioribus intelligatur, talis eſſe debet.

Expleta in utraque ſolemnitate Miſſæ Solemnis celebratione,

tione, in primis alta voce, per Miniſtrum Superpelliceo indutum, legantur Litteræ Apoſtolicæ, quibus Indulgentia Plenaria conceditur una cum poteſtate Benedictionem Apoſtolicam ſuper Populum effundendi, ut de delegatione adſtantibus conſtet, & conceſſio ex Latino ſermone in vulgarem ad Populi intelligentiam, translata recitetur. Poſtea Epiſcopus ſurgens, juxta Ritum in Cæremoniali Epiſcoporum expreſſum, dicat: Precibus & meritis Beatæ Mariæ ſemper Virginis, Beati Michaelis Archangeli, Beati Joannis Baptiſtæ, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum.

Miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis veſtris, perducat vos Jeſus Chriſtus ad vitam æternam.

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum, ſpatium veræ, & fructuoſæ pœnitentiæ, cor ſemper pœnitens, & emendationem vitæ, perſeverantiam in bonis operibus, tribuat Vobis Omnipotens & miſericors Dominus. ℞. Amen.

Et Benedictio Dei Omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus✠Sancti deſcendat ſuper Vos, & maneat ſemper. ℞. Amen.

Demum, poſt impertitam benedictionem, publicabitur latino, & vernaculo idiomate conceſſio Plenariæ Indulgentiæ, ſequenti formula:

Attentis facultatibus a Sanctiſſimo in Chriſto Patre & Domino Noſtro, Domino *CLEMENTE*, divina providentia, *PAPA* Decimotertio, in enunciatis Apoſtolicis Literis expreſſis, datis Reverendiſſimo Domino, Domino N., Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, hujus Sanctæ N. Eccleſiæ Antiſtiti; eadem Dominatio ſua Reverendiſſima, Summi Pontificis Nomine, dat & concedit omnibus hic præſentibus, Indulgentiam Plenariam in forma Eccleſiæ conſueta: Rogate igitur Deum pro felici ſtatu Sanctiſſimi Domini Noſtri *PAPÆ*, Dominationis Suæ Reverendiſſimæ, & Sanctæ Matris Eccleſiæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum revocationis, abolitionis, ſtatuti, hortationis, declarationis, præcepti, mandati, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo, Tertio Nonas Septembris, Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

C. Card. Pro-Datarius. *N. Card. Antonellus.*

V I S A
De Curia J. Manaſſei.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi,

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione decima, die vero undecima Septembris Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Papæ XIII. Anno Quinto, ſupradictæ Litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Antonium Pelliccia Apoſt. Curſ.

Franciſcus Romolatio Mag. Curſ.

DE

PROCESSIONIBUS,

TITULUS SEPTUAGESIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

1 *Proceſſiones inter functiones Eccleſiaſticas numerantur.*
2 *Proceſſiones non ſunt Sacramentalia.*
3 *Proceſſiones majorem cultum Deo exhibent, quam Sacramentalia.*
4 *Proceſſio quid ſit.*
5 *Proceſſionis vera, & propria definitio.*
6 *Scriptores varii de Proceſſionibus.*
7 *Proceſſiones dividuntur in publicas, & privatas.*
8 *Proceſſionibus privatis nullus ſtatuitur Ritus.*
9 *Proceſſiones privatæ non poſſunt transferri ſine licentia Epiſcopi.*
10 *Proceſſiones publicæ quare ſic dicantur.*
11 *Regulares an teneantur intereſſe publicis Proceſſionibus.*
12 *Regulares in aliquo caſu poſſunt compelli ad intereſſendum.*
13 *Regulares poſſunt ab Epiſcopo puniri, ſi non interſint.*
14 *Regulares non ad omnes proceſſiones intereſſe tenentur.*
15 *Proceſſionum reductio.*
16 *Regulares intereſſe tenentur Proceſſionibus extraordinariis, & pro re gravi.*
17 *Proceſſiones extraordinariæ non ſunt perpetuandæ.*
18 *Diſtantia, quæ eximit Regulares ab intereſſendo.*
19 *Proceſſionum indicendarum jus eſt tantum Epiſcopale.*
20 *Proceſſiones vocantur etiam ſupplicationes.*
21 *Proceſſiones omnes ſunt ejuſdem ſpeciei moralis.*
22 *Origo Proceſſionum antiquiſſima.*
23 *Proceſſiones fuerunt in uſu in Veteri Teſtamento.*
24 *Infideles, & Pagani ſuas Proceſſiones habuerunt.*
25 *Proceſſionum varia motiva.*
26 *Proceſſiones omnes ad tria capita reduci poſſunt.*
27 *Proceſſiones ſunt Schola Virtutum.*
28 *Proceſſionum myſteria, & documenta.*
29 *Virtutes Proceſſionum explicari debent a Parochis.*
30 *Parochus debet indicere, & enunciare Populo Proceſſiones.*
31 *Silentium, & modeſtia obſervari debent in Proceſſionibus.*
32 *Modeſtia primo decet Sacerdotes.*
33 *Acceſſus ad proceſſionem non eſt ſervitus, ſed honorificentia.*
34 *Veſtes proceſſionales quales eſſe debeant.*
35 *Pluviale ſemper deferendum in proceſſionibus.*
36 *Pilei prohibentur in proceſſionibus.*
37 *Bini Bini procedere debent omnes in proceſſionibus.*
38 *Locum quiſque habere debet ſuum in proceſſione.*
39 *Contentiones pro loco repellendæ ſunt a proceſſionibus.*
40 *Contentiones non promovendæ ſunt in actu proceſſionis.*
41 *Controverſia iſta ab Epiſcopo terminari debet.*
42 *Magiſtri Cæremoniarum debent prævidere diſſidia.*
43 *Remedium præſentaneum eſt, ut qui contendunt, ſe abſtineant cum proteſtatione.*
44 *Aliud Remedium eſt, ut invertatur Ordo.*
45 *Proceſſio ſolemnis Feriariæ facta inverſo ordine.*
46 *Similis proceſſio a Macrio deſcripta.*
47 *Confraternitates antiquiores præcedere debent.*
48 *Confraternitates nullum ſignum faciant in Eccleſiaſtica hierarchia.*
49 *Immodeſtia dedecet in proceſſionibus.*
50 *Fœminæ ad Feneſtras tempore proceſſionum prohibendæ.*
51 *Synodales Conſtitutiones Juri communi præferuntur.*
52 *Diſtinctio eſſe debet inter Clericos, & Laicos.*
53 *Atque inter Maſculos, & Fœminas.*
54 *Locus Laicorum in proceſſionibus.*
55 *Locus Fœminarum qualis eſſe debeat in iiſdem?*
56 *Proceſſiones Fœminarum an ſint licitæ?*
57 *Segregatio Mulierum a Viris in proceſſionibus antiquiſſima.*
58 *Crux in omnibus proceſſionibus præfertur.*
59 *Uſus iſtius prælationis antiquiſſimus.*
60 *Imago Chriſti in Cruce an præferri debeat?*
61 *Crux nuda a pauperioribus Religioſis defertur.*
62 *Imago Chriſti in Cruce eſſe debet converſa ad Populum.*
63 *Cruces Regularium a quibus deferri debeant?*
64 *Palliolum pendens a Cruce quare adhibeatur?*
65 *Vexilla militarem figuram habere non debent.*
66 *Vexilla triangularia prohibentur.*
67 *Tormenta bellica an explodi poſſint tempore proceſſionis?*
68 *Forma Vexillorum adhibendorum in proceſſionibus.*
69 *Edendi, & bibendi abuſus in proceſſionibus eliminandus.*
70 *Monita alia circa comeſſationes in proceſſionibus.*
71 *Comeſtibilia vendi non debent in proceſſione.*
72 *Quale peccatum ſit comeſſationes habere in proceſſionibus.*
73 *Miſſa celebranda poſt proceſſiones.*
74 *Proceſſio an diſpenſari poſſit a celebratione Miſſæ?*
75 *Proceſſio Corporis Chriſti nunquam celebratur a prandio.*
76 *Proceſſiones Veſpertinæ non protrahendæ ad noctem.*
77 *Proceſſiones ordinariæ quænam?*
78 *Non indicendæ ſunt quotumque anno.*
79 *Proceſſiones extraordinariæ quænam ſint?*
80 *Indicendæ ſunt ſpecialiter pridie.*
81 *Enumeratio proceſſionum extraordinariarum.*
82 *Regulares exempti tenentur intervenire iſtis proceſſionibus*
83 *Proceſſiones generaliter terminari debent ubi initium habuerunt.*
84 *Nonnulla tamen excipiuntur.*
85 *Epiſcopus debet punire tranſgreſſores.*

ŒCONOMIA noſtri Operis poſtulat, ut Ritualis Romani ordinem ſequendo, expoſitis Benedictionibus ab eodem præſcriptis, ad Proceſſionum explicationes deveniamus. Cæterum ſi de quibuſcumque Benedictionibus fieri poſſibilibus in Eccleſia Dei, verba a nobis eſſent facienda, non adeo breviter opus expediretur, ſed cum quæcumque Benedictiones, quæ extra Rituale Romanum ſunt (dummodo in Pontificali non habeantur, prout ad Epiſcopos ſpectantes) haberi debeant ſuſpectæ, niſi ſpecialis, & diſtincta approbatio interſit Eccleſiæ, ideo omittuntur, hoc unum enixe optantes, ut quæcumque in iſtis Commentariis noſtris vel deſcripta, vel deſcribenda ſunt, Eccleſiæ Catholicæ mandatis obſequentiſſime inhæreant, totoque pede proficiſcantur. Itaque ad Proceſſiones me confero, juxta ordinem Ritualis noſtri.

Proceſſiones quoque inter Eccleſiæ Catholicæ functiones
3 enumerari ſatis liquet ex eo, quia in illis peragendis, talia adhibentur, quæ inter Sacramentalia a Doctoribus collocantur, prout ſunt Aqua luſtralis, Benedictiones, & ſimilia, Caſal. *de Sac. Rit. p.* 1. *cap.* 3. *in fine*. Verum proprie Sacramentalis Proceſſiones dici nequeunt; nam illis non ſolet attribui effectus remiſſionis venia-
4 lium, quemadmodum Sacramentalibus tribuitur, ex communi DD. ſententia apud Suarez *ſect.* 2. *diſp.* 12. Igitur tutius loquemur, ſi illas inter Eccleſiaſticas functiones tantummodo enumerabimus, prout eas Paulus V. in ſua Conſtitutione *Apoſtolicæ Sedis*, *&c.* ſub tali nomine nuncupavit. Hoc tamen non obſtante, per eaſdem Proceſſiones, majorem, & excellentiorem cultum Deo exhibemus, quam per alias Sacras functiones, quæ inter
5 Sacramentalia numerentur, ex Quar. *de Proceſſ. punct.* 7. *n.* 23.

Proceſſio itaque in ſua Eccleſiaſtica ſignificatione deſumpta, eſt publica Precum inſtitutio Populi fidelis, certo ordine incedentis, & coram Deo aſſiſtentis ad impetrandum auxilium. Hæc definitio inter varias e diverſis Authoribus allata, probatur tamquam magis apta, & propria a Paulo Maria Quarto, *ſect.* 1. *punct.* 2. *n.* 2. ex qua aliam clariorem, & magis ad rem noſtram deſumit *n.* 3. his verbis: *Proceſſio eſt publica ſupplicatio facta Deo a communi cœtu Fidelium, certo cum ordine diſpoſita, & procedens e loco Sacro in Sacrum.*

Circa Proceſſionum eſſentiam, qualitates, cauſas, ritum, utilitates, myſteria, & alia ad illas ſpectantia, luculenter ſcripſere, *Serrarius*, *Gretſerus*, *Caſalius*, *Durandus*, *Durantus*, *Quartus*, *Caſtaldus*, *Bouldri*, *Biſſyus*, 6
& alii ſatis diffuſe, & ex profeſſo: qui Authores ex gratia omnes videndi ſunt. Nos vero, cum ex inſtitutione, & propoſito noſtro, tantummodo de earum Ritibus, quatenus in Rituali Romano præſcribuntur, tractaturi ſimus, ea unice exponemus, quæ in Rubricis ejuſdem Ritualis reperiuntur, & propoſita ſunt: majora, & quæſtionabiliora aliis Tractatoribus relinquendo.

§. I. Publicæ, Sacræque Proceſſiones, ſeu Supplicationes, quibus ex antiquiſſimo Sanctorum Patrum inſtituto, Catholica Eccleſia, vel ad excitandam Fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad Divinum auxilium implorandum uti conſuevit, qua par eſt religione celebrari debent; continent enim magna, ac Divina myſteria, & ſalutares Chriſtianæ pietatis fructus eas pie exequentes a Deo conſequuntur; de quibus Fideles præmonere, & erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium eſt.

7 Dividuntur Proceſſiones in publicas, & privatas. Privatis nullus præfigitur Ritus ab Eccleſia, cum fiant in-
8 ter privatas ædes, puta Monaſteriorum, & Parochiæ, ſeu a Perſonis privatis, cœtum univerſalem Eccleſiæ non convocando: quæ Perſonæ proprium Ritum habent, & illarum inſtitutionis præſcriptum in ſuis Proceſſionalibus libris, quorum uſus eſt præcipue apud Monachos, & Fratres Mendicantes.

9 Notandum eſt tamen, quod quamvis iſtæ proceſſiones privatæ fiant ſine licentia Epiſcopi, qui jus privativum circa proceſſiones habet, nihilominus, non poſſunt transferri ſine ejus licentia, prout partibus informantibus fuit deciſum a S. C. R. *in Hiſpalen.* 3. *Septembris* 1695. apud Monacell. T. 1. *tit.* 5. *for.* 7. *n.* 12.

10 Publicæ vero proceſſiones, vel ita appellantur quia palam fiunt, & publice apparent, vel quia cunctis licet illis intereſſe; imo ad illas convocantur quicumque Ordines Regulares, & Confraternitæ, ut interſint, & eas comitentur ordine præſcripto.

11 Magna Quæſtio eſt: An Regulares etiam privilegiati, & exempti teneantur proceſſionibus intereſſe? Regula generalis eſt, quod iſti Regulares etiam exempti, etiam
12 Monachi poſſunt compelli ad accedendum ad proceſſiones publicas, & conſuetas, atque indictas pro bono, aut honore publico. Ita tenent Emanuel Sa, *Quæſt. Reg. t.* 3. *quæſt.* 36. *art.* 1. Franc. Leo, *Theſ. for. Eccl. p.* 4. *cap.* 2. *n.* 143. Ugolin. Cocchier. Armendar. Valenzuel. & Barboſ. *de Off. Ep. Alleg.* 78. *n.* 14. & alii apud eumdem ad Conc.
13 Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 13. imo poſſunt ab Epiſcopo puniri per cenſuras, & pœnas arbitrarias non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, conſuetudinibus, vel præſcriptionibus etiam immemorabilibus; privilegiis tantum Apoſtolicis Sacro Concilio Tridentino poſterioribus contrarium deſuper diſponentibus minime ſublatis, ut declaratum fuit a Sacra Congregatione juſſu Urbani VIII. die 27. Julii, 21. Auguſti, & 19. Septembris anno 1628. apud Pignatellum, *Tom.* 1. *conſult.* 121. Verum Monacellus, *Tom.* 1. *tit.* 5. *for.*
14 7. *n.* 23. has proceſſiones, ad quas cogi poſſunt Regulares ad intereſſendum, reducit ad illas tantummodo, quæ cauſa, bono, vel honore publico fiunt, *&* n. 23. no-
15 minatim dicit, illas eſſe, quæ indicuntur pro Gratiarum actione, de re gravi; pro pace inter Catholicos Principes, vel Victoria impetranda contra Infideles; pro electione novi Pontificis Eccleſiæ diu viduatæ Paſtore: ad
16 placandum Deum occaſione Peſtis, Sterilitatis, Terræmotus, & ſimilium, ut tradunt Pax. Jordan. *Lucubr.* T. 2. *lib.* 11. *tit.* 2. *n.* 4. Paſſerin. *de ſtat. hom.* T. 3. *q.* 2, 189. *n.* 196. *in fine*. Alias extraordinarias proceſſiones enumerat Steph. Durant. *l.* 2. *cap.* 10. *n.* 4. 5. 6. Quas tamen proceſſiones ad effectum obligandi Regulares ad intereſſendum, non eſſe renovandas annuatim, & perpetuandas, niſi nova
17 motiva, & novæ cauſæ concurrant, cenſuit S. R. C. *in Biſcilien.* 19. *Januar.* 1697. ad relat. Card. Petruccii: in qua declaratum fuit edictum Epiſcopi, quo adſtringebantur Regulares ſub pœna ſuſpenſionis, & interdicti Eccleſiæ, ipſo facto incurren. ad intereſſendum proceſſioni indictæ pro obtinenda liberatione a Terræmotu, ſemel jam factæ (non) anno præcedenti, & poſtea renovatæ, *non ſuſtineri, cum omnibus inde ſecutis.* Ex quo deducenda eſt exceptio Regulæ, nempe, poſſe cogi Regulares exemptos ad intereſſendum proceſſionibus, dummodo hæ proceſſiones ſint extraordinariæ, & pro re gravi; de quibus etiam loquitur de novo idem Monacell. *T.* 3. *tit.* 3. *for.* 6. *n.* 2. cum Pac. Jordan. Barboſa, & de Luca *de Juriſdict. diſc.* 100. *n.* 9. Et dummodo Regulares hujuſmodi non diſtent a loco proceſſionis faciendæ, ultra dimidium 18
milliare, vel perpetuæ Clauſuræ ſint adſtricti, ut cum multis notat Anaclet. *lib.* 1. *tit.* 30. *n.* 129.

Porro, quæcumque ſint iſtæ proceſſiones, jus eas in- 19
dicendi, ac etiam (cum cauſa) prohibendi, eſt privativum Epiſcopi, Barboſ. *ad Concil. ſeſſ.* 25. *c.* 13. *& de Pot. Ep. alleg.* 78. *n.* 3. *&* 4. *de Canonic. & dignit. c.* 42. *n.* 20. *& in Summ. deciſ. Apoſt. verb. Ep. quoad Proceſſiones.*

Supplicationes etiam vocantur, quia forma cujuslibet 20
proceſſionis conſiſtit in ſupplicationibus, & precibus, quæ in eis ad Deum funduntur, non qualitercumque, ſed certo cum ordine, atque ritu particulari, ex quibus patet, omnes proceſſiones eſſe ejuſdem ſpeciei moralis, quatenus 21
omnes conveniunt in certis ritibus, & precibus, Quart. *d. punct.* 5. *n.* 11.

Quo vero ad earum originem. Multi SS. Patres men- 22
tionem faciunt de Proceſſionibus, & quidem non recentiores ſunt; ſed ex antiquis tales habemus, qui floruerunt ante nos mille, & treſcentos annos, prout Tertullianus, SS. Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, & Marcellus, quorum mentio fit a Quart. *d. punct.* 3. *n.* 7. & alii illarum ætatum Patres.

Concilia quoque nonnulla adſunt, & quidem antiqua ab eodem Quart. enunciata, nempe *Gerunden. c.* 3. *Aurelianen.* 1. *can.* 29. *Mogunt. ſub Carolo Magno*, *c.* 33. *Laodicen. c.* 17. *Lugdunen.* 1. 6. *Bracaren. c.* 9. quorum Conciliorum celebratio excedit millenarium.

Antiquiorem etiam Sacrarum proceſſionum uſum, & inſtitutionem aſſignat Steph. Durant. *l.* 1. *c.* 10. qui affert loca ex *Matth.* 21. & 28. necnon *Marci* 16. *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes*, *&c.*

Sed non tantum Chriſtiani uſum proceſſionum habent: habuerunt & Hebræi, ut in Veteri Teſtamento, unde 23
nonnulli originem illarum repetunt ab illo *Num.* 10. *Joſ.* 6. *Reg.* 6. *Paralt.* 13. *Joel.* 2. Infideles quoque, & Pagani ſuas 24
proceſſiones habuerunt, & habent, ut notant Scriptores Rerum præcipue Turcicarum, Jo. Antonius Menavinus *de morib. Turcarum*, *lib.* 2. *c.* 16.

Quia vero omne Agens, propter finem agit, non fine cauſa, & non abſque ratione, uſus iſtarum proceſſionum apud Fideles inſtitutus eſt. Quatuor motiva, tamquam cau- 25
ſæ proceſſionum motrices inducuntur a noſtro Textu. Prima cauſa eſt *excitatio pietatis*; nam proceſſiones ſunt actus veræ Religionis, & Cultus divini, quibus recognoſcitur Deus tamquam ſupremus omnium Dominus, Quart. *Punct.* 7. *n.* 23. Altera cauſa eſt *Commemoratio divinorum Beneficiorum*: nam non tantum recognoſcitur Deus tanquam ſupremus omnium Dominus, ſed etiam tamquam piiſſimus largitor omnium Bonorum, cui noſmetipſos ſubjicimus, & a quo omnia expectamus, Tertia cauſa eſt: *Ad Deo gratias agendas pro collatis Beneficiis*. Pro gratiarum enim actione eſt ſpecialis proceſſio deſignata, cum ſuis Orationibus: rationabiliter enim Deo gratiæ reddendæ ſunt, quem authorem Bonorum noſtrorum cognoſcimus, juxta illud S. Jacobi Ap. *c.* 1. *Omne datum optimum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum.* Demum quarta ratio eſt: *ad divinum auxilium implorandum*. Sunt enim proceſſiones valde utiles Populo Chriſtiano, ob magnam vim, quam habent impetrandi a Deo gratias, quarum indigemus: unde multa ab Authoribus adducuntur exempla comprobantia fructus innumerabiles provenientes Fidelibus a proceſſionibus rite, & recte factis. Vide Quart. *punct.* 8. *n.* 25. 26. Præter has cauſas, nullam aliam ex Rituali aſſignamus, cum omnes, & ſingulæ proceſſio-

nes

26 nes ad hæc quatuor enumerare capite reduci poſſint.
27 Itaque cum proceſſiones ſint Scholæ virtutum celebres,
in quibus vera pietas, & devotio elucefcit, hinc eſt, ut pa-
ri religione eas celebrare decens ſit: ſemper enim de Deo a-
gitur in illis, vel per modum impetrativum, vel per mo-
dum gratiarum, vel per adorativum. Sancta igitur ſancte
tractanda ſunt, ut alias diximus, nihilque ſanctius eſt actu
veræ Religionis, & Cultus divini, prout ſunt proceſſiones,
Quart. punct. 7. n. 23.
28 *Continent magna, & divina myſteria, &c.* Quinque myſteria,
& plura ſalutaria documenta abſcondi in proceſſionibus docent
Authores. *Primum* eſt Symbolum noſtræ Peregrinationis per
deambulationem, & circuitum demonſtratum. *Secundum*, diſ-
poſitio velut Caſtrorum acies ordinata nos paratos admonet ad
prælium contra hoſtes Fidei noſtræ. *Tertium* per muſicos cantus
in proceſſionibus adhibitos demonſtratur concordia omnium
Fidelium ad laudem, & honorem Dei. *Quartum*, ex lu-
minibus accenſis indicatur bonorum operum lumen, &
Fidei vivæ fax in Fidelium cordibus. Per *Quintum* tan-
dem, quod latet in Ritu, quo procedimus e ſiniſtris ad
dexteram, oſtenditur, quod cum Proceſſio ſit typus no-
ſtræ peregrinationis ad Patriam Cæleſtem, nos ab adver-
ſitatibus, quæ per ſiniſtram denotantur, & e miſeriis hu-
jus ſæculi patienter toleratis, ad dexteram æternæ feli-
citatis tranſire ſperemus, Quart. a n. 30. ad 40. Ubi etiam
ſalutaria documenta, quibus per proceſſiones inſtruimur,
explicantur.
Iſta Myſteria explicare debet Parochus Populo ſuo; 29
nam inter Parochialia munera illud eſt, ut Verbo Dei
paſcat oves ſuas, explicando Divina eloquia, & docendo
neceſſaria ad ſalutem, quæ ſequenda, quæ amplexanda,
quæ evitanda ad obtinendam vitam æternam, ut ex *Conc.
Trident. Seſſ. 5. de Ref. c. 2.* Similiter debet virtutem Sa-
cramentorum explicare, necnon Sacramentalium, atque
ideo proceſſiones faciendas indicere, & enunciare; et Po- 30
pulus ſtatuto tempore, & loco adſit, Barboſ. *de Poteſt. Par.*
c. 6. n. 16. Has vero enunciare non præſtat, ſi eas expli-
care renuerit: Populus enim præcipue ruralis ſæpe ſæpius
ad Sacras functiones, pecudino more trahitur, illarum
naturam, eſſentiam, & myſteria ignorans. Quapropter
ad Parochum incumbit explicare quid per has proceſſio-
nes Eccleſia intelligat, ut poſſint Fideles ad illas inter-
venire parato animo fructuum ſpiritualium percipiendo-
rum, pro quibus tales proceſſiones inſtituuntur: nimis
enim materialis eſſet intereſſentia illorum, abſque perceptio-
ne ullius fructus ſpiritualis. Propter hoc Eccleſia ſtatuit,
ut Parochi explicarent totum id, quod neceſſarium vide-
tur ad erudiendos Populos. Quod monuit etiam S. Caro-
lus, *Act. 4.* qui onus ſimile impoſuit etiam concionato-
ribus. Alia quoque nos diximus in Titulo *de iis, quæ in
Sacramentorum adminiſtratione generaliter ſervanda ſunt*
§. 10.

§. II. Videant in primis Sacerdotes, aliique Eccleſiaſtici Ordinis, ut in his Proceſſionibus, ea modeſtia, ac reverentia, tum ab ipſis, tum ab aliis adhibeatur, quæ piis & Religioſis hujuſmodi actionibus maxime debetur.

31 Idem præcipit S. Carolus, *Act. p. 6.* in Inſtructionibus
pro ſupplicationibus, ſeu proceſſionibus, dum dicit: *Ob-
ſervent omnes in Eccleſia, & in via debitum ſilentium,
& modeſtiam.* Imo delinquentes notandos, & puniendos,
decrevit, tamquam violatores loci, & rei Sanctæ.
32 Hæc modeſtia, & reverentia primo a Sacerdotibus, &
Eccleſiaſticis; poſtea ab aliis ſervanda eſt: qui enim plus
habent, plus debent, & qui in dignitate eminent, emi-
nere debent, & excellere in omni virtute: Quare ut
omni decentia procedant ornati tum Eccleſiaſtici, tum Sæ-
culares, nec ſcandalum præbeant ante Sacras, & publicas
ſupplicationes, debent ſe præparare cum humilitate, &
cordis compunctione; alias qui ad illas imparati acce-
dunt, Deum tentare videntur, juxta illud: *Ante Oratio-
nem præpara Animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui
tentat Deum, Eccleſ. 18.*
Hoc ſciendum denique eſt, acceſſum ad Sacras proceſ-
ſiones non redolere aliquam ſervitutem, ſed potius ho- 33
norificentiam, & prærogativam erga Cultum Divinum:
imo redolere etiam in prærogativam aliorum Ordinum,
qui ſub proprio Vexillo eiſdem publicis proceſſionibus in-
terveniunt, de Luca *de Juriſdict. diſc. 100. n. 7.* illamque ad-
miſit *Sacr. Congreg. Concil. in Neapolitana proceſſionum,
2. Auguſti* 1709. allegat. ab Urſaya, *Tom. 2. p. 2. diſc. 9 per tot.*

§. III. Omnes decenti habitu, ſuperpelliceis, vel aliis ſacris veſtibus, ſine galeris, niſi pluvia cogente, induti, graviter, modeſte, ac devote, bini ſuo loco procedentes, ſacris Precibus ita ſint intenti, ut remoto riſu, mutuoque colloquio, & vago oculorum aſpectu, populum etiam ad pie, devoteque precandum invitent.

34 Habitus proceſſionalis, quamvis ſit viatorius, attamen
eſt Sacer, non quæcumque veſtis apta eſt, ut in hac Sa-
cra functione adhibeatur. Clerici ſuam habent a Sacris
Ritibus ſtatutam Veſtem, juxta ordines, & gradus ſuos.
35 Præſertim Pluviale præcipitur ferendum a majori dignita-
te Proceſſioni intereſſente, quia proprie hæc eſt Veſtis
viatoria, qua pluvio tempore, extra Templa utebantur Apo-
ſtoli; ut late demonſtrat Macrius *in Hierolex. verb. Pluviale.*
36 Galerus præcipue prohibetur in proceſſionibus, eo quia
nihil in ſe habet Sacri, & eſt tegumentum omnino pro-
fanum. Clerici Biretis Clericalibus, nempe quadratis cum
Cruce uti debent: Regulares vero Cappuccio, ſi id eorum
Ordo patiatur. Unica tantum tolerantia eſt tunc quando
pluvia id exigat: ſed ſi actu plueret, improvidum conſilium
omnino eſſet proceſſionem ducere extra Eccleſiam: ſi vero
timeretur, tunc Pileo, pro tali neceſſitate, uti poſſent
componentes Proceſſionem, ſed non actu caput cooperi-
re, niſi vere ad id cogat cadens pluvia.
In veſtibus demum fugienda ſunt extrema vitioſa tum
in menſura, tum in delectu: & præcipue Sodales Con-
fraternitatum cavere debent a nimio luxu in ſacco, &
in comis fictitiis: ſaccus enim, ut omnes Doctores adver-
tunt, Veſtis eſt pœnitentialis, & cum pœnitentia luxus non
bene conſentit. Vide Quart. *dict. punct. 52. n. 51.*
37 Bini bini denique procedunt omnes, ob geminum præce-
ptum charitatis, ut ait S. Gregorius, *hom. 17. in Evang.* Sed
hæc eſt ratio moralis. Ratio alia naturalis eſt, ut in pſal-
lendo, & orando cum præſcriptis precibus quiſque habeat
ſocium ſuum, qui pſalmodiam alternet, & ſibi reſpondeat.
Inſuper hoc fit ad evitandam confuſionem, exemplo Chriſti
Redemptoris, qui *Lucæ* 10. miſit diſcipulos ſuos binos in o-
mnem Civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus;
ob commendationem fraternæ charitatis, & ut alter alte-
ri ſit auxilio, ſolatio, ſtimulo, & excitamento, S. Ber-
nard. *Serm. de Purific.* & Theophylact. *in Luc.*
38 *Suo loco.* Turbat proceſſiones, qui ſuo loco, & debito
ordine non incedit, inquit S. Bernardus, *Serm. de Purif.*
39 Itaque contentiones, & rixæ de præcedentia, & loco ho-
norariori, a proceſſionibus omnino repellendæ ſunt, nec
danda eſt illis anſa, & pabulum, quia ad Animi, & Cor-
poris ſimul deſtructionem facile deveniunt. Certe locus
pro ſingulis prædefinitus eſſe debet, ad hoc ut quiſque lo-
cum alterius non occupet, vel uſurpet, & a ſingulis juxta or-
dinem ſuum procedendum eſt; aliter enim eſſet tumultus,
& inordinatum Chaos, non Sacra proceſſio. Quapropter
Sacras Congregationes de Urbe adire, Doctores conſulere, &
rationes, authoritateſque cumulare, ut quiſque in ſua hono-
rariore poſſeſſione manuteneatur, non reprobo, imo laudo;
debet enim quiſque ſua jura tueri omni virium conatu:
ſed improbo, atque deteſtor, lacrymiſque deploro uſum non-
nullorum, qui de bono jure diſputando, tempus captant
tunc, cum nulla fieri poteſt matura deliberatio, ſed tu-
multuaria, nempe in arena poſiti, & in actu proceſſionis
jam inchoatæ diſſidia, & bella movent de præcedentia, 40
nullo habito reſpectu ad rem Sanctam, atque Religioſam,
quam agunt: & inde fit, ut charitas penitus extingua-
tur, Religio deprimatur, & finis, ſeu ratio ſupplicatio-
nis omnino deſtruatur.
Textus itaque noſter cum dicit: *ſuo loco procedentes*,
omnem præcedentiæ titulum, atque omne jus controver-
ſum, deciſum ſupponit, nec diſputationibus locum aperit:
Sint quot lubeat, controverſiæ, & jurgia de præcedentia in-
ter Fideles in Comitiis, in Cœtibus, in Conviviis, in
Caſtris, aliiſque profanis conventibus; ſed abſint omnino
a loco Sancto, atque a Religioſa Familia. Advertant Re-
ligioſi Miniſtri ad illud Lucæ 22. *Qui major eſt veſtrum, fiat
ſicut minor: & qui Præceſſor eſt, tanquam Miniſtrator;*
nec adſit inter Sacras functiones qui contendat, & videa-
tur eſſe major: *Qui enim ſe humiliat, exaltabitur; & qui
ſe exaltat, humiliabitur*, Lucæ 14. Pro cujus confirmatione
ſedulo perpendant Eccleſiæ Miniſtri id quod dicit Corne-
lius a Lapide explicans locum Proverbiorum 25. *In loco
magnorum ne ſteteris*, ubi hæc ait, relatæ etiam a Quart.
*de Proceſſ. punct. 12. 54. Noli contendere de loco: etenim
hæ contentiones naſcuntur ex ambitione, creantque pericu-
lum mali exitus belli, cum magna multorum clade, &c.
Qua circa, priſci Romani, hanc, non generoſitatem, ſed
ſtoliditatem cenſebant, eamque morte puniebant.*
Pro praxi itaque præſentis Textus, ſi non Epiſcoporum,
qui ſæpe poſtremi adeuntur pro remediis (& tamen illæ con- 41
troverſiæ ab Epiſcopis terminari debent. Barboſ. *ad Concil.
Trid. Seſſ. 25. de Regul. c. 13. n. 41.*) ſaltem Sacrorum Cære-
moniarum Magiſtrorum, ſeu eorum Vicegerentis onus erit,
quæſtiones, & diſſidia hæc prævidere ante inchoandam proceſ-
ſionem; vel ille, ſi valeat, componere, vel ad ſuum judicem
remittere, vel ad ultimum, aliquod præſentaneum, extempo-
ra-

42 raneumqee remedium adinvenim (optimo enim Sacrarum Cæremoniarum Magiſtro deeſſe non debent media, & tamperamenta extemporanea, atque inopinata in quibuſcumque caſibus) quo diſſidia temperent, & ſcandalum evitent in re tanti momenti, præſertim ubi agitur de majoritate, vel minoritate alicujus Ordinis, præcipue Regularis: Inter quæ remedia illud excellentius erit, & promptius, ut contendentes, prævia proteſtatione, ſe abſtineant
43 ab intereſſendo tali Proceſſioni, vel ſaltem ii, qui ultimum poſſeſſorium vel non habent, vel ſummatiſſimum non probant, ob deficientiam præſentaneorum jurium in illo loco, & tempore non facile allegabilium: Ita conſulto in praxi non ſemel obſervatum vidi, & quidem magna omnium approbatione, & rei Sacræ utilitate.

44 Aliud remedium ad contentiones de Præcedentia evitandas (tunc cum maxima intereſt pro re maxime gravi, ut omnes Ordines Proceſſioni interſint) illud eſt, ut qui Præceſſor eſt, fiat ſicut miniſtrator, cujus exemplo omnia
45 ad quietem traduntur, & ad ſilentium, & fit ut Privilegia aſſerta ceſſent: quemadmodum hic Ferrariæ evenit anno 1708. tempore cl. mem. Card. de Verme Epiſcopi. Ob graviſſimam, publicam neceſſitatem (tempus enim erat, quo extera arma in Ferrarienſi ditione ſæviebant, Civitatemque totam ſeſe circumvallabant) indicta per eum fuit publica Proceſſio, & ſupplicatio pro die ſecunda Novembris. Totus Clerus Sæcularis, & Regularis invitatus fuit, etiam per modum conſilii, & hortationis, nec privilegiatis, ſeu exemptis indultum, ut omnes ſimul, rite, & de more convenirent in Eccleſia Cathedrali, qua ad nonnullas ſtatutas Eccleſias, pro ſtationum ſacrarum acquiſitione progredi decretum fuerat, ut Deus omnipotens, & miſericors, hos Populi ſui pœnitentiæ actus ſuſciperet, flagellumque iræ ſuæ everteret, quod jam (Comaclo ab Armis Cæſareis occupato) per Templa, & loca Diœceſis Ferrarienſis excurrebat. Aſt quoniam, cum publica eſſe deberet ſupplicatio, quia publica, & gravis erat neceſſitas (non venientibus ſubſequentes cujuſcumque Ordinis etiam privilegiati Regularibus, qui in ordinariis Proceſſionibus infra annum intereſſe non conſuevarant) evenire poterat, ut diſſidia, & iræ orirentur, ob præeminentiam locorum, prudentiſſimus Antiſtes, ut everteret ſcandala imminentia, & ne actus ille pœnitentiæ ad ruinam potius inſerviret, quam ad ædificationem, illudit, ut fierent noviſſimi primi, & primi noviſſimi. Primus & tamquam ductor præibat ipſe Eminentiſſimus Cardinalis Epiſcopus, omnibus Cardinalitiis inſignibus depoſitis, fune circa collum, & lumbos alligato, nudatis pedibus procedens, in cinere, & cilicio, magnam Chriſti Crucifixi Imaginem manibus geſtans: ſubinde ſequebantur primo Capitulum & Canonici, abſque ſolita Cappa, ſed unice cum Rochetto non lacinioſo: dein Manſionarii, & ſimiliter Capellani Beneficiati ejuſdem Cathedralis cum Rochetto abſque manicis: poſtmodum Curati, ſeu Parochi Civitatis, cum Stola, ſed ſine Cotta: poſt hos ſequebatur Clerus ſæcularis Civitatis, veſtibus nigris, & talaribus indutus, abſque ſuperpelliceo, ſed cum fune ad lumbos ligato. Pariter ſubſequebantur Regulares ſoliti ad interveniendum proceſſionibus ordinariis per annum, juxta antiquitatem temporis, ita ut antiquiores primi aſſtant, & inter illos digniores, ſeu graduati. His expeditis, ſubintrarunt alii Regulares privilegiati, & exempti. Sed nullo inter illos ſervato ordine, ut omnis præeminentiæ jurgium evitarent: nam bini videbantur (ſit pro exemplo) Monachi Caſſinenſes, bini Canonici Regulares; deinde bini Clerici Regulares: bini ex Societate Jeſu: ſubinde unus Monachus Olivetanus cum uno Presbytero Oratorii; unus Canonicus Lateranenſis cum uno Clerico Regulari Somaſchenſi, vel Miniſtrantium Infirmis: & ſic unus Ordo dici non poterat continuatus; imo rari erant qui cum ſocio æqualis Ordinis incederent. Confraternitatibus Laicis deinde datus locus fuit ab antiquioribus inchoando: demum tota familia Epiſcopi ſubſequebatur, a nobilioribus incipiendo, ita, & taliter ut poſtremus locus, qui in aliis proceſſionibus digniori ſervatur, a domus ſuæ coquo, & ſtabuli mediaſtino occuparetur, ita ut vere dici poſſet, quod facti fuerint primi noviſſimi, & noviſſimi primi, cum locus vilior teneretur a majoribus, & dignior a minoribus, ad hoc ut quæcumque præcedentiæ lites, bonorum operum deſtructivæ, evitarentur. Quod totum, licet diffuſe, dictum ſit ad confuſionem illorum, qui in Sacro jurgia ſuſcitare ſtudent, vanis præeminentiæ titulis.

Similem huic proceſſionem narrat Macrius *Hierolex. in* 46
verba Litania, in uſu eſſe ordine inverſo apud Clerum Eccleſiæ Andegavenſis in proceſſione Feriæ quartæ Rogationem.

De præeminentiis Ordinum Cleri tum Sæcularis, tum Regularis multæ diſputationes, & inſpectiones faciendæ eſſent, quæ totam librum implerent, adeo variæ, & diſcrepantes, inſtabileſque ſunt inter ſe.

Quo vero ad Confraternitates laicas, hoc certum eſt, 47
antiquiores præcedere debere junioribus, Pignatell. *T.* 4. *Conſ.* 76. *n.* 1. Rota coram Bichio, *deciſ.* 566. *n.* 1. & quod Romæ ſervatur, ubique locorum ſervandum eſſe, *S. C. Ep.* 26. *Aug.* 1593. Ricciull. *lucubr. Eccl. l.* 4. *c.* 16. §. *Quoniam*. Quæ reſolutio adeo placuit Pontifici Clementi VIII. ut ſemper tali pacto reſcribendum eſſe decrevit, in caſibus occurrentibus; & ſi opportunum vidiſſet, generalem Conſtitutionem fieri mandaſſet ſuper hoc, ut tradantur cum Ricciull. *d. l.* Camp. *in diverſ. Juris Canonici*, *rubr.* 12. *c.* 13. *n.* 125. Barboſa *de pot. Epiſc. alleg.* 78. *n.* 24. A decretis vero Epiſcopi in materia præcedentiæ inter Confraternitates, nullam dari appellationem, neque reclamationem, ſive proteſtationem, ex vi Conſtitutionis Gregorii XIII. quæ eſt 84. & incipit *Expoſcit*, *&c.* advertit Gratian. *deciſ.* 203. *n.* 1. Poſſunt tamen inter dictas Confraternitates fieri pacta, & tranſactiones abſque Sedis Apoſtolicæ Beneplacito, *cap.* 1. *de pact. l.* 6. Rota coram Seraph. *dec.* 81. *allegat.* a Ricciull. *d. l.* §. *Qua ratione*, quia iſtæ Confraternitates Laicales nullam faciunt figuram in Eccleſiaſtica Hierarchia, ex Urſaya *T.* 3. 48
p. 2. *d.* 23. *n.* 54.

Seraphinus vero alarius loquitur in *deciſ.* 22. *Calaguritana Præeminentiarum*, *n.* 2. & contra opinionem Ricciulli, qui eum allegat, patentiſſime decidit, dum ait, *ſuper præeminentia non poſſe fieri concordiam abſque Superioris auctoritate*. Verum Seraphini caſus eſt circa Collegiatam, non vero circa Confraternitatem; unde, cum, ut diximus, Confraternitas nullam faciat figuram in Ordine Hierarchico, ſtare poteſt, quod inſcio Ordinario fieri poſſit tranſactio, & conventio.

Remore *riſu*, *mutuoque colloquio*. Immodeſtia, & vanus 49
oculorum aſpectus, nugæ, & riſus maxime deteſtantur in
proceſſionibus a Quart. *d. l. n.* 48. 49. ex hujus Rubricæ vi: qua- 50
propter nonnulli Epiſcopi ſub gravi pœna prohibuerunt Fœminis ad Feneſtras ſe exhibere tempore proceſſionis, ut videant, & videantur, *Synod. Ferrar. Verme*, *pag.* 106. pro
quo caſu ſciendum eſt, Conſtitutiones Synodales præferri ju- 51
ri communi, Barboſ. *de Ep. p.* 3. *alleg.* 93. *n.* 23. Ratio autem quæ movit Summum Pontificem ad hoc ſtatuendum, & quæ movere deberet omnes, præſertim Eccleſiaſticos proceſſionibus intereſſentes ab immodeſtia, colloquiis, nugis, riſu, & a vana oculorum inſpectione, eſt principaliter, quia proceſſiones inſtitutæ fuerunt ad orandum, & colloquendum cum Deo; ad ipſum Deum laudandum, & Sacris precibus glorificandum: eſt autem non parva irreverentia, eo tempore, quo quis cum Deo loquitur, ipſo poſthabito, divertere ad colloquia impertinentia cum hominibus, ad ſcurrilitates, ad cachinnos, & vanitates, nec hoc modo Populus ad pietatem allicitur.

§. IV. Laici a Clericis, Fœminæ a Viris ſeparatæ orantes proſequantur.

52 Hæc diſtinctio magnæ utilitatis eſt in rebus præſertim Sacris: ſicuti enim Ordines Hierarchici inter ſe diſtinguuntur ad altare, ita & inter alia Sacra debet intercedere iſta naturæ, & graduum ſeparatio, ne confundantur Ordines ſpiritualis militiæ, & ut nihil interſit inter Sacrum, & pro-
53 fanum, ad quem finem vetus mos fuit Eccleſiis Clericos a Laicis, cancellis ſecernere, Durant. *l.* 1. *c.* 17. *n.* 3.
54 Locus Laicorum eſt immediate poſt Sacros Miniſtros; & laudabilis mos erit, ſi bini bini & ipſi procedant, ad evitandum tumultum, ſicuti bini bini procedunt Laici Confraternitatum ſacco induti in proceſſionibus, qui pro Collegiis Chriſtianorum uſurpantur, Durand. *l.* 1. *c.* 26.
55 Quo vero ad Fœminas hæc ſtatuit S. Carolus *Act. p.* 4. *Inſtruct. vet.* Mulieres *moneantur*, *ut nonniſi velatæ incedant*; *nec ſit aliquis*, *qui in proceſſione Clero miſceatur*: *ſed omnes poſt Clerum Homines*, *& poſt eos*, *Mulieres*, *omneſque cum devotione*, *& ſilentio procedant*.

Quærit in hoc Argumento Quart. *de proceſſ. punct.* 3. 56
nu. 168. An proceſſiones Fœminarum ſint licitæ, ac permittandæ? & reſolvit affirmative, quia per ſe loquendo non ſunt illicitæ, niſi fiant tempore Nocturno. De facto
S. Gregorius Magnus, ſuis temporibus, ordinavit proceſ- 57
ſiones Mulierum, *de ſept. Proceſſ. ſect.* 5. *punct.* 5. Sed ſegregatim a Viris, & ſi rationabiliter non timeatur inde ſequuturum grave ſcandalum. De facto Ritus ſegregandi Mulieres a Viris in Sacris functionibus, antiquiſſimæ originis eſt. De quo vide Durant. *l.* 1. *c.* 58. *n.* 2.

§. V. Præferatur Crux, & ubi fuerit conſuetudo, vexillum Sacris Imaginibus inſignitum, non tamen factum militari, ſeu triangulari forma.

58 Crucis Vexillum in omnibus proceſſionibus a Chriſti fidelibus indictis ſemper effertur, nulla excepta, etiam privata, etiam nocturna; nam ubique Salvatoris noſtri Signum eſt, & diſtinguit Eccleſiaſticas cohortes, ut notat Pignatell. *conſultat.* 30. *numer.* 7. *Tom.* 4. Uſus iſtius præla-

tionis

tionis antiquiſſimus eſt, ut apparet ex S. Cyrill. *l. 6. contra Julianum, & Socratem, cap.* 8. aliiſque apud Gretſer. *l. 1. c. 84. l. 2. cap.* 30. & Quart. *conſider. 2. punct.* 6. *n.* 18. Atque hoc fit, ad demonſtrandum Fideles nomen dediſſe Chriſto Crucifixo, & ob hoc, ſub ejus ſignis militare.

60 Nullum adeſt præceptum, quod obliget ad præferendam Crucem cum Imagine Chriſti Crucifixi, vel nudam. Generice loquendo, ſufficit, ut Crux ex duplici haſta e-
61 levetur, cujuſcumque materiæ ſit. Nonnulli Ordines Regulares, imo nonnullæ Confraternitates pauperiores, & humiliores, uſum habent elevandi Crucem nudam ligneam, & hoc videtur, quod ſit ad demonſtrandam paupertatem, & mendicitatem ſui, non autem ad ſtatuendum ritum, ſeu ad limitandam in aliis Crucibus hanc nuditatem. Attamen præſens Textus dum dicit: *Præferatur Crux*, nihil aliud præcipere demonſtrat, quam ſimplicis, & nudæ Crucis prælationem; ideoque qui ſine Imagine Chriſti Crucifixi eam deferunt, contra ritum
62 non agunt. Si vero adſit Imago, hæc erit ſemper converſa ad populum præeuntem. Non ita tamen erit Crux, quæ Archiepiſcopos, & Cardinales præcedit; nam Imaginem defert converſam ad dictos ſeu Archiepiſcopos, ſeu Cardinales, ex Ritu Pontificalis, & Cæremonialis
63 Romani. Hæc Crux in Proceſſionibus Regularium, debet deferri a Laicis Religioſis, non autem a Profeſſis juxta reſcriptum *S. C. Epiſc.* reſcriptum *ſub 16. Septembris 1718.* relat. ab Urſaya, *T. 3. p. 1. d. 5. n.* 42.

64 Conſuetudo eſt, ut a Cruce Regularium, & Confraternitatum pendeat Palliolum Sacris Imaginibus pictum, prout magis lubet, ſed fere ſemper illæ Imagines ſunt Sancti, ſeu Myſterii titularis illius, ſeu Ordinis, ſeu Confraternitatis. Hoc decet ſericum eſſe, & phrygio opere elaboratum, ſive acu pictum, ut rei agendæ ſplendori par ſit; Inſervitque ad diſtinctionem, & ad deſignandam inferioritatem illius Ordinis Regularis, ſeu Confraternitatis a Clero Sæculari, qui unice Crucem abſque ullo Velo deferre poteſt in ſignum ſuperioritatis, ut jam alibi diximus.

Quoad formam vero, ſeu figuram illius Pallioli, caveri 65
debet, ne militare Vexillum præſeferat, neque ſit triangulare: quamvis enim Proceſſio in plura agmina diſtributa, myſtice exercitum militantis Eccleſiæ contra adverſarios 66
humani generis repræſentet, attamen ſua propria inſignia habet; non vero Galeam, Scutum, & Haſtas, ſed Crucem, Virtutes, & Orationes, Quart. *d. n.* 32. Igitur Vexillum ad normam militaris eſſe non debet, neque triangulare, utpote ſunt illa, quæ adhibentur in re militari, quæ ſubjiciuntur, & humiliantur ad pedes Dei exercituum, tunc quando Proceſſionaliter defertur in Euchariſtiæ Sacramento a Sacerdote: atque adeo abhorret Eccleſia ab hoc militari, ſonoro, imo ſtrepenti bellico ritu, ut *S. Congr. Immun. in una Scanen. 2. Decemb.* 1698. relata 67
a Ricc. *Synopſ. verb. Proceſſio*, edictum Epiſcopi prohibens explodi tormenta bellica dum fiebant Proceſſiones, fortiter ſuſtinuerit; & a contra, edictum Curiæ Laicæ permiſſivum poſt peractam Proceſſionem refelleret, prout de jure.

Tubæ, & Tympana utique tolerantur in Proceſſionibus, ut ad exitus Viarum clangore, & ſtrepitu moneatur Populus diſtans de tranſitu Proceſſionis.

Conſueta, & approbata Vexilla in Proceſſionibus ſunt, 68
vel ab ipſamet Cruce pendentia, aperta tamen, & patentia, ut Imagines ibidem pictæ videantur; & ſolent eſſe non multum ampla, nec valde gravia, ad hoc ut Crucifer valeat illa elevare, & portare. Vel ſunt magna, ampla & pretioſa, atque ut plurimum ex ſerico villoſo aurophrygiato, vel ex alio pretioſiori panno, cum Imagine Sacra, vel Symbolo Sacromorali aut picto quæ duplici haſta elevata, a duobus portitoribus robuſtis, & lacertoſis deferuntur. Aliæ ſunt quoque Vexilla ad militarem formam conſtructa, quæ humero deferuntur more bellico: Cumque illa ſint figuræ triangularis, cum barbis pendentibus, omnino arcenda ſunt, nec adhibenda in Proceſſionibus, prout illa quæ præſens Rubrica deferri ſeu adhiberi prohibet.

§. VI. Edendi, ac bibendi abuſum, ſecumve eſculenta, & poculenta deferendi in Sacris Proceſſionibus, agriſque luſtrandis, & ſuburbanis Eccleſiis viſitandis, tollere Parochi ſtudeant: ac fideles, præſertim die Dominica, quæ proxime Rogationes antecedit, quam hæc dedeceat corruptela, ſæpius admoneant.

69 Non tantum in Italia, ſed alibi quoque, iſte abuſus edendi, & bibendi, necnon eſculenta, & poculenta deferendi in Proceſſionibus inolevit: nam *Sacerdotale Brixianenſe* a me in his Commentariis ſæpius allegatum, verba faciens *de Proceſſionibus, diſt. 10. c. 12. pag. m.* 516. hæc reformanda in Sacris Proceſſionibus ſtatuit, his verbis: *Ac cum his Sacris Proceſſionibus, multa ſæpe indecentia, fabulæ, riſus, detractiones, potationes, cantiones ineptæ, & his ſimilia (proh dolor!) miſceri ſoleant, vigilent ſane Parochi, & Sacerdotes, pro Concionibus, talia ferventer reprehendere, imo & tollere: Operam pariter dantes, ne Populus Proceſſiones præſumat inſtituere, niſi ipſe Parochus, vel alius ab eo deputatus Sacerdos interſit: dictoſque errores ſerio advertat, ne quod Eccleſia Sancta Dei, ad Deum placandum ſalubriter inſtituit, ad provocandam iram potius Dei peragatur.*

70 Placuit totum Paragraphum per extenſum tranſcribere, eo quia præter potationes, & comeſſationes in Proceſſionibus prohibitas, adſunt alia quoque ſedulo a Parochis advertenda, & prohibenda: atque præcipue mentio fit de onere, quod ſibi incumbit in Sacris concionibus, admonendi Populum circa iſtos abuſus.

Acriter enim contra hanc corruptelam invehitur Quart. *d. punct. 12. abuſ. 6. n.* 55. Et quia ejus verba affabre inſerviunt ad explicandum noſtrum Textum, illa prout ſtant, referre non pigeat.

In publicis, & Sacris noſtris ſupplicationibus, ſi paulo procedatur longius. (Intellige de Proceſſionibus, quæ fiunt in locis ſuburbanis, & ruralibus, in agriſque luſtrandis, prout de his loquitur Textus;) *non verentur plures ad jentacula, & comeſſationes divertere, ſive eſcas ſecum deferant, ſive emant in via,* (hinc tollendus eſt abuſus 71
vendendi comeſtibilia, & cauponas aperiendi tempore Sacrarum Proceſſionum, ne commoditas præbeatur guloſis ea emendi, ſive ingrediendi in illas) *tanquam ſi animi tantum cauſa, ruſticatum, vel ambulatum irent. Cum tamen quando celebrantur Sacræ Proceſſiones, non ſit tempus replendi ventrem eſcis terrenis, ſed mentem piis affectibus; unde Sidonius, lib. 5. Epiſt. 14. inquit: Hebetantur ſupplicationes prandiorum obicibus.*

Nec a Rituali Romano exordium habuere iſtæ prohibitiones: Fortiter contra tales corruptelas declamavit Concilium Colonienſe 3. *tit. Cenſuræ*, his verbis: *In Proceſſionibus Clerici non divertant ad jentacula.*

Quod de Clericis dixit Colonienſe Concilium, hoc de 72
toto Populo Proceſſiones comitante intellexit Rituale Romanum, nullum excipiens, & imponens onus Parochis, ut in Sacris Concionibus de hoc abuſu vitando Populos monerent. Cum igitur Rituale non diſtinguat, Clericos a Laicis circa hunc abuſum, nec nos diſtinguere debemus: per ly enim *Fideles*, ſatis clare conſtat ſignificari omnes Chriſtianos.

Quale vero peccatum ſit, in Sacris Proceſſionibus divertere ad jentacula, & comeſſationes, licet Quart. *d. l. nu.* 56. non excedere culpam venialem aſſerat, attamen ratione ſcandali, poteſt eſſe grave peccatum contra ſtatuta Eccleſiæ, Summorum Pontificum, & Conciliorum Decreta.

§. VII. Proceſſiones prius fieri debent, deinde Miſſa ſolemniter celebrari, niſi aliter ob gravem cauſam interdum Ordinario, vel Clero videatur.

73 Loquitur hic Textus de Proceſſionibus Rogationum, & Litaniarum majorum, Purificationis, Palmarum, &c. quibus ex inſtitutione annexa eſt Miſſa ſolemnis: tunc enim niſi ob gravem rationem diſpenſari non poteſt a celebratione Miſſæ, quia ordo, & ritus maneret incompletus; Et vi Sacrificii, efficacius impetratur id, quod per publicam ſupplicationem poſtulatur. *Conc. Prov.* 4. Gavant. *Enchirid. verb.* Proceſſ. *n.* 25.

74 Graves vero cauſæ, quæ a celebratione Miſſæ in hoc caſu poſſunt diſpenſare, debent cognoſci, & pro illis dignoſcendis valet tam Ordinarius, quam Clerus, eo quia talis caſus de repente oriri poteſt, ut nonniſi cum magno Cleri, & Populi adſtantis incommodo, valeat de illo Ordinarius moneri: ideoque Clerus, & ex Clero principaliores, de conſenſu noſtri Textus, tali tempore, poſſunt diſpenſare a celebratione Miſſæ, non vero a Proceſſione: ubi nota, poteſtatem Cleri limitatam eſſe tantummodo ad Miſſam celebrandam, quia ad hanc celebrationem Epiſcopus non poteſt cogere Sacerdotes, niſi Sacerdotum interſit libera voluntas, & commoditas, Paſqualig. *de Sacr. nov. leg. T. 2. q.* 844. *n.* 12. niſi unus tantum ſit celebrans.

Cæterum Proceſſio, generice loquendo, non habet neceſſariam connexionem cum Miſſa; nam ut plurimum, Proceſſiones celebrantur tempore veſpertino, & præcipue extraordinariæ. Eſt tamen valde expediens, quando fieri poſſit, adjungere Miſſam ſolemnem, ut, quemadmodum ſupra diximus, vi ſacrificii efficacius impetretur id, quod per publicam Proceſſionem poſtulatur.

Proceſſio tamen cum SS. Euchariſtia, ex vi Textus, 75
ut ſuo loco dicemus, celebratur poſt Miſſam, in qua duæ Hoſtiæ conſecrantur: quod intelligendum eſt etiam

per

per totam Octavam, ubi conſuetudo ſit de die in diem, per Parochias, tales Proceſſiones calebrare. Ita ſapientiſſime in *Synodo Ferrarienſi* Card. de Verme, *c. de Proceſſionibus*, *pag.* 105. his verbis: *A prandio nulla inſtituetur, nec edicatur Proceſſio præcedens, aut ſubſequens Veſperas, in qua Auguſtiſſimum deferatur Sacramentum; Aptius enim omnibus temporibus eſt antemeridianum, utpote magis favens devotioni, & reverentiæ debitæ Sacro operi, & Venerabili, in quo magis venerandus Chriſtus, quo magis in noſtram utilitatem ſub velo Sacrorum accidentium ſe demiſit, & oſtendit nobis ſe omnium ſummopere diligentem.*

Atque adeo verum eſt, quod multæ Proceſſiones ce- 76
lebrentur ſine Miſſa, ut fere omnes tempore Veſpertino
indicantur, & peragantur, in quibus tamen id vetitum
eſt, ne protrahantur ad tempus nocturnum, atque ita
ſint diſponendæ, ut prope Solis occaſum abſolvantur.

§. VIII. Proceſſiones autem quædam ſunt ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, ut in Feſto Purificationis B. Mariæ ſemper Virginis, & in Dominica Palmarum, & Litaniis majoribus in Feſto Sancti Marci, & in minoribus Rogationum, triduo ante Aſcenſionem Domini, & in die Feſto Corporis Chriſti, vel aliis diebus pro conſuetudine Eccleſiarum.

77 Dicuntur ordinariæ iſtæ Proceſſiones, quia omni, & ſingulo anno fiunt, & ſunt de Ritu Eccleſiæ, & quidem reſpective, antiquiſſimæ. Ideo de iſtis præſcribitur ritus, & ordo in hoc Rituali, qui eſt immutabilis, neque hoc loco explicandus. Quæ dicenda erunt, habebit Lector in particularibus Titulis cujuſcumque Proceſſionis. Notandum tamen, quod ritus fere idem eſt in omnibus, ubi de Litaniis agitur, nec mutatur ordo, niſi in Precibus particularibus.

§. IX. Quædam vero ſunt extraordinariæ, ut quæ variis, ac publicis Eccleſiæ de cauſis in dies indicuntur.

78 Proceſſiones ordinariæ jam antea dictæ, & enumeratæ non exigunt, ut quotannis ab Epiſcopis indicantur, cum ordo Eccleſiæ de ſe illas inducat, niſi opus ſit aliqua remedia præſtare, vel horas anticipare, vel demum aliquid novi introducere circa exteriores Cæremonias, ſalvo ſemper remanente ordine, & ritu Eccleſiaſtico.
79 Proceſſiones vero extraordinariæ cum certum tempus
non habeant, indigent ut circa eas edictum, ſeu monitum
Indictionis publicatur per aliquot dies ante, ad
80 hoc, ut qui intereſſe debent, poſſint diſponi, & præparari.
Formulam hujus edicti, atque nonnullas circa illud
adnotationes tradit Monacell. *T.* 3. *tit.* 3. *for.* 6.
qui etiam enumerat aliquas occaſiones talium extraordi-
81 nariarum Proceſſionum indicendarum, cauſam, & Bonum
publicum reſpicientium. Ex. gr. ad Serenitatem,
Pluviam, Pacem, & Sanitatem petendam; Pro electione
Summi Pontificis (ſi diutius immoretur ad ejus electionem;)
quibus adde Proceſſiones pro Gratiarum actione;
pro translatione inſignium Sanctorum Reliquiarum;
pro indicendo, & publicando Jubilæo Univerſali;
ad placandum Deum occaſione Peſtis, Famis, Belli,
Sterilitatis, Inundationis, Terræmotus, & ſimilium,
quarum meminit idem Monacell. *T.* 1. *tit.* 5. *adnot. ad
ferm.* 7. *n.* 24. *& ſeqq.* & eas referunt quoque Barboſa
in ſumm. dec. Apoſtol. verb. Proceſſio, *n.* 23. Pax Jordan.
Elucubr. *T.* 2. *l.* 7. *tit.* 14. *nu.* 57. Card. de Luca *de
Juriſdictione*, *diſc.* 100. *n.* 9. Quibus extraordinariis 82
Proceſſionibus, Regulares exempti, & privilegiati, ſi
vocati ſint, intervenire tenentur ſub pœna Cenſurarum,
ut alibi dictum fuit; niſi Apoſtolica privilegia contrarium
diſponentia, habeantur Concilio Trid. poſteriore.
Quoad terminum Proceſſionum ſciendum eſt, quod 83
generaliter loquendo, juxta inconcuſſum principium Sacrorum
Rituum, in illa Eccleſia terminare debent, a
qua incipiunt: attamen nonnullæ ſub iſta regula non
cadunt, & ſunt illæ, quæ ad determinatum locum di-
riguntur, ut ibi ſiſtant, prout in illarum enumeratione, 84
ſuis Titulis, videbimus.
Nec Epiſcopus in caſu contraventionis indulgere de- 85
bet renuentibus ſine legitima cauſa ad Proceſſiones intervenire;
& ſtatim ad aliorum exemplum, occurrere
debet ſcandalo, quod per Populum, ex inobedientia,
& non interventu conceptum fuit: nam quemadmodum
publica, & notoria eſt contumacia, ita etiam expedit,
ut videatur ſtatim publica punitio. Ita cum de Luca,
diſc. 100. *n.* 11. *de Juriſd.* ſentit Monacell. *T.* 3. *tit.*
3. *ad form.* 6. *n.* 3. Sed ad particulares, & ordinarias
Proceſſiones nos confert Rituale: ideo ad eas explicandas accedamus.

DE PROCESSIONE

In die feſto Purificationis Beatæ Mariæ ſemper Virginis,

TITULUS SEPTUAGESIMUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

1 Gavantus *diffuſe ſcripſit de hac Proceſſione.*
2 *Proceſſio hac ſpectat ad Parochos.*
3 *Proceſſio iſta poteſt fieri ab Epiſcopo.*
4 *Hæc Proceſſio transferri non poteſt.*
5 *Etiam ſi occurreret in Dominica Quinquageſimæ.*
6 *Vel in Feſto Titulari, vel Patroni.*
7 *Inſtitutio hujus Feſti, & Proceſſionis.*
8 *Quare hoc Feſtum diſtincte Proceſſione colatur?*
9 *Myſterium, & ſignificationes hujus Proceſſionis.*
10 *Proceſſio iſta fit cum Candelis accenſis.*
11 *Candelæ prius debent benedici, & diſtribui.*
12 *Candelæ iſtæ poſſunt adhiberi ad alios uſus communes.*
13 *Verſiculi* Procedamus in Pace, *origo.*
14 *Verſiculus iſte olim cantabatur in omnibus Proceſſionibus.*
15 *Reſtrictus fuit ad duas tantum Proceſſiones.*
16 *Miſſale Romanum quare dicatur* reformatum?
17 *Subdiaconus in Proceſſione debet habere Planetam plicatam.*
18 *Ordo hujus Proceſſionis.*
19 *Subdiaconus non eſt duplicandus.*
20 *Campana pro hac Proceſſione pulſantur.*
21 *Proceſſio hæc per quam Portam egrediatur, & ingrediatur?*

1 CIRCA hanc Proceſſionem, præcipuas, & quidem doctiſſimas adnotationes ſcripſit, ac evulgavit Gavantus *p.* 4. *t.* 14. explicans *Rubricas Miſſalis Romani*; necnon Quartus *de Proceſſionibus*, *ſect.* 2. *punct.* 5. *n.* 61. 62.
atque Caſtaldus *Prax. l.* 3. *ſect.* 3. *c.* 5. *&* 6. & ſimiliter alii
Sacrorum Rituum Scriptores: quare pauca remanent a
me dicenda: Attamen, ut propoſito meo ſatisfaciam, Rubricas
de hac Proceſſione tractantes, qua par eſt, brevitate
perpendam, nonnulla afferens ſenſu maxime utilia
pro recta praxi ejuſdem Ritualis in hoc negotio, quod de
juribus Parochialibus eſſe, atque idem ad Parochos ſpecta- 2
re declarat Aloyſ. Ricc. *p.* 4. *Reſol.* 305. & cenſuit *S. C.
R. in Alatrina* 3. *Martii* 1633.
Poteſt tamen hæc Proceſſio fieri ab Ordinario, qui ſu- 3
per omnes Parochos eſt, & propter hoc inter Pontificales
functiones enumeratur a Caſtald. *d. l.* 3. *ſect.* 3. *c.* 6.
Inſuper numquam hæc Proceſſio transferri debet, quam- 4
vis occurreret in Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ,
vel Quinquageſimæ. In hoc caſu, Officium tantummo- 5
do transferetur: Proceſſio vero fieri debet ritu præſcripto: 6
quod dictum ſit etiam ſi occurreret Feſtum Patroni, vel
Titularis, Caſtald. *d. l. c.* 3. *n.* 3.
Feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis ex anti- 7
quiſſima inſtitutione eſt tam in Orientali, quam in Occidentali
Eccleſia. Ejus antiquitas aperte colligitur *ex cap.
Pronuntiandum*, *de conſecr. diſt.* 3. *& c. Conqueſtus*, *de Feriis*.
Et probatur a Cardinal. Baronio in Not. ad Martyrol.
ſub die 2. Februarii. Atque diſtincta Proceſſione colitur, 8
ad demonſtrandum iter factum a Beatiſſ. Virg. ad Tem- 9
plum, ut Filium Unigenitum ſuum Sacerdoti præſentaret:
ſe ſeque juxta ritum antiquæ legis purificaret: quæ
omnia, & ſingula enunciantur Canticis, Pſalmis, Verſiculis,
& Antiphonis huic Proceſſioni aſſignatis, & adhibitis,
ad quas explicandas procedimus.

§. I. Completa Benedictione, & diſtributione Candelarum, ut in Miſſali Romano reformato, fit Proceſſio; & primo celebrans imponit incenſum in Thuribulum: Deinde Diaconus vertens ſe ad Populum, dicit: *Procedamus in pace, &c.*

10 Ex quo cum Candelis accenſis fieri debet hæc Proceſſio, non poteſt illa initiari, niſi prius eædem Candelæ ſint 11
bene-

11 benedictæ, & diſtributæ; de qua diſtributione multa animadvertenda pro facto praxi tradit Barboſa *de Par. p. 1. cap. 12. numer.* 56. 57. 58. Notat in hoc argumento Paſqualig. *de Sacr. Nov. Leg. T. 2. quæſt.* 834. cum Tamburino *de Sacr. Miſſ. L. 1. c. 2. §. 3. n.* 3. Cereos benedictos in die Purificationis B. Mariæ Virginis poſſe adhiberi 12 abſque peccato, etiam veniali, ad uſus communes: & ratio eſt, quia Benedictio non adhibetur ad dedicandos Cereos ſervitio, & obſequio Divino, ſicuti quando benedicuntur Veſtes Sacræ; ſed ſolum ad tribuendam habilitatem, ut poſſint inſervire etiam pro alio uſu Sacro, qui tamen non eſt determinatus, ſed determinatur juxta devotionem Fidelium: & ideo non ponitur aliquis obex, ne poſſint inſervire etiam pro uſibus communibus. Imo videntur benedici etiam in uſus communes, ita ut primo, & per ſe benedicantur in ordine ad illum Ritum deferendi eos accenſos in Proceſſione, & ſecundario pro humanis uſibus, ſicut benedicuntur Comeſtibiles, Naves, Thalami, &c. quod videtur indicari in prima Oratione Benedictionis dum dicitur: *Ut has Candelas ad uſus hominum, & ſanitatem corporum, & Animarum, &c. benedicere, &c.* Hæc Paſqual. *l. c.* quæ referuntur etiam ad id, quod diximus *in Titulo* 46. *de Benedictione Candelarum extra diem Purificationis, in fine.*

Verſiculus, *Procedamus in Pace*, eſt antiquiſſimi uſus in 13 Eccleſia, & olim in omnibus Proceſſionibus adhibebatur; ſed poſtea in Miſſali reformato a Summis Pontificibus Cle- 14 mente, & Urbano Octavo, reſtrictus fuit ad duas tantummodo Proceſſiones, nempe ad illam Candelarum, & ad il- 15 lam Palmarum, prout hodie in uſu eſt; atque hoc Verſiculo indicitur initium Proceſſionis faciendæ: quo audito, Crux elevatur, & inſtruitur Proceſſio juxta Ritum.

Porro non ſine cauſa, Rubrica ponit verbum illud *Re-* 16 *formatum* ad Miſſale; nam qui ſcienter alio Miſſali, quam reformato utuntur, incurrunt peccatum mortale. Garzias *de Benef. p. 3. c. 1. n.* 156. Otioſa enim nulla debet eſſe ſyllaba in conſtitutionibus Apoſtolicis, Card. de Luc. *de Off. vacan. ſ.* 231. *n.* 35.

§. II. Præcedit Thuriferarius cum Thuribulo fumigante: deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum Candelabris, & Candelis accenſis: ſequitur Clerus per ordinem, ultimo celebrans cum Diacono a ſiniſtris, omnes cum Candelis accenſis in manibus: & cantantur Antiphonæ ſequentes: *Adorna, &c.*

Omnes iſti ritus explicantur a Gavanto, loco ſupradicto, Caſtaldus vero *loc. cit. num.* 4. nonnulla addit in 17 Rituali non notata; nempe quod Subdiaconus deferens Crucem, debet habere Planetam plicatam; & Clerici ſuperpelliceis induti procedere debent bini bini per 18 ordinem, primo juniores, deinde ſeniores, cereos ardentes in manibus geſtantes, ita ut qui a dextris, dextera; qui vero a ſiniſtris, ſiniſtra Candelam deferant. Ultimus omnium ſit Sacerdos celebrans cum Pluviali violaceo: & ſi plures haberi poſſint Miniſtri, erunt Diaconus, & alter Subdiaconus, planetis plicatis, illi miniſtrantes; quamvis Gavantus *l. cit.* huic Subdiaconi replicationi ſatis rationabiliter adverſetur, eo quia ſuf- 19 ficit Diaconus ad ea, quæ ſunt per Sacerdotem facienda: Ultra quam quod etiam in Proceſſionibus, ubi Subdiaconus Crucem defert, non duplicatur, ſed Sacerdos cum ſolo Diacono exequias perſolvit: nec datur caſus, in quo Miniſtri præcipui Altaris duplicentur ſub eodem miniſterio.

Verſiculi, & Antiphonæ adhibendæ in hac Proceſſione deſumuntur ex pluribus Evangelii locis, & alternatim cantantur; imo ſi longa fuerit Proceſſio, repetuntur. Interim vero pulſari Campanas præcipit idem Ca- 20 ſtald. *l. c.* ob ſolemnem functionem, quæ in Eccleſia agitur.

§. III. Et ingrediendo Eccleſiam cantatur: *Obtulerunt, &c.*

21 Proceſſio hæc ſi fieri poteſt, egredi debet per Portam lateralem, & minorem, ut ingrediatur per majorem: rationabilius enim in hoc caſu eſt ingreſſus in Eccleſiam, quam egreſſus ob adimplementum Myſterii quod ſignificatur, nempe iter Mariæ Virginis ad Templum.

§. IV. Finita Proceſſione, Celebrans, & Miniſtri, depoſitis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Miſſa. Et Candelæ teneutur in manibus accenſæ, dum legitur Evangelium, & iterum ad elevationem Sacramenti uſque ad Communionem.

Vide quæ adnotavit Gavantus, & Caſtaldus locis citatis.

D E P R O C E S S I O N E

In die Palmarum,

TITULUS SEPTUAGESIMUS OCTAVUS.

SUMMARIUM.

1 *Gavantus multa de hac Proceſſione ſcripſit, & omnes excellunt.*
2 *Proceſſio Palmarum de juribus Parochialibus eſt.*
3 *Epiſcopo competit benedicere Palmas, cineres, &c.*
4 *Poſt Epiſcopum competit primæ dignitati.*
5 *Quare fiat hæc Proceſſio in Dominica ultima Quadrageſimæ*
6 *Ejus origo antiquiſſima.*
7 *Palma, & Oliva cur adhibeantur?*
8 *Deficientibus Palmis, & Olivis, quinam Rami benedici poſſint.*
9 *Proceſſio hæc eſt triumphalis.*
10 *Sterni poſſunt alii Rami plantarum diverſarum.*
11 *Benedictio, & diſtributio Palmarum non cadunt in Proceſſione.*
12 *Proceſſio hæc incipit a Verſiculo:* Procedamus in Pace.
13 *Ordo hujus Proceſſionis.*
14 *Veſtes adhibendæ in hac Proceſſione.*
15 *Violaceus color convenit in luctu.*
16 *Crux velata eſſe debet, & habere Palmam alligatam.*
17 *Antiphonæ, & Verſiculi unde deſumantur?*
18 *Proceſſio a quo latere incipiat?*
19 *Quot Cantores ingrediantur Templum?*
20 *Author Carminum, quæ hac occaſione cantantur.*
21 *Percuſſio cum Cruce qualiter fiat, & cur?*
22 *Magiſtro Cæremoniarum incumbit expeditio hujus cantus.*
23 *Percuſſio cum haſtili Crucis, una eſſe debet.*
24 *Ingreſſus fit eodem ordine, quo egreſſus.*
25 *Crux quando deponenda a Subdiacono?*
26 *Rami olim geſtabantur ad totam Miſſam.*
27 *Hodie ad ſolam Paſſionem geſtantur.*
28 *Uſus, & conſervatio horum Ramorum.*
29 *Percuſſio cum Ramo Palmæ apud aliquos fit ſupra dorſum.*

GAVANTUS diligentiſſimus, & doctiſſimus Rubri- 1 carum Miſſalis, & Breviarii interpres, multa, & quidem notabilia recenſuit ſuper hac Proceſſione, eo quia cum hæc proceſſio quoque inter Rubricas Miſſalis Romani locum habeat, non acceſſit tantus Author a provincia ſua, ſi illam explicationibus illuſtravit. Gretſerus quoque, Quartus, & Caſtaldus multa ſuperaddidere a Gavanto non notata: quare mihi pauca remanent dicenda: ſed quia Ritualis Romani ordo hoc poſtulat, ea tantummodo dicam, quæ ad rectam hujus Proceſſionis praxim inſerviant.

Tum Benedictio, tum Diſtributio, tum Proceſſio Pal- 2 marum, de juribus Parochialibus eſt: ita Ricc. *p. 4. Re. ſol.* 307. *& S. C. R. in una Alatrina* 5. *Martii* 1633. Dixi, de juribus Parochialibus, quando tamen eam facere renuat Epiſcopus, cui primo competit Benedictio 3 Palmarum, Cinerum, &c. Abſente vero Epiſcopo, pertinent iſtæ Benedictiones, & ſubſequentes Proceſſiones ad primam dignitatem illius Eccleſiæ, ut punctualiter habemus reſolutum a *S. R. C. in una Piſauren.* 21. 4 *Martii* 1609. Gavant. *Man. Ep. Verb. Functiones Epiſcopales.* Et fit quotannis in toto Chriſtiano Orbe, in die Dominico proximo Paſchati, in Quadrageſima, 5 ob memoriam celeberrimæ illius Proceſſionis initæ a Chriſto cum ſuis Apoſtolis ante Paſſionem, cui Hieroſolymam aſcendenti occurrerunt Turbæ cum ramis Palmarum, & Olivarum clamantes: *Hoſanna Filio David*, Iſidor. *l. 1. de Eccl. off.* Durant. Rupert. Abb. aliique interpretes, & fuſius S. Ambroſ. *ſer.* 45. *de tempore.*

Ejus inſtitutio antiquiſſimæ originis eſt, ut meminit 6 Alcuin. *de divin. Off.* Hugo de S. Victore *lect.* 4. *eruditionum Theologicarum, cap.* 14. Durant. *lib. 2. cap.* 10. *num.* 4. atque alii a Quarto allegati in Tractatu *de Proceſſionibus.*

Palma-

7 Palmarum, & Olivarum Rami adhibentur non tantum
ob eorum myſticas ſignificationes, ſed ut Evangelii habeatur
ratio; ibi enim Hiſtoria hujus Proceſſionis deſcribitur,
& de Palmis, atque Olivis plana fit mentio.
Inſuper hę Plantę perpetuę viriditatis ſunt, & hieme
quoque frondeſcunt, atque ideo facile colligi, & adhiberi
poſſunt. Si vero tam Olivarum, tam Palmarum talis
eſſet penuria, ut rami haberi non poſſent, quęſtio eſt,
an quarumcumque aliarum Arborum rami ad id eligere
permiſſum ſit, dummodo frondeſcerent? Ego, ſalvo ſemper
meliori judicio, opinor in hoc caſu valere poſſe re-
8 mos Laurinos, vel ex Quercu, ſeu alia Planta triumphali,
quibus antiqui utebantur in triumphis, ut videre
eſt apud plures Romanarum rerum Scriptores, & præſertim
apud Aycqnium *de Capitolio Romano*, & Panvio.
de Triumph. & de ludis Circenſ. Ratio meę opinionis
9 eſt, quia hęc Proceſſio fit in memoriam triumphalis ingreſſus
Chriſti in Hieruſalem; & Palmę atque Olivę adhibentur,
eo quia ſunt Plantę triumphales. Nec enim
ita ſtricta interpretanda eſt vox illa *Palmarum, ſeu Olivarum*,
ut alii quoque rami ſterni, & parari nequeant.
Authores enim clare loquuntur, & amplificant hanc Ramorum
diverſitatem, aliis Arboribus hunc honorem tribuendo.
Ita Card. Valer. *Theſaur. Pior. Inſtit. part. 2.
§. de Palmar. ramis*; hæc habet: *Eccleſia Catholica
hanc ſervat, ex antiquis temporibus, conſuetudinem, ut* 10
*Dominica die, quæ proxime feſtivitatem Paſchæ præcedit,
Palmarum, Olivarum* (nota) *ſimiliumque Arborum ramos
ſolemnibus Precibus benedicat*. Verum non per hoc, quod
Celebrans extra ſe non habeat Ramos Palmarum, ſeu
Olivarum benedicendos, ſed Ramos aliarum Arborum,
immutandum eſt nomen Olivarum, & Palmarum in nomen
v. gr. Quercus, Laurus vel aliarum Plantarum,
ſed retinenda ſunt nomina a Ritu præſcripta, quæ hoc
loco habentur tanquam generica. Eo modo quo in fer.
VI. in Paraſceve dicitur ſemper *Ecce Lignum Crucis*,
quamvis Crux ſit argentea. Biſſo, Hierurg. Tom. 1. V.
Benedictio Palm. n. 87. §. 7.

§. I. In Dominica Palmarum, facta benedictione, & diſtributione Palmarum, ſeu Olivarum, poſt ultimam Orationem, *Omnipotens, &c.* fit proceſſio: ac primum Celebrans imponit incenſum in thuribulum, & Diaconus vertens ſe ad Populum dicit: *Procedamus in pace*. Et Chorus reſpondet: *In nomine Chriſti, Amen.*

Benedictio, & diſtributio Palmar. non cadit in Pro-
11 ceſſione, ſed ante illam: ideoque de his nihil in noſtris
Commentariis, eo quia ſatis ſuper illas dixit
Gavantus apponendo Rubr. Miſſal. Romani.
Proceſſio igitur initium habet a Proclamatione *Procedamus* 12
in Pace, de qua in antecedenti Titulo ſatis diximus, n. 13.

§. II. Præcedit Thuriferarius cum Thuribulo fumigante: Deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum Candelabris, & Candelis accenſis: Sequitur Clerus per ordinem: Ultimo Celebrans cum Diacono a ſiniſtris, omnes cum ramis in manibus, & cantantur ſequentes Antiphonæ, vel omnes, vel aliquæ, quouſque durat Proceſſio.

13 Nonnulla adverti debent in hoc ordine Proceſſionis.
Primo Subdiaconus debet eſſe indutus amictu, albæ,
14 cingulo, manipulo, & planeta plicata coloris violacei: iſte
color enim, ut alias diximus, eſt luctui conveniens.
15 Crux debet eſſe violaceo velo cooperta, & in ſummitate,
habere debet Palmam, ſeu Ramuſculum Olivæ al-
16 ligatum, quæ Palma remanet pro Sacriſta. Clerus procedit
per ordinem cum ramis in manibus: qui a dextris
eſt, in dextera: qui a ſiniſtris, in ſiniſtra deferat ramum
ſuum: ita & Celebrans cum Diacono, ultimo
loco poſiti. Hæc & alia docet Caſtald. *lib. 3. ſect. 4.
cap. 4.* per totum. Myſteria exponit Gavant. & Quarti.
loris citatis.
Antiphonæ verſiculis diſtributæ ad commoditatem, de- 17
ſumptæ ſunt ex Evangelio S. Matthæi, & continent totam
hiſtoriam Chriſti Hieroſolymam aſcendentis.

§. III. In reverſione Proceſſionis, duo, vel quatuor Cantores intrant in Eccleſiam, & clauſo oſtio, ſtantes verſa facie ad Proceſſionem, incipiunt ℣. *Gloria, Laus, &c.* Et decantant duos primos verſus. Sacerdos vero cum aliis extra Eccleſiam repetit eoſdem. Deinde qui ſunt intus, cantant Verſus ſequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur: Et qui ſunt extra, ad quoſlibet duos Verſus reſpendent, *Gloria, Laus, &c.* ſicut a principio.

18 Proceſſio incipit a latere Epiſtolæ, & per illud latus
procedit extra portam majorem Eccleſiæ, non vero lateralem,
Caſtald. *dict. l. num.* 6. & tota exit, nullo ex
Clero remanente intus, prout perperam ab aliquibus
fieri ſolet. Egreſſa tota proceſſione, revertitur per gyrum
ad eamdem Portam, & eam intrant vel duo, vel
quatuor Cantores; non vero unus, neque tres, ut con-
19 tra noſtrum Rituale aſſerit Sacerdotale Brixienſe *diſt.* tit.
*cap.*4. quia nec primus de per ſe, neque alii faciunt chorum,
uno tantum correſpondente. Clauditur oſtium per Clericum
oſtiarium, non vero per Cantores, & multo
minus per Sacerdotem. Clauſo oſtio, Subdiaconus deferens
Crucem, ſiſtit ſe ante fores Eccleſiæ, medius
inter cruciferarios. Interim Cantores intus cantant duos
primos Verſus aſſignatos, nempe exametrum, & pentametrum.
Illi Verſus duodecim ſunt, & eorum Author habetur 20
quidam Epiſcopus Aurelianenſis, de carcere idcirco liberatus.
Baron. *Ann.* 853. Circa numerum horum Verſuum,
Rubrica ad libitum præſcribit, ut vel cantentur
omnes, vel aliquot tantum prout videbitur, & commode
fieri poterit: ſed non video, cur obtruncari debeat
tam pius ordo metricus, niſi tempus pluvium, vel
ita gelidum ſit, ut niſi cum magno incommodo Clerus
id valeat abſolvere, prout in Rituali cum ſuis notis
Gregorianis deſcriptum habemus.

§. IV. Poſtea Subdiaconus, haſtili Crucis, percutit portam, qua ſtatim aperta, Proceſſio intrat Eccleſiam, cantando Reſponſorium *Ingrediente, &c.*

21 Iſta percuſſio quamvis ſuum myſterium fortaſſe habere
poſſit, tamen vere, & realiter fit, ut qui in Eccleſia
ſunt, audiant; & Oſtiarius aperiat, ex quo Rubrica
ponit libertatem canendi vel aliquos, vel omnes illos
Verſus. Ad nutum igitur Magiſtri Cæremoniarum
22 (cui incumbit in hoc caſu expeditio hujus cantus) debet
Subdiaconus percutere leviter, & ſemel Portam,
non autem bis, vel ter; niſi tam levis eſſet percuſſio 23
prima, ut a Cantoribus in Eccleſia exiſtentibus non
audiretur, atque ideo non eſſet promptus Oſtiarius ad
aperiendum.
Eodem ordine intrat, quo egreſſa eſt Proceſſio, & 24
Cantores ad locum ſuum cum aliis redeunt, ut ſimul
canant Reſponſorium; *Ingrediente Domino, &c.*

§. V. Deinde dicitur Miſſa, & Rami tenentur in manibus, dum cantatur Paſſio & Evangelium tantum.

25 Interim Subdiaconus deponit Crucem prope Credentiam,
ſi Miſſa ſequatur ſolemnis, Gavant. *ibid.*
26 Rami olim ad totam Miſſam geſtabantur, ut in *Ordine
Romano*, ſed redacta fuit hæc geſtatio ad Paſſio-
27 nem, ut dum ignominia Crucis narratur, ejuſdem victoria
per ramos oſtendatur, Gavant. *d. l. n.* 18. Idem
facit Sacerdos Celebrans, & Miniſtri.
28 Præterea, ex more Eccleſiæ, geſtantur, & ſervantur
devoto animo iſti Rami, aut ad uſum pium adhibentur:
ipſo enim facto, Chriſtum Dominum precamur,
ut per Paſſionem, & mortem ſuam, qua Dæmonem
ſuperavit, & fregit, & per miſericordiam ſuam
immenſam, qua hoc ſine ullis noſtris meritis egit, Dæmonem,
omnemque adverſitatem a nobis, & ab ædibus
noſtris pellat: ne vel aeris tempeſtate, vel alio incommodo
quocumque nobis noceat: quin potius Dei
dextera nos protegat; & non ſolum corpora a
malis tueatur, ſed Animæ quoque gratiam ſuam infundat;
ut

dat; ut multis virtutibus ornati, & bonis operibus florentes, Chriſti veſtigia ſequamur: hoſtes noſtros omnes viſibiles, & inviſibiles ſuperemus, & ad gaudia cœleſtis Hieruſalem ab Angelis cum triumpho introducamur: prout inſinuat Card. Valerius *in Theſaur. piar. inſtit. pag.* 249.

29 In Sacerdotali Brixinenſi toties a me allegato, eo quia ſupes omnes Rituales libros, his unus Rituali noſtro Romano in multis, & quidem plurimis conſentit, adeſt Ritus, & Cæremonia trinæ percuſſionis cum Ramo Palmæ ſupra dorſum celebrantis, in faciem verſus Imaginem proſtrati, dummodo Sacerdotes hæc præſtent: Sed hæc cæremonia fit a ſcholaribus tantum, & nimiam ſimplicitatem redolet, aequa magis, quia innititur verbis illis, *Matth.* 26. *Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves, &c.* quæ illo tempore cantantur poſt Antiphonam *Occurrunt Turbæ*. Vide dictum Sacerdotale, *diſtinct.* 10. *cap.* 4. *in fine*.

ORDO SERVANDUS
IN LITANIARUM MAJORUM PROCESSIONE,
Quæ in Feſto Sancti Marci celebratur.

TITULUS SEPTUAGESIMUS NONUS.

SUMMARIUM.

1 *Ordo iſte eſt univerſalis pro cunctis Proceſſionibus.*
2 *Non omnes Proceſſiones habent Litanias.*
3 *Litania quid ſignificet?*
4 *Litaniarum, ſeu Rogationum antiquitas,*
5 S. Gregorius *eas ampliavit.*
6 *Apoſtoli fuerunt illarum Authores.*
7 Sanctus Joſeph *in Litaniis introductus.*
8 *Verſiculus* A flagello Terræmotus *inſertus in Litaniis.*
9 *Nihil addi poteſt Litaniis a Summis Pontificibus approbatis.*
10 *Præter Litanias majores, aliæ ſunt B. Mariæ Virginis Lauretanæ.*
11 *Litaniarum nomen duplex.*
12 *Aliæ vocantur majores.*
13 *Aliæ vocantur minores,*
14 *Juxta majorem, vel minorem ſolemnitatem.*
15 *Opinio* Macrii *circa Litanias majores, & minores.*
16 *Litania dicitur ſeptiformis.*
17 *Quare in die S. Marci cantatur Litania major?*
18 *Litaniæ majores, ſi in die Paſchæ occurrant, transferendæ.*
19 *Alia opinio* Fr. Macrii *circa hoc.*
20 *Majores poſſunt dici Litaniæ reſpectu minorum.*
21 *Proceſſio hæc fit pro Univerſo Fideli Populo.*
22 *Finis, & ſignificatio hujus Proceſſionis.*
23 *Hora hujus Proceſſionis debet eſſe in mane.*
24 *Hora ſemel electa mutari non poteſt.*
25 *Congregari debet Populus in Eccleſia majori.*
26 *Diſpoſitio interna pro concurrentibus ad Proceſſionem.*
27 *Orandum ante Proceſſionem.*
28 *Veſtes adhibendæ in Proceſſione.*
29 *Veſtes Sacerdotales, & Cleri.*
30 *Antiphona* Exurge Domine, &c. *a quo loco deſumpta?*
31 *Litaniarum initium cur cantetur genibus flexis?*
32 *Quomodo Populus reſpondere debeat?*
33 *Litaniæ repeti poſſunt, ſi iter longum ſit.*
34 *Tonus Litaniarum qualis eſſe debeat?*
35 *Novos Tonos introducere non videtur decens.*
36 *Proceſſio inchoatur in nomine B. Mariæ Virginis.*
37 *Quare poſt nomen B. Mariæ Virginis omnes ſurgant?*
38 *Quare Cultus Hyperduliæ conveniat B. Mariæ Virgini.*
39 *Pſalmi cantari poſſunt in itinere poſt Litanias.*
40 *Quinam Pſalmi cantari debeant?*
41 *Cantica, & Hymni non adhibendi in Proceſſionibus Pœnitentialibus.*
42 *Unaquæque Proceſſio habet ſuos pſalmos, & Cantica.*
43 *Mos divertendi ad Eccleſias ſublatus.*
44 *Si fiat iſta diverſio, quæ ſervanda ſint?*
45 *Campanæ Eccleſiæ, apud quam tranſit Proceſſio, pulſandæ.*
46 *Nomen Sancti Titularis num invocandum?*
47 *Antiphonæ Sanctorum Titularium canendæ.*
48 *Quare fiat Proceſſio in die S. Marci Evangeliſtæ?*
49 *Si Eccleſia, ſeu Altare Sancti Marci adſit, viſitari debet.*
50 *Si non adſit, Eccleſia viſitanda erit ad libitum.*
51 *Cantatur Miſſa de S. Marco, vel de Rogationibus.*
52 *Proceſſio terminatur cum conſuetis precibus.*
53 *Rogationum origo.*
54 *Rogationum ſignificatio.*
55 *Vocantur Triduanæ.*
56 *Quando inſtitutæ.*
57 *Qua de cauſa introductæ in Eccleſia Dei?*
58 *Veriſimilior ratio.*
59 *Dicuntur Proceſſiones Arvales.*
60 *Viæ, per quas duci debet Proceſſio, deſtinandæ a parocho.*
61 *Viæ reſpicere debent ad varios Ventos.*
62 *Magiſtri Cæremoniarum ſolent illas deſtinare.*
63 *Epiſcopus poteſt mutare, & aſſignare vias.*
64 *Regulares recuſare non poſſunt recipiendi hanc Proceſſionem.*

1 ORDO iſte non tantum præſcribitur ſervandus in Litaniis majoribus, in die S. Marci Evangeliſtæ, & in Minoribus Rogationum, ſed in quacumque alia Proceſſione, quæ fiat ad impetrandam Dei opem, & pro aliqua publica neceſſitate: atque ideo ponitur in hoc loco tamquam Regula univerſalis tenenda in quibuſcumque ſimilibus Proceſſionibus, quæ tamen non omnes incipiunt a Litaniis, vel Litanias habent in corpore. Igi- 2
tur Regulæ hic præſcriptæ, atque infra explicandæ erunt advertendæ, & præ manibus habendæ quocumque tempore detur caſus, ut aliqua ex ſimilibus Proceſſionibus ducatur tum in Civitatibus, tum in Eccleſiis Diœceſanis.

Litania græca vox eſt, & ſupplicationes ſignificat, ſeu 3
Preces, vel Rogationes, non qualeſcumque, ſed ſerias, devotas, & frequentes, ut cum Quart. *de Litaniis, punct.* 1. *num.* 123. tradunt Suarez, *T.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de Orat. vocal. cap.* 9. Lezana, Sutrarius, Juſtinianus, & alii.

De illarum antiquitate varia ſentiunt Authores. Non- 4
nulli aſſerunt, primum Litaniarum Authorem fuiſſe S.
Gregorium Magnum Summum Pontificem, viventem an- 5
no Chriſti 600. ſed antiquioris originis eas facit Baronius *in not. ad Martyrolog. ſub die* 25. *Aprilis*, Suarez, & alii cum Quart. *punct.* 4. *num.* 135. qui illarum Autho-
res vult Apoſtolos; eſſe tamen poteſt quod S. Gregorius 6
illas ampliaverit, quod & fecerunt alii Pontifices, additis diverſorum Sanctorum nominibus; atque ex hoc dictum ſit, eumdem S. Gregorium, illarum Authorem fuiſſe: ſed aliud eſt novum opus creare, aliud eſt illud amplificare.

Iſtiuſmodi ampliationis recentiſſimum exemplum habemus Summi Pontificis Benedicti Decimitertii, qui in actu Canonizationis diverſorum Sanctorum de menſe Decembris 1726. inſeruit inter Litanias majores nomen S. *Jo-
ſeph Sponſi B. Mariæ Virginis*; illud poſt nomen S. Joan- 7
nis Baptiſtæ adnotando, ut ex Decreto in Urbe emanato *a S. R. C. Urbis, & Orbis ſub die* 19. *Decembris* 1726. ad magis magiſque augendum erga dictum Sanctum adeo debitam, & proficuam Fidelium devotionem necnon ad calidiſſimum ejus Patrocinium, ampliato cultu, frequentius invocandum, & demerendum, auditis prius diverſorum inſignium Theologorum Votis de loco inter hierarchias Sanctorum illi dando, inter quæ illud prævaluit, ut poſt Præcurſorem Domini in utero Matris ſanctificatum, potioritatem ſuper cæteros haberet Sanctos, in Eccleſia Dei.

Similiter tempore Pap. Clementis XI. Romæ a Ter- 8
ræmotu vexata inſertus fuit inter Litanias majores Verſiculus: *A flagello Terræmotus*, poſt Verſiculum: *Ab ira tua, &c.*

Sed iſte Verſiculus *A Flagello Terræmotus* inſertus in Litaniis majoribus ad inſtantiam Clementis PP. XI. fuit temporarius, & ad illud tempus tantummodo accommodatus, in quo Roma a tali flagello vexabatur. Unde cum a S. C. Rituum non proceſſerit, non erit in perpetuum recitandus. Ideoque perperam a Typographis in nova Ritualis Romani editione tanquam perpetuo dicendus adnotatus fuit, quapropter ab impreſſis eſt expungendus, nec amplius recitandus; niſi in caſu (quod abſit) quo inſæviat hujuſmodi flagellum.

Hinc advertendum eſt, quod Litaniis a S. Pio V. re-
formatis non poſſunt abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, 9
alii Sancti, etiam titulares ſuperaddi, juxta *Reſponſ. S. R. C. ad Canonicos Regienſes ſub die* 22. *Martii* 1631. Bellarmin. *de SS. Beatitudine, cap.* 10. Item Clemens VIII. prohibuit anno 1601. ne imprimerentur, neve in Eccleſia canerentur aliæ Litaniæ niſi conſuetæ de Sanctis, & de B. Maria, quæ communiter *Lauretanæ* dicun-
tur. Atque ideo, neſcio qua ratione, hic Ferrariæ a Ve- 10
nerab. Archiconfraternitate mortis, & Orationis recitentur quædam antiquiſſimæ Litaniæ ſatis a conſuetis diverſæ, dum aſſociantur damnati ad Patibulum: in quibus Litaniis enumerantur nonnulli Sancti ſatis extravagantes, prout *S. Diſmas, Sancta Reparata*, & alii. Vere hic abuſus indiget præciſa reformatione. Quod ſi ſtare nolint moderni conſtitutionibus antiquis, tamquam obſoletis, & ab uſu remotis, ſaltem ſe ſubmittant noviſſimis; habemus enim Conſtitutionem, & decretum adeo recens, ut adhuc per aures hominum reſonare videatur;

prout

prout illud eſt nuper a Sacra Congregatione Indicis emanatum, approbatumque a laudato SS. Benedicto XIII. ſub die 2. *Septembris* 1727. tenoris videlicet.

Eadem Sacra Congregatio, audito, quod variis in Oratoriis, & Eccleſiis publice recitentur aliquæ Litaniæ non approbatæ in S. Rituum Congregatione, cenſuit innovari Decretum in generali Congregatione S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, a Fel. Rec. Clemente VIII. editum anno 1601. videlicet. —— Quoniam multi hoc tempore, privati etiam homines, prætextu alendæ devotionis, novas quotidie Litanias evulgant, ut jam prope innumerabiles formæ Litaniarum circumferantur; & in nonnullis ineptæ ſententiæ, in aliis (quod gravius eſt) periculoſæ, & erroneæ ſapientes inveniantur, SS. Clemens Papa VIII. pro ſollicitudine ſua paſtorali providere volens, ut Animarum devotio, Deique, ac Sanctorum invocatio, ſine ullius detrimenti Spiritualis periculo foveatur, præcipit, & mandat, ut retentis antiquiſſimis, & communibus Litaniis, quæ in Breviariis, Miſſalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, necnon Litaniis de Beata Virgine, quæ in Sacra Æde Lauretana decantari ſolent; quicumque alias Litanias edere, vel jam editis, in Eccleſiis, ſive Oratoriis, ſive Proceſſionibus, uti voluerint, eas ad Congregationem Sacrorum Rituum recognoſcendas, & ſi opus fuerit, corrigendas, mittere teneantur; neque ſine licentia, & approbatione prædictæ Congregationis, eas in publicum edere; aut publice recitare præſumant, ſub pœnis (ultra peccatum) arbitrio Ordinarii, & Inquiſitoris ſeveri infligendis.

Præſens Decretum factum fuit in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico Quirinali, coram prædicto Sanctiſſimo D. N. .... & Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. D. S. R. Eccl. Cardinalibus, adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, Oct. Id. Septembris Anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti 1601.

Prædictum igitur Decretum, eadem Sacra Indicis Congregatio, omnino obſervari mandat, & præcipit, præcipiendo ulterius, ne typis mandentur aliquæ Litaniæ non approbatæ a Sacra Rituum Congregatione ſub pœnis in ſupradicto Decreto, & Indice librorum prohibitorum contentis, &c.

De origine Litaniarum B. Mariæ Virginis & illarum præcipue, quæ in Sacra *Æde* Lauretana decantari ſolent, nihil certi habemus: Hoc unum notat Ciacon. *Tom.* 1. *p.* 489. *ann.* 687. Sergium I. Pontificem inſtituiſſe, ut Litaniæ quotannis die Annunciationis S. Dei Genitricis dicerentur; quæ inſtitutio ab eodem ſummo Pontifice ampliata fuit ad dies feſtos Nativitatis, & Dormitionis ejuſdem Virginis Mariæ, ex allatis ab Oldoino *in addit. ad Ciacon, loc. cit.* atque hoc pro gratiarum actione ob grande beneficium e Deipara obtentum, quæ ab illata enormi calumnia eundem liberavit. Quibus Litaniis poſtmodum Eccleſia catholica identidem ſuperaddidit nova, & diverſa inſignia Mariæ Virginis attributa, donec tandem ad ſtatum præſentem redactæ fuerint, & a Pontificibus, ſacraque Rituum Congregatione approbatæ, ea allegata Conſtit. Clementis PP. VIII. Quocumque die iſtæ Litaniæ decantari poſſunt, & in quocumque loco, ſed præſertim in ſacra Æde Lauretana, in qua Verbum Caro per intameratam Virginem factum eſt. Dies vero in Eccleſia præcipuus ſolet eſſe dies Sabbati ex S. Thoma *Opuſc. 6. Servamus Chriſtiani Sabbatum in venerationem Virginis glorioſæ, in quo remanſit tota fides ſoli die in morte Chriſti*, In qua æſtimatione iſtæ Litaniæ a fidelibus habitæ ſint, quomodo cuſtæ fuerint vide apud Hippolyt. Maraccium *Heroid. Marian.* Quid vero ſignificent, & Animadverſiones ſuper illis doctiſſime ſcripſit Joſeph Miglioratt Romæ 1698. & Joannes Baptiſta Zappata, De Attributis Mariæ Virginis 1715. necnon Franc. Coller. & Jo. de Comitibus, orig. Litan.

Duplex eſt nomen harum Litaniarum: aliæ enim ap- 11
pellantur majores, aliæ minores; & hæc diſtinctio per
diverſos Scriptores habetur, juxta majorem, vel mino- 12
rem ſolemnitatem, quæ celebratur, ut notat Quart. *de* 13
Proceſſ. punct. 9. ſect. 2. & de Litaniis, punct. 1. n. 224. 14
in fine.

Verum clariorem, & uberiorem Litaniarum hiſtoriam
affert Macrius, & Frater ejus *in Hierolex.* Ibi dicitur, 15
quod Litania major appellatur illa, quæ fit in die S. Marci e S. Gregorio inſtituta, dum Romæ graſſabatur Peſtis, quæ Litania ſeptiformis denominata fuerat. Septiformis autem dicta eſt, eo quia totius Urbis Populus
a B. Gregorio in ſeptem partes, Deum precaturus, di- 16
videbatur, Paulus Diacon. *de geſt. Longob. lib. 3.* Idem confirmatur ab eodem Gregorio *Epiſt. 34. Regiſt. lib.* 11. *ind. 6. ad Lucidum Epiſc. Leontin.* A Gregorio Turonen. in ejus *Hiſtoria*, & a D. Antonino, *tom. 2. tit. 12. cap. 3. de S. Greg. Magno*, §. 1.

Quæ tamen Litania per plures dies continuata fuit ab eodem Pontifice Imaginem Sacram B. Mariæ Virginis deferente, uſquequo in tranſitu per Hadriani Molem vocem Angelorum audiverit, *Regina Cæli, &c.* quibus ille reſpondit: *Ora pro nobis Deum, &c.* qui meruit deinde Angelum Dei videre ſupra eamdem molem, mittentem gladium in vaginam, ob ſignum ceſſationis iræ Dei. Hæc, & plura vide dicto loco; ubi præcipue notandum venit, quod prima Litania dicta major, in menſe Septembris, imminente peſtis periculo, celebrata fuit; ſed
annua deinde pro acceptis beneficiis commemoratio in die 17
S. Marci inſtituta fuit, quemadmodum uſque ad præſens per Univerſalem Eccleſiam obſervatur, atque *ex Aquiſgranaten. Concilio II.* colligitur, ubi ſic in *Canone* 10. habetur: *Ut Litania major, more Romano, ab omnibus in ſeptimo Kal. Maji celebretur.*

Si vero Litaniæ majores in die Paſchæ occurrerint, 18
tunc ad diem tertium ejuſdem octavæ transferri mandavit S. R. C. *ſub die* 25. *Septembris* 1627. ut Fideles frequentius intervenirent, cum ſit dies Feſtus, ac Miſſa de Rogationibus dicatur abſque Commemoratione Octavæ in Paramentis Violaceis, Gavant. *p.* 4. *tit.* 11. Macri *Hierolex. verb. Litania*, apud quos alia habetur circa has Litanias majores interpretatio; Frater Macrii putat,
quod Litaniæ ideo majores dicantur, quia ad S. Mariam 19
Majorem in Urbe proceſſionaliter progreditur: minores vero, quia ad S. Mariam Minorem Proceſſio dirigitur; ſed monemur per Baron. *in not. ad Martyrolog.* 25. *Aprilis*, quod majores etiam Litaniæ vocabantur tunc quando ad S. Petrum dirigebantur proceſſiones tempore S. Gregorii Papæ, quod confirmat Gavant. *loc. cit.* n. 7. inquiens: *Quas* (Litanias) *inſtituit S. Gregorius Papa non ſimpliciter, ſed ad S. Petrum.*

Memini, me de Pſalmis pœnitentialibus loquendo, & de ſubſequentibus Litaniis, dixiſſe, illas etiam Lita-
nias majores nuncupari potuiſſe reſpective ad Litanias 20
breves, & minores, quæ recitantur in commendatione Animæ, quæ pariter antiquiſſimæ originis ſunt: ſed non perinde ſequitur, quod aliæ quæ decantantur in Rogationibus ex hoc nominari debeant minores.

§. I. Clerus & Populus hora ſtatuta, mane in Eccleſia congregati, omnes contrito, & humili corde Deum, flexis genibus, pauliſper precentur.

21 Non pro ſolo Clero ſit hæc Proceſſio, ſed pro Univerſo fideli populo ex ejus origine; nempe quando Peſtis ſæviebat, ut diximus, nec ulli Ordini gladius iræ Dei ignoſcebat. Propterea Clerus cum populo invitari debet ad concurrendum, ut per invocationem Dei, & Sancto-
22 rum ejus deſiderata nobis Divinæ propitiationis abundantia facilius, & efficacius impetretur.

23 Hora debet eſſe in mane, & quidem diluculo, reſpective ad longitudinem itineris faciendi, & ut Miſſa ce-
24 lebrari poſſit opportuno tempore: quæ hora ſemel electa pro facienda Proceſſione, mutari non poteſt, ut ſequendo Clementinam notant DD. adducti a Pignatell. *Conſ.* 563. *n. 6. T. 6.* & Matthæucc. *Off. Cur. Eccl. c.* 40. *n. 9. & ſeqq.*

25 Eccleſia, in qua congregari debet Clerus, & populus, debet eſſe major, nempe in Civitatibus Cathedralis, in Pagis vero, & Oppidis Parochialis; quia, ut alibi diximus, hæc Proceſſio eſt de juribus Parochialibus.

26 De diſpoſitione vero Animæ a Rituali præſcripta in concurrentibus ad Proceſſionem iſtam, illud præſtat, ut quiſque humili, & contrito corde ſit: ſi enim placare Deum intendimus, & a nobis iram ſuam avertere, opus eſt, ut cordis compunctione prius efficiamur digni ad illas gratias impetrandas. Quar. *d. pa.* 5. *n.* 236.

Ante Litanias, & Proceſſionem imponit noſter Tex-
tus, ut quiſque flexis genibus pauliſper oret, & Deum 27
deprecetur: quod de raro factum fuiſſe vidi in tot Proceſſionibus, quibus interfui. Itaque muneris ſui erunt adimplerent Magiſtri Sacrarum Cæremoniarum, ſi priuſquam Litaniæ, & Proceſſiones inchoentur, publicam precem indicerent, ſub ſilentio tamen, & abſque ſtrepitu, ut ſic ſtatuto Rubricæ obtemperarent ii, qui Proceſſionibus laudabiliter intereſſe cupiunt: nam rationabiliter iſta Oratio præparatoria inſtituta eſt, ut ſic per humilitatis actum, genuflectendo, & Deum deprecando, facilius ea, quæ in Litaniis, & Precibus petimus, conſequamur. Surſum igitur corda hominum elevanda ſunt per illam brevem Orationem, quæ etiam inſervit ad componendum animum, illumque a vanis Sæculi cogitationibus abſtrahendum, ut in Proceſſione ſolum Deum cogitemus, & Animarum noſtrarum indigentiam.

§. II. Sacerdos pluviali, cum Miniſtris, vel ſaltem ſuperpelliceo, & ſtola violacei coloris ſit indutus: cujus coloris habitu in reliquis Proceſſionibus ſemper utatur, præterquam in Proceſſionibus Corporis Chriſti, & quæ fiunt ſole-

mnibus

mnibus diebus, vel in gratiarum actionem; quibus diebus utitur colore propriæ ſolemnitati congruenti. Cæteri vero Sacerdotes, & Clerici ſuperpelliceis induti, ſequentem Antiphonam ſtantes concinant; *Exurge*, &c.

28 De Veſtibus, & earum coloribus jam dictum fuit in Proœmiali explicatione Tituli de Proceſſionibus, & dicemus in ſubſequentibus Proceſſionibus, in quibus ſpecialis erit mentio de illis, tam ſi Proceſſiones ſolemniter fiant, quam ſi privatim intra Eccleſiam.

29 Prior veſtiendi modus in Rubrica aſſignatus, convenit tantum Sacerdotibus, & Celebrantibus, qui in Proceſſionibus tamquam ſummi Miniſtri, & Duces habentur. Veſtitus vero Cleri, & aliorum, Proceſſionem componentium, debet eſſe juxta ordinem, & gradum cujuſcumque, prout in Proceſſionibus invaluit. Antiphona: *Exurge Domine*, &c. daſumpta eſt ab ultimo Verſiculo Pſalmi 43. in ordine Pſalterii Davidici, *mutato* verbo *Redime*, in *Libera*. 30

§. III. Deinde genuflectant omnes, & duo Clerici ante Altare majus genuflexi, devote Litanias cantare incipiant, cæteris eadem voce reſpondentibus.

31 Cum Litaniæ, ut dictum eſt, ſint Preces, & ſupplicationes, decet, ut earum initium ſaltem cantetur genibus flexis; ille enim eſt actus ſupplicantis, ut alibi dictum fuit. Ultra quam quod primæ ſupplicationes, ſeu invocationes eum ad Deum Unum, & Trinum, ſive ſub nomine totius Sanctiſſimæ Trinitatis, ſive ſub nomine Perſonarum, dirigantur, ut ea, qua par eſt, veneratione ordinentur, nonniſi laudabile cenſeri debet. Super hoc Litaniarum initio redarguuntur Catholici ab Hæreticis, variis argumentis, quibus doctiſſime reſpondet Quart. *de Litan. punct. 6. num.* 238. *ad* 270. *per tot.*

32 Dum dicit Rubrica, quod *cæteri eadem voce reſpondeant*, per ly *reſpondeant*, non intelligit, ut cæteri repetant id, quod cantatur a Clericis, ſeu Manſionariis Cantoribus, ut aliqui faciunt, ſemper eodem modo quo in Litaniis Sabbati Sancti: nam Rubrica Sabbati Sancti præcipit, ut *Chorus idem ſimul reſpondeat*: ut videre eſt in Miſſali Romano: nunc vero dicit ſimpliciter, *reſpondeant*, nempe invocationi complementum dent per verba *Ora pro nobis*, & alia nutata. Nec refert ſi longitudo itineris faciendi, totas Litanias ab uno tantum Choro recitatas, abſorbeat; nam poſt Litanias ſuppleri poteſt per Pſalmos aſſignatos, ſeu repeti poſſunt eædem Litaniæ, ut infra in §. 5. Rubrica præſcribit. 33

Quo vero ad Tonum Litaniarum, tum Miſſale, tum Rituale illum aſſignat Gregoriano more: nec laudabile eſſe judico novos Tonos introducere, cum ille unice ſit ab Eccleſia approbatus. 34

§. IV. Cum autem cantatum erit; *Sancta Maria, ora pro nobis*, ſurgunt omnes & ordinatim procedunt, egredientes, Litaniaſque proſequentes, præcedente Cruce, & ſequente Clero, ultimo loco Sacerdos paratus, ut ſupra dictum eſt, cum Miniſtris, prout res, vel locus poſtulet, Sacris veſtibus indutis.

In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis inchoatæ ſunt ſupplicationes: In nomine Sanctiſſimæ Virginis Mariæ 35 inchoatur Proceſſio, & ſurgunt omnes, ejus nomine invocato, 36 quia jam venerabiliora Myſteria tranſierunt, imo præcipua in Unitate, & Trinitate Dei, & ejus Incarnatione in Utero Virginis Mariæ: quæ myſteria adoratione Latriæ, quoad Deum, & Hyperduliæ quoad Virginem Matrem coli debent; 37 quia Virgo cum præ cæteris creaturis, puris, meritis, & dignitate ſupereminet, 38 ideo ſingularis cultus, & præcipuum obſequium ei debetur: quapropter illa, ut diximus, invocata poſt Sanctiſſimam Trinitatem, non amplius Populus, neque Clerus, in actu adorationis ſtat genuflexus, ſed ſurgit.

De egreſſu Proceſſionis, deque Paramentis Miniſtrorum, & intereſſentium ſatis diximus in generali Titulo de Proceſſionibus, ut ſupra.

§. V. Si Proceſſio ſit longior, vel repetantur Litaniæ, vel Litaniis abſolutis, uſque ad Preces excluſive, dicantur aliqui Pſalmi ex Pœnitentialibus, ſeu Gradualibus. Hymni vero, vel Cantica lætitiæ in iis, vel in Rogationibus, aut aliis pœnitentiæ cauſa inſtitutis Proceſſionibus, non dicantur.

39 Modo aſſignat Rubrica quid agendum ſit, ſi expeditis, abſolutiſque Litaniis, pars adhuc itineris ſupereſſet. Ad libitum Cantorum duo proponuntur, nempe vel Litaniarum repetitio, vel Pſalmorum intonatio, modo Chorali: Proceſſio enim vocatur Chorus ambulans, ex Urſaya *d. T. 1. p. 2. d.* 26. *n.* 38. & *T. 3. p. 2. d.* 23. *n.* 50. Quid vero in praxi magis ſequendum ducam, modo aperiam.

Litanias repetere, incipiendo a *Sancta Maria*, aliquid informe ſapit, cum illas ſine novo capite replicare, monſtruoſum ſit: *A Kyrie eleiſon* incipere noviter, importat, ut denuo tota Proceſſio genuflectatur, ſed in via hæc genuflexio non eſt de ritu, ergo prætermittendum eſt hoc initium. Ideoque ſatius ducerem Pſalmos intonare, qui ad eundem finem diriguntur, & ad vel longi itineris ſpatium perficiendum ſufficiunt. Illis Pſalmis præferrem Pœnitentiales primo, ſi Proceſſio eſſet ſupplicatoria pro Dei miſericordia impetranda: ſi vero eſſet læti, & jucundi argumenti, Graduales Pſalmos adhiberem, qui ſuaviora canunt. 40

Prorſus Cantica, & Hymni lætitiæ abigendi ſunt, ſi Proceſſio ſit ob cauſam pœnitentialem: eſſet enim hoc de tribulatione gaudere: ſecus vero ſi eſſet Proceſſio ob lætitiam: tunc non incongruum eſſet canere *Magnificat*, &c. *Benedictus*, &c. & ſimilia Cantica, vel *Te Deum*, &c. vel Hymnos gaudio plenos; prout *Exultet Orbis*, &c. *Ave Maris Stella*, &c. concordarent enim iſta omnia cum re, de qua Proceſſio fieret. Sed unaquæque Proceſſio habet ſuos Pſalmos, prout Rituale ſubminiſtret. 41 42

§. VI. Si ad unam, vel plures Eccleſias in via ſit divertendum, ab ingreſſis Eccleſiam, intermiſſiſque Litaniis, vel Pſalmis, cantatur Antiphona cum Verſu, & Oratione Sancti Patroni illius Eccleſiæ. Deinde egredientes, reſumptis Precibus, eodem ordine procedunt, uſque ad Eccleſiam, ubi cum Precibus, & Orationibus omnibus, Proceſſio terminatur, ut in fine Breviarii Romani poſt Pſalmos Pœnitentiales.

Mos iſte, ſeu Ritus divertendi ad omnes Eccleſias, quæ in viis ſunt, per quas ducitur Proceſſio, quamvis a Rituali noſtro enuncietur, non tamen in omni-
43 bus Civitatibus obſervatus. Certe hic Ferrariæ ſublatus fuit a cl. m. Card. de Verme Epiſcopo, ob varia inconvenientia, quæ in dies oriebantur; & præcipue quia cum multæ Eccleſiæ unicam tantummodo Portam habeant, deformitatem maximam gignebat ille ingreſſus, & regreſſus, uno, & eodem tempore Cleri, ſeu Confraternitatum ab illo eodem oſtio, & propterea maximam ordinis, & vires perturbationem oriri ſibi viſum fuit. Ulterius cum in unaquaque Eccleſia præſcribatur a Rituali, ut decantari debeat Antiphona, & recitari Oratio de Sancto titulari, eveniebat, ut in fine, Proceſſio aliquantulum ſiſteret, atque interim pars, quæ antecedebat, ſolito paſſu procederet, atque ideo magna ſeparatio, & disjunctio ordinum fieret.

Nihilominus quia hæc diverſio, a Rubrica noſtra non prohibetur, contingere poteſt, & nonnulla, ſi fiat, ad- 44
vertenda ſunt. Primo. Intra Oſtium, per quod ingreditur Proceſſio, eſſe debet unus Sacerdos ſuperpelliceo, & ſtola (ſi ſit Parochus) indutus e latere dextero ingredientium, cum aſperſorio Aqua benedicta madido, quo aſpergat identidem ordines introeuntes, ne divertant ad Aquam benedictam attingendam in Pila. Secundo. Parari debet genuflexorium ante Altare auguſtiſſimi Sacramenti, cum convenienti Tapete, & Pulvinaribus, ad hoc ut miniſter, ſeu Celebrans, cum Diacono, & Sub-

Comment. ad Ritual. O

dia-

diſcono, genufleĉti valeant. Tertio. Ad idem Altare
ardere debent cerei accenſi in conſueto numero in ſi-
gnum ſolemnitatis, & commemorationis Sanĉti titularis.
Quarto demum. Campanæ illius Eccleſiæ, apud quam
tranſeunt iſtæ Proceſſiones, pulſari debent eo tempore,
45 Corſett. *de Proceſs. tr. 1. p. 1. c.* 18. *n.* 18.
Mos eſt etiam, ut Ordines Eccleſiaſtici, & Confrater-
nitates Proceſſioni intervenientes, dum divertunt ad iſtas
Eccleſias, ingreſſi omnino, invocent Nomen Sanĉti ti-
46 tularis illius Eccleſiæ, prout fit in Litaniis, intermitten-
do ſive Pſalmum, ſive Litanias. Sed hoc illaudabile vi-
detur, & incongruum, cum ſæpe, & facillime contin-
gere poſſit, ut invocetur nomen alicujus Sanĉti extra
ordinem ſuum hierarchicum, ſive in Litaniis ab Eccleſia
non introduĉti, quod eſſet contra decreta Pontificia, ut
probavimus. Præterea quandoque, & ſæpiſſime datur
(teſtis ego ſæpius de auditu fui) ut Confratriæ linguam
latinam prorſus ignorantes, nomen Sanĉti titularis ex-
primere non valeant latine, vel in caſu vocativo, de
more Litaniatum; atque ita barbaras voces, & ſolœciſ-
mos promant, e quibus apud adſtantes riſus oriatur,
qui tam Sanĉtæ functionis pietatem deſtruat. Audivi
enim egomet plories: *Sanĉte Clemente*, *Sanĉte Aleſſio*,
& ſimilia nomina; pro *Sanĉte Clemens*, *Sanĉte Ale-
xi*, *&c.*
Antiphonæ cantandæ in Eccleſiis, ad quas fit diver-
47 ſio cum Proceſſionibus erunt deſumptæ ex communi San-
ĉtorum, juxta ordinem Sanĉti titularis; Oratio vero non
erit illa, quæ in Miſſis eorumdem Sanĉtorum legitur,
ſed alia deſumpta pariter vel a Communi, vel a Suf-
fragiis, quæ fiunt in Commemorationibus per annum,
Caſtald. *d. l.* 2. *ſeĉt.* 10. *c.* 7. *n.* 4.
Sed quis finis, & quænam meta Proceſſionis in die S.
48 Marci Evangeliſtæ? Textus noſter generice loquitur:
uſque ad Eccleſiam, nullam prorſus ſtatuens: ſed di-
ĉtum fuit ſupra ex Baronio *in not. ad Martyrolog. ſub
die* 25. *Aprilis*; Proceſſionem pro Litaniis majoribus in-
ſtitutam fuiſſe a S. Gregorio Papa, non *ſimpliciter, ſed
ad S. Petrum*. Nihilominus conſuetudo, & ratio poſtu-
lat, ut ſi in illo loco adſit Eccleſia titularis S. Marci, 49
vel ſaltem Altare in aliqua Eccleſia, ad hanc proceda-
tur. Si vero non adſit neque Eccleſia, neque Altare
diĉti Sanĉti, pro libito Ordinarii, vel Parochi eſt, ad
melius ſibi viſam Eccleſiam procedere; & in Proceſſio- 50
nibus ruralibus ſufficit etiam Oratorium publicum ſe-
cus viam; vel ſi neque hoc adſit, revertetur Proceſ-
ſio ad Eccleſiam ſuam, & ibi Preces, & Orationes ſta-
tutas perſolvet. Eccleſia itaque, vel Altare S. Marci,
ſi adſint, viſitantur ab hac Proceſſione non ob aliud,
niſi ob aſſignationem talis diei antiquitus factam, in
qua cadit ſolemnitas diĉti S. Evangeliſtæ, ut diximus,
num. 17. hujus Tituli cum Concilio II. Aquiſgrana-
nenſe: nec eſt aliud myſterium, ſeu alia interpretatio
facienda circa talem Sanĉtum, niſi hæc, nempe ut ali-
quo modo iſta functio Eccleſiaſtica concordet cum ſole-
mnitate diei: alioquin in Civitatibus, ſeu Oppidis,
aut Villis, quibus neque Eccleſia, neque Altare in ho-
norem hujus Evangeliſtæ erigitur, minima prorſus eſſet
talis Proceſſio facienda.
Circa Miſſam ibi canendam vel de S. Marco, vel de 51
Rogationibus; vide Gavant. *p.* 4. *tit.* 11. *n.* 9. Micro-
logium, *c.* 58.
Proceſſio hæc terminatur cum Precibus, & Orationi- 52
bus, quæ ſequuntur poſt Litanias, ut in Pſalmis Pœni-
tentialibus; atque ita fit, ut nullus Ordo prætereatur
in Cœlis, qui ſuam ſupplicationem non habeat, favore
poſtulantium.

§. VII. In Litaniis minoribus Rogationum ſerventur omnia, ut ſupra in Litaniis majoribus.

De Rogationibus, earum origine, & ſignificatione mo-
do loquendum eſt, cum nihil fere dicendum ſit de ea-
rum ordine, & ritu quia uniformiter ſe habent ad Li-
tanias majores in feſto S. Marci.
Rogationes itaque vocantur Litaniæ minores, & tri-
53 duanæ, id eſt in triduo ante Aſcenſionem celebratæ.
54 Iſtæ a S. Mamerto Viennæ Allobrogum Epiſcopo, de
55 anno 474 inſtitutæ fuerunt occaſione Luporum illas Re-
56 giones infeſtantium, unde in aliquibus locis, ſolent
portari Dracones, & Lupi ſuper perticas, ad denotan-
dam cauſam, quare inſtitutæ fuerint iſtæ Proceſſiones.
Hanc originem tradit Albertus de Caſtello in ſuo *Sa-
cerdotali*: Sed Baronius *ad annum* 475. *n.* 18. authori-
tate Sidonii, oſtendit, diĉtum S. Mamertum, ob Ter-
ræmotum, aliaque cœleſtia prodigia Rogationes reno-
vaſſe. Quare antiquiorem originem, illas habere dicen-
dum eſt. Alii Concilio Aurelianenſi I. hanc inſtitutio-
nem tribuunt, alii Liberio Papæ, alii Leoni III. Ro-
mano Pontifici ex Anaſtaſio Bibliothecario, cujus verba
ſunt: *Hic conſtituit, ut tres dies, ante Dominicam Aſcen-
ſionem Litaniæ celebrarentur.*
Verum quidquid ſit de Inſtitutore, nemo dubitabit,
Rogationes antiquiſſimæ originis eſſe. Quam vero ob
57 cauſam indiĉtæ fuerint, varii varia dicunt. Certe ad
avertendas calamitates, quibus illo ævo affliĉtabantur
Populi, inſtitutæ fuerunt, ex S. Gregor. Turon. *l.* 2.
Hiſtor. cap. 34. Sidon. *l.* 7. *epiſt.* Ab Eccleſia univerſa-
li poſtea approbatæ, & ampleĉtatæ fuerunt, illas conti-
nuando, ut Deus propitiaretur peccatis Populi ſui, &
ab eo flagella iræ ſuæ averteret; pacem, & aeris ſalu-
britatem concedere, & fructus dare, & conſervare di-
gnaretur.
58 Hæc poſtrema ratio, opinor quod potior, & primaria
ſit, ac pene dicam, unica, & univerſalis, propterea
quod fiunt tales Proceſſiones Veris tempore, dum nem-
pe omnia Arva florent, & in viridi ſunt, ac primitias
fructuum ſuorum Deo exhibendas promittunt. Hac de
cauſa in Villis, & ruſticanis Parochiis mos eſt agros
circuire, eoſque tali Proceſſione per triduum luſtrare,
& benedicere, unde Proceſſiones *Arvales*, ſeu *Ambar-* 59
vales, ab aliquibus appellantur, quarum meminit *Conci-
lium Colonienſe*, *cap.* 8. *&* *Prov. Mediol. tit. de Proceſſ.*
Quart. *de Proceſſ. punĉt.* 10. *n.* 95.
Viæ, per quas duci debent iſtæ Proceſſiones, in Vil- 60
lis deſtinari debent a Parochis, hac ratione, ut com-
modiores eligantur, & quæ ad diverſos fines perveniant:
curandumque eſt, ut ad aliquod Oratorium, (ſi fieri
poteſt) perducant, ubi perſolvantur Preces, & Oratio-
nes. Iſtæ Viæ demum ad varios Ventos reſpicere de- 61
bent in forma Crucis, ſi commode fieri poſſit intra fi-
nes Parochiæ, ut quæque latera loci illius benedicantur.
In Civitatibus vero Sacrarum cæremoniarum Magiſtro 62
incumbit, ex conſuetudine, has vias aſſignare, pariterque
Eccleſias deſtinare, ad quas ſingulo die ſiſtere debeat
Proceſſio Rogationum; & in hac diſtributione curare de-
bet, ut ad varia latera Civitatis ſitæ ſint, nec quocum-
que die, ad eamdem partem tendat proceſſio.
Cæterum, generaliter loquendo, Epiſcopus omnem ha- 63
bet facultatem a jure determinandi, & mutandi vias,
per quas Proceſſiones tranſire debeant, præcipue juſta ac-
cedente cauſa, & rebus in eodem ſtatu non permanen-
tibus, Urſaya *diſcep Eccl. T.* 4. *diſ.* 17. *per tot.*
Regulares tandem, ſicuti nec ulla alia Eccleſia, recu- 64
ſare non poſſunt recipiendi Proceſſionem in ſua Eccleſia
(de Eccleſiis Monialium nulla mentio facienda eſt; quia
iſtæ deſtinari ad hoc non ſolent, variis de cauſis, & præ-
cipue quia Chorum habent interiorem in Clauſura) Eo
die tamen non tenentur Proceſſioni intereſſe iſti Regu-
lares, ut prompti ſint ad oſtium Eccleſiæ pro recipienda
Proceſſione, ut pluries decrevit S. R. C.

DE

DE PROCESSIONE

IN FESTO

SS. CORPORIS CHRISTI,

TITULUS OCTUAGESIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Hæc Proceſſio appellatur Triumphalis.*
2 *Inſtituta fuit ab Urbano Papa IV.*
3 *Ampliata a Concilio Tridentino.*
4 *Eſt Proceſſio omnium ſolemniſſima.*
5 *Celebratur ipſomet die Corporis Chriſti.*
6 *Hiſtoria ejus Inſtitutionis.*
7 *Ad illam Clerus tenetur intervenire.*
8 *Mos eſt faciendi illam etiam in die Octava.*
9 *Proceſſio in die Octava poteſt fieri abſque licentia Ordinarii.*
10 *Non debet fieri expenſis Parochi, & Capituli.*
11 *Celebranda a Cathedrali ad Cathedralem.*
12 *In Villis facienda ab Eccleſia Parochiali.*
13 *Conſtitutio Clementis XI. Papæ ſuper hanc Proceſſionem.*
14 *Officium SS. Corporis Chriſti compoſitum a S. Thoma Aquinate.*
15 *Leodienſes primi celebrarunt hanc ſolemnitatem.*
16 *Pompa, & Apparatus debet eſſe cæteris diſtinctior.*
17 *Eccleſia ſi non ornentur, ſaltem perpoliantur.*
18 *Flores, & herbæ olentes ſternendæ in Templo, & per vias.*
19 *Altare ornandum lampadibus, & Candelis.*
20 *Circa Vias, profanitates arcendæ.*
21 *Exploratores habendi a Magiſtro Cæremoniarum circa ornatus.*
22 *An Hebræi teneantur ornare Feneſtras, & vias, cum pertranſit Sacra Euchariſtia apud illas, vel per illas?*
23 *Res indecentes amovendæ ſunt.*
24 *Ritus ornandi vias in Civitate Brixinenſi.*
25 *Hoſtia deferenda debet conſecrari ea die.*
26 *Hoſtia conſecrata debet eſſe æqualis illi, quæ in Miſſa aſſumitur.*
27 *Reponenda a Sacerdote celebrante in oſtenſorio.*
28 *Tabernaculum idem eſt ac Oſtenſorium.*
29 *Appellatur etiam Monſtrantia, Turris, Sphæra, &c.*
30 *Oſtenſorii propria figura qualis eſſe debeat?*
31 *Ejus materia.*
32 *Velatur dum Miſſa perficitur.*
33 *Velum auferri debet, peracta Miſſa.*
34 *Quinam Sacerdos deferre debeat Sacramentum in Proceſſione?*
35 *Velum humerale qualiter eſſe debeat?*
36 *Locus, ubi Sacerdos genuflectere debet.*
37 *Umbella prompta eſſe debet.*
38 *Umbella qualiter eſſe debeat?*
39 *Ejus nomina varia.*
40 *Thuribula duo parari debent.*
41 *Baldachini nulla mentio in Rubrica.*
42 *Umbella eſt Inſtrumentum ſubſidiarium.*
43 *Baldachinum quid ſit? & alia circa illud.*
44 *Haſtæ Baldachini nobilioribus tradendæ.*
45 *Haſtæ primo deferantur ab Eccleſiaſticis.*
46 *Portitores haſtarum gravi paſſu incedere debent.*
47 *Sacerdos, & miniſtri alternatim Pſalmos recitare debent.*
48 *Clerus debet continuo cantare.*
49 *Campana continuo pulſanda.*
50 *Omnes nudo capite procedere debent.*
51 *Birretum Clericale manu gerendum.*
52 *Pileolo non utendum in Miſſa.*
53 *Exemplum Caroli V. Imperatoris.*
54 *Coma fictitia Clericis prohibita.*
55 *Cerei ardere debent ab utraque parte Baldachini.*
56 *Cerei expenſis propriis deferentium providendi.*
57 *Laternæ quatuor accendi debent circa Sanctiſſimum.*
58 *Hymni cantandi in hac Proceſſione.*
59 *Hymni emendati ab Urbano VIII. PP.*
60 *Ad Verſ.* Tantum ergo, &c. *an genuflecti debeat.*
61 *Ad verſ.* & Benedictio, &c. *ſignari non debet frons.*
62 *Ordines ſiſtere debent in Eccleſia, peracta Proceſſione.*
63 *Nec diſcedere, niſi data prius Benedictione.*
64 *Sacramentum deponendum in manibus Diaconi.*
65 *Gradus infimus Altaris diverſimode ab Auctoribus intelligitur.*
66 *Cerei non extinguendi, niſi poſt Benedictionem.*
67 Tantum ergo, &c. *a Muſicis intonari debet.*
68 *Quando debeat fieri hæc intonatio?*
69 *Muſici intereſſe non deberent huic Proceſſioni.*
70 *Verſiculus* Panem de Cœlo &c. *a quo cantari debeat.*
71 *Qui illum canunt, debent ſtare genuflexi.*
72 Alleluja *poſt verſiculum quando dici debeat?* *Comment. ad Rituale.*
73 Dominus Vobiſcum *olim ante Orationem præcinebatur.*
74 *Modo ex* Decreto *Sacr. Rit. Cong. non dicitur.*
75 *Oratio pro hac Proceſſione præſcripta unica recitanda.*
76 *Sacerdos ſemel benedicere debet cum Sacramento.*
77 *An in Eccleſiis monialium, benedicendæ ſint Moniales?*
78 *Sacerdos nihil dicere debet cum benedicit.*
79 *Forma Benedictionis præſcripta.*
80 *Signum Crucis quomodo cum Oſtenſorio faciendum?*
81 *Diverſitas occaſionum hujus Proceſſionis.*
82 *Ritus in omnibus Proceſſionibus Sanctiſſimi Sacramenti ſervandus.*
83 *Via obumbrata magnæ ſolemnitatis indicium.*

TRIUMPHALIS Proceſſio illa Sanctiſſimi Corporis 1
Chriſti appellatur, Quart. *de Proceſſ. num.* 97. eo quia triumphali more defertur per vias, Orbis Redemptor Conditor, Salutis humanæ Sator, Rex Regum, Dominuſque Dominantium, qui devicta morte, priuſquam peteretur, in hoc Auguſtiſſimo Sacramento, humano Generi, futuræ gloriæ pignus reliquit.

Hæc proceſſio prima inſtituta fuit ab Urbano IV. Sum- 2
mo Pontifice circa annum 1262. eam confirmavit Clemens V. in Concilio Viennenſi, anno 1311. novoque Decreto corroboravit Concilium Tridentinum, *Seſſ.* 13. *cap.* 3
5. his verbis: *Æquiſſimum eſt enim, Sacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum Chriſtiani omnes ſingulari, ac rara quadam ſignificatione, gratos, & memores teſtentur animos erga communem Dominum pro tam ineffabili, & plane Divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur.* Ecce unde ortum habuit nomen illud *Triumphale*, huic Proceſſioni ſubinde impoſitum.

Eſtque omnium ſolemniſſima, & celebratur in univer- 4
ſali Eccleſia, feria quinta poſt Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis, peracta jam octava Pentecoſtes, ex ejuſdem Urbani IV. inſtitutione, in ipſo Feſto Corporis Chriſti. In 5
aliquibus vero locis per totam octavem ducitur iſta Proceſſio, cujus inſtitutionis plenam hiſtoriam narrat Monacell. *T.* 2. *tit.* 23. *num.* 10. *ex Actis*, Bolland. T. 1. *ad Menſ.* 6
Aprilis pag. 459. 462. 565. 477. recognit. & examinat. *a S. R. C. ſub die* 10. *Junii* 1700.

Sed noniſi ad illam, quæ fit in dicta feria quinta, 7
tenentur Clerus Sæcularis, & Regularis omnium Ordinum, atque Piæ ſodalitates convenire juxta *Conc. Trid. d. l.* ſub pœnis Epiſcopo arbitrariis.

De proceſſione in octava die nihil penitus in Rituali 8
habetur: mos eſt tamen, & conſuetudo omnium Eccleſiarum eam faciendi; ſed minori circuitu, licet eodem ordine, vel in paucis immutato: *Ex Sacerd. Brixinen. diſt.* 5. *cap.* 10. *num.* 20.

Advertendum eſt, quod ad ſolemniter faciendam hanc Proceſſionem, extra clauſtra, in quacumque die, intra octavam Corporis Chriſti habent Regulares Privilegium, cum ampliſſimis derogatoriis a Gregorio XIII. Conſt. *Cum interdum num.* 10. Bullar. *T.* 2 diſtinctis tamen horis, prout Innocentius Papa VII. diſpoſuit, ex Mattheucc. *de Off. Cur. c.* 40. *num.* 9. quod Urſaya *T.* 2. *p.* 1. *d.* 14. intel- 9
ligit poſſe fieri abſque ulla Ordinarii, aut Parochi licentia, & poſt Veſperas, ſi in Cathedrali fiat in mane.

Sed loquendo de expoſitione, & Proceſſione cum Eu- 10
chariſtia, facienda in Eccleſiis Cathedralibus, vel Parochialibus, intra octavam, & etiam in ipſa die octavæ, advertendum eſt, quod hæ, de jure, faciendæ non ſunt expenſis Capituli, vel Parochi, quia ſunt Proceſſiones arbitrariæ; & ideo novum onus imponendum non eſt Eccleſiæ, quæ jam ſatisfecit Præcepto in die ſtatuto, nempe feria quinta antecedenti, prout ex Decreto, ſeu reſponſo Viſitationis Apoſtolicæ, 24. *Maji* 1752. refert Urſaya *T.* 1. *p.* 1. *d.* 16. *num.* 43. 44. 158.

Debet itaque hæc Proceſſio initiari a Cathedrali, ſeu 11
Eccleſia Parochiali, Sel. in *Select. can. c.* 11. *num.* 2. ubi habetur ita deciſum per *Sacr. R. C. in una Tarracon.* 19. *Aug.* 1619. Magis enim decet, ut Solemnitas Corporis Chriſti celebretur in Cathedrali Eccleſia, quam in alia, ex eaque formatur Sanctiſſimum Sacramentum, & in Proceſſione per vias publicas circumferatur, & ad eamdem Eccleſiam reportetur, ſicut teſtatur reſolutum fuiſſe Armendar. *in Addit. ad recop. legum Navarra, l.* 4. *tit.* 29. *l.* 1. *c.* 1. *de confitendo ſemel in anno, num.* 8. Barboſ. *ad Concil. Seſſ.* 13. *c.* 5. *num.* 5. Sed hoc intelligendum eſt, & in praxi ponendum in Civitatibus, ubi Cathedrales, ſeu Metropolitanæ Eccleſiæ adſunt. In Villis vero, & locis extra 12
Urbes ſupplet Eccleſia Parochialis, & ab ea, ad eam fieri debet Proceſſio.

Plura, quæ ad rectum hujus Proceſſionis ordinem in-

 fluunt

13 fluunt, ſanctiſſima ſtatuit in ſua ſpeciali Inſtructione Clemens XI. Summus Pontifex, anno 1705. quæ a Cardin. Carpineo publicata a Monacello per extenſum refertur T. 2. tit. 13. & illius Summarium etiam inſertum legitur in *Kalendario* quodam perpetuo Marci Antonii Fagioli Legienſis, *pag.* 378. & quamvis iſta Inſtitutio præcipue dirigatur ad rite exponendam Sanctiſſimam Euchariſtiam per quadraginta horas: attamen nonnulla tradit ad Proceſſionem ſpectantia, & ad Benedictionem, quæ ad præſens argumentum hujus Tituli maxime faciunt; ideoque in ſubſequentibus Paragraphis erit locus deſumendi a dicta Inſtructione nonnulla, huic materiæ in præſentiarum convenientia.

Aliam quoque inſtructionem conſimilem, ſua tempeſtate Romæ editam affert Gavant. *d. p.* 4. *tit.* 12. *n.* 3. *in fine*; qui Author, multa etiam exponit de Ritu hujus Proceſſionis e noſtro Rituali deſumpta, quoad minores Eccleſias; quia Eccleſiæ majores (quæ Perſonis in dignitate præcipue Epiſcopali conſtitutis inſerviunt) modum hujus Proceſſionis a Cæremoniali Epiſcoporum deſumunt.

Officium SS. Corporis Chriſti Authorem cognoſcit S. 14 Thomam Angelicum Doctorem, qui juſſu Urbani Papæ IV. illud compoſuit, & ab eo in præmium retulit coronam argenteam ſeu potius monile argenteum: ita ex Nouclero, & Genebrard. refert Rague. *de Miſſa*, *qu.* 109. *n.* 3. Barboſ. *in Concil. ſeſs.* 13. *cap.* 5. *numer.* 3. Gavant. *d. p.* 4. *tit.* 12. *num.* 2. & teſtatur ipſe S. Thomas *in Opuſculo* 57. Quam ſolemnitatem primi in Orbe Ca- 15 tholico celebrarunt Leodienſes, ut refert Bzovius anno 1230. nu. 16. & alii.

§. I. Decenter ornentur Eccleſiæ, & parietes viarum, per quas eſt tranſeundum, tapetibus, & aulæis, & Sacris Imaginibus, non autem profanis, aut vanis figuris, ſeu indignis ornamentis.

16 Cum ex dictis, Proceſſio hæc ſit ſuper alias omnes ſolemnior, diſtinctior quoque eſſe debet ejus pompa, & apparatus; nam ornatus major oſtendit majorem Rei dignitatem, ut in *cap. Apoſtolica*, *de privil. in* 6.

De Eccleſiæ itaque apparatu, primo dicendum eſt, & intelligi debet de Eccleſia, in qua incipit, & finem habet Proceſſio. Iſte decens ornatus nec aſſignari, nec limitari poteſt, cum ſæpe e facultatibus Eccleſiæ, ſæpius a pietate Fidelium derivari poſſit; ideoque ad menſuram tum proventuum, tum devotionis præſtari poteſt. Hoc

17 ſuper omnia, curandum eſt, ut ubi per ornatum, ſive pompam nequit haberi illa magna ſolemnitas, ſaltem per nitorem, & munditiem habeatur, addo ut Eccleſiæ parietes, qui velis, vel aulæis ornati nequeunt, ſaltem per candorem, & venuſtatem eluceant, nec pulvere, ſive araneis ſordeſcant. Pavimentum vero perpolitum

18 ſit, & floribus, ſeu herbis bene olentibus, hac illac ſeminatum. Qui flores non projiciendi ſunt in ſeriem, nec ſupra dorſum incedentium in Proceſſione, ut decrevit *S. C. Ep. in Callien. Synodo* 20. *Januar.* 1720. re-

19 lat. ab Urſaya. *T.* 5. *p.* 2. *d.* 16. *num.* 71. Altare inſuper, in quo exponenda eſt Sanctiſſima Euchariſtia, majori quo fieri poteſt, ornatu decoratus; nec deſit copia lampadarum, & candelarum, quæ ardeant, & ſint ad minus viginti, juxta allegatam *Inſtructionem*, *Clementis XI. n.* 4.

20 Circa vero vias, per quas eſt tranſeundum, nulla pompa limitatur. Prohibetur unice quæ vana ſit, & ridicula, ſeu profanitatem redolens: ab honeſtate enim Eccleſiæ, & a regula pietatis quæ diſtant, ſemper ſunt evitanda, Urſaya *d. T.* 2. *p.* 2. *d.* 25. *n.* 152. Pro quo ſcandalo evitando, Magiſter Sacrarum Cæremoniarum, in hoc caſu habere debet plures exploratores bene ſibi vi-

21 ſos, qui tamquam ejus delegati, circumire valeant vias, & plateas, per quas cum Proceſſione eſt tranſeundum, & diligenter perpendere, atque oculariter diſquirere omnia, & ſingula ornamenta, aulæa, picturas, ſtatuas, ſpectacula etiam Sacra, & quæcumque expoſita fuerint ad Proceſſionis ornatum: & ſi quid vel profanum, vel indecens, vel minus habens contra Eccleſiæ ritum, reperierint, de eo Magiſtrum Sacrarum Cæremoniarum, illico admonere debeant, qui vel per eoſdem exploratores, vel etiam per familiam armatam Epiſcopi, res indecentes nullo habito reſpectu, nullaque interpoſita ap-

22 pellatione, vel recurſu, immediate removere, & auferre faciat, inhærendo ſemper edictis, & Sanctionibus Synodalibus ab Ordinario factis, & publicatis ſuper hoc per aliquot dies ante Proceſſionem, ut moris eſt.

Quæſtionem, in noſtro caſu ſatis utilem, movet Do-

23 ctiſſimus Antiſtes Fermoſinus, *Tract. II. Criminal. ad tit. de Judæis*, *&c. q.* 1. *n.* 10. & 15. Num ſcilic. Judæi, ſi habitant mixtim inter Domos Chriſtianorum, teneantur ornare ta-

80 petibus feneſtras, & calles cum pertranſit S. Euchariſtia.

Multi Authores ab eodem Doctore congeſti ſub *d. n.* 10. pro negativa ſententia ſtant, præcipue quia cum habeatur ex S. R. C. prohibitio, ut deferatur Sanctiſſima Euchariſtia per loca, & plateas, in quibus habitant Judæi, ex Barboſ. *de pot. Epiſc. p.* 2. *alleg.* 22. *num.* 4. & *de Pot. Parochi*, *cap.* 20. *numer.* 33. *deciſ. Apoſtol. collect.* 405. *num.* 8. & certum ſit, quod in ſpiritualibus, concernentibus favorem Animarum, Judæi non ligantur legibus Canonicis, nec in Sacramentalibus; quia de eorum animabus non curamus, cum & ipſi non curent, *c. gaudeamus*, *de divort.* Thuſc. *l.* 1. *concl.* 368. *n.* 1. & *concl.* 369. *num.* 24. & 27. Farinac., *in fragm. v.* 6. *Judæi*, *num.* 639. atque hinc ſequitur, ut nec ad propoſitum in hac quæſtione poſſint obligari.

Nihilominus multis aliis rationibus, & Doctoribus innixus, exiſtimat, Judæos mixtim inter Domos Chriſtianorum inhabitantes poſſe compelli ad talem ornatum, in tali occaſione, quia, licet ſtatuta, & ordinationes factæ circa ea, quæ cultum Divinum reſpiciunt, non efficiant Iudæos, *l. ſpadonem*, 17. §. *conſtitutiones*, & §. *jam autem*, *ff. de excuſ. tut.* & *l.* 3. §. *fin.* attamen ſi per inobedientiam talis conſtitutionis, videatur Judæos illudere Chriſtianis, hæc inobſervantia impedienda eſt, ne oriatur iſte contemptus, cum Fidelium ſcandalo, *cap. quia*, & *cap. in nonnullis*, §. *diebus*, *tit. de Judæis*, ubi prohibetur Judæis, diebus hebdomadæ Sanctæ, ne in publico compareant, aut feneſtras, vel portas teneant apertas, ſemper loquendo de eorum inhabitatione mixtim cum Chriſtianis, non vero in contuberniis ſolitis ſeparatim, vulgo *Ghetto*; ſeu apud aliquas nationes, *Judeca*.

Dum inſuper conſideranda proponit ad magis firmandam opinionem, & ſententiam ſuam, quod poſſint compelli; nempe illos ornatus eſſe actus exteriores materiales, & non adeſſe intentionem formalem, cum vero intentio iſta non adſit, honorandi Sanctiſſimum Sacramentum, ſequitur, quod neque legi Judæorum contrariam petitus per iſtum coactum ornatum, atque ideo juſſa compellerentur ad faciendum quod nos intendimus, & ad non contraveniendum legi Judaicæ: nemo enim impedit, quin ipſi Judæi, mediante pecunia, hoc opus per interpoſitas Chriſtianorum perſonas exercere poſſint, atque ita penitus caveant a periculo violandi legem Judaicam; dummodo per nos evitetur iſte contemptus, etiam materialis.

Ex quo alia quæſtio erui poteſt, e Fermoſino non excogitata; nempe, an in locis, in quibus Judæi uniti habitant in ſuo *Ghetto* ſeperatim a Chriſtianis, ſi feneſtras habeant, vias Chriſtianorum proſpicientes, per quas tranſire debeat Proceſſio cum SS. Sacramento, poſſint ipſi Judæi compelli ad illas feneſtras ornandas tali tempore. Circa quod dico, in tali caſu non poſſe Judæos compelli, quia enim in ſuo loco, ipſis aſſignato per Principem, inhabitent, non ſubjiciuntur ad ea, quæ extra locum illum fiunt, cum feneſtræ accidentaliter ſe habeant in illarum rerum proſpectu, non vero eſſentialiter, ſed tantum ad lumen recipiendum. Ultroquam quod, inhabitatio Judæorum in tali loco, eſt coacta, non elective, nec ſuſpicari poteſt de contemptu in caſu ſuppoſito, quemadmodum fieri poteſt quando inhabitant domos electivas per Urbes permixtim cum Chriſtianis, in quo caſo ſi ſervitus ornandi vias ab iiſdem ægre fertur, deſerere poſſunt domum, & alibi aliam ſibi providere huic ſervituti non ſubjectam, quod facere nequeunt de Domibus in *Ghetto* ſibi a Principe aſſignatis, quas velint, nolint, commutare non poſſunt quoad circumdarium ipſius *Ghetti*. Aliter ſi compelli poſſent ad ornandas feneſtras, & parietes domus, etiam ſi per ſolas feneſtras reſpicerent vias, per quas tranſitum habet Proceſſio, ad nihilum inſerviret Principum deliberatio, illos in uno tamquam ergaſtulo, concludendi, ſi hoc non obſtante, ſervitutem ſecum ferrent in caſu proceſſionis, ad quam finem (inter alios) præſertim in locis Eccleſiæ Romanæ ſubjectis, inſtituta fuerunt iſta Judæorum contubernia, a Chriſtianorum habitaculis ſeparata. Quam ſervitutem videtur voluiſſe S. R. C. tunc quando in una *Anconit.* 22. *Febr.* 1563. quam refert Barboſa *de Epiſc. p.* 2. *alleg.* 20. *num.* 3. decrevit: *Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum*, *non eſſe deferendum per plateam*, *in qua habitant Judæi*, *ſed per Chriſtianorum ſtratas*. Incumbit itaque iis, qui vias pro hac Proceſſione deſignant, cavere, ne proxime ad *Ghettum* iſtæ viæ ſitæ ſint; quod ſi hoc, ob anguſtiam loci, evitari nequeat, toleranda erit iſta murorum, & feneſtrarum denudatio, dummodo ſemper Judæi in loco deſignato, & non mixtim cum Fidelibus cohabitent. Cum tamen toleranda non ſint Judæi in his, quæ tendunt ad opprobrium illius, qui probra noſtra delevit, Fermoſin. *d. l. n.* 14. *ex cap.* & *ſi Judæos*, *tit. de Judæis*, Riccinll. *de jur. perſ. l.* 2. *c.* 14. *num.* 2. & 3. poſſunt Chriſtiani occurrere, & confuſionem inducere in illos, ornando propriis expenſis parietes, Chriſti Crucis inimicorum.

Pro opinione tamen contra Judæos in hoc caſu ſtat Joſeph Seſſa in ſuo ampliſſimo Tractatu *De Judæis impreſſ. Taurini* 1717. ubi *c.* 32. *n.* 14. cum Tondut. *quæſt. Canonic. c.* 42. & *ſeqq.* reſolvit: Judæos teneri in

Proceſ-

Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti, tapetibus parietes, & feneſtras exteriores domorum ſuarum ornare, rationibus, & cauſſis ibi allegat. Sed præcipue quia cum illa actio ornandi &c. ſit materialis, Judæi non dicuntur ita faciendo, eorum legi contravenire.

Quod ſi extra proprium Receptaculum, ſeu *Ghetta*, Hebræi conducerent aliquas Domos, aut Ædes ad uſum Ædificii alicujus Mercis, exempli gratia, Tabaci, ſive Aquæ Vitis, vel Corii, vel tandem Panni, & cujuſcumque ſimilis negotii, & illæ Ædes pro tali uſu Hebræis tantummodo inſervirent, haberentque Januas, & Feneſtras reſpicientes vias publicas per quas Proceſſio cum SS. Euchariſtia pertranſiret, tunc poſſent ab Ordinario obligari ad ornatum, cum in hoc caſu magnæ deformitatis ſit illa denudatio, nec amplius valeat regula decreti S. R. C. ſuperenunciati, de non tranſeundo per loca ab Infidelibus habitata.

Animadverſione dignus eſt Ritus, quo Vias ornari præcipit, occaſione hujus Proceſſionis, Sacerdotale Brixinen. *diſt. 5. cap. 10 num. 31.* ubi *ad pag. 166.* leguntur hæc: *Ad Proceſſionem Corporis Chriſti paranda ſunt iſta. I. Omnes Viæ, & Plateæ, per quas Venerabile Sacramentum portabitur, ſint mundatæ, & ornatæ arboribus, frondibus, floribus, gramine, aulæis, aliiſque ornamentis. II. In quatuor diſtinctis locis, verſus quatuor Mundi plagas, Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem reſpicientibus, erecta ſint quatuor Altaria ex ligno, cum Baldachinis, ſeu tectis, pulchre ac decenter ornata, ſuper quibus collocari poſſit Monſtrantia* (hoc eſt Oſtenſorium) *dum quatuor Evangeliorum initia cantantur. III. Deputentur principaliores aliquot Viri pro portando Baldachino, ſub quo Sacerdos cum Ven. Sacramento proceſſionaliter ire debet, qui Viri, pro cujuſque facultatibus, pulchre ſint veſtiti, ſintque ſinguli ſertum in capite ex floribus confectum. IV. Inducantur aliquum Puerorum paria ad formam Angelorum, cum ſertis in capite, quorum aliqui canistris deferant folia Roſarum, verſus Ven. Sacramentum quandoque in Proceſſione ſeminanda: alii Cymbala, ſeu Campanulas portent, alii accenſas candelas: alii arma, ſeu myſteria paſſionis Dominicæ. V. Habeatur Thuriferarius cum thuribulo, & alius quidam Puer cum incenſo, ambo ſuperpelliceis induti. VI. Quatuor Diaconi induti Dalmaticis, VII. Aliquot Viri decenter veſtiti cum ſertis Roſarum in capite, qui ab utraque parte baldachini deferant faces, lampades, ſeu candelas accenſas. VIII. Puer indutus ſuperpelliceo, ferens librum Evangeliorum. IX. Inſtitui poſſunt aliquot paria Puerorum, puellarumque, qui decenter veſtiti, & cum ſertis roſeis proceſſionaliter iiant, ut infra. X. Sit Magiſter Cæremoniarum, vel aliquis ejus loco totam Proceſſionem ordinans, & promovens.*

Sequuntur poſtea in aliis Paragraphis: Ordo Proceſſionis; quæ in Proceſſione cantari debeant: quæ ante: quæ poſt: atque ſub Evangeliis cantandis obſervare oporteat: Quid fieri debeat, Proceſſione ad Eccleſiam reverſa: de profanitate arcenda, & de aliis ad talem proceſſionem facientibus: ex quibus Magiſtri Sacrarum Cæremoniarum eo tempore valent quæ utilia, & decora ſunt, inutilia, & indecentia, ſi quæ ſunt, omittendo, ut omni qua decet laude, & decore expediatur illa Proceſſio inter ſolemnes ſolemniſſima.

§. II. Sacerdos primum Miſſam celebret, in qua duas Hoſtias conſecret, & ſumpta una, alteram in tabernaculum in Proceſſione deferendum ita reponat, ut per vitrum, ſeu Cryſtallum, quo ipſum tabernaculum circumſeptum eſſe debet, exterius adorantibus appareat; veloque operiatur, donec auferatur ab Altari. Peracto autem Sacrificio, & Proceſſione jam inchoatâ, ordine, quo jam ſupra dictum eſt in Litaniis majoribus, Sacerdos Pluviali albo indutus, ter incenſet Sacramentum genuflexus.

25 Hoſtia deferenda in Proceſſione non eſt conſecranda pridie, cum quodammodo proceſſio debeat eſſe pars Officii diei, ſeu ſaltem omnino concordare cum Miſſa, pro quo advertendum eſt, ut iſtæ Hoſtiæ ſint æquales,
26 niſi ob anguſtiam Oſtenſorii, opus ſit, ut Hoſtia in illo collocanda, ſit minor; ſed non adeo, & taliter, ut videatur potius Particula; quam ſua manu Celebrans
27 imponet in lunulam, quæ eſt in medio ejuſdem Oſtenſorii intra ſphæram, & cryſtallum utramque.
28 *Tabernaculum*, de quo hic Rubrica loquitur, idem eſt ac *Oſtenſorium*, quod aliter appellatur *Monſtrantia*, *Sphæ-*
29 *ra*, & *Turris*. Antiquitus ad modum cylindricum conſtruebatur, eo pacto, quo hodie etiam Moniales S. Claræ utuntur, & pingitur Imago dictæ Sanctæ Virginis in actu fugandi Saracenos: atque ideo hoc ſignificatur e verbis Rubricæ, ubi ait: *Cryſtallum, quo ipſum Tabernaculum circumſeptum eſſe debet.*
30 Recentior vero ad inſtar Sphæræ ſolet efformari cum ſuis radiis ad ſimilitudinem Solis, vel Stellæ.
31 Hoc (ſaltem in gyro Sacram Hoſtiam recipiente) argenteum eſſe deberet, ſed in Eccleſiis pauperioribus toleratur vel ex ære, vel ex orichalco inaurato. Lunula tamen interior, quæ Hoſtiam in ſe recipit, & firmat, omnino eſſe debet vel ex auro, vel ex argento inaurato, ex Cavallerio *d. tit. 3. numer. 13.* Inſuper Cryſtallus ab utraque parte poſita, debet eſſe nitida, & diaphana, lævigata, & in nulla ſui parte fracta, vel rimata. Tandem Hoſtiam collocare opus eſt ita, & taliter, ut partem adverſam vertat eam deferenti in Oſtenſorio ad hoc ut Imago, vel Crux in ea præſignata videatur a præeuntibus in Proceſſione, quod animadvertere debet Diaconus, dum accepto Oſtenſorio, illud tradit Celebranti genuflexo ad portandum, Gavant. *d. l. num. 4.*

Attamen dum Miſſa perficitur, velari debet Oſtenſorium, in quo ſit Hoſtia, cum Velo Albo, quod præſtari poterit a Velo, quo Calix operitur. Fitque, ut dum 32
reliqua Miſſæ peraguntur, non appareat indebite Sacramentum collocatum extra Baldachinum, & cum Calice vicino, adeo ut nondum primum locum habere poſſit, quemadmodum habere debet in Proceſſione.

Peracta Miſſa, & Calice jam remoto, remanet in medio corporali Oſtenſorium; atque ideo Velum auferri 33
debet, ut Hoſtia Sacroſancta ab omnibus intueatur. Interimque Celebrans, poſito incenſo in thuribulum, genuflexus, ter incenſare debet Sacramentum: Sed quinam
erit iſte Celebrans, qui deferat Sacramentum in hac Pro- 34
ceſſione; Reſpondet cum Clericat. *de Sacr. Euchar. dec. 60. numer. 20. 21.* In prima die ſolemnitatis Corporis Chriſti, ſolemnis Proceſſio in quacumque Eccleſia Cathedrali eſt facienda ab ipſomet Epiſcopo, ſi non ſit impeditus: ſin minus, a prima dignitate, juxta *Cæremonial. Epiſc. p. 2. c. 33.* cui concordat Reſolutio S. R. C. *ſub die 23. Martii 1709.* cui propoſito dubio per Card. Gabriellium: *An SS. Euchariſtiæ Sacramentum in Proceſſione, quæ fit in Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, deferri debeat ab eo, qui Miſſam celebrat?* Reſp. *Affirmative.* Ruſus vero, propoſito dubio: *An idem ſervandum ſit in Proceſſione, quæ fit in die Dominica infra octavam Corporis Chriſti, ſeu potius deferri debeat SS. Sacramentum ab Archipresbytero, in caſu, &c.* Reſp. *Affirmative quoad 1. partem, negative quoad ſecundam.*

In oppidis vero, & aliis locis ruralibus, a Sacerdote digniori illius loci deferri debet, Barboſ. *deciſ. Apoſt. Collect. 335. num. 9. & 10.* Nicol. *in floſc. verb. Euchariſt. numer. 25. & 26.* Pax Jordan. *l. 4. t. 3. num. 9.* Bauldry. *p. 4. cap. 16. art. 3. & 4.* Caſtal. *l. 2. ſect. 10. cap. 2. & 3.*

§. III. Deinde Diaconus oblongum, ac decens Velum circumponit ſcapulis Sacerdotis, qui parte veli ante pectus pendente, utraque manu cooperta, Oſtenſorium, ſeu Tabernaculum a Diacono ſibi porrectum reverenter ſuſcipit, in ſupremo Altaris gradu; mox ad Altare aſcendit, & Sacramentum ante faciem tenens, vertit ſe ad populum: inde deſcendit ſub umbella, comitantibus miniſtris; & duo Acolythi, vel Clerici, cum thuribulis effumantibus præcedunt.

Velum, ſeu humerale iſtud, ſericum eſſe debet, vel auro contextum, juxta vires Eccleſiæ, & acu pictum, ſi fieri poteſt, ob dignitatem rei, cui inſervit. Color, re-
35 golariter oportet, ut ſit albus, ad hoc ut concordet cum ſolemnitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti, cui alba, & candida ſolummodo conveniunt, Gavant. *p. 1. t. 18. litt. g & l*, propter confectionem Chriſmatis, quod Anima- *Commen. ad Rituale.*

rum mundationi inſervit. Inſuper opus eſt, ut ſit oblongum: debet enim extendi ad humeros, & brachia; imo pedem Oſtenſorii involvere debet: quod fit, ut magis commode perſtringi, & teneri poſſit: ultraquam quod hoc Velum habet ſuum myſterium, ut jam diximus in benedictione danda cum SS. Viatico.

Locus, in quo ſiſtere debet Sacerdos genuflexus, dum

accipit a Diacono Oſtenſorium, eſt ſupremus Altaris
36 gradus, prope Predellam, ad hoc, ut dici poſſit vere,
quod Sacerdos ſit ad Altare, nec fiat demiſſio Euchari-
ſtiæ, ſed ſimplex porrectio. Nec obſtat, quod Rubrica
dicat: *Ad Altare aſcendit*, quia vere iſta aſcenſio eſt
ſurrectio, ſeu erectio Sacerdotis, nec aliud ſignificat,
niſi quod Sacerdos accedit propius ad Altare, & ibi
vertit ſe ad Populum, ut ſuo tempore deſcendat, at-
que Proceſſionem ſubſequatur.

Notandum hic, quod dum Sacerdos deſcendit per gra-
dus Altaris, tenens ambabus manibus Oſtenſorium,
prompta debet eſſe Umbella ſupra caput ejus elevanda,
37 priuſquam tranſeat, & ſe ſupponat Baldachino: Rubri-
ca enim apertis litteris loquitur hic de Umbella, non
de Baldachino, quod difficile, & cum magno incommo-
do, necnon cum aliqua deformitate, ad Altare accedere
poteſt, ut Sacerdotem tegat. Igitur Umbella in ſubſi-
dium prompta eſſe debet per totum ſpatium, quod in-
tereſt ab Altare ad Baldachinum, ne Sacramentum abſ-
que honoris tegmine, licet per breve ſpatium deferatur:
nam Baldachini haſtæ ſolent in medio Presbyterio ele-
vari: itaque ab Altare ad Presbyterium Umbella mini-
ſterium ſuum præſtabit.

Hæc Umbella, decet ut ſit ſerica, & Albi coloris,
cum ſuis laciniis, vel ſericis, vel aureis, vel demum ar-
genteis circa eam pendentibus. Color rubeus, quo uten- 38
tur nonnulli, non eſt tolerandus; non enim concordat
cum Paramentis Euchariſtiæ convenientibus, & aſſigna-
tis, Gavant. P. 5. *de Menſuris*, &c. Gavalier. *tit.* 5.
numer. 23. Vocatur etiam *Ubraculum*, & *Apalaneus*, de
quo vide Macri in *Hierolex.*

De Thuribulis fumigantibus, Quartus *d. de Proceſſ.* 39
num. 101. promovet hanc quæſtionem: nempe: An Thu-
riferarii debeant incenſare, vel ſuffumigare pavimentum, 40
ſternendo viam in hac Proceſſione? Et poſt allatas hinc
inde rationes, reſolutionem relinquit arbitrio dirigentium
Proceſſionem: magis tamen favet uſui ſternendi viam
cum thuribulis effumantibus, ratione viarum, quæ ut
plurimum profanæ ſunt. Sed ego dico, prout vidi in
praxi, unum ſine alio fieri non poſſe; dum enim Thu-
riferarius vibrat Euchariſtiæ Incenſationem, ſi Thuri-
bulum retrahere vult, neceſſe eſt, ut alia vibratione in-
cenſetur Via: maxime enim incommodi eſſet, nec recte
pedibus incedere poſſet Thuriferarius ſi facie ad Eucha-
riſtiam converſa, illam incenſare teneretur.

§. IV. Omnes præcedunt nudo capite accenſos cereos geſtantes, & ſequentes Hymnos pro longitudine Proceſſionis devote concinentes. Dum vero Sacerdos diſcedit ab Altari, Clerus, vel Sacerdos cantare incipit ſequentem Hymnum. *Pange &c.*

41 Nulla de Baldachino mentio fit in hac Rubrica, &
tamen non prætereundum eſt, quia Umbella in ſubſi-
42 dium haberi debet, non in uſum, niſi Proceſſio fiat pro
deferendo Sanctiſſimo Viatico; quia in hoc caſu adhibe-
tur tanquam viatorium inſtrumentum, & ſupponit pe-
nuriam miniſtrorum Baldachinum portantium: imo ſi
multi Miniſtri adſint, & iter ſit breve, nec feſtinatio-
ne indigeat, etiam in illo caſu adhibendum eſt Balda-
chinum, ſi adſit, ut dictum fuit *in Tit. de commun.
Infirmi* §. 9.
43 Baldachino igitur, quod originaliter *Sericum textile* ſi-
gnificat, Macr. *Hierolex.* & appellatur quandoque Cono-
pæum, quandoque Umbella, & Mappula ab Innoc. III.
l. 2. *Myſt. Miſſ. c.* 7. quadratum eſſe debet, albi coloris,
cum octo haſtis, vel ad minus quatuor ad ejus angulos,
æquali diſtantia diſtributis, & mobiliter fixis in telario
ſuperiori totam Machinam quadratam componente.

Forma illius omnino decet, ut ſit quadrata, & fixe
Immobilis, non autem plicabilis, & ſine telario, ut in
aliquibus locis adhibetur, quia illa plicabilitas parit de-
formitatem; nec ſemper tenet partem ſuperiorem aper-
tam, & expanſam; unde fit, quod faciliter Sacerdos de-
ferens Euchariſtiam detectus remaneat, & ſub dio.
44 In diſtributione haſtarum hoc adverti debet, ut nobi-
lioribus Viris tradantur portandæ illæ, quæ ſunt in fa-
cie Celebrantis, poſteriores vero minus nobilibus: *Cærem.
Papæ*, *l.* 2. *c.* 14. & *Cærem. Epiſc. l.* 1. *c.* 14. Nobilio-
ribus item inter haſtas pares dentur eæ, quæ ſunt a dex-
tris Celebrantis, dum procedit. Convenit tamen, ut in
45 Proceſſione, de qua modo agimus ab, Eccleſiaſticis cum
pluviale, primo deferantur haſtæ, quod ſi tot Pluvialia
non habeantur, ſufficit, ſi portitores utantur ſuperpelli-
ceis, ſed ſine Stola, *Cærem. Epiſc. l.* 2. *cap.* 25. & 26.
Gavant. *d. l.*
46 Inſuper deferentes Baldachinum advertant, ut gravi
paſſu incedant, ipſum ſemper ſupra Sacramentum, &
Sacerdotem deferentes, Caſtaldus *Prax. l.* 2. *ſect.* 10. *nu-
mer.* 6. ubi ſubdit, quod Celebrans ſub Baldachino in-
cedens cum Miniſtris, qui fimbrias Pluvialis elevatas a
47 lateribus tenebunt (ad onus levandum Sacerdoti, atque
ut expeditius procedat) alternatim cum ipſis recitabit,
48 ſubmiſſa voce Pſalmos, & Hymnos, Clero interim can-
tante, & campanis continuo pulſantibus: quod item re-
49 fert Gavant. *par.* 4. *tit.* 8. *litt. r*, dum ait, quod Ce-
lebrans nunquam cum aliis in Proceſſione Sacramenti
cantat.

Limitatur tamen hæc Regula, quando Proceſſio in
locis extra Urbes fiat, in quibus, ſi Sacerdos ſileret,
aliquando, vel nemo caneret, vel inordinate, & extra
tonum Populus boatus ederet, eo quia vel nullus, vel
pauci cantum Gregorianum, ſeu tonum Hymnorum cal-
lent, atque unice id, quod audiunt, facile repetunt.
50 Nudo capite omnes procedere debent in hac Proceſſio-
ne: non per hoc tamen abſque Birreto Clericali incede-
re convenit Clericis, ſed illud manu candela non impe-
51 dita geſtare debent, nec valendo excuſare poteſt in hoc
caſu juxta *Reſolut. S. R. C.* 3. *Auguſt.* 1695. allegato a Sar-
nellio, *Epiſc. Eccl. T.* 4. 26. *num.* 4. quamvis enim Ponti-
fex reſervatam habeat facultatem concedendi pileolum in
Miſſæ celebratione, ut declaravit *S. C. Epiſc.* 2. *Jan.* 1690.
& 17. *ejuſdem* 1695. & *S.R.C.* 31. *Jan.* & 24. *April.* 1626.
ut refert Gavant. *t.* 1. *p.* 2. *tit.* 2. *num.* 2. & Corſet. *ad-
52 dit. num.* 26. nihilominus ille, cui datur iſta facultas,
non poteſt uti pileolo tam in ſolemni, quam in privata
Miſſa, a Præfatione uſque ad peractam Communionem,

Pyrr. Corrad. *Prax. diſpenſ. lib.* 3. *cap.* 6. *numer.* 31. Polac.
par. 1. *numer.* 13. *in Aphor.* quod & ampliari poteſt ad
tempus præſentis Proceſſionis, quia tam in Miſſa, a Ca-
none ad Communionem, quam in Proceſſione hodierna
patet Sanctiſſima Euchariſtia, cui debetur cultus latriæ,
& ab omnibus diſtinctus. Videantur quæ dicta ſunt *in
Titulo de Communione Infirmorum*, §. 13. *in fine*.

Memorabile eſt, & ad præſentem caſum faciens, e- 53
xemplum Auguſtiſſimi Imperatoris Caroli V. Cæſaris,
quod refert Campius in *Hiſtor. Cremon. l.* 2. & *alii*, qui
ejus geſta ſcripſere: Proſequebatur Auguſtus Auguſtiſſi-
mum Sacramentum proceſſionaliter delatum: cumque Sol
radiis ſatis acutis caput ejus verberaret, adfuit familiaris,
qui Umbellam explicando, & elevando, caput Impera-
toris a nimio æſtu defendere ſtudebat: cui Cæſar illico,
tantam irreverentiam indignatus: Aufer iſtam hinc, ſerio
dixit: Dominum Dominantium ſequor: Sol illi ſervien-
ti non nocet: quam reſponſionem cordi hærentem cupe-
rem tot, tantiſque noſtri ſæculi delicatis Viris, qui
dummodo propriæ commoditati faveant, irreverentias
enormiſſimas committere non erubeſcunt.

Id quod de Pileo, ſive Pileolo, ſeu Birreto dictum
eſt, intelligi debet abſque dubio de comis fictitiis, vul- 54
go *Perrucca*, aut *Cerchietti*; quorum uſus Clericis prohi-
betur ſemper, & multo magis in Sacris functionibus, &
præſertim in hac Proceſſione, non minus quam ad Al-
tare, Clare eſt recens conſtitutio Sanctiſſimi Pontificis
Benedicti Decimitertii, in ejus *Concilio Romano*, *Tit.* 10.
cap. 3. *Quæ Clericorum vitam honeſtent*: ubi per verbum
numquam adhibeant, Clericis prohibetur omnino, &
ſemper uſus capillamentorum, ad mentem edicti jam
prius in Urbe emanati *ſub die* 29. *Decembris* 1724. Ad
ſunt etiam aliæ Conſtitutiones, de quibus fuſe loquitur
Urſaya *T.* 4. *diſcept. Eccl. Verbo Parucha*.

Ab utroque latere Baldachini, præcipit Rubrica, ut 55
ardeant Cerei in manibus adſtantium, eo modo quo o-
mnes, qui in ordine Proceſſionis ſunt, hac die debent
expenſis propriis candelam accenſam deferre. Sed cum 56
illa luminaria facile a Ventorum impetu quandoque
repente ingruentium extingui poſſint irreparabiliter, &
Sanctiſſimum Sacramentum debito cultu privari (cum
ſemper ex jam alibi dictis, ante illud ardere debeat ali-
quod lumen) hinc eſt, quod provide huic ſcandalo
occurſum fuit per laudatum Concilium Romanum,
Tit. 15. *cap.* 7. ubi in ſolemnibus SS. Sacramenti Pro-
ceſſionibus, præter conſueta lumina, quatuor ſemper
accenſas laternas ab aliis nobilioribus circa Celebran-
tem deferri ſancitur; prout etiam in deferendo Viatico 57
dictum fuit, inhærendo Conſtitutioni Innocentii Papæ
XII. §. 5. *num.* 47.

Hymni præſcripti, ut in hac Proceſſione cantentur, 58
quinque ſunt, nempe: *Pange lingua glorioſi, corporis
myſterium*, &c. *Sacris ſolemniis*, &c. *Verbum ſupernum
prodiens*, &c. *Salutis humanæ ſator*, &c. *Æterne Rex
altiſſime*, &c. Quorum tres priores a S. Thoma Aquina-
te Doctore Angelico, una cum toto Officio Corporis
Chriſti editi fuerunt, Gavant. *part.* 4. *tit.* 12. *numer.* 2.
& *tit.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 6. *numer.* 9. Nec eos Urbanus VIII.
Papa emendavit, prout omnes alios anno 1629. ſed in- 59
tactos reliquit, Gavant. *d. l.* Duo vero poſteriores ex-
purgati fuere a falſis ſyllabis in correctione Urbana, an-
no ſupradicto, & Authores diverſos habent.

Advertendum eſt cum Gavant. *p.* 4. *t.* 8. *rub.* 9. *litt. r*; 60
quod quando Proceſſio illa non fit extra Eccleſiam, conve-
nit, ut Clerus ad primos duos verſus, *Tantum ergo Sacramen-
tum*,

tum, *&c.* ex Hymno primo deſumptos, genuflectat converſus ad Sacramentum: Miniſtri tamen genuflectere non debent. Extra vero Eccleſiam, minime prorſus; nam ubi multus eſt Clerus, poſſet alioqui, & male interrumpi Proceſſio. Idem præcipitur in parvo libello italico, inſcripto: *Regole, & iſtruzioni, che ſi devono oſſervare nell' accompagnare il SS. Viatico per ordine della Santità di N. S. Papa Innocenzo XII. publicate dal Cardinal Carpegna l' anno* 1693. ibi *folio* 176. *in fine*, prohibetur iſta genuflexio Cleri, vel Populi in tali Proceſſione, dum per viam, & extra Eccleſiam cantatur Hymnus *Pange lingua*, *&c.* ad hoc ut evitentur varia incommoda.

61 Inutilis quoque eſt, & nihil ſignificans geſtus ille intereſſentium huic Proceſſioni, per quos fit manu ſignum Crucis ad verba illa Hymni, *Sit & Benedictio*, *&c.* nam de Benedictione materiali tunc non eſt ſermo, & illa verba diriguntur ad SS. Trinitatem: Unde eliminandus eſt abuſus Sacerdotum illorum, qui actu benedicunt cum SS. Euchariſtia, dum cantantur ſupradicta verba in Proceſſione, ſeu Benedictione, Sarnell. *Epiſt. Eccl. T.* 7. *ep.* 58. *numer.* 10.

§. V. Peracta Proceſſione, & Sanctiſſimo Sacramento ad Eccleſiam reportato, & ſuper Altare depoſito, omnes Eccleſiaſtici, qui adſunt, hinc inde ordine genuflexi, illud reverenter adorantes, dum Sacerdos de more incenſat, ſequentem Hymni partem concinant.

62 Proceſſionis gyro expleto, omnibus Ordinibus ad eamdem Eccleſiam reverſis *ex Decret. S. R. C.* 1. *Septemb.* 1718. *in Nolana Proceſſionis per Card. Vallemon.* in eaque 63 manentibus ad Benedictionem expectandam, Celebrans ad gradus Altaris ejuſdem, a quo diſceſſerat, ſiſtit, atque ibi Oſtenſorium in manu Diaconi deponit 64 cum debitis reverentiis: Nam Diaconus antequam Sacramentum accipiat, utroque genu flexo illud reverenter adorat. Celebrante interim verſus Diaconum immobiliter ſtante: deinde accepto Oſtenſorio utraque manu, aliquantulum illud elevatum verſus celebrantem tenet, donec ab illo adoretur. Deinde celebrans reddito Oſtenſorio Diacono, utroque genuflexo, ipſum reverenter adorat. Tum Diaconus Altare aſcendens, ipſum in medio ſupra Altare collocabit (ſtrato ibi Corporali) Celebrante interim in grado altaris inferiori, genuflexo. Hæc eſt tota paraphraſis præſentis paragraphi quam affert Caſtald. *Prax. l.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 2. *n.* 8. cui nihil habeo addendum, niſi 65 quod iſte gradus inferior Altaris in quo genuflectere debet Sacerdos incenſans, diverſimode a Scriptoribus intelligitur. Volunt alii, quod ſit gradus primus, alii, quod ſit infimus, Sarnell. *Ep. Eccl. t.* 8. *ep.* 26. Praxis tamen Urbis omnium Rituum Magiſtræ eſt, ut ad infimum gradum deſcendat, & ibi incenſationem faciat.

Interim vero omnes Eccleſiaſtici, & Confraternitates, 66 quæ adſunt (quibus diſcedere non licet, niſi expleta Benedictione) candelis accenſis ſtare debent genuflexi, nec eas extinguere, niſi poſt Benedictionem.

Hoc tempore, facta per Celebrantem incenſatione, ſeu melius dum primo ductu incenſat, vel paulo ante, intonanda eſt ab eo pars Hymni *Tantum ergo Sacramentum*, *&c.* niſi adſint Cantores, & præſertim Chorus 67 Muſicorum, quorum munus eſt in hoc caſu illa verba intonare. Sed abſint quæſo ab hac Sanctiſſima functione 68 Muſici, qui vocis ſtrepitu nimis hilari, & licentioſo, pietatem, & devotionem Populi diſtrahunt, & diſſipant: 69 ultraquam quod tot repetitionibus inutilibus Religionem in incommodum vertunt.

§. VI. Poſtea duo Clerici dicant: ℣. *Panem de cælo.* ℟. *Omne delectamentum*, *&c.* Deinde Sacerdos ſtans dicit: *Oremus*, *&c.*

70 Verſiculus *Panem de cælo*, *&c.* in aliquibus Eccleſiis ſolet intonari a Diacono, & Subdiacono aſſiſtentibus: ſed ſi adſint Muſici, ipſi ſuppleant. Attamen ſi præceptum Rubricæ adimpleri debes, iſte Verſiculus eſt a Clericis intonandus, quemadmodum ſolent plurimi Re71 gulares in hoc caſu obſervantiſſimi; non vero erecti, ſed genuflexi, ut ex Bauldrio notat a Porta. *Append.* 2. *de Venerab. expoſit. n.* 5.

72 Additur *Alleluja* in die ipſamet ſolemnitatis Corporis Chriſti, & per totam ejus Octavam, prout etiam fit tempore Paſchali, & non ultra. Ita definivit *Inſtructio* allegata §. 21. & *S. R. C.* 10. *Januar.* 1705.

73 Quo vero ad Verſiculum *Dominus Vobiſcum*, qui in primis Ritualibus adnotabatur, per multos annos in uſu fuit; ſed *S. R. C.* in eadem Inſtructione allegata *num.* 21. contrarium cenſuit, & prætermitti debere decrevit, 74 fortaſſe, eo quia fruſtra dicitur, quod Dominus ſit cum adſtantibus, ſi de facto adeſt in Sanctiſſimo Sacramento coram illis. De facto, in Miſſa, dum Sacramentum patet oculis Sacerdotis, nuſquam dicitur *Dominus vobiſcum*.

Oratio unica præſcripta a Rituali eſt a Celebrante 75 recitanda, nec ulla alia addenda, nec pro Infirmo, nec in honorem alicujus Sancti, nec pro quacunque neceſſitate, ut notant Sacrarum Cæremoniarum Scriptores, quia unice de SS. Sacramento facienda eſt commemoratio in die ſolemnitatis ſuæ.

§. VII. Tunc Sacerdos, facta genuflexione, cum Sacramento ſemel benedicat Populum in modum Crucis, nihil dicens: poſtea illud reverenter reponat.

76 Sacerdos ſimplex ſemel benedicere debet, ad diſtinctionem Epiſcopi, qui per tres vices facit ſignum Crucis ſuper Populum. Ita *Cæremonial. Epiſcoporum*, & Ca77 ſtald. *lib.* 2. *ſect.* 10. *c.* 3.

Nonnulli, & præcipue Regulares, in Eccleſiis Monialium, in quibus exponitur intra annum SS. Sacramentum, ſolent, expleto Hymno, gradus Altaris aſcendere, Oſtenſorium elevare, & priuſquam populum in exteriori Eccleſia adorantem benedicat, ad illum ſe convertendo, Moniales in interiori Eccleſia exiſtentes, benedicere. Hæc Praxis, a nullo, quod ſciam, Cæremoniarum Sacrarum ſcriptore demonſtratur: Videant ipſi, quo ritu id faciant: certe nulla approbatione id dignum cenſeo, nam cujuſdam diffidentiæ ſignum demonſtrat, ac ſi Benedictio eadem, qua Populus in exteriori Eccleſia degens 78 benedicitur, non ſe extendat ad aliam partem internam ejuſdem Eccleſiæ, & manus Dei ſit abbreviata.

Nihil inſuper dicit Sacerdos benedicendo, quia proprie Sacerdos non eſt qui benedicat, ſed Sacramentum. Dum Sacerdos benedicit cum Euchariſtia, Thuriferarius illam ter incenſat, & hoc facit in puncto illo, in quo Oſtenſorium in medio ſtat, non autem dum Sacerdos illud ducit ad efformanda latera Crucis. Similiter per Clericum, vel alium miniſtrum dari debet ſignum hujus Benedictionis per tintinnabulum illud ter pulſando eodem tempore, quo fit incenſatio, ad hoc ut populus ab Altari diſtans advertat, & adoret humiliori modo quo valet. Quod ſignum omitti non debet abſque gravi ſcandalo, præcipue ubi populus in magna multitudine concurrat, & Templum magnæ ſit vaſtitatis, ob eandem rationem quoque in miſſarum celebratione pulſatur campanula a Clerico dum Hoſtia, & Calix elevatur.

Clarius vero hanc Benedictionem deſcribit, atque ejus formam docet a Porta *d. l. numer.* 6. his verbis, quæ cum ſatis diſtincta loquantur, ſatius duxi ea, prout ſtant, hoc loco tranſcribere: adeſt enim in illis forma Crucis non ita ab omnibus communiter efformata, quæ mihi videtur ſatis digna, ut uſu habeatur. Verba Auctoris 79 ſunt. *Finita Oratione, genuflectit in ſuo loco: accipit ſuper humeros Velum oblongum: accedit ad Altare: flectit utrumque genu, cum profunda capitis inclinatione: ſurgit, vertit Oſtenſorium, ut facies Hoſtiæ populum reſpiciat: & velatis manibus illud accipiens, convertit ſe ad Populum per latus Epiſtolæ, & benedicit hoc ritu: Cum ſtat ante Populum, ambabus manibus Oſtenſorium elevatum* 80 *tenet ante pectus, itaut habeat in ſiniſtra nodum, in dextera pedem. Tum elevat illud decenti mora uſque ad oculos; & eodem modo demittit infra pectus; mox iterum recta attollit uſque ad pectus, & deinde ad ſiniſtrum humerum ducit, reducit ad dexterum; & rurſus ante pectus reducit; ubique ſiſtit aliquantulum. Sic perficitur integra Crux conſtans quatuor brachiis duplicatis, ut conſideranti patebit: tandem gyrum perficiens, reverenter reponit ſuper Altare. Dum benedicit, nihil dicit, nec quidquam cantatur; ſed ad ſummum Organa pulſantur ſono gravi, & ſuavi.* Iſta exactiſſima Ritus deſcriptio deſumpta eſt, & compacta a pluribus Authoribus, nempe, Bauldrio, Tonellio, Gavanto, Caſtaldo, & Cæremoniali Epiſcoporum, aliiſque, qui ſejunctim cuncta ſuper allegata ſcribunt, quæ ab hoc Authore exponuntur.

Per illa verba: *reverenter reponit*, conſiderandum venit, quod, depoſito Oſtenſorio, ſtatim celebrans utro que genu flectit, & cum conſueta inclinatione, *ibid.* Cætera poſt depoſitionem apud eundem Authorem vide ibi *n.* 7.

§. VIII. Hic autem modus benedicendi ſervatur etiam in aliis Proceſſionibus faciendis cum Sanctiſſimo Sacramento.

81 Mutatis mutandis, limitatiſque limitandis juxta qualitatem Celebrantis, & occaſionis hujus Proceſſionis, Benedictioniſque, ſervatur idem Ritus quoad omnia eſſentialia; nam idem eſt Sacramentum, idem Dominus, atque ideo eadem Religio, & idem cultus debetur rei tam Sacroſanctæ.

Unice datur diverſitas occaſionum hujuſmodi Proceſſionis faciendæ ad præſcriptum ſemper Ordinarii, qui, ut jam dictum fuit, unice Proceſſiones publicas indicere poteſt. Adeſt tempus totius Octavæ Corporis Chriſti; adeſt expoſitio per quadraginta horas, necnon ſolita Proceſſio cujuslibet Primæ, vel tertiæ Dominicæ pro quolibet Menſe ad lucrandas Indulgentias a ſummis Pontificibus Societati Sanctiſſimi Sacramenti elargitas. In iſtis caſibus minoris ſolemnitatis, nonnulla imminui poſſunt, quoad exte-
82 riorem pompam; ſed Ritus principalis, quacumque occaſione, & quocumque tempore ſervandus eſt, eo quia, ut diximus, idem eſt Dominus, ubique pari cultu colendus. In die tamen ſpecialiter ab Eccleſia determinato, prout ille eſt ſolemnitatis Corporis Chriſti, nulla menſura eſt præfigenda Pompæ, & Apparatui, quoniam pro die titulari habetur, Gavant. *p. 1. t. 8. n. 3. litt. x*, in quo fit, ut ſi, vel ob negligentiam, vel inadvertentiam, cæteris anni diebus, qui minus reverenter ſe geſſerit in veneratione tanti Sacramenti, in hac celebritate ſuos defectus corrigat, & reſtauret, Quart. *de Proceſs. punct. 11. num. 100. §. Tandem*.

Ad haec animorum commotionem ſuſcitandam inſerviunt Templa magnificentiſſime reſplendentia: Sacerdotes ſacratioribus Veſtibus induti: Muſicorum Chori, laudes Chriſto canentes: Turres perſonantes; Viæ Floribus ridentes; Parietes Picturis lætantes, & ſericis, pretioſiſque paramentis feſtantes. Inſuper ſolemnitatis magnæ indicium ſunt Viæ illæ obumbratæ, per quas, tali die duci ſolet Proceſſio, quod in aliis Proceſſionibus infra Annum, fieri non ſolet. Hæc omnia magnificantiam demonſtrant, & granditatem ſolemnitatis. 83

DE PROCESSIONE AD PETENDAM PLUVIAM,

TITULUS OCTUAGESIMUS PRIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Pluviæ denegatio grandis anguſtia eſt.*
2 *Pluvia prohibita, multa oriuntur mala.*
3 *Proceſſio hæc eſt pœnitentialis.*
4 *Paramenta debent eſſe violacea.*
5 *Origo hujus Proceſſionis.*
6 *Litaniæ majores cantandæ,*
7 *Deprecatio*: Ut congruentem pluviam, &c. *duplicanda.*
8 *Congruentia quid ſignificet?*
9 *Pſalmi 146. ſignificatio.*
10 *Verſiculi, & Orationes a quo loco deſumpta.*

REBUS omnibus in hoc Orbe degentibus grandis anguſtia eſt, ſi Deus Cælum claudat, & pluviam deneget, prout minatus fuit David Montibus Gelboe: *Nec Ros, nec Pluviæ veniant ſuper vos*, 2. Reg. 1. 21. Nam prohibita a Deo pluvia, plurima Hominibus 1
oriuntur mala enumerata a Quart. *de Proceſs. punct.* 2
18. num. 131. Ideo nonniſi ad Deum recurrendum eſt, ut aperiat theſaurum ſuum, & tribuat nobis pluviam, *Deut. 28.*

Pœnitentialis igitur eſt hæc Proceſſio, atque ideo in 3
Paramentis Violaceis eſt facienda quoad exteriorem apparatum, & tota cordis compunctione quoad interiorem 4

Ejus origo incerta eſt, ſed antiqua ſatis in Eccleſia, 5
unde S. Auguſt. *Serm. 12. de temp.* ait: *Oratio Juſti clavis eſt Cæli: aſcendit ad Cælum precatio, & deſcendit miſeratio. Rurſum Elias oravit, & Cælum dedit Pluviam.*

§. I. Aguntur omnia, ut ſupra in Litaniis majoribus, uſque ad finem Litaniarum in quarum precibus bis dicitur: *Ut congruentem pluviam, &c.*

6 Cum Litaniæ majores, ut ibi dictum fuit, pro publica pœnitentia inſtitutæ fuerint, hinc ad omnes actus pœnitentiales illas inſervire decrevit Eccleſia. Hic agitur de aperiendis Cælis, ob noſtra Peccata clauſis, ergo pœnitentia, & Oratio agenda eſt, ut Deus ſolvat Aquam, quam alligavit in nubibus, Job. *cap. 26.*

7 Deprecatio: *Ut congruentem pluviam, &c.* Duplicatur, quia in hac Proceſſione, de hac re ſpecialiter agitur, & propterea illam Fideles præcipue poſcunt: ita pariter in aliis publicis neceſſitatibus fit: duplicantur Verſiculi ad rem præſentem inſtituti, ut in Litaniis Beatæ Mariæ Virginis, quando defertur Viaticum ad Infirmos, duplicatur *Salus Infirmorum*. Quia de Fideli Infirmo agitur ſpecialiter: *Inſtructio Innocent. XII.*

Nota hic verbum illud *congruentem*, quod ſignificat 8
ſufficientem, & ad tempus, non vero ſuperabundantem: alias poſtulatio eſſet nocumenti impetrativa: æqualiter enim nocet nimia abundantia, ac nimia Pluviæ penuria.

§. II. In fine poſtea dicitur, *Pater noſter, &c.* ſecreto ℣. *Et ne nos, &c.* ℟. *Sed libera nos, &c.* Pſalm. 146. *Laudate Dominum, quoniam bonus eſt Pſalmus, &c.*

Completis Precibus poſt Litanias Majores, & omnibus recitatis Orationibus, quæ ad Bonum univerſale Fidelium reſpiciunt, deveniendum eſt ad Bonum particulare, quod petimus in præſenti neceſſitate: propterea 9
cantatur *Pſalmus* 146. qui juxta Bellarmin. eſt exhortatio ad laudandum Deum ob ejus Beneficientiam, de qua fit mentio in Verſiculo: *Qui operit Cælum nubibus, & parat terræ pluviam* ad hanc neceſſitatem accommodato.

§. III. Quo finito, dicuntur Preces. ℣. *Operi Domine, &c.*

10 Iſti Verſiculi deſumpti ſunt a variis, diverſiſque locis Sac. Script. ubi de præſenti neceſſitate ſermo habetur. Orationes, ex Miſſali Romano ſunt, & præcipue ſecunda ex Dom. Sexageſ. paucis mutatis.

PROCESSIO
AD
POSTULANDAM SERENITATEM,
TITULUS OCTUAGESIMUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

1 *Flagellum Pluviæ eſt horrendum.*
2 *Quare, & qua occaſione fiat hæc Proceſſio.*
3 *Reponitur inter ſupplicationes ad inſtar Rogationum.*
4 *Verſiculus:* Ut fidelibus tuis aeris ſerenitatem concedere digneris, *repetitur.*
5 *Orationes unde deſumptæ?*
6 *Preces, quibus reſpondetur;* Te rogamus &c. *vocantur obſecrationes.*
7 *Pſalmi 66. ſignificatio.*
8 *Verſiculi unde deſumpti?*
9 *Exemplum deſumptum ex Archivio Capitulari Ferrariæ.*
10 *Advertenda a Magiſtro Cæremoniarum in hac Proceſſione, ſi pluvia ingrueret, & fieret extra Eccleſiam.*

QUEMADMODUM congruæ Pluviæ donum Univerſam Terram lætitia implet; ita inceſſantis Pluviæ flagellum Univerſi faciem obumbrat horrore: & propterea ſicuti ad impetrandam primam, habetur ad Deum recurſus, ita ad compeſcendam aliam, ad eumdem, qui omnium Bonorum dator eſt, fieri debet acceſſus per publicas Preces, & Orationes. 1

Sancta Mater Eccleſia itaque inſtituit hanc Proceſſionem de more aliarum Pœnitentialium faciendam, ut hoc pacto Fideles iram Dei averterent, & aeris ſerenitatem impetrerent. 2

De ejus antiquitate, & origine nihil conſtat, Quart. eam non exponit in ſuo *Tr. de Proceſſ.* Caſtald. vero eam reponit inter ſupplicationes ad inſtar Rogationum, *l. 2. ſect. 10. c. 7. n. 7.* 3

§. I. Omnia fiunt ut ſupra in Litaniis majoribus. Et in Litaniarum Precibus bis dicatur: *Ut Fidelibus tuis Aeris ſerenitatem, &c.*

4 Repetitur Verſiculus, ſeu obſecratio, *Ut Fidelibus tuis, &c.* eo quia illa eſt ratio præcipua, propter quam fit Proceſſio: Preces enim repetendæ ſunt juxta illud Evangelii: *Petite, & iterum petite.*

§. II. Ad finem obſecrationum dicitur *Pater noſter, &c. Et ne nos, &c.* Pſalmus 66.

5 Preces, quibus reſpondetur per *Te rogamus audi nos,* vocantur *obſecrationes,* quia in illis, quaſi per Sacra, ſemper rogamus Deum. Pſalmus eſt ſexageſimus ſextus,
6 in quo imploratur divina Miſericordia, confitetur divina Bonitas, & juſta peccatorum noſtrorum punitio. Per illud: *Terra dedit fructum ſuum:* aliquo modo innuitur, ut ceſſata pluvia, terra germinet, & fructus conſuetos producat.

7 Verſiculi, ſeu Preces in fine poſitæ, ex Sacra Scriptura deſumptæ ſunt, & præſertim ex Geneſi, ubi de Diluvio univerſali ſermo fit.

8 Orationes ex Miſſali Romano tranſcriptæ ſunt. Prima vero eſt inter Preces poſt Pſalmos Pœnitentiales.

9 In antiquiſſimo Codice Rogationum nuncupato, ex Archivio Capitulari Ferrariæ, in qua Civitate, ob Pluviarum abundantiam, ſæpe occurrit ratio hujuſmodi Proceſſionis indicendæ, ne ex illis intumeſcant flumina, quæ Arva non minus, quam Civitatem obruant, habemus verum exemplar ritus, & orationum adhibitarum hac occaſione, inter quas notabilior illa eſt, quam Epiſcopus ſupra Pontem ſiſtens (fortaſſe Caſtri Thabaldi) recitabat, cujus tenor eſt:

Domine Deus Omnipotens, qui me Servum tuum huic Populo Paſtorem elegiſti, exaudi me Domine, exaudi, qui Mare Rubrum diviſiſti, qui Jordanis fluenta ſiccaſti: cui impoſſibile nihil eſt: impera huic flumini, ut oppreſſionem Populo tuo nullatenus faciat, & libera eos in manu potentiæ tuæ, qui ſe defendere non poſſunt ſuis virtutibus, &c.

Hæc Orationis Formula clare demonſtrat, Epiſcopos ſolitos fuiſſe huic Proceſſioni intereſſe perſonaliter, tunc præcipue, cum de fluminum intumeſcentia compeſcenda tractatur, quæ Oratio ex Codicis ſui antiquitate præſumenda venit, a B. Joanne de Tuſſignano Ferrariæ Epiſcopo compoſita, tunc quando illud mirabile operatus eſt, quod cum ſibi nunciatum foret, Padum prope muros Ferrariæ percurrentem, alveum ſuum egreſſum, Civitatem, & agros Civium, & Eccleſiæ occupare, accerſito ſibi Sacerdote, Præceptum hujuſmodi illi dictavit in ſcriptis: *In nomine Jeſu Chriſti, præcipio tibi, o flumen, ut in locum tuum redeas, hæc loca deinceps invadere non præſumas.* Sacerdos vero irridens, neequi mandatum contempſit de chartula cum præcepto in flumine projicienda: ex quo factum fuit, ut ipſemet Sanctus Antiſtes ardenter, & maxima cum fiducia, perſonaliter ad ripam inimici fluminis, in dicta Proceſſione, cum toto Clero ſe contulerit, atque ibi elevatis oculis in Cælum, verba Præcepti imperioſe proferens, chartulam in flumine projecerit, ſigno Crucis efformato. Quo facto, illico, & in inſtanti, toto adſtante Clero, & Populo, Padus in priſtinum alveum ſe recepit, omnium admiratione, & compunctione. Accidit hoc circa Annum 1440. *Ex Actis ejuſdem Beati typis impreſſis anno 1522. Scriptis vero anno 1448. a Joanne Peregrino Ord. Jeſuat. & ex M. S. in Archivio S. Hieron. Ferrariæ; necnon ex Morigia Paradiſ. Jeſuat. Lib. III. Cap. XI.*

Non diſſimile portentoſum opus de S. Sabino Placentiæ Epiſcopo, qui florebat anno 380. narrat S. Gregorius Papa *Dialog. l. 3. cap. 10.* & Philippus Ferrarius *in Catal. Sanctor. Ital. ſub die 17. Januarii.* Ex quibus illud erui poteſt, quod in hujuſmodi publicis neceſſitatibus, maximi momenti eſt Antiſtitis, & Summi Sacerdotis præſentia, & authoritas; ipſi enim ea vi ordinis, & poteſtatis ſibi traditæ, ut plurimum præſtare valent, id, quod præſtari nequit a ſimplici Clero, & Populo. Sed ad Proceſſionem pro poſtulanda ſerenitate aeris redeamus.

Advertendum eſt in hac Proceſſione facienda, quod cum plerumque fiat pluvio tempore, prudentis Magiſtri Sacrarum Cæremoniarum erit onus aſſignandi viam breve, & commodiorem, porticibus ornatam, ſi fieri poſſit, per quam ducenda ſit Proceſſio, ob grave incommodum intereſſentium, ſi Aqua madefiant. In hoc caſu Pileum afferre paratum pro ſe defendendo a pluvia, non dedecere, nec improprium judicarem. Inſuper commoneri poſſunt habitantes in illis Viis, ut Portas Domorum ſuarum apertas teneant, pateatque ingreſſus, in caſu præcipitis pluviæ, ſintque atria Domorum ipſarum ſi non ornata, ſaltem perpolita. 10

Eoque magis erit breve iter aſſignandum, ſi Reliquiæ Sanctorum proceſſionaliter afferantur, ad effugiendum periculum illas detorpandi. Quod ſi probabiliter imber immineat, non erit ab Eccleſia exeundum: Si vero dum Proceſſio jam inita ſit, repente imber ruat, Reliquiæ arrnet vel in aliqua Eccleſia, vel Domo, vel Porticu ſubtrahendæ a pluvia, donec imber tranſeat, quemadmodum evenit hic Ferrariæ anno 1710. in ſimili Proceſſione, quando in Domo Comitum de Pachienis in via Judecæ, ſe receperunt Reliquiæ SS. Martyrum Georgii, & Maurelii noſtræ Urbis Patronorum; adſtantibus cum toto Clero, Eminentiſſimis Cardinalibus, Ruffo Legato, & de Verme Epiſcopo, necnon Judice, & toto Sapientum Magiſtratu, qui ad dictam Domum confugera, donec imber pertranſiret. Sed hic fuit poſtremus Aquarum conatus in illa inundantia; nam illico poſt tonitrua, & fulgura, ſerena facie Cælum apparuit, ut nos Ferrarienſes in quaſi poſſeſſione manuteneret, hujuſmodi prodigia videndi in inſtanti, ſeu pluviæ impetrandæ, ſeu compeſcendæ, ſi deducantur per vias eorumdem Sanctorum Patronorum Reliquiæ: adeo ut, inveteratum, & commune Adagium ſit, Ferrarienſes ita Sanctos Patronos ſuos habere benevolos, ut precibus populi ſui quodammodo parere videantur.

PRE-

P R Æ C E S
A D
REPELLENDAS TEMPESTATES,
TITULUS OCTUAGESIMUS TERTIUS.

S U M M A R I U M.

1 *Tempore Verno, & Æſtivo oriuntur Tempeſtates.*
2 *Parochus circa hoc invigilare debet.*
3 *Poteſtas Sacerdotalis contra Diabolos, magna.*
4 *Dæmones ſuſcitant Tempeſtates in aere.*
5 *Sacerdos non omnes conjurationes adhibere debet.*
6 *Conjurationes aliquæ ab Eccleſia prohibitæ.*
7 *Conjurationes veræ in Rituali Romano inſertæ ſunt.*
8 *Etiam in Breviario Fratrum Ord. Prædicatorum.*
9 *Conjurationes facienda ad Portam Eccleſiæ.*
10 *Veſtes Sacerdotis in actu conjurationum.*
11 *Campanæ pulſantur inſurgente Tempeſtate.*
12 *Rationes nonnulla philoſophica.*
13 *Campanæ valent virtute Benedictionis ad fugandas Tempeſtates.*
14 *Litaniæ recitandæ ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti.*
15 *Conjurationes vehementi animo recitandæ.*
16 *Pſalmi 147. ſignificatio, & virtutes.*
17 *Orationes ſunt Pœnitentiales.*
18 *Aqua benedicta valet ad fugandas tempeſtates.*
19 *Si tempeſtas perſeveret, repetenda ſunt preces, & conjurationes.*

1
CUM tempore præſertim Verno, & Æſtivo, poſſit
ſubito oriri magna in aere tempeſtas, quæ & ful-
2 gurum fragore, & grandinum flagello Urbes, Domos,
& Agros depopuletur, provida Parochi cura erit, tunc
temporis, Eccleſiam ſuam non deſerere, ſed ſaltem opti-
mi Sacerdotis Miniſterio committere, ut quandocumque
occurrat, Precibus, Orationibus, Exorciſmis, & Bene- 3
dictionibus, Tempeſtates imminentes arcere valeat: ma-
gna enim eſt poteſtas Sacerdotalis contra Diabolicas po- 4
teſtates, e quibus quandoque excitantur turbines, &
tempeſtates in aere. Propterea Sancta Mater Eccleſia in-
ſtituit nonnullas preces tunc temporis a Sacerdotibus, &
Fidelibus alternative dicendas, ut ab illis commotus,
dignetur Deus Omnipotens flagella iræ ſuæ avertere. 5
Advertendum tamen eſt, non omnes conjurationes in-
gruente Tempeſtate, eſſe a Sacerdote adhibendas, ſed
tantum illas, quas S. Rit. Congr. approbavit, atque in
corpore Ritualis Romani immiſit, non vero in fine il- 6
lius, prout illæ ſunt, quæ collectæ fuerunt a Petro Lo-
catello, quas particulari Decreto damnavit, & a Rituali 7
expungendas decrevit, uſque a die 4. Decembris 1725.
Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIII. utpote quæ nulla
S. R. Congregationis approbatione vallatæ. Unice tan-
tum, præter illos a Rituali approbatos, permittitur qui-
dam exorciſmus contra imminentes tempeſtates, fulgura, 8
& grandines, litteraliter excerptus ex Breviario Fratrum
Sacri Ordinis Prædicatorum, & ſeparatim typis editus,
poſt enunciatum decretum.
Locus, in quo faciendæ ſunt iſtæ Conjurationes, &
habendæ iſtæ Preces, eſſe ſolet Porta major Eccleſiæ, vel 9
alia, ſi adſit, per quam intueri poſſit inſurgens nubilo-
ſa Tempeſtas, ad quam, faciem ſuam convertere debet 10
Sacerdos ſuperpelliceo, & Stola Violacea indutus de mo-
re, ut alias diximus in rebus pœnitentialibus.

§. I. Pulſantur Campanæ, & qui adeſſe poſſunt, in Eccleſiam convocatis, dicuntur Litaniæ ordinariæ, in quibus bis dicitur: *A fulgure & tempeſtate*, & poſt Litanias, & Orationem Dominicam, Pſalm. 147.

De ritu eſt, ut in caſu imminentis Tempeſtatis pul-
11 ſentur Campanæ, quæ ratione benedictionis illis elargi-
tæ, virtutem habent profligandi Dæmones: cum enim
ſint Tubæ Regis ſuperni, Dæmones earum ſonum ti-
ment. *Concil. Colon.* allegat. a Quart. *de Bened.* n. 178. &
ea del Rio *diſquiſ. Magic. l. 6. c. 3.* Hac eadem ratione
valent ad ſedandas tempeſtates, & ad repellendas gran-
dines, & procellam turbinum, quando a Diabolis exci-
tantur, qui dicuntur Spiritus Procellarum, *in Pſal.* 148.
Verum nonnulli Authores, & præſertim Philoſophi,
hunc effectum ſedandi Tempeſtates per Campanarum ſo-
12 num naturali rationi tribuere ſtudent. Renatus des Char-
tes, *in Specim. Philoſ. Meteor. cap. 7. n.* 12. hæc ait:
Non ſine ratione vulgo creditur, vehementes ſonitus, qua-
les Campanarum, aut Bombardarum fulminis vim infrin-
13 *gere, & vim tempeſtatum minui; nam concutiendo ni-*
vem, ex qua nubes inferior conſtat, illam ad deſcenſum in-
vitat, & diſcutit. Ut ii ſatis ſciunt, qui in Vallibus,
ubi moles Nivium a Montibus cadentium timentur, iter
facere ſunt aſſueti: nam ibi nequidem loqui, aut tuſſire
audent, ne ſonus vocis nives commoveat.
Pariter Edmundus Purchotius, *Inſtit. Philoſ. T. 3.*
ſect. 3. c. 4. de Fulmine, Tonitru, &c. §. 6. De ratione
cur Turres Campanarum frequenter a fulminibus percu-
tiantur, ita loquitur: *Cum nubes in terras ruunt, ſi*
corpus aliquod excelſum ſubjicietur, ut prærupta Rupes,
vel Turris præalta, tum nubes in diverſas partes, iſtius
corporis occurſu diſtracta, in eo loco dehiſcit, & quaſi ful-
mini viam aperit. Hinc excelſa quæque ſæpius fulmine fe-
riuntur, quam depreſſiora. Idem accidit ubi pulſantur Cam-
panæ. Si earum ſonus, quem ex aeris fremitu, ac partium
ſucceſſu poſitum diximus, fortior ſit ac validior, Nubem in
ea parte, qua Turri, ſeu Campanili imminet, non medio-
criter exagitat; unde nubes eo loci attenuata ſæpius perrum-
pitur, facilioremque fulmini præbet tranſitum, ut in Cam-
panile irruat, magno eorum periculo, qui pulſandis Campanis
dant operam: Ideoque utilis eſt ſonus campanarum ad ar-
cendam Nubem priuſquam acceſſerit: ſed ubi jam Cam-
panili incumbit, non ſine periculo pulſantur Æra Campana.
Alii etiam Authores hujus opinionis ſunt, quos omnes
notat del Rio ſupra allegatus: ſed cum pieta-
tem Chriſtianam omnino deſtruant iſtæ philoſophicæ o-
piniones, & intentionem pervertant ab Eccleſia habitam
in Benedictione Campanarum, nihil a Fidelibus ample-
xandæ ſunt, imo omnino erroneæ veniunt declarandæ:
alioquin ſi hoc naturaliter dari poſſet, fruſtranea eſſent,
& illuſoria Verba illa (quod penitus abſit) quæ in 14
Campanarum benedictione ita ſonant: *Ut cum melodia*
Campanarum auribus inſonuerit populorum, creſcat in eis
devotio Fidei; procul pellantur inſidiæ inimicorum, fragor
grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum, &c.
Quod ſi vera, & infallibilis eſſet allata a Philoſophis
Doctrina, & communis; nemo in caſu ingruentis tem-
peſtatis, auderet accedere ad Turres, & ibi pulſare Cam-
panas, ob naturale periculum fulgurum tam facile im-
minentium.
Congregato Populo in Eccleſia, Litaniæ recitandæ
erunt ad Altare SS. Sacramenti, in quibus Verſiculus,
ſeu deprecatio illa erit iteranda, quæ e Rituali aſſigna-
tus, ſecundum indigentiam præſentem.
His expletis, & recitata Oratione Dominicali, ad
Portam devenire debet Sacerdos, & in conſpectu immi-
nentis tempeſtatis, atque ibi concitato animo, recitare,
vehementi voce, Pſalmum *Lauda Jeruſalem, &c.* 147. 15
in quo mentio fit Benedictionis, Adipis, Frumenti, 16
Nivis, Nebulæ, Frigoris, Aquæ, & aliarum rerum rei
congruentium. Præterea iſte Pſalmus excitat Fideles ad
Deum laudandum ob multa beneficia, Bellarm. *in*
Pſ. 147.
Orationes præſcriptæ ſunt Pœnitentiales, & in tertia 17
earum ad ſignum ✠ Crucis, Sacerdos manu, vel Sacra
Reliquia benedicit aerem.
Inſuper Aquam Benedictam adhibet, quia inter vir- 18
tutes Aquæ benedictæ illa enumeratur, fugandi tempe-
ſtates, & procellas, ut jam diximus: & ſi adhuc tem-
pus procelloſum perſeveret, poterunt ſupradictæ Preces,
& Orationes pluries repeti, donec procella evane- 19
ſcat.

P R E C E S
D I C E N D Æ
TEMPORE PENURIÆ, ET FAMIS.
TITULUS OCTUAGESIMUS QUARTUS.

S U M M A R I U M.

1 *Præter Conſtitutiones Boni Regiminis, adſunt Preces pro reparanda penuria.*
2 *In Veteri Teſtamento habitæ ſunt ſupplicationes diverſæ, & memorabiles in hoc eodem caſu.*
3 *Litaniæ majores recitandæ ſunt.*
4 *Repetitur Verſiculus:* Ut fructus Terræ, &c.
5 *Orationes recitandæ, ſunt Pœnitentiales.*
6 *Pſalmi 22. ſignificationes, & explicationes.*

1 PRÆTER Boni Regiminis Conſtitutiones, quæ in quacumque bene ordinata Republica fanciri debent, pro reparandis damnis tempore penuriæ, & famis, illud quoque, in primis quærendum eſt, ut Dei auxilium imploretur.

Plures non tam in una Provincia, ſed & in toto Orbe, magna penuria, & fames oborta eſt; legimus in Ve- 2
teri Teſtamento habitas fuiſſe ob hoc publicas Deo ſupplicationes, ut ſatis liquet ex *Geneſ. c.* 12. 26. 41. *Exod.* 16. atque ex aliis locis, in quibus de famis, & Annonæ caritate ſermo eſt, quam & in novo Teſtamento Joannes in ſpiritu vidit, tunc quando Equus pallidus apparuit illi, & qui ſedebat ſuper eum nomen illi Mors: cui data eſt poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficiendi gladio, fame, & morte, &c. *Apoc.* 6. 8. Ideo antiquas ſupplicationes renovavit Eccleſia Dei modo quo infra.

§. I. Aguntur omnia, ut ſupra, in Litaniis majoribus, uſque ad finem Litaniarum, in quarum Precibus bis dicitur: *Ut fructus Terræ, &c.*

Litaniæ Sanctorum, prout alias diximus, inſtitutæ
3 fuerunt ad implorandam divinam opem in calamitatibus, per interceſſionem Sanctorum. Ut vero ſpecifice innoteſcat ratio impellens, & movens harum ſupplicationum, bis recitatur obſecratio: *Ut fructus Terræ, &c.* ad
4 hoc ut divina Miſericordia dignetur nobis tradere fructus Terræ, per quorum penuriam facta eſt univerſalis calamitas.

Orationes in iſtis Precibus recitandæ ſunt pariter Pœ-
5 nitentiales, & partim deſumptæ ex Miſſali Romano, partim ab Eccleſia de novo compoſitæ.

6 Pſalmus, qui præſcribitur recitandus, eſt vigeſimus ſecundus, in quo per verba illa: *nihil mihi deerit, &c.* explicatur infinita Dei Bonitas, ac ſi diceretur: *ſi eſuriero, non deerit mihi Panis, &c.* Bellarmin. *Pſalm.* 22. *num.* 1.

Fructus hujus ſupplicationis non tantum ille eſt, ut Terra germinet fructus ſuos, ſed etiam, ut qui abundant panibus, illos indigentibus tradant; quod præcepit Apoſtolus ad Timotheum ſcribens, 1. 6. 17. *Divitibus hujus ſæculi præcipe bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, &c.*

P R O C E S S I O
TEMPORE MORTALITATIS, ET PESTIS.
TITULUS OCTUAGESIMUS QUINTUS.

S U M M A R I U M.

1 *Peſtis eſt lues omnium teterrima.*
2 *David illam elegit.*
3 *Recurſus haberi debet ad Deum.*
4 *Humana remedia deſeri non debent.*
5 *Ad hunc finem Proceſſiones inſtitutæ.*
6 *Peſtis invadere poteſt etiam Beſtias Terræ.*
7 *Proceſſiones an fieri poſſint tempore peſtis?*
8 *Opinio probabilior negativa.*
9 *Niſi commode ſervari poſſint nonnullæ circumſtantiæ.*
10 *Circumſtantiæ ſervandæ in hac Proceſſione.*
11 *Melius eſt, ut quiſque oret in cubiculo ſuo.*
12 *In caſu mortalitatis Beſtiarum fieri poteſt Proceſſio.*
13 *Verſiculus* A Peſte, Fame, & Bello *bis recitandus.*
14 *Pſalmi ſexti myſteria & ſignificationes.*
15 *Orationes omnes Pœnitentiales ſunt.*
16 *Quare in iſtis Orationibus fiat commemoratio S. Sebaſtiani M.*
17 *Sanctus Sebaſtianus Protector Tempore Peſtis.*
18 *S. Rochus Confeſſor implorandus eſt tempore Peſtis.*
19 *Quare de S. Rocho fiat mentio.*

OMNIUM teterrimam luem Peſtem eſſe nemo eſt,
1 qui ambiget: illam expetivit David inter mala,
2 quibus decreverat Deus punire ſcelere ipſius Regis, & Populi, nempe vel Fame, vel Bello, vel Peſte, dicens: *Melius eſt, ut incidam in manus Domini, quam in manus Hominum.* Propterea hoc vere eſſe flagellum, ſeu gladium Dei omnes conſentiunt, & ob hoc, ad Deum
3 immediate, & principaliter recurrendum eſſe, omnium Fidelium ſententia eſt, ſi qua Urbs, vel Provincia, vel Natio, vel Populus ab hac lue infeſtari cœperit. Iſte recurſus haberi debet per pœnitentias, & ſupplicationes, non relictis tamen humanis Remediis, quæ Deus ad hoc crea-
4 vit, & in manibus hominum repoſuit: Sed cum Remediorum facultas, & virtus habeatur tantummodo a Deo, neceſſe eſt, ut ante omnia, Divina imploretur gratia, & miſericordia, Zacchias *quæſt. Med. leg. lib.* 2. *tom.* 1. *q.* 20.

Ad hunc finem Pia Mater Eccleſia publicas Proceſ-
5 ſiones inſtituit, cum Precibus recitandis, quibus avertatur Peſtis, & Hominum mortalitas.

Sed cum non in Homines tantummodo inſævire poſſit 6
flagellum iſtud, quia & alia Animalia, & Bruta fœdat, & diſperdat; hinc eſt, ut etiam pro avertenda Peſte Animalium, & eorum mortalitate (quæ item Dei flagellum quoque eſt, nam dilapidatis Beſtiis Terræ, homo ad ſui ſuſtentationem non valet) Preces inſtitutæ ab Eccleſia fuerint.

Quo vero ad Proceſſiones faciendas tempore Peſtis, & mortalitatis Hominum, multæ inſpectiones habendæ ſunt. Doctiſſimus Quart. *de Proceſſ. & earum circumſtantiis*,
n. 201. quærit an tempore Peſtis poſſint licite fieri Pro- 7
ceſſiones? Argumenta hinc inde adducta ſunt equidem evidentiſſima, adeo ut utramque ſententiam tuto amplecti poſſimus: ſed ad *n.* 204. tertiam, & mediam affert,
cui tamquam probabiliori & ipſe adhæret dicens, & 8
concludens: Permitti non debere Proceſſiones tempore Peſtis, nec cenſeri licitas quomodolibet, & convocatis omnibus indiſcriminatim, ſeu non adhibitis cautionibus moraliter poſſibilibus ad obviandum periculis. De facto cum Venenum Peſtis ex ſententia Zacchiæ *quæſt. Med. leg. l.* 3. *tit.* 3. *q.* 2. *n.* 29. de corpore in corpus diſpergatur, & propagetur, ne contagionis morbus amplificetur, prohibendi ſunt omnes congreſſus etiam ad Sacras functiones, cum illi etiam ad bonum Regimen Reipublicæ ſpectantes, rigoroſe prohibeantur ab ejuſdem moderatoribus.

Nihilominus quando commode, & abſque periculo ſer-
vari poſſint nonnullæ circumſtantiæ ad normam huma- 9
næ prudentiæ, Proceſſiones licitas aliqui volunt, atque utiles.

Circumſtantiæ, quas adducit Quart. *d. l.* ſunt: Ut
non fiant hujuſmodi Proceſſiones, niſi urgeat evidens ne- 10
ceſſitas, quando experientia conſtat, humana remedia eſſe inutilia. Ut non convocentur confuſe, & indiſcriminatim omnes, exemplo S. Caroli Borromæi, qui Pueros excluſit, & Mulieres. Ut convocati dividantur in plures turmas, exemplo S. Gregorii Magni, ad evitandam confuſionem. Ut procedant omnes ſervato ordine, cum diſtantia ab invicem majori ſolita. Denique, ut ante Proceſſionem excitentur omnes ad Pœnitentiam, & ad firmam in Deum fiduciam exemplo

dicti

dicti S. Caroli, qui omnium capita cineribus aſperſit, & ipſe, fune ad collum alligato, Crucem bajulans devotiſſima proceſſit.

His vero non obſtantibus, adhuc dico, periculoſas eſſe hujuſmodi Proceſſiones, & Conventus Gentium diverſarum in tali occaſione, ideoque evitandos eſſe axiſtimo, quia nemini licet ſe mortis periculo exponere; Et adeo verum ait, hoc eſſe magnum mortis periculum, quod Peſte infectus dicitur in articulo mortis eſſe, Pariſ. *de Reſign. Benef. l.* 12. *q.* 6. *n.* 13. Zacchias *d. l.* 2. *t.* 2. *q.* 19. *n.* 12.

Hoc item eſſet velle tentare Deum, qui in tali circumſtantia, prodigia faceret. Quiſque igitur Domi ſuæ oret;
11 in cubiculo ſuo fleat; & cum magna contritione, & fiducia, opem divinam imploret; nec remedia naturalia ad hunc finem propoſita deſerat. Plura ſunt quidem, quæ S. Carolus ſancivit in ejus Provincialibus Conciliis, *Act. p.* 4. facienda hoc tempore luctuoſo, ſed omnia cum debita cautione: ideoque ſi fiant, bene penſentur, & optime proponantur ab iis, qui Reipublicæ habenas gerunt.

Non ita evenit in caſu mortalitatis Beſtiarum, quia illis in ſuo Præſepio ſequeſtratis, remediiſque naturalibus adhibitis, poteſt Populus in Eccleſia orare, & convenire ad publicas Preces, abſque periculo, ut Deus mortalitatis cladem avertat.

Quando dixi ſuperius de mortalitate Animalium, ſeu Beſtiarum, intelligo de illis, quæ ad humanum uſum inſerviunt: Peſtis enim interdum non niſi certum genus, aut certam Animalium ſpeciem invadit, Zach. *Quæſt. Med. leg.* 3. *t.* 3. *n.* 48. Alioquin ſi mors Animalia hominibus inutilia, ſeu nociva moleſtaret veluti Canes, Feles, Vulpes, Lupos, & ſimilia, tunc cum illarum mors nihil detrimenti hominibus afferat, nulla indici debet, nec haberi ſupplicatio. In genere vero Animalium ſunt etiam Vegetabilia, prout Plantæ, & Arbores, quibus nocere poteſt mala aeris, ſive hiemis intemperies; & propterea araſcere poſſunt, & mori, prout elegantiſſime demonſtrat Hieron. Fracaſtor. *l.* 1. *Syphil.* 12

Solis non ſæpe Arboribus fit noxius aer
Et tenerum germen, florumque inficit honorem.

In hoc caſu ſi Arbores vere ſint utiles, & hominibus inſervientes, prout Vites aliæque Arbores fructiferæ, ligna que ad opus utilia, congruum judico ſupplicationes publicas inſtituere, ad hoc ut Deus hoc ab illis flagellum avertat. An vero Preces, Pſalmi, & Orationes in actu præſentis Proceſſionis aſſignatæ, adhibendæ ſint, negative opinor, cum Proceſſio aſſignata *pro quacumque Tribulatione*, ut infra, ſufficiant, & id quod deſideratur, optime præſtet.

Preces itaque, tempore Peſtis, ſtatutæ, ſunt de more ſequentes.

§. I. Fiat, ut ſupra in Litaniis majoribus, & in Litaniarum Precibus dicatur bis: *A Peſte, Fame, &c.* Ut infra ſuo loco. *Ut a Peſtilentiæ flagello, &c.*

13 Bis dicitur obſecratio *A Peſte, &c.* ad demonſtrandum, quod extra Preces ad hoc ſunt: ſed additur alia Obſecratio: *Ut a Peſtilentiæ, &c.* eo quia vere pro Peſte præſentanea tantummodo eliminanda, fit publica Oratio.
14 Pſalmus eſt 6. in ordine Pſalterii, & 1. Pœnitentialium, in quo tractatur de infirmitate, de ſanitate, & de aliis ad rem præſentem facientibus.

Orationes vero omnes Pœnitentiales ſunt; ſed in pri-
15 ma, præter invocationem Beatæ Mariæ Virginis, fit Commemoratio S. Sebaſtiani M. ſpecialiter, eo quia Ro-
16 mæ, Divino monitu, in Eccleſia S. Petri ad Vincula Altare in honorem S. Sebaſtiani, ad luem propulſandam, erectum fuit temporibus Papæ Agathonis, prout diffuſe narrat Paulus Diaconus *de Geſt. Longob. l.* 6. *c.* 3, unde etiam proveniſſe videtur, ut Poſteri Fideles, eundem Sanctum Martyrem, & avitandam peſtis cladem, conſueverint habere Patronum, Baron. *ad Martyrol.* 20. *Jan. & Annal.* 620.

Propterea Sacerdotale Brixinen. *diſt.* 6. *c.* 4. *n.* 4. Quærens quid agendum a Parocho tempore peſtis, inter alia 17 ad *n.* 7. ait: *Progrediente morbi calamitate, votum S. Sebaſtiano per Populum fieri urgeat.*

Item implorari poteſt auxilium S. Rochi Confeſſoris, 18 cui ex Decreto Patrum Concilii Conſtantienſis, ad propulſandam ingruentem luem, honores Sanctis debiti, ſunt impenſi; nam ſolemni pompa ejus Imaginem, omni comitante Populo per Urbem detulerunt: quo facto, peſtis mox evanuit, Baron. *d.* 16. *Auguſti.* 19

Pro peſte Animalium propriæ Orationes in Miſſali Romano habentur.

P R E C E S
D I C E N D Æ
IN LITANIIS TEMPORE BELLI,
TITULUS OCTUAGESIMUS SEXTUS.

S U M M A R I U M.

1 *Facilis eſt occaſio indicendi publicas ſupplicationes.*
2 *Hæc Proceſſio habet primum locum.*
3 *Mala, quæ ex Bello proveniunt.*
4 *Primum remedium eſt recurſus ad Deum.*
5 *Bellum ſive juſtum, ſive injuſtum, ſemper parit grave malum.*
6 *Proceſſio hæc eſt multæ antiquitatis.*
7 *Ratio harum Proceſſionum triplex.*
8 *Proceſſiones Pœnitentiales a Litaniis inchoantes.*
9 *Pſalmi 45. explicatio.*
10 *Preces particulares contra Turcas, & Infideles.*
11 *An licite poſſit eorum proſternatio peti?*
12 *Pſalmi 78. ſignificatio.*
13 *In Bello juſto licet ponere inſidias.*
14 *Chriſtiani vicerunt, Pontifice precante.*

1 ADEO facile, eſt, ut in Eccleſia Dei detur occaſio, & ratio indicendi publicas Proceſſiones, & ſupplicationes ad compeſcenda Bella, ut inter formulas generales indicendarum Proceſſionum conſcriptas a Monacel.
2 T. 3. *form.* 6. primum habuerit locum inter extraordinarias pro cauſa, & bono publico faciendas, illa pro edicto Epiſcopali ad faciendam Proceſſionem tempore Belli. Enimvero tam ingentia ſunt mala, quæ ex Bello
3 proveniunt, ut neceſſe ſit feſtinantes occurrere ad remedia: inter quæ primum habet, proculdubio, locum,
4 recurſus ad Deum per Orationem, indictis publicis ſupplicationibus, ut Bellum avertat, & ſecum ea omnia mala, quæ S. Ambroſius annumerat *in epiſt.* 1. *ad Timoth.* 2. per hæc verba: *Bellum nec pietatem ſervat, nec caſtitatem: videmus enim Bello flagrante, Urbes & Templa diripi; Sacra omnia profanari, Virgines violari, Sacerdotes capi, & fugari, omniaque rapinis, & cædibus miſceri.*

Sitque ſive juſtum, ſive injuſtum, ſemper patientibus 5 illud, grave eſt, & iniquitatum, ex Quart. *de Proſſ. n.* 135.

Exempla harum ſupplicationum tempore Belli plura 6 ſunt, & quidem magnæ antiquitatis tum in veteri, tum in Novo Teſtamento; ſed diſtingui debet triplex illarum ratio: Aliæ enim ſunt ad avertendum Bellum: aliæ 7 ad petendam Victoriam; aliæ ad poſtulandam Pacem: Singulæ habent ſuas Preces particulares, ſed omnes ad Deum diriguntur, ut tribuat nobis quod petimus, quemadmodum omnes illi fecerunt, quos teſtatur Quart. *d. l. n.* 136. 137. & Deo adjuvante id aſſequuti ſunt, quod petierunt. Primi ordinis habuit Eccleſia Catholica Proceſſionem cum Univerſali Jubilæo indictam anno 1661. ab Alexandro VII. *Conſtit. Ex quo* 111. tunc quando Turcæ expugnata Arce Varadini, quæ erat validiſſimum Hungarici Regni propugnaculum, impetum in citeriores Provincias meditabantur ingenti apparatu, & maximas clades univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ minitari videbantur. Similem habuerat prius Innocentius X. *Conſt.* 1. *Immenſa, &c.* Et recentioribus annis, Innoc. XI. pro liberatione Viennæ a Turcis invaſæ ad annum 1683. *Conſtit.* 13. *In ſupremo, &c.* Secundi ordinis, nempe ad petendam Victoriam Proceſſio, & Jubilæum a S. Pio V. indicta fuere *Anno* 1750. *Conſt. Cum nos*: indulgentias elargiendo adjuvantibus Bellum contra Turcas, Deoque auxiliante, Victoriam Chriſtiani reportarunt die 7. Octobris 1571. Ideo ſub illa die quotannis celebratur Feſtum S. Mariæ de Victoria ſub invocatione Roſarii. Tertii tandem ordinis, nempe ad implorandam Divinam opem, pro Pace inter Principes Chriſtianos, habemus Conſtitutionem 28. *Ex eminenti, &c.* ſub Clemente XI. editam anno 1706. qua occaſione ſolemnis Proceſſio indicta fuit a Cappella Palatii Vaticani ad Baſilicam Principis Apoſtolorum, pleniſſimis elargitis Indulgentiis.

§. I.

§. I. Peractis omnibus, ut ſupra in Litaniis majoribus. Ad finem Litaniarum dicitur: *Pater noſter, &c.* Pſal. 45. *Deus noſter Refugium, &c.*

8 Regula generalis Proceſſionum pœnitentialium, ut jam diximus, ſemper fuit, ut a Litaniis inciperentur, ad implorandam interceſſionem Sanctorum omnium pro eo quod petimus tali tempore.

9 Pſalmus eſt quadrageſimus quintus in ordine Pſalterii, qui ſecundum recentiores interpretes ſcriptus fuit in gratiarum actionem pro victoria Davidis ab Inimicis ſuis, Deo auxiliante, reportata. Secundum vero antiquiores, nempe Sanctos Hieronymum, Baſilium, Auguſtinum, & alios, intelligi debet de liberatione Eccleſiæ Chriſtianæ a perſequtionibus infidelium, Bellarm. *in Pſ.* 45. Quocumque modo accipiatur, ſemper per illum verſiculum *Arcum conteret, & confringet Arma, & ſcuta comburet igni*, a Deo victoriam nos expectare demonſtramur, & pacem: cui conſonant verſiculi Precum ſubſequentium, & tres orationes de auxilio, de victoria & de pace loquentium.

§. II. Si vero Bellum eſt contra Turcas, & alios Infideles vel Hæreticos, inter Preces Litaniarum bis dicatur: *Ut Inimicos ſanctæ Eccleſiæ, &c.* Et addatur: *Ut Turcarum*, vel *Hæreticorum conatus, &c.* Et dicto *Pater noſter*, dicatur Pſalmus 78. *Deus, venerunt, &c.*

10 Quoniam non ſemper Bella, & Arma ſunt inter Fideles ad ſaciendam innatam regnandi cupiditatem, abſque eo quod a Principibus animadvertantur tot damna Populorum, & Urbium: Sed perſæpe iſta aguntur ab Infidelibus, & Hæreticis; & præcipue (quod eſſe deberet maxima Chriſtianorum cura, & ſollicitudo) contra infeſtiſſimos Turcas: hinc eſt, quod Eccleſia particulares preces inſtituit in tali caſu habendas, ad hoc ut evitentur cædes Reipublicæ Chriſtianæ, & ad nihilum redigantur conatus Inimicorum ejus.

11 Verſiculi itaque præſcripti nominatim, de Hæreticis, Turcis, & Eccleſiæ Inimicis mentionem faciunt, contra quos licite poſſunt Fideles ruinam, & proſternationem poſcere; ex odio abominationis, quatenus ſcilicet Fidei hoſtes ſunt, & Reipublicæ noxii, S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 76. art. 2.

12 Ideoque Pſalmus 78. qui huic loco recitandus aſſignatur, licite, & ſine culpa legitur, licet imprecationibus plenus ſit contra Infideles, utpote qui deplorat calamitatem venturam, quæ accidit Hæbræis ſub Antiocho, & cæteris Regibus, tempore Machabæorum, Bellarm. *in Pſ.* 78. & fuit tamquam vaticinium calamitatum, quas paſſura erat Eccleſia Catholica ab Infidelibus, & Hæreticis. Sicuti enim in Bello juſto licitum eſt adhibere ſtra- 13
tagemmata, & ponere hoſtibus inſidias, *cap. Dominus noſter* 23. *q.* 2. ita per iſtas Preces licet imprecari illis mala, & calamitates.

Item Preces, & Orationes, de eliſione ſuperbiæ lo- 14
quuntur; de proſternatione contumaciæ, de perſecutione, de ira, deque aliis ultionibus contra Infideles, ut iis profligatis, Eccleſiæ tranquillitas, per divinam Miſericordiam, donetur. Quæ Orationes a Deo ut plurimum exauditæ fuerunt, quando Summus Pontifex Reipublicæ Chriſtianæ caput, tamquam Murus pro Domo Dei, hoſtium minis ſe oppoſuit, quemadmodum Sanctiſſimus Pius V. qui diuturnis Orationibus, & Precibus vacare non deſtitit tunc cum contra Turcas bellum ageretur, qui Navali Claſſe Chriſtianos invadere ſtudebant.

P R O C E S S I O
IN QUACUMUE TRIBULATIONE,
TITULUS OCTUAGESIMUS SEPTIMUS.

S U M M A R I U M.

1 *Calamitatum numerus infinitus.*
2 *Tribulationes omnes continentur ſub hac Rubrica.*
3 *Tribulationes enumerantur.*
4 *Terræmotus.*
5 *Beſtiarum epidemia.*
6 *Arborum areſcentia.*
7 *Locuſtarum* ⎫
8 *Murium* ⎬ *copia*
9 *Brucorum* ⎭
10 *Fluviorum intumeſcentia.*
11 *Proceſſio pro his calamitatibus indici poteſt.*
12 *Color paramentorum debet eſſe congruus functioni.*
13 *Pſalmi* 19. *explicatio.*

NUMERUS Calamitatum cum innumerabilis ſit, 1
quibus poteſt univerſa Terra affligari, & ſingulis velit occurrere pia Mater Eccleſia: hinc eſt, quod expoſitis jam nonnullis calamitatibus: & pro earum libe- 2
ratione, aliquibus aſſignatis Precibus, ſub uno Titulo omnes aliques evocare curavit, Orationes, & Preces aſſignando *pro quacumque Tribulatione.*

Inter has Tribulationes enumerari poteſt Terræmotus; 3 4
epidemia Beſtiarum, ſeu Bovina; Arborum areſcentia; 5 6
Locuſtarum, Murium, & Brucorum copia; Fluminum 7 8
intumeſcentia, & hujuſmodi alia, pro quibus profligan- 9 10
dis; & avertendis indici poteſt Proceſſio cum deſignatis 11
Precibus Pœnitentialibus, in coloribus Paramentorum 12
congruentibus, nempe violaceis abſque ulla limitatione in ſignis, & comitatu, quæ fieri poſſunt ad normam gravitatis Calamitatum, quarum de cauſa fit Proceſſio.

§. I. Servatis omnibus ut ſupra, in Litaniis majoribus, finitiſque Litaniis, dicitur: *Pater noſter, &c.* Pſalm. 19.

13 Pſalmus decimus novus in ordine Pſalterii ſcriptus fuit a Rege David ad debellandas aereas poteſtates, Bellarm. *in Pſ.* 19. Cumque in illo ſpecialiter mentio fiat *de die tribulationis*: ideo ad tribulationes univerſas avertendas determinatus fuit ab Eccleſia.

P R E C E S
D I C E N D Æ
IN PROCESSIONE PRO GRATIARUM Actione,
TITULUS OCTUAGESIMUS OCTAVUS.

S U M M A R I U M.

1 *Ingrati execrantur a Deo.*
2 *Proceſſio hæc indicenda illico poſt obtentam gratiam.*
3 *Populus habet jus ad promovendam iſtam Proceſſionem.*
4 *Gratiæ tribus modis reddi poſſunt.*
5 *In Proceſſione hac Gratiæ redduntur ſecundo modo.*
6 *Color Paramentorum adhibendorum.*
7 *Viæ ampliores deſignari debent.*
8 *Viæ ornari deberent ad lætitiam.*
9 *Hora hujus Proceſſionis ſtatuenda Magiſtro Cæremoniarum.*

10

10 *Miſſa celebranda eſſet pro Gratiarum actione.*
11 *Hymni* Te *Deum*, &c. *Auctor.*
12 *Proceſſio non concordat cum Miſſa.*
13 *Gratiæ principaliter Sanctiſſimæ Trinitati redduntur.*
14 *Pſalmi, & Cantica ſunt jubilationis.*

ÆQUUM eſt, ut accepto a Deo inſigni aliquo Beneficio ad commune Bonum ſpectante, reddatur
1 illi debita Gratiarum actio: Ingrati enim, & Beneficiorum immemores execrantur a Deo, atque indigni fiunt, ut novas gratias accipiant: unde S. Bernardus in *Ser. de Ingrat.* inquit: *Ingratitudo eſt Ventus urens, ſontem pietatis exſiccans, & fluenta gratiæ non recipiens.* Quapropter ſtatim ac Precibus Populi ſui indulſerit Deus,
2 cumque ab aliqua Calamitate liberavit, vel illi gratiam aliquam ſatis deſideratam elargitus fuerit, cura erit Primi Sacerdotis in loco, nempe Epiſcopi, ſive ejus Vicarii in Civitatibus; Parochi vero in locis extra Urbes, indicare Proceſſionem *pro* Gratiarum actione: quod ſi neglexerint, vel per oblivionem ſiluerint, unuſquiſque
3 de Populo jus habet ad excitandos illos, ut debitum officium grati animi promoveatur, & excitetur, ne ingratorum vitio notentur apud Deum, & Homines. Quapropter.

Huic neceſſariæ ſollicitudini ab Eccleſia *proviſum* eſt per inſtitutionem Ritus particularis pro facienda Proceſſione ad Gratias agendas, cum tribus modis reddi poſſint
4 gratiæ, *ut* docente S. Thom. 2. 2. *q.* 107. *art.* 2. nempe interius, corde, & animo: exterius Ore, & verbis; factis, & operibus, beneficia accepta compenſando.

In Proceſſione redduntur gratiæ ſecundo modo, hoc eſt, ore, & verbis: ſed poteſt etiam uniri huic modo 5
compunctio cordis, & animi; necnon facta, & opera, atque ita ſingulis tribus modis poteſt adimpleri bonum officium reddendi gratias Deo Benefactori.

Color Paramentorum adhibendorum in hac Proceſſione, erit Albus, in ſignum lætitiæ, atque concordat cum 6
ſolemnitate, quæ incipit ab Hymno, ſive Cantico *Te Deum laudamus, &c.* Vide quæ diximus in *Titulo de ordine ſervando in Litaniarum majorum Proceſſione*, §. 5.

Viæ quoque deſignari debent ampliores, & commodiores a Magiſtro Sacrarum Cæremoniarum, quæ ſi Tape- 7 8
tibus, & Aulæis, Veliſque coloratis ornarentur, maxime concordarent cum communi lætitia, & magis oſtenderent accepti Beneficii gaudium. Hora inſuper, ſi non eſſet Miſſa canenda (prout magis conſonum videtur, ex 9
Titulo generali *de Proceſſionibus*, §. 7.) eſſet ab eodem 10
Cæremoniario determinanda, etiam pomeridiana, ut expeditius a Populo frequentari poſſet, qui in illa hora omnibus negotiis ſolutus videtur: tanto magis quando eſſet dies feſtus. Quo vero ad Miſſam, eſſet in hoc caſu celebranda pro gratiarum actione in mane ejuſdem diei, ad hoc ut ſic Populus ad ſupplicationes, prævio Sancto Sacrificio, ſe præpararet.

§. I. Initio Proceſſionis cantatur Hymnus: *Te Deum laudamus, &c.*

11 Hymnus iſte, qui SS. Ambroſio, & Auguſtino tribuitur per Gavant. T. 2. *ſect.* 5. *c.* 19. plenus eſt lætitiæ, & propterea in ſignum gaudii pro gratiis obtentis cantatur, etiam ſi illa die reticendus eſſet in officio, eo quia
12 ratio ſolemnitatis id poſtulat, nec Proceſſio in hoc concordare debet cum Miſſa; non enim eſt pars officii. Gratiæ itaque principaliter Sanctiſſimæ Trinitati reddun- 13
tur, quemadmodum etiam Miſſa pro Gratiarum actione 14
eſt illa de SS. Trinitate, eo quia Deus unus, & trinus eſt omnium Gratiarum origo.

§. II. Deinde dici poterunt Pſalmi, qui ſequuntur, prout tempus feret, &c.
§. III. Hæc autem prædicta, prout longitudo itineris poſtulaverit, vel omnia, vel ex parte cantari poſſunt. Deinde in Eccleſia, ubi fit ſtatio, ante Altare dicuntur ſequentes Verſus, & Orationes.

15 Tum Pſalmi, tum Cantica ſunt jubilationis, & lætitiæ, ideoque rei præſenti ſatis congrua, quæ repeti poterunt, ſi longitudo itineris id poſtulaverit.

DE PROCESSIONE
IN TRANSLATIONE SACRARUM
Reliquiarum,

TITULUS OCTUAGESIMUS NONUS.

SUMMARIUM.

1 *Reliquiæ Sanctorum de fide ſunt veneratione dignæ.*
2 *Non propter ſe ipſas, ſed in ordine ad Sanctos.*
3 *Imagines venerantur in ordine ad Prototypum.*
4 *Reliquiæ veniunt appellatione rerum pretioſarum.*
5 *Tranſlatio Reliquiarum ſolemni ritu facienda.*
6 *Tranſlationes nonnullarum inſignium Reliquiarum.*
7 *Finis harum Proceſſionum.*
8 *Tranſlatio Reliquiarum fit multiplici ratione.*
9 *Fieri debet ab Epiſcopo, & ſine licentia Papæ.*
10 *Destructio Eccleſiæ eſt potior ratio pro tranſlatione Reliquiarum.*
11 *Recognitio Reliquiarum fieri debet per Ordinarium.*
12 *Reliquiæ a Cæmeteriis Urbis tranſlatæ, cognito de authentica, poſſunt in Proceſſione deferri.*
13 *Hæc Proceſſio inter extraordinarias collocanda.*
14 *Pro Reliquiis inſignibus tantum fit Proceſſio.*
15 *Reliquiæ inſignes quænam ſint?*
16 *Non eſt ſcandaloſum, quod dicatur corpus ejuſdem Sancti ſervari in duplici Eccleſia.*
17 *Ornatus Eccleſiæ quomodo eſſe debeat in hac occaſione?*
18 *Viæ ornari poſſunt ad libitum.*
19 *Tranſlatio Corporis B. Joannis de Tuſſignano Epiſc. Ferrariæ & S. Aproniani Conf.*
20 *Duo colores tantum adhiberi poſſunt.*
21 *Violaceus color in quo caſu adhiberi poſſit?*
22 *Lumina accenſa deferenda ſunt.*
23 *Lumina quando extingui debeant?*
24 *Litaniæ canendæ.*
25 *Nomina Sanctorum, quorum Reliquiæ ſunt, inſeri debent in Litaniis.*
26 *Antiphonæ, Hymni, & Pſalmi, ſunt lætitiæ.*
27 *Baldachinum adhiberi poteſt.*
28 *Incenſationes quoque licent.*
29 *Populus non eſt benedicendus cum Reliquiis Sanctorum.*
30 *Prior in ordine deferre debet Reliquiam.*
31 *Dignior locus cedendus eſt Clero Sæculari.*

EA potiſſimum ratione, qua Sanctorum Animæ in Cælis venerantur, venerari quoque debent eorum Reliquiæ in Terris: eſt enim de fide, illas eſſe venera- 1
tione dignas; prout definivit *Concilium Trid. ſeſſ.* 25. *decr.* 2. & ex poſt, Gregorius XIII. qui Reliquias Sanctorum venerandas eſſe decrevit, non tamen propter ſe 2
ipſas, ſed reſpective, & in ordine ad Sanctos, ſeu A- 3
nimas beatas, quibus fuerunt unitæ, ſicut adorantur Imagines in ordine ad Prototypa, Quart. *de Proceſſ. punct.* 15. *n.* 121. cum S. Thoma.

Quapropter cum Reliquiæ veniant appellatione rerum 4
pretioſarum Eccleſiæ, *S. C. Ind. in Januen.* 17. *Septem.* 1710. non ſimplici, ſed ſolemni ritu illarum Tranſlationem faciendam eſſe, omnes Doctores definiunt, exem- 5
plo Patrum antiquorum, qui non ſine magna pompa, 6
opus tam grande perfecerunt: narrat enim Gretſer. *de Proceſſ. lib.* 1. *cap.* 12. & Quart. *d. loc.* a ſecundo Concilio Nicæno commendatam fuiſſe Proceſſionem ſolemnites factam in tranſlatione Reliquiarum S. Anaſtaſii Martyris, & a S. Auguſtino ſummis laudibus celebratam fuiſſe Proceſſionem factam a S. Lucillo Epiſcopo in tranſlatione Reliquiarum S. *Stephani* Protomartyris. Nec non patet, a S. Hieronymo contra Vigilantium, laudibus extolli Proceſſionem factam in tranſlatione Reliquiarum S. Samuelis Prophetæ, cujus Religionis inſignia reliquit exempla Sanctus Carolus Borromæus, ut late referunt Acta Mediolanen. Eccleſiæ, & S. Th. *p.* 4. *q.* 25. *art.* 6.

Multa inſuper habentur de ſolemni Ritu harum tranſlationum apud Durant. *lib. 2. cap. 10. num. 4. in fine:* Sed multo majora diſputabilia, atque Sacræ eruditionis plena in materia Reliquiarum habentur apud Ricciull. *Lucubr. Eccl. l. 5. per tot.* Nos vero quæ ad Ritum ſpectant, pro tranſlatione earumdem Sacrarum Reliquiarum tantummodo, pertractantes, his contenti erimus, quæ ad hujuſmodi Ritum explicandum, illuſtrandumque ſufficient.

Finis namque harum Proceſſionum ſanctior eſſe non
7 poteſt: intendit enim Eccleſia nedum exhibere cultum, & honorem Sanctis; ſed inſuper, & præcipue Fideles, & omnem Populum excitare ad eorum ſequenda veſtigia.

Multiplici ratione fieri poteſt Sacrarum Reliquiarum
8 tranſlatio, ſemper vero ab Epiſcopo, & abſque Papæ licentia, ut reſpondet Fagnan. *in cap. 2. tit. 45. n. 15.* necnon ob juſtam cauſam. Vel agitur de revelatione alicujus Sancti Corporis, quod venerationi & cultui exponi debeat, vel de tranſlatione ab una ad aliam Eccleſiam, ad ibi perpetuo ſtandum, vel demum de Proceſſione ſolummodo cum Sacris Reliquiis ab una, ad eamdem Eccleſiam transferendis.

Quacumque de cauſa fiat iſta Tranſlatio, ſeu Proceſſio, ſemper magna cum ſolemnitate perfici debet, adeout
9 Cattaldus *in Praxi, lib. 2. ſect. 10. cap. 4.* & Corſet. *Tract. 5. p. 1. c. 19.* præcipuas circa hunc Ritum inſtituerint diſceptationes cæteris longiores, in quibus totus Ritus adhibendus præſcribitur, ut recte, & diſtincte compleatur: ad quos Scriptores Lectorem meum remitto, & ad Rubricam noſtri tituli me confero, pro cujus optime, & clara intelligentia afferam *Text. in can. corpora 36. de conſecr. diſtinct. 1.* ubi habetur, quod *Corpora Sanctorum de loco ad locum nullus transferre præſumat ſine conſulta Principis, vel Epiſcopi, ſanctaque Synodalis licentia.* Nec potior ratio harum tranſlationum haberi poteſt, quam deſtructio, ſeu tranſlatio Eccleſiæ, vel loci
10 Sacri ab uno ad alium locum. Vide Urſaya *T. 1. p. 2. d. 7. per tot. & præſertim, n. 9.*

Unice tantum hoc præ cæteris animadvertendum, præmittendumque eſt: ante omnia debere fieri recognitio-
11 nem Reliquiæ per Ordinarium, & bene perpendi, an de authentica veritate conſtet ejuſdem, & de his omnibus publica deſcriptio, & documentum per Notarium fieri debere, ut tuto, & ſincere poſſit Reliquia transferri,

& exponi publico cultui. Quibus omnibus pro regula ge- 12
nerali addo, Reliquias e Romanis Cœmeteriis extractas in Proceſſionibus deferri poſſe, cognito prius de earum authentica, ut reſolvit *S. C. Ind. ſub die 19. Januarii* 1711. Authentice itaque debet conſtare de illarum identitate, non per conjecturas, & veriſimilitudines; ſed per legalia, & authentica documenta, quemadmodum practicavit dicta *Sac. Congregatio ſub die 23. Februarii 1711. in Veneta*, relat. ab Urſaya *T. 3. p. 2. d. 24. n. 55.* 13
Quo facto, tunc Proceſſio indici poteſt pro Tranſlatione, quæ inter extraordinarias reponitur per Durant. *l. cit.*

Notandum inſuper eſt, non omnes Reliquias a noſtro 14
Rituali deſignari, ſed tantummodo *inſignes*: unde ſi hæc conditio non verificaretur, non eſſent indicendæ neque proceſſiones, neque ſolemnes tranſlationes.

Quænam vero dicantur Reliquiæ inſignes, habemus 15
ex Gavant. *Man. Epiſ. verb. Reliq. n. 45. & p. 1. tit. 11. lit. h.* Suntque Corpus integrum, Caput, Brachium, Crus; quibus *S. C. R. ſub die 28. Aprilis* 1628. addidit partem illam corporis, in qua paſſus eſt Martyr; modo ſit integra, & non parva, prout eſſet dens S. Apolloniæ Virginis, & Martyris, Pellis S. Laurentii Martyris, & hujuſmodi, Ricciull. *d. l. 5. cap. 36. per tot.*

Circa vero totum integrum corpus alicujus Sancti, il- 16
lud advertendum eſt, non eſſe ſcandalum in Eccleſia Catholica, ſi dicatur Corpus alicujus Sancti aſſervari in duplici, ſeu multiplici Eccleſia; nam quando Reliquia illius eſt inſignis, & non exigua, mos eſt illam corpus appellari, non vero partem. Sic in Precibus ab Eccleſia adhibitis pro Benedictione Vaſculorum in quibus aſſervari debent Sacræ Reliquiæ legitur: *Quatenus Fideles tuæ magnitudine beneficiorum tuorum, in parte modica Reliquiarum, integra Sanctorum corpora ſe percepiſſe gratulentur*, Sarnell. *Epiſtolar. Eccleſiaſtic. T. 3. ep. 8.*

Inter inſignes Sanctorum Reliquias Catholica Eccleſia non ſolum corpora, ſeu partes, & membra, ſed oſſa nuda, Sanguinem, Veſtes, Res ab iis uſu habitas, Inſtrumenta Paſſionis, & ſuppliciorum, Carceres, Vincula, Catenas, Lapides, Sepulchra etiam vacua, enumeret, quia ſæpe contingit corpora Sanctorum de loco ad locum transferri, quo caſu *primum* Sepulchrum remanere adhuc venerabile docet Ricciull. *d. Lucub. lib. 5. cap. 11. num. 2.* Non quia corpus in eo jaceat, ſed quia jacuit, tactuque ſacratum eſt.

§. I. Eccleſia & viæ per quas tranſeundum eſt, quam fieri poteſt, decentius ornentur.

Iſte ornatus intelligi debet ſemper quando fiat Tranſlatio ſolemnis, non vero privata, habita ratione ad cauſam, propter quam fit iſta Tranſlatio, quæ cauſa triplex enumeratur a Ricciull. *d. cap. 42. num. 1. 2.* alia eſt neceſſitatis, alia difficultatis, alia demum voluntaria: ex iſtis rationabilis eſt prima, prout *ſub num. 10. hujus tituli* demonſtratum fuit; Sed rationabiliorem tenet tertiam, nempe voluntariam, Ricciull. *d. num. 6.* quando præſertim agatur de Reliquiis in decentiorem locum collocandis, *C. ſi quis vult, 16. q. 7. lib. fin. ff. de mortuo infer. lib. ſtatuas 7. C. de Religioſis, & ſumpt. fun. gloſs. in d. cap. tribus, verb. difficultas, verſ. quarta cauſa*. Cauſa igitur hac movente

Eccleſia ornanda eſt prout videbitur illius Rectori,
17 vel illi, qui pro talium Reliquiarum Tranſlatione me jus intereſſe habet. Viæ vero ornandæ erunt ad libitum
18 pietatis, & devotionis Fidelium. Deſignandæ inſuper ſunt a Magiſtro Sacrar. Cæremoniarum commodiores, & ampliores, quæ tamen perducant ad præfixum finem. Fidelium induſtria erit tropæa, & inſignia Sancti illius, de quo fit tranſlatio exponere, necnon ſymbola ad eum congruentia.

19 Vidi ego hic Ferrariæ in tranſlatione Corporis B. Joannis de Toſſignano Epiſcopi Ferrarienſis facta ad ann. 1712. de mandato Card. de Varma tunc Epiſcopi hujus Civitatis, ab antiqua Eccleſia PP. Jeſuatorum, ad noviter ædificatam S. Hieronymi PP. Excalceatorum Carmelitarum, vidi, inquam, per vias expoſitas plures Tabulas affabre pictas, & demonſtrantes acta, & prodigia ejuſdem Beati Antiſtitis: per quas Tabellas excitabatur magna veneratio in Populo adſtante, qui ut plurimum ignorat acta mirabilia, & portenta illius. Ex qua veneratione oriuntur multæ utilitates tum ſpirituales, tum corporales, quas enumerat Ricciul. *d. c. 28. 29.* Sed illa præcipua eſt, quod Sanctorum Reliquiæ nobis proponuntur tamquam Imagines, ut vitam moreſque noſtros exemplo eorum componamus: vive enim fuerunt membra Chriſti, & Templum Spiritus Sancti, Conc. Trid. *Seſs. 25.*

Magis ac magis ſolemnem Tranſlationem viderunt Ferrarienſes de recenti, tunc quando inſignis Reliquia Sancti Maurelii Epiſcopi & Martyris necnon hujus Civitatis compatroni, extracta ab ejus corpore quod in Eccleſia S. Georgii Martyris extra muros aſſervatur, & in argentea, magni pretii theca recondita, expenſis Eminentiſs. Card. Ruffi Epiſcopi tranſlata fuit ad Eccleſiam Cathedralem anno 1725. die 13. Junii, in dicta ſolemniſſima totius Cleri, & Populi Proceſſione magnificentiſſimo apparatu, & vere tantæ rei conveniente, adornata. Nec omittenda venit ſolemnis tranſlatio veri Corporis S. Apruniani Martyris habita hoc anno 1651. ad inſignem Eccleſiam Collegiatam S. Blaſii oppidi Centi, vere omnibus numeris magnificentiſſima, atque æternæ recordatione digniſſima, pro cujus felici, & memorabili eventu, D. Jo. Antonius Rancini Sacrarum cæremoniarum magiſter in dicta Collegiata multum, enixe & ad honorificentiam inſudavit.

§. II Sacerdotes, & miniſtri veſtibus induti albi, vel rubei coloris, prout Sancti, quorum Reliquiæ transferuntur, expoſcunt, & cum luminaribus accenſis, omnes procedant, decantantes Litanias cum invocatione Sanctorum, quorum Reliquiæ deferuntur, & Hymnum *Te Deum* & Pſalmum, *Laudate Dominum de Cælis, &c.* cum duobus ſequentibus, & alios Pſalmos, & Hymnos de Proprio, vel de Communi eorum Sanctorum, quorum Reliquiæ transferuntur.

20 Duo tantummodo colores, ex quinque Eccleſiaſticis, ſunt qui adhiberi poſſunt in proceſſione, & tranſlatione alicujus Sac. Reliquiæ; demptis enim Martyribus, & illis Reliquiis, quæ ad Dominicam Paſſionem pertinent, cæteri Sancti cujuſcumque ordinis hierarchici ſint, colore albo conſociandi ſunt, atque ideo Rubrica dicit *Albi, vel Rubri coloris.*

Sed poſſet dari caſus, in quo adhibendus eſſet color 21
violaceus; nempe ſi fieret tranſlatio Reliquiæ inſignis alicujus ex Sanctis Innocentibus, pro quibus (non obſtante quod occurrant infra octavam Nativitatis) Eccleſia adhibet colorem Violaceum, ut ex Rubricis Miſſalis

ſalis conſtat. Nihilominus in contrarium reſolvendum
duco, dum lego Gaventum *T. 2. ſect. 6. cap 6. nu. 7.*
Colorem Rubeum concedere SS. Innocentibus ſi titulus
Eccleſiæ eſſet talis, prout illis conceditur ratione Domi-
nicæ, in qua non eſt dolendum. Si itaque *non eſt do-*
lendum ratione Dominicæ, vel ratione tituli Eccleſiæ,
& per hoc concedendus eſt color Rubeus Martyribus
conveniens, cur erit dolendum in ſolemni die transla-
tionis eorum oſſium, pro quibus inſtituta eſt illa ſolem-
nitas? Igitur optime inſtruit Rubrica præſens dum di-
cit, *Albi*, vel *Rubri coloris*, quia nullus alius color in
hujuſmodi Proceſſionibus eſt adhibendus.
22 Luminaria accenſa in manu omnium procedentium
eſſe debent: cum enim triumphalis ſit hæc Proceſſio,
hæc lumina ſpeciem triumphi renovant, nam faces ac-
cenſas extollere mos erat in antiquis triumphis; *Alex.*
ab Alex. l. 4. & Panvin. *l. 2.* Circa diſtributionem ce-
reorum nonnulla ſcitu digna adnotat Caſtald. *d. l. n. 16.*
& præcipue circa modum illos extinguendi. Dicit ite-
que: *Deputatos ad diſtribuendos cereos, cum aliis ſibi ad*
23 *hoc munus miniſtrantibus, pariterque ad ipſos extinguendos*
(Magiſter Cæremoniarum) *deſignabit. Cum autem Pro-*
ceſſio redierit, idem a ſuis adjutus opportune, ut extin-
guantur invigilabit, habens ad hoc parata vaſa cum Aqua,
ne fumo Eccleſia obumbretur, & deturpetur: in capſulis
item extincta funalia reponenda curabit.
24 Litaniæ porro erunt conſuetæ Sanctorum, ſine tamen
Precibus Pœnitentialibus, quia Proceſſio hæc eſt lætitiæ,
non pœnitentiæ. Nomina vero Sanctorum, quorum Re-
liquiæ transferuntur, ſi in Litaniis non numerentur,
25 erunt hac occaſione inſerenda ſuo loco, juxta eorum or-
dinem hierarchicum; & habere poſſunt pro hac vice in
illo ordine primum locum, ratione ſolemnitatis ſibi di-
catæ, & pro illis inſtitutæ: neque attendenda eſt, hac
occaſione, prohibitio illa per Decretum Pontificium ema-
nata, & alias a nobis allegata; Non licere Sanctorum
nomina Litaniis, niſi a S. C. R. ſint approbata, ex De-
creto *Sac. R. C. 22. Martii 1631.* quia ſolemnitas par-
ticularis ſuperat omne Decretum, Pignatell. *T. 5. Conſ.*
27. num. 9. neque Nomina hæc ponuntur in Litaniis,
ut in perpetuum ibi maneant, ſed tantummodo in illa
occaſione, pro illorum invocatione facienda, juxta *præ-*
ſcriptum a Rubrica.
Antiphonæ, Hymni, & Pſalmi decet, ut ſint læti- 26
tiæ, & ſolemnitati convenientes, ideoque optime erit
illos ex officio ſeu proprio, ſeu communi deſumere, at-
que ſi tempus ſuppetat, repetere. Te Deum vero can-
tabitur eo tempore quo Reliquiæ Eccleſiam intrant.
Omnia alia demum, quæ in particulari, & ſimplici
ſolemnitate illorum Sanctorum eſſe in uſu non ſolent,
poſſunt occaſione hujus tranſlationis adhiberi, nempe *Bal-* 27
dachinum. Caſal. *d. l. n. 13.* Incenſationes, *d. n. 26. 27.*
quamvis ex Decreto *Sac. C. R. in Lucana 20. Aprilis*
1602. Reliquiæ Sanctorum non ſint incenſandæ, niſi 28
cum incenſantur oblata in Miſſa ſolemni, Barboſa *col-*
lect. Verb. Reliquia, & alia: ubi attendum, Reliquias
tranſeuntes ante Eccleſias Regularium, iſtos cogi non
poſſe ad illas thurificandas: poſſe tamen hortari, ut
notat Pignatell. *conſ. 53. per tot. T. 1. & ſignanter n. 4.*
Non autem benedici debet Populus cum dictis Reliquiis, 29
niſi ſint Sanctæ Crucis, Caſtald. *d. n. 27.* Sed Epiſco-
pus ſi adſit, ſolemniter Populo benedicet.
Iſta Benedictio cum Sacris Reliquiis tunc tantum per-
mittitur, quando fiat Proceſſio cum dictis pro impetran-
da aliqua gratia ab illis, videlicet pro impetranda plu-
via, vel aeris ſerenitate, vel pro fluminum intumeſcen-
tia coercenda: tunc benedicitur aer, flumen, &c. præ-
cedente cantu Antiphonæ, & Orationis.
Denique Reliquiam deferre in Proceſſionibus, ad Prio- 30
rem conventus unde Reliquia ſumitur, pertinet, vel ali-
cui Sacerdoti, nuſquam vero laicis. Sed regulariter de-
bent Ordines, ſeu Clerus Regularis cedere digniorem lo-
cum Clero Sæculari; ita habemus per plura Decreta al-
legata a Barboſa *collect. verb. Proceſſio:* & præcipue in
Senogallien. Mentis Albod. 24. Septemb. 1605.
Cætera, & quidem plura de Reliquiarum Translatio-
ne habebis apud Caſtald. alias allegat. *Prax. lib. 2. ſect. 9.*
cap. 4. & Riccioll. *Lucubr. Eccl. lib. 1.*

DE EXORCIZANDIS
OBSESSIS A DÆMONIO,
TITULUS NONAGESIMUS.

SUMMARIUM.

1 Exorciſtatus Ordo ad hoc inſtitutus.
2 Apoſtoli hunc Ordinem exercuerunt.
3 In nova Eccleſia Clerici exorciſtæ hoc fecerunt.
4 Facultas, ſeu juriſdictio ſublata fuit Clericis ab Epiſcopis.
5 Epiſcopus ſolus facultatem tradit exorcizandi.
6 Ætas, & alia requiſita in exorciſta.
7 Formula hujus facultatis.
8 De jure quilibet ordinatus exorciſta poteſt ordinem exercere.
9 Ex communi praxi pertinet ad Sacerdotem.
10 Exorciſta, cum ſit Sacerdos, poteſt benedicere.
11 Clericus peritus in exorcizando, poteſt diſpenſari.
12 Si in actu exorcizandi adeſſet Sacerdos, Clericus debet deſiſtere.
13 Quæ neceſſaria ſint in perito exorciſta?
14 Exorciſmi operantur Divina virtute.
15 Exorciſta debet eſſe alienus ab Avaritia.
16 Sancta Sancte tractanda.
17 Conſtantia neceſſaria Exorciſtæ.
18 Exorciſta debet eſſe humilis.
19 Humilitatis virtutes, & effectus.
20 Ætas matura eſſe debet in Exorciſta.
21 Gravitas, & maturitas morum conſideranda in Exorciſta.
22 Exorciſta debet artem didiciſſe a libris.
23 Philoſophiam naturalem, & Theologiam callere debet.
24 Non omnes qui videntur Dæmoniaci, ſunt tales.
25 Dæmon eſt febris ſecundum Platonicos.
26 Mulieres facile ſe fingunt Dæmoniacas.
27 Signa ad cognoſcenda maleficia.
28 Cauſæ propter quas Deus permittat Dæmones vexare corpora.
29 Multi morbi a Dæmone procedunt.
30 Experimenta facienda ab exorciſta.
31 Verba habent vim ex inſtitutione Dei.
32 Verba Sacræ Scripturæ maxime valent.
33 Dæmones timent verba Sacræ Scripturæ.
34 Verba Sacræ Scripturæ repetenda ſunt.
35 Diabolo nihil credendum.
36 Exorciſta non debet opus imperfectum relinquere etiamſi longum ſit.
37 Affectio Dæmoniaca poteſt apparere infirmitas naturalis.
38 Diaboli impedimenta ne liberentur obſeſſi.
39 Præceptum tacitum faciendum ſuper energumeno.
40 Viſiones, Somnia, & Apparitiones ſunt tormenta a Diabolo.
41 Magorum auxilium implorandum non eſt.
42 Fraus Dæmonis in relinquendo Energumenum in puris naturalibus.
43 Oratio } ſunt arma potentiſſima contra
44 Jejunium } Diabolum.
45 Dæmon delectatur crapula.
46 An exorciſta, vel energumenus debeat eſſe jejunus?
47 Exorciſtæ debent ſe parare per dies ad hoc opus.
48 Triduum Jejunium ab aliquibus ſtatuitur.
49 Alii præſcribunt jejunium unius diei.
50 Locus aptus ad exorcizandum eſt Eccleſia.
51 Exorcizatio debet ſemper fieri cum aſſiſtentia arbitrorum.
52 Quinam debeant eſſe præſentes ad exorciſmos?
53 Tempus exorcizandi Energumenos.
54 Dæmones ſuſcitare poſſunt tempeſtates Deo permittente.
55 Tempore Bladorum, & fructuum non ſunt Exorcizandi Obſeſſi.
56 Sacramentum pœnitentiæ prodeſt Energumeno.
57 An permitti poſſit energumenis ſumptio Eucariſtiæ?
58 Qui muniendi, & qui privandi ſint hoc Sacramento.
59 Crucis ſigno Dæmones repelluntur.
60 Reliquiæ Sanctorum maxime ad id valent.
61 Reliquiæ quomodo exhibendæ energumenis?
62 Euchariſtia non eſt ponenda ſuper caput Obſeſſi.
63 Verboſitas fugienda ab exorciſta.
64 Exorciſta ſtudere debet obedientiam Dæmonis.
65 Dæmon aliquando fingit Divinitatem.
66 Animæ Defunctorum non vagantur per aliorum corpora.
67 Interrogationes faciendæ Energumeno.
68 Rationes cur faciendæ non ſint interrogationes?
69 Exorciſta curare non debet nugas, & ineptias Diaboli.
70 Exorciſta ſolus loqui debet.
71 Rituale habet optimos exorciſmos.
72 Melius eſt, ut exorciſta memoriæ mandet exorciſmos.
73 Imperandi modus in Exorcizando multum valet.
74 Signa ſomnoris, vel doloris in energumeno non ſunt Infirmitates.
75 Sunt meræ apparentiæ.
76 Ideo non ſunt medenda.

77 *Aqua*

77 *Aquæ benedicta ſemper debet eſſe ad latus exorciſtæ.*
78 *Verba quæ magis timeat Diabolus, repetenda.*
79 *Comminationes ſunt ultima jacula.*
80 *Comminationes quantum temporis durare debeant.*
81 *Medicina corporalis non propinanda Energumenis.*
82 *Exorciſta peccaret ſi propinaret.*
83 *Etiamſi eſſet in Medicina peritus.*
84 *Exorciſta non debet Chirurgiam exercere cum Energumeno.*
85 *In mulieribus exorcizandis quænam obſervanda ſint?*
86 *Fœminæ prægnantes non ſunt exorcizandæ.*
87 *In Monialibus exorcizandis quænam obſervanda ſint?*
88 *Verba Sacræ Scripturæ infeſtiſſima ſunt Dæmoni.*
89 *Exorciſta non debet detorquere verba Sacræ Scripturæ.*
90 *Soleciſmi, & Barbariſmi vitandi ab Exorciſta.*
91 *Inſtrumenta maleficiorum an ſint revelanda?*
92 *Clavi, Cultelli, & alia quæ evomuntur, an vere ſint talia?*
93 *Tentationes ſuas an Energumenus revelare debeat?*
94 *Antidota præſervantia Energumeno liberato præſtanda ſunt.*
95 *Cur Diabolus aliquando de novo invadat Energumenum?*
96 *Si Exorciſta non vincat, adoranda ſunt Divina judicia.*
97 *Peccatum eſt obex ad impetrandam Divinam gratiam.*
98 *Exorciſta debet eſſe conſcientia purus.*
99 *Miſſam celebrare ante exorcizationem, optimum.*
100 *Veſtes adhibendæ ab Exorciſtis.*
101 *Stola an neceſſaria ſit?*
102 *Stola eſt adhibenda vigore præcepti.*
103 *Stolæ virtus ad effugandos Dæmones.*
104 *Obſeſſus furens an ligari debeat?*
105 *Litaniæ Sanctorum recitandæ.*
106 *Antiphona* Ne reminiſcaris *quare dicatur?*
107 *A Præceptis incipit exorcizatio.*
108 *Præcepta ſunt quintuplicis generis.*
109 *Præcepta fieri poſſunt expreſſe, & tacite.*
110 *Objurgatio in quo differat a Præcepto.*
111 *Dæmon confunditur objurgationibus.*
112 *Præcepta tacita ſunt utilia capite plectendis.*
113 *Præcepta verbalia fieri poſſunt vernacula lingua.*
114 *Evangelii Virtus contra Dæmones.*
115 *Signum Crucis in fronte Energumeni quare fiat.*
116 *Evangeliorum virtutes in hoc caſu.*
117 *Stolæ pars imponenda collo Energumeni.*
118 *Manuum Sacerdotalium impoſitio magnæ virtutis.*
119 *Quare Signum Crucis fiat in fronte, & pectore Energumeni?*
120 *Si nox ſuperveniat, ſuſpendi debent Exorciſmi.*
121 *Si Energumenus viribus deficeret quid agendum?*
122 *Preces inſtitutæ ad hoc ab Eccleſia.*
123 *Oratio Dominicalis multum valet.*
124 *Salutatio Angelica valet maxime. Symbola Apoſtolorum.*
125 *Canticum* Magnificat.
126 *Canticum* Zachariæ.
127 *Pſalmi* Qui habitat *magna vis in exorcizando obſeſſo.*
128 *Aliorum Pſalmorum adhibendorum ſignificatio.*
129 *Probandum eſt an ficte, vel vere Diabolus exiverit?*
130 *Adjurationes faciendæ ſuper bruchos, & locuſtas.*
131 *Maledictiones ſupra beſtias non faciendæ.*
132 *Preces fundendæ ut Deus avertat Animalia noxia.*
133 *Adjurationes referuntur ad Diabolum.*
134 *Modus licitus Animalia adjurandi.*
135 *Epiſcopus in Viſitatione hos abuſus eliminet.*

INTER Remedia Divina, & Spiritualia, ſeu Eccleſiaſtica ad liberandos a Diabolo obſeſſos, præcipuum
1 locum tenet *Exorciſtatus*: eſtque Ordo, nempe Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum tunc, cum *convocatis duodecim Diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem Spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem*, *Matth.* 10. onde nemo eſt, qui dubitare poſſit de hujuſmodi Eccleſiaſtica poteſtate, quam uſque a primis temporibus exercebant Apoſtoli, ut Lucas ſcribit *in Actis*, & Ignatius Martyr in *Ep. ad Antioch.* quos refert Martinus del Rio *diſquiſ. mag. lib. 6. cap. 2. ſect. 3.*
2 Poſt Apoſtolos, initio naſcentis Eccleſiæ Clericis in hoc Ordine conſtitutis munus exorcizandi committebatur, quia tunc tanta erat Energumenorum copia, ut
3 quaſi Greges ad Eccleſiam accederent, teſte Greg. de Valentia *tit. 4. diſp. 9. q. 1. punct. 3.* Inſuper multa erat copia Baptizandorum, a quibus Dæmonia ejicere oportebat; pauci enim erant tunc Sacerdotes, Turrecrem. *in cap. Sacerdos, de conſecr. diſt. 4.*

Tracto temporis vero, per Epiſcopos iſta facultas Clericis ſublata fuit, quamvis in exorciſtatus ordine conſti- 4
tutis, ob multa ſcandala, quæ in dies oriebantur, ex eorum imperitia: nam quamvis illud remedium ſpirituale ab omni periculo, & ſuſpicione careat, animæ ſemper proſit, corpori vero numquam noceat, nihilominus cum maxima cautela adhibendum eſt, ut effectum ſuum ſortiatur. Propterea inter munera Epiſcopalia illud hodie eſt, non ſolum exorciſtatus ordinem conferre, ſed poſt il- 5
lum, facultatem quoque, & juriſdictionem impertiendi cui magis videbitur; nam antequam quis exorciſtatus officio utatur, de multis docendus, & inſtruendus eſt, ut rite & recte illud perficiat.

Quamvis itaque in hunc Ordinem aſſumpto, confeſtim Dæmones abjurare (quod proprie Exorciſtæ nomen deſignat) ac expellere ex vi Ordinis liceat, attamen receptæ poteſtatis, non niſi ex Superioris, hoc eſt Ordinarii, conceſſione, plenum ſibi miniſterium relaxatur. Nihilominus ne inutilis in Clericis videatur iſte Ordo, ſi communicaturis Energumenis, vel venerationi, vel perceptioni Sanctiſſimæ Euchariſtiæ videatur nefarius obſiſtere ſpiritus, ejus interdum increpare audaciam, retundere ſuperbiam, ac ſiſtere conatum humili deprecatione ad Deum præmonitus, nequaquam Exorciſta prohibetur. Et idem dicitur ut obſeſſos a Dæmone reddat aptos ad intereſſendum Sacrificio Miſſæ. Itaque in hunc Ordinem 6
cooptandum, ut recte, & fructuoſe ſe gerat in ſuo munere, & latino ſermone cultum, & probitatis vitæ cultorem eſſe oportet; prout docet Cabaſſ. *direct. ordin. de exorciſt. Ordine, cap. 15. in Præfatione.*

Igitur Sacerdoti petenti facultatem exorcizandi, ſeu potius juriſdictionem ampliativam facultatis in Ordine receptæ, ſolus Epiſcopus concedere poteſt, vel ejus Vicarius, Barboſ. *de Ep. p. 2. alleg. 11. numer. 11.* Sed nulla, quod ſciam, apud Scriptores extat formula hanc facultatem concedendi, & quod gravius eſt, neque diligentiſſimus Monacellius in ejus *Formulario Legali practico*, illam exhibet, quando ſigna refert Dæmoniaci agnoſcendi *T. 3. t. 1. for. 47. adnot. 4.*

Verum, ut pro meis viribus omni expectationi ſatisfaciam, hanc formulam, ad inſtructionem Cancellariorum Epiſcopalium afferam, quam mihi humaniſſime tradidit Dominus meus Michael Archangelus Berti, digniſſimus Eccleſiæ Ferrarienſis Præpoſitus, quem honoris cauſa nomino, eſtque talis formula illa, quam ipſe adhibebat tunc, cum Vicarii Generalis munus implebat, tam Ferrariæ, quam in aliis Civitatibus. Tenor autem Formulæ hujuſmodi facultatis hic eſt.

FORMULA LICENTIÆ EXORCIZANDI.

Tibi R. N. cujus probata vita, laudabiles mores, & 7
fidei conſtantia propria idoneitatis præbent teſtimonium, facultatem concedimus (non uteris tamen a Kal. Maji ad Kal. Novembres) Exorcizandi a Dæmonibus obſeſſos, in Eccleſia, non ante Solis Ortum, nec poſt ejuſdem Occaſum, admiſſis tantum aliquibus probatæ vitæ Sacerdotibus, expulſo reliquo Populo: & quatenus exorcizanda ſit Mulier, ad eam non approximeris pluſquam exigat modeſtia, & coram pluribus ejus conſanguineis, aut affinibus id ſemper agas. Cautum inſuper te volumus, ne ulla quæſtu, ac mercedis ſpe movearis; imo nec aliquid recipias, quod pro ſuſcepto munere remunerationis umbram gerat. Uteris quidem Ritualis Romani inſtructione, non vero precibus, & conjurationibus in ipſo Rituali non contentis, & a Catholica Eccleſia non approbatis: quare pocula Obſeſſanon propines, nec Unctionibus, parvis Crucibus, aliiſque inſolitis Ritibus utaris. Præſentibus ad..... valituris. In fidem, &c.

N. Epiſcopus, &c.

L. ✠ *S.* *N. Cancellarius.*

Hac munitus facultate, & juriſdictione Sacerdos (quæ in ſcriptis eſſe debet juxta allegata a *Sacerdotal. Bruxinen. & Act. Mediol.*) priuſquam hoc munus exerceat, diligenter attendat quæ in generali Ritualis Romani Rubrica circa modum exorcizandi, exponuntur, videlicet:

§. I. Sacerdos, ſeu quivis alius legitimus Eccleſiæ Miniſter, vexatos a Dæmone exorcizaturus, ea qua par eſt pietate, prudentia, ac vitæ integritate præditus eſſe debet: qui non ſua, ſed Divina fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, tam pium opus ex charitate conſtanter, & humiliter exequatur. Hunc præterea maturæ ætatis eſſe decet, & non ſolum officio, ſed etiam morum gravitate reverendum.

8 Quamvis miniſterium exorcizandi, quilibet exorciſta
rite ordinatus exercere poſſit, *Can. perlectis*, *diſt.* 25. ta-
men, ex communi Eccleſiæ praxi, ad Sacerdotes pro-
prie, ac principaliter pertinet, ob dignitatem adeo emi-
9 nentem, per quam ſuper Angelos, & Dæmones eve-
huntur. Ratio notiſſima eſt, quia, cum præter exorciſ-
mos, perfici quoque debeant multæ Benedictiones, cum
10 hæc omnia explere nequeat ſimplex exorciſta, convenien-
tius fiunt per Sacerdotem.
Neque per hoc, quod Rubrica dicit: *Seu quilibet alius
legitimus Eccleſiæ miniſter*, intelligi debet de Sacerdote
in genere loquendo, ſed reſpective; nempe ſi daretur ca-
ſus, in quo Sacerdos peritus non adeſſet, & e conver-
11 ſo, Clericus reperiretur bene inſtructus, tunc Clerici
exorciſtæ munus eſſet hoc officium præſtare. Ubi nota,
quod per ly *legitimus*, venit ille tantum, qui poteſta-
tem habet delegatam, ſeu facultativam ab Ordinario:
Cæteri poſſunt eſſe Miniſtri, ſed non legitimi, quia ab
Ordinario non approbati.
12 In caſu vero, quod Clericus exorciſtæ munus iſtud
exerceret, ſe ab illo abſtinere deberet, ſi adeſſet præſens
aliquis in ſupremo Ordine conſtitutus, qui ſolus, hac
noſtra ætate, officium pellendi Dæmones præſtatet, Bar-
boſ. *de Ep. p.* 2. *art.* 11, *num.* 11.
13 *Pietate, prudentia, Integritate, &c.* Tria hæc potiſſi-
mum neceſſaria ſunt in perito exorciſta: Pietas, ut fi-
dem alteri inſtillare valeat: Prudentia, ut nonniſi quæ
fieri poſſunt, tentet: Vitæ integritas, ut Dæmon illum
redarguere non valeat Evangelico ſarcaſmo: *Medice, cu-
ra te ipſum*, Luc. 4.
14 *Divina fretus virtute; &c.* Exorciſta non de ſua, ſed
de Domini præſumere debet virtute, prout narrat M.
del Rio, *diſq. Mag. l.* 6. *ſect.* 1. *c.* 2. feciſſe B. Urima-
rum Epiſcopum. Chriſtus enim, qui exorciſmos inſti-
tuit, atque adhibuit, virtutem illis tradidit ſupernatura-
lem, ut docet P. Thyræus *p.* 3. *de Dæmoniac. c.* 43. nam
ſatis ridiculum eſt putare, res poſſe effingi naturales,
quæ naturaliter operando Dæmonem cogant, qui factus
eſt ut nihil timeat, Torreblanc. *l.* 4. *c.* 6. *numer.* 29.
Cupiditate alienus, &c. Ad hunc locum ſpectant quæ 15
diximus in Titulo primo generali: *De his, quæ in Sa-
cramentorum adminiſtratione generaliter ſervanda ſunt*, §.
13. Et quamvis Exorciſmi non ſint Sacramenta, ſed Sa-
cramentalia; attamen hæc quoque ab omni avaritiæ, &
cupiditatis labe immunia eſſe debent, quia Sancta ſunt, 16
& Sancte tractanda, ut alibi diximus. Quapropter in
formula licentiæ exorcizandi, hoc maxime inculcatur,
ut hoc pacto argumentum omnimodæ avaritiæ auferetur;
& ita Hæretici redarguere nequeant opus tam pium,
tanquam ad emungendas pecunias inſtitutum, *Conc. Pro-
vinc.* 2.
Conſtanter & humiliter exequatur. Cum maxima ver- 17
ſutie Diabolus præditus ſit, omnes vias tentat, ut exor-
ciſtam tædio afficiat, longa, & diuturna pertinacia per-
manendo in corpore obſeſſi: quare qui conſtantis, & in-
trepidi animi virtutem habere deſperat, non vincit, ſed
vincitur e Diabolo pertinaci. Humilitas porro eſt vir- 18
tus ex diametro oppoſita Diabolo, qui Pater eſt ſuper-
biæ, & propterea contra eundem magnam virtutem ha-
bet, & a S. Bernardo, *Serm.* 85. vocatur flagellum Dia-
boli: ſicut in humilitate ſalus cuſtoditur, & eadem 19
vincitur ſuperbia, Sylveira *in Evang. T.* 4. *l.* 2. *q.* 2.
n. 5.
Maturæ ætatis, &c. Ætas in ſuſcipiendo Ordine exor- 20
ciſtatus ſufficit, ut ad decimum tertium annum ordinan-
dus pervenerit, Barboſ. *d. num.* 2. ſed cum hæc ætas
non ſit præfixa a Concilio Tridentino, attendenda eſt
quæ a Canone præſcribitur, ut deciſam referunt Ar-
mendar. & Barboſa *locis citatis*. Quo vero ad exerci-
tium hujus Ordinis per delegationem, matura ætas re-
quiritur, quæ annorum numero non commenſuratur,
ſed prudentiæ dono, & gravitate, ſeu maturitate morum.
Certe neceſſe eſt, ut etiam in exteriori aſpectu, exor-
ciſta venerabundus ſit, nec nimis Hominum familiaris, 21
quo fit, ut ab aſpectu ejus quandoque deterreantur Dæ-
mones.

§. II. Ut igitur ſuo munere recte fungatur, cum alia multa ſibi utilia documenta, quæ brevitatis gratia hoc loco prætermittuntur, ex probatis Authoribus, & ex uſu noſſe ſtudeat, tum hæc pauca magis neceſſaria diligenter obſervabit.

22 Ne Exorciſta in varios incidat errores, atque ne in
judicando de maleficiis excutiat, ac ſe ipſum, & ægros
in foveam præcipitet, præter morales virtutes, quibus
imbutus eſſe debet, neceſſe eſt quoque, ut artem hanc
e libris addiſcat, & præ omnibus, Philoſophiam natura-
lem, & Theologiam calleat, ut recte dignoſcat remedia, 23
quæ in caſibus occurrentibus adhibenda ſunt.

§. III. Inprimis, ne facile credat, aliquem a Dæmone obſeſſum eſſe, ſed nota habeat ea ſigna, quibus obſeſſus dignoſcitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem Dæmonis obſidentis ſunt: ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere: diſtantia, & occulta patefacere: vires ſupra ætatis, ſeu conditionis naturam oſtendere, & id genus alia, quæ cum plurima concurrunt, majora ſunt indicia.

24 Si omnes illi, qui Dæmoniaco morbo ſe laborare di-
cunt, vere Dæmoniaci eſſent; pene totus Orbis eſſet a
Dæmone obſeſſus, & præcipue totus Fœminarum grex:
quemcumque enim morbum (qui plures ſunt) incurabi-
lem reputant, hunc cum Dæmone partem habere con-
cludunt, ac ſi vera eſſet, & irrefragabilis opinio, &
ſententia illa Plotini, & Marſilii Ficini, omnem Fe-
25 brem Dæmonem eſſe *Ennead.* 4. 2. Quare prudens Exor-
ciſta illud in primis corde recogitabit, a Spiritu Sancto
nobis traditum: *Qui cito credit, levis eſt corde*, *Eccli.*
19. Ex centum enim corporibus, quæ a Dæmone ob-
26 ſeſſa dicuntur, vix duo erunt vere maleficiata, & hæc
ut plurimum erunt Fœmellarum, quæ plurimis morbis
obnoxiæ eſſe ſolent, & fingunt ſe eſſe Dæmoniacas, li-
cet non ſint, Monacell. *d. p.* 3. *t.* 1. *for.* 47. *n.* 4.
27 Quare ad dignoſcendam, quantum fieri poſſit, hanc
veritatem, Rubrica noſtra plura ſigna effert, per quæ ve-
te diſcerni poſſit morbus fictitius e reali, & naturalis a
ſupernaturali: Sed præter hæc ſigna allegata e Rituali,
multa alia affert Sacerdotale Brixinen. *diſt.* 10. *c.* 16.
num. 3. multa Martinus del Rio *diſq. Magic. l.* 6. *qu.*
3. *ſect.* 2. e Monacell. *d. l.* diſtincte enumerate. Hoc
unum tantum dicam, Deum permittere, Dæmonem in-
troire in hominum corpora, & ea vexare pluribus de
cauſis. Quod autem ette & potentia Cacodæmonum, 28
Deo permittente, hi, & alii mirabiles morbi procuren- 29
tur, & cauſentur in corporibus humanis, in vindictam
ſcelerum impiis, aut in meritum Coronæ piis, probat
authoritate Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, Docto-
rum, & exemplorum Stengel. *Mund. theor. l.* 4. *cap.* 18.
per tot. ubi ait: negantes morbos nonnullos e Dæmoni-
bus provenire, inter Ethnicos, & Atheos eſſe annume-
randos.

§. IV. Hæc autem ut magis cognoſcat, poſt unum, aut alterum exorciſmum, interroget obſeſſum, quid ſenſerit in animo, vel in corpore, ut ſciat etiam ad quænam verba magis Diaboli conturbentur, ut ea deinceps magis inculcet, ac repetat.

Ea quæ in hoc paragrapho continentur, adeo cla-
ra ſunt, ut nulla indigeant explicatione. De experi-
30 mento faciendo ab Exorciſta fit mentio, ut duo potiſ-
ſimum agnoſcat, nempe, an patiens ſit vere e Dæmone
vexatus: hoc cognito, quæ verba ſint magis adhiben-
da ad illum fugandum: quamvis enim nulla verba
vim habeant naturalem aliquid efficiendi more agentis
phyſici, attamen ſunt quædam verba, quæ habent vim
31 operandi ex inſtituto Dei, & eorum effectus eſt ſuper-
naturalis; del Rio *d. l.* 6. *Anacephal. mreit.* 5. & hæc
verba ſunt Sacra. Ex. gr. *Deum, qui te genuit, de- 32
reliquiſti; & oblitus es Dei Creatoris tui*; *Deuteron.* 32.
Sive; *Ecce vicit Leo de Tribu Juda*; *ex Apoc.* 5. & alia
Symboli Apoſtolici, Chriſti Nativitatem, Paſſionem,
Mortem, Reſurrectionem, ac Judicium extremum
denotantia: quæ omnia, cum Dæmonibus ſtatum feliciſ-
ſimum, a quo ceciderunt, Chriſtique virtutem, ac forti-
tudinem, qua eorum diſſipatæ ſunt vires, objiciant,
hi ſuperbiſſimi ſtatum ſuum miſerrimum, impoten- 33
tiam, & virium imbecillitatem ad mentem ſibi re-
vocan-

vocantes, ſummopere contriſtantur: a qua triſtitia ut ſe ipſos eripiant, quos vexatos homines detinent, quandoque derelinquunt, vel ſaltem confuſi, non adeo graviter lædunt, aut acriter torquent. Inſuper ad hæc verba Dæmones facilius commoventur, & id eo facilius ſignum apertum præbent evidenter de eorum incolatu in humano corpore ab illis vexato: propter quod admonendus eſt Sacerdos, ut illa ſæpius, & gravius repetat, atque ad tædium perducat tam nefandum habitatorem.

§. V. Advertat, quibus artibus, ac deceptionibus utantur Dæmones ad Exorciſtam decipiendum: ſolent enim ut plurimum fallaciter reſpondere, & difficile ſe manifeſtare, ut Exorciſta diu defatigatus deſiſtat, aut infirmus videatur non eſſe a Dæmonio vexatus. Aliquando poſtquam ſunt manifeſti, abſcondunt ſe, & relinquunt corpus quaſi liberum ab omni moleſtia, ut Infirmus putet, ſe omnino eſſe liberatum: ſed ceſſare non debet Exorciſta, donec viderit ſigna liberationis.

De Diabolicæ fraudis verſutia ſatis conſtat apud homi-
35 nes Fideles, & communites Diabolus appellatur deceptor,
impoſtor, fallaciarum, ac dolorum Artifex: ideoque nihil ei credendum eſſe, etiam ſi veritatem patentiſſimam
promat, quia cum ſit Pater mendacii, ſemper ſaltem
de æquivoco timeri debet. Regula igitur generalis pro
Exorciſta, in hoc caſu, eſt, ut nihil fidem præſtat ſignis, & verbis Diaboli, atque ſemper de dolo formi-
det: nec per hoc, quod in longum procedat exorcizatio, debet 36
Sacerdos opus ſuum relaxare, ſed magis, ac magis
inſiſtere, & vires omnes renovare, ut tandem Inimicus
tædio affectus extrudatur omnino.

§. VI. Aliquando etiam Dæmones ponunt quæcumque poſſunt impedimenta, ne infirmus ſe ſubjiciat exorciſmis, vel conantur perſuadere infirmitatem eſſe naturalem, interdum in medio exorciſmi faciunt dormire infirmum, & ei viſionem aliquam oſtendunt, ſubtrahendo ſe, ut infirmus liberatus videatur.

Sicuti quandoque infirmitas naturalis, ab aliquibus
37 judicatur ſupernaturalis, nempe quod ſit invaſio Dæmonis: ita aliquando evenire poteſt, ut affectio vere Dæ-
moniaca videri poſſit infirmitas naturalis. In primo caſu eſt illuſio ægri ſic volentis, vel ſic fingen-
tis: in ſecundo vero eſt illuſio Dæmonis ſic conantis,
38 ut exorciſmorum remedio non ſuccurratur Patienti. Hoc
itaque eſt unum ex impedimentis a Textu allatis, per
quæ induci poteſt obſeſſus ad non ſe ſubjiciendum
exorciſmis: ſed peritus Exorciſta hoc, & alia hu-
juſmodi impedimenta, cauta advertere debet: & regu-
la generalis eſt, ut Præceptum tacitum a Sacerdote
fiat ſuppoſito Energumeno, ut ſe manifeſtet. Procul
dubio ſi tali morbo ſupernaturali laborat, patefiet; &
39 velit, nolit, ad exorciſmos accedet, tanta eſt Sa-
cerdotalis poteſtas. Vidi ego Energumenum furentem,
& catenis vinctum ſupra currum ductum ad peritiſſimum
Exorciſtam, qui erat R. Dominicus Coſſina Avunculus meus, Eccleſiæ Plebis Vigarani in Diœc. Ferra-
rien. Archipresbyter, cujus memoria in benedictione
ſit. Nulla humana vis Energumenum e Curru amovere valebat, ut deſcenderet ad Eccleſiam, ubi a piiſſimo
Archipresbytero Exorciſta ſtante ad Portam majorem
cum ſuperpelliceo, & ſtola, expectabatur. Itaque
deſperato humano auxilio, currum intra Eccleſiam
trahere jam jam decreverant Ruſtici, & ſecum Energumenum factum ad inſtar Montis plumbei graviſſimi,
& immobilis: cui improbo conſilio non conſentiens laudatus Parochus: ſiſtite, inquit, ad Valvas Cœmeterii:
Æger, Deo dante, de ſe deſcendet; factoque tacito
præcepto Dæmoni, ut gravitatem omnem a miſerrimo
patiente auferret, ſolutis vinculis, ipſe illico deſcendit,
& intra Eccleſiam, ad Sacerdotis nutum ſe recepit tamquam Agnus manſuetus, & docilis. Ecce quam renuat
Dæmon ab acceſſu ad Exorciſtas, & exorciſmos,
& ecce quam facile iſta reſiſtentia vincatur. Non dereliquerat eum Diabolus, ſed ficte, ut Æger liber appareret: noviter vero a Sacerdote vibratis exorciſmis, ſe
manifeſtavit; quorum virtute poſtea aufugit, liberumque
Infirmum plene reliquit.
Viſionibus deorum, & ſomniis quandoque Dæmon ve- 40
xat Energumenos, necnon imaginariis apparitionibus,
per quas (cum præcipue rerum Sacrarum ſint) fit, ut
Æger ſola divina ſomniando, videatur Deo dilectus, &
non in manibus Diaboli. Iſta vexatio, eodem modo,
quo aliæ, manifeſtari poteſt, ſi exorciſmi, & præcepta
fiant, quorum imperio Diabolus parere tenetur.

§. VII. Aliqui oſtendunt factum maleficium, & a quibus ſit factum, & modum ad illud diſſipandum: ſed caveat, ne ob hoc ad Magos, vel ad Sagas, vel ad alios, quam ad Eccleſiæ Miniſtros confugiat, aut ulla ſuperſtitione, aut alio modo illicito utatur.

41 Ad Energumenos ſpectat iſta Paragraphus, a qua detegitur alia Diaboli malitia, qui non contentus vexandi corpus illius, animam quoque illaqueare ſtudet, ut ad illicitas artes ſe convertat, conſulendo Magos, & maleficos ab Eccleſia damnatos.

Porro id quod non licet Energumeno, neque licere debet Sacerdoti Exorciſtæ, cui ſub pœna graviſſimi peccati prohibetur rogare Magum, ut tollat maleficium per aliud maleficium, ubi alia via maleficiatus ſanari non poſſit, quia hoc nihil aliud eſſet, quam Dæmonis auxilium per Dæmonem invocare, Sylveſt. *in ſumm. verb. malef. q.* 8. Barboſ. *de Ep. p.* 2. *alleg.* 11. *n.* 11. atque hoc vere in *Beelzebub ejicere Dæmonia* dici poſſet, juxta id quod habemus in *Luc.* 11. per Turbas Chriſto objurgatum fuiſſe. Dari enim poteſt caſus, in quo maleficium ſublatum videatur ab homine malefico, ſive Mago, ſed hæc eſt mera apparentia; nam Magi ſemper operantur per incantationes, prout habemus in *Exod. c.* 7. ubi dicitur, quod Pharao vocavit Sapientes, & maleficos, hoc eſt Magos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, ut projectæ Virgæ verterentur in Dracones, quos Virga Aaron devoravit.

Magi communiter vocantur Sapientes, Philoſophi, & Gymnoſophiſtæ, quia olim Theologiæ, & Philoſophiæ ſtudiis vacabant, eamque authoritatem conciliaverunt ſibi apud Perſas, ut electos quandoque Reges ex numero eorum referat Herodotus, Funger. *Lex Philol.* quod ipſum confirmat Strabo *Geograph.* 1. cum ſcribit Sacerdotibus Ægyptiorum, Chaldæis, Magiſque, qui aliis ſapientia præſtabant, honores, & imperia fuiſſe delata. Sed cum ſint artes cognatæ Magia, & Incantatio, hinc eſt, quod hoc nomen *Magi* apud Latinos, & Græcos nonniſi in vitio poni cœpit, Funger. *ibid.* Et revera hodie cum Diabolo conſentiunt, & nonniſi per Diabolicas incantationes operantur, ſiqui adſint in Orbe Magi, qui certe in Italia vel rariores Phœnice ſunt, vel nulli.

Non tantæ raritatis ſunt *Sagæ*. Saga interpretatur Anus, quæ multa vult ſcire. Verbum enim *Sagire* eſt acute ſentire, quod in divinatione ſcribit Cicero; & referunt ad maleficas Mulieres, quas *Striges* appellamus; & de quibus *Jo:* Picus luculentiſſimum Dialogum ſcripſit, ubi harum faſcinantiam, & maleficarum artes iniquiſſimas ad homines infeſtandos ab illis adhibitas, aperit. Iſtæ in Italia, prout diximus, non adeo raræ ſunt, & conventiculas, & cœtus habent ad facienda comitia, & machinationes pro pueris præcipue, & fœminis contaminandis: quæ ſi a venerando S. Officii Tribunali deteguntur, longa pœna, & opprobrio mulctantur.

§. VIII. Quandoque Diabolus Infirmum quieſcere, & ſuſcipere Sanctiſſimam Euchariſtiam permittit, ut diſceſſiſſe videatur. Denique innumerabiles ſunt artes, & fraudes Diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur, Exorciſta cautus eſſe debet.

42 Alia fraus Diaboli eſt, Infirmum in ſuis paris natu-
ralibus relinquere, & animum illius inducere ad pia o-
pera, & quod majus eſt ad ſuſcipiendam Euchariſtiam,
ut ſic Sacerdoti appareat Energumenus ab omni infeſta-
tione liber, ſi prompte, & ex corde accedit ad rem
tantæ dignitatis, & ſanctitatis. Sed hic, ut inquit Syl-
veira *in Evangel. l. 2. cap. 4. q. 22. n. 85*, Hoſtis humi-
litate fallit; & hæc quoque inſidia eſt inimici, ut eo
tutius, & diutius occupet corpus jam obſeſſum, & ap-
parenter omnibus pateat, illud immune eſſe a malo ſpi-
ritu, ſi tanta pietate accedit ad menſam, quæ Diabolo
terribilis nuncupatur a Chryſoſtomo, *Homil. 61. ad Po-
pul. Ant.* Hoc pacto Dæmon diuturnam ſibi facit man-
ſionem, accenſa hac falſa pietate, Exorciſtas ab Obſeſ-
ſo, & album pro nigro vendicando. Ad quæ omnia pru-
dens, & cautus Exorciſta paratus eſſe debet, nec ab e-
xorciſmis, & præceptis abſtinere, ut veritas manifeſte-
tur. Nec homo, licet a Diabolo detentus, poteſt men-
tem ab hac manifeſtatione revocare, quamvis enim Dia-
bolus ingrediatur humanum corpus, non tamen illabi po-
teſt in mentem hominis: ſolus enim Dominus illabitur
menti noſtræ, ut docet S. Th. *quodlibet. 3. art.* 8. Hæc
inſuper doctrina inhærere debet Animo Exorciſtæ, nem-
pe, quod ſpiritus Dæmoniacus, non eſt in Homine ut
ſpiritus humanus, ſeu Anima: non enim poteſt eſſe for-
ma corporis humani, nec ibi eſt tanquam pars integrans
corporis, ſed tanquam locatus in loco, inſtrumento or-
ganico uſurus; & ſicut nos virtute propria manus ap-
plicando corporibus, ea multipliciter movemus, ita Dæ-
mon intra corpora exiſtens, ſua virtute ea movet, &
eorum membra; & cum ipſe ſit ſpiritus intra hominem,
nullum locum quantitative occupat. Quæ omnia recte
docent, & explicant S. Auguſtin. *l. 19. de Civit. cap. 4.
& lib. de Eccleſ. dogmat. cap. 82.* S. Thom. *quodlib. 3. art.*
8. Cæſarius *l. 5. cap. 13. q. 113.* Abul. *in cap. 7. Exod. q. 16.
& in cap. 8. Matth. q. 113.* del Rio *l. 3. de Mag. diſquiſ. p.
1. q. 4. ſect. 4.* Toler. *in c. 4. Luc. annot.* 54. Sylveira *in Ev.
T. 2. l. 4. c. 23. q. 2. n. 8.*

§. IX. Quare memor, Dominum noſtrum dixiſſe, genus eſſe Dæmoniorum, quod non ejicitur niſi per orationem, & jejunium, *Matth.* 17. hæc duo potiſſimum remedia ad impetrandum Divinum auxilium, Dæmoneſque pellendos, exemplo Sanctorum Patrum, quaad ejus fieri poterit, tum per ſe, tum per alios curet adhiberi.

43 Duo Arma potentiſſima ſunt ad Dæmonem vincen-
dum, Oratio, & Jejunium. De Oratione clare patet,
44 quia cum ſit deprecativa, opem ſuam implorat, quæ
miſericordiæ ſuæ fontem petentibus aperit.

De Jejunio vero ait S. Leo *Ser. 5. Nec contra peccata
faciunt fortiores; concupiſcentias vincunt, tentationes re-
pellunt, &c.*

Quodnam ſit genus hoc Dæmoniorum, quod per O-
rationem, & Jejunium ejiciatur, docet Maldonat. *in
Evang. Matt. cap. 17. nu. 21.* & dicit, debere intelligi
Dæmoniorum illorum, qui diu hominem poſſederint, ac
ſi difficilius ſit, inveteratos quam recentes curare mor-
bos: nam per longam, & imperturbatam manſionem
fiunt obſtinatiſſimi, & ferociſſimi iſti Dæmones. Ita ſu-
per ad pellendum Dæmonem Jejunium valet, ſicuti cra-
45 pula valet ad alliciendum, & detinendum illum. Quem-
admodum igitur crapula delectatur Dæmon, ita Jeju-
nium ferre non poteſt. Fides credendo; Oratio peten-
do: *Jejunium* tacendo, ſed flagellando, & urendo Dæ-
monem pellit, ex Maldonat. *ibid.* qui dubium inter In-
45 terpretes, ſuper hoc eſſe ait: Uter nam orare, ac je-
junare debeat, is ne qui Dæmonem pellit, an is a quo
pellitur? Sunt enim qui putant Chriſtum loco ſupradi-
cto ſignificare voluiſſe eum, a quo Dæmon pellendus eſt,
jejunare debere: alii utrumque. Non dubium utriuſque
Jejunium & Orationem maxime juvare; ſed Chriſtus de
eo tantum, qui Dæmonem expellit, videtur loqui: do-
cet enim Apoſtolos, quemadmodum hoc Dæmoniorum
genus ejicere debeant, cum ipſi id facere nequiviſſent,
dicentes: *Quare nos non potuimus ejicere illum?*

Ex quo patet non unius momenti rem eſſe exorcizare
a Dæmone obſeſſos, ſed per dies eſſe Exorciſtas ad tan- 47
tum opus parandos, ut Jejunium, & Oratio non unius
horæ, vel unius diei ſit, ſed plurium, atque ita valeant
quod poſtulant, impetrare.

Sacerdotale Brixinen. in Regulis Exorciſtarum *diſt. 10.
cap. 27. nu. 1.* triduanum Jejunium ſtatuit Sacerdoti ad
ſe præparandum huic miniſterio, eo quia cum callidiſſi- 48
mo, & potentiſſimo hoſte prælium initurus eſt: ideo ne-
ceſſe ducit, ut per quam optime, armis validiſſimis ſe
muniat. S. Carolus vero *Prov. 4. p. 2.* ad unum diem
tantum Jejunium reſtringit, dum dicit: *Pridie illius diei,
quo alicui exorciſmum adhibere tenuerit, ſe Jejunio, &
Oratione præparare ſtudeat.* Utile etiam erit, ſi hoc fa-
ciendum perſuadeat ab Amicis, & Aſſinibus Energume-
ni, ut ita multiplicatis armis, hoſtis facilius profligetur.

§. X. In Eccleſiam, ſi commode fieri poteſt, vel in alium religioſum, & honeſtum locum, ſeorſum a multitudine perductus Energumenus exorcizatur: Sed ſi fuerit Ægrotus, vel perſona nobilis, vel alia honeſta de cauſa, in domo privata exorcizari poterit.

50 Secundum regulam antiquorum Exorciſtarum, Eccle-
ſia erat locus aptior ad adjurandos Energumenos. De
facto, S. Carolus *Act. p. 1. Provin. 4. p. 2.* præcipit, ne
in ædibus laicalibus, locisve privatis, ſed in Eccleſia,
loco aperto, & conſpicuo, neque in omni quavis Eccle-
ſia, ſed in iis ſolum, quas certas Epiſcopus ſtatuerit,
Energumeni exorcizentur; neque in conſpectu multitu-
51 dinis, non remotis tamen arbitris, ſed præſentibus Viris
honeſtis, atque ætate gravibus, in iiſque uno ſaltem,
vel duobus Eccleſiaſticis hominibus.

Nihilominus ſunt Authores, qui in contrarium opi-
nantur, & docent, quod ad inconvenientia vitanda,
quæ ſæpius ex Populi multitudine aſſiſtente evenire ſo-
lent, qui non devotionis gratia, ſed curioſitatis cauſa
conſluunt, ſanum ſit conſilium, ſi Exorciſta, paucis præ-
ſentibus, puta conſanguineis, domeſticis, aut amicis
52 Perſonæ Obſeſſæ, & uno ſaltem (ſi poſſibile ſit) Sa-
cerdote, aut Religioſo; & non coram totius Populi
multitudine congregata, in aliquo ſecreto Oratorio, vel
etiam ipſius Obſeſſi Domo, ante Imaginem Domini
Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis, munere ſuo
fungaretur, Peirin. *Formul. Prælat. lit. E, Sacerdotal. Bri-
xinen. l. 2. nu. 7.*

53 In Rituali noſtro mentio fit de loco, in quo fieri poſ-
ſunt Exorciſmi ſuper Energumenos: non vero de tem-
pore hoc faciendi: & tamen eo quia in formula facul-
tatis a nobis ſupra deſcripta adeſt hæc ſpecialis adverten-
tia (*non uteris tamen a Kal. Maji, ad Kal. Novem-
bris,*) neceſſe eſt, ut hoc tempus caute limitetur: nam
cum a die ſupradicta, p. m. Bladæ efflorere, & vire-
ſcere incipiant, atque identidem fructus creſcant, & ma-
tureſcant in Campis, & Vineis, optimum conſilium
eſt, ut avertantur illi Exorciſmi. Ratio eſt, quia (ut
pluries obſervatum eſt) Dæmones ægre ferentes dictos
exorciſmos, & vim ab iis ſibi illatam, ut e corporibus 54
exeant, & obſeſſos deſerant, Deo permittente, poſſunt
tempeſtates in aere excitare, ventos commovere, plu-
vias, & grandines ſuſcitare in damnum frugum terræ:
quod pluribus rationibus probatur a Torreblanca, *de
Magia, lib. 2. cap. 12. per totum.* Ideoque ut occaſio
avertatur tanti damni, tutius eſt, ut ab exorcizandis
Energumenis Sacerdotes tunc temporis abſtineant, ne 55
dum bonum uni parant, damnum inferant univerſis,
ex *loc. eorum cit. de maleſic. & Mathem.* quæ lex cum
condita ſit de menſe Majo, nempe 10. *Kalend. Junii*,
(ut in titulo ejuſdem legis notatur) evidenter demon-
ſtrat tempus vetitum pro evitanda aeris tempeſtate, ne
divina munera, & labores hominum ſterecerentur, qui
tunc temporis maxime florent, & vireſcunt.

§. XI. Admoneatur obſeſſus, ſi mente, & corpore valeat, ut pro ſe oret Deum, ac jejunet, & Sacra Confeſſione, & Communione ſæpius ad arbitrium Sacerdotis ſe communiat; Et dum exorcizatur, totum ſe colligat, & ad Deum convertat, ac firma fide ſalutem ab eo depoſcat cum omni humilitate. Et cum vehementius vexatur, patienter ſuſtineat, nihil diffidens de auxilio Dei.

De Ore-

56 De Oratione, & Jejunio Energumenis ſatis utili jam diximus in antecedenti paragrapho: modo de Confeſſione, & Communione eb iis percipienda dicendum eſt. Sacramentum pœnitentiæ per Confeſſionem an proſit Animæ ſatis patet, atque ideo neque circa hoc diu diſputandem eſt.

57 Quæri tamen debet, an Euchariſtiæ ſumptio permitti poſſit iſtis Energumenis. Itaque proculdubio eſt, Sacramenti hujus efficaciam contra Dæmones, ac Dæmoniacas operationes maxime valere: ſed non per hoc ſatis liquet, an qui Dæmonem in ſe habet, digne ad tantum
58 Sacramentum accedat. Pro quo ſciendum eſt, Theologos diſtinguere inter eos, qui ob delicta poſſidentur e Dæmone, & eos, qui ad majorem purgationem, ſeu ob meritum, ab Inimico (Deo permittente) torquentur, Alenſis *p. 4. qu. 11. num. 2. art. 3.* S. Thom. *in 4. diſt. 9. quæſt. unic. art. 3. quæſtiuncul. 5. ad* 1. Armille, *verb.* Communio, Sylveſtr. *verb. Euchariſt.* docent, iis qui frequenter in blaſphemias, & ejuſmodi peccata incidunt; Communionem non eſſe exhibendam. Cæterum S. Thom. *3. p. quæſt. 80. art. 2.* mutavit ſententiam, quam ſequitur Sot. *in 4. diſt. 12. q. 1. art. 9.* Vaſquez *diſp. 210. cap. 4.* & Antonius Hiquæus *in 4. ſentent.* Scoti *diſt. 8. quæſt. 3. num. 8.* ubi ait: *Quia communio multum detrahit juribus Hoſtis, ideo ſequendi* Rituales *libri, & eorum præſcriptum.* Cui addo ſententiam Abbatis Sereni apud Caſſian. *collat. 7. cap. 30. Quæ (Communio) ab homine percepta, eum qui in membris ejus inſidet ſpiritum, ſeu in ejus corpore latitare cognoſcitur, velut quoddam exurens fugat incendium.* Quod inſinuetur etiam in Can. 1. Concilii Arauſicani, in quo dicitur, *Energumeni jam Baptizati, ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſollicitudini Clericorum tradant, monitiſque obtemperent, omnimodo communicent Sacramenti ipſius virtute; vel muniendi ab incurſu Dæmonum, a quo infeſtantur, vel purgandi, quo jam oſtenditur vita purgatior.* Quare Exorciſtæ, ac parochi Obſeſſos, ac maleficiatos adultos excitare non negligant: ut hoc tantum Sacramentum ſæpius devote, ac fervida percipiant. Plura habebis apud Sarnell. *epiſt. eccl. T. 9. ep. 63.*

§. XII. Habeat præ manibus, vel in conſpectu Crucifixum: Reliquiæ quoque Sanctorum, ubi haberi poſſint, decenter, ac tuto colligatæ, & coopertæ, ad pectus, vel ad caput obſeſſi reverenter admoveantur: ſed caveatur, ne res Sacræ indigne tractentur, aut illis a Dæmone ulla fiat injuria. Sanctiſſima vero Euchariſtia ſuper caput Obſeſſi, aut aliter ejus corpori non admoveatur ob irreverentiæ periculum.

59 Crucis ſigno Dæmones repelli, & multo magis Imagine Crucifixi, qui per Crucem inferes poteſtates proſtravit, habemus ex S. Paulo *ad Coloſſ.* 2. De virtute autem Crucis eruditiſſime ſcripſerunt S. Cyprianus, Origenes, Lactantius, & alii; inter quos meus F. Hieronymus Savonarola Ordin. Prædic. in Theologali Opere de *Triumpho Crucis.*

60 Quo vero ad Sanctorum Reliquias, & exuvias, illes vocat S. Jo: Damaſcenus *l. 4. de fid. Orthod. c. 1.* Fontes ſalutiferos, ex quibus plurima ad nos beneficia promanant. Ex quo mos apud Fideles inolevit, eas adhibendi etiam ad fugandos Dæmones ab Obſeſſis; nam Sanctorum Animæ, quorum ſunt Reliquiæ pro utentibus, & illas reverentibus exorant, Bellarm. *de Reliq. cap. 7. n. 19.*

61 Illæ Reliquiæ decenter exhibentur Energumeno, ad evitandum contemptum, eo quia ſicuti, viventibus Sanctis, Dæmones eorum hoſtes fuere, ita & poſt mortem eorum nominibus ſunt infenſi, multoque magis eorum exuviis, quarum tactu torquentur, clamant, infremunt, nec quieſcere poſſunt: imo tentant eas contemnere, & conculcare, ſed ad conſummandum actum non valent, prout eveniſſe ſcio in Energumeno, ad quem cum ab Exorciſtis reverenter admoveretur Reliquiæ Veſtium S. Franciſci de Paula, quæ hic Ferrariæ aſſervantur, illam conſpuere audenter tentavit: ſed ſputum labiis adhæſit, nec ab ore exire auſum fuit: nihilominus eum cætera tradendas eſſe judico has Reliquias obſeſſis, quia id quod olim non evenit, evenire, Deo permittente, quandoque poteſt, ut diſcant Exorciſtæ moderationem in hoc Sacro remedio adhibendam.

Præ omnibus monet Textus noſter, Sanctiſſimam Euchariſtiam non eſſe ſuper caput Obſeſſi ponendam, ob irreverentiæ periculum. Attamen, in vita S. Bernardi a Guillelmo Abbate conſcripta, *cap.* 3. habemus eumdem Sanctum in Civitate Mediolani, poſita ſuper caput Obſeſſi Sanctiſſima Euchariſtia, eumdem a Dæmone liberaſſe. Similia narrat Jo: Molinet. in *Chronicis Belgicis*. Bernardus Luxemborgicus in *Catalogo Hæreticorum, lit. G.* Et Nicolaus Laghi in libro Italico de *Mirabilibus Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, Tract. 6. cap.* 101. Sed non omnes Exorciſtæ ea ſanctitate fulgent qua S. Bernardus, ut periculo huic libere ſe valeant exponere. 62

§. XIII. Exorciſta ne vagetur in multiloquio, aut ſupervacaneis, vel curioſis interrogationibus, præſertim de rebus futuris, & occultis, ad ſuum munus non pertinentibus: ſed jubeat immundum ſpiritum tacere, & ad interrogata tantum reſpondere, neque ei credatur, ſi Dæmon ſimularet ſe eſſe Animam alicujus Sancti, vel Defuncti; vel Angelum bonum.

63 Sicuti verborum opportunus uſus valet ad multa bona facienda, ita eorum abuſus multa mala parere ſolet: *In multiloquio* enim *non deerit peccatum. Proverb.* 10. Quod ſi Dæmon cognoſcat verboſitatem Exorciſtæ, novas occaſiones loquendi ſuppeditabit, & ſic diſtrahet illum vana ſermocinatione ab opere meditato, & conſequenter dominium illius habebit: Quod ſi fiat, deſperata res eſt: Diabolus vincit quemadmodum Evam in Paradiſo devicit colloquio, & Dialogiſmo. Igitur ſi vult Exorciſta, ut Diabolus taceat; ſileat & ipſe, nec promat niſi quod omnino neceſſarium eſt. Hoc pacto dominabitur Diaboli, & Victoriam, Deo dante, reportabit.

64 Itaque hoc maxime ſtudeat Exorciſta, nempe obedientiam promptam, & immediatam a Dæmone exigendi, præcipue ſilentium illi imponendo, ne ejus verba fraudolenta valeant illum circumagere, & ab opere incepto alienare, juxta exemplum Chriſti, qui Dæmoni dicenti, *Luc. 4. Quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene veniſti? Scio te quod Sanctus es Dei;* Silentium impoſuit, licet veritatem fateretur; & increpavit illum Jeſus, dicens: *Obmuteſce, & exi ab eo.* Unde Marci 1. & Lucæ 4. habetur, quod *non ſinebat ea loqui.*

In textu noſtro vocatur Diabolus *Spiritus immundus* juxta formulam conſuetam in Evangelio adhibitam, eo quia vere Dæmon ſignificat Sapientiam: ne igitur aliquis pro Angelo malo, intelligat Angelum bonum, cui commune nomen eſt *ſpiritus*, additur *immundus*: & ita appellatur Diabolus, ſeu Dæmon, eo quia ſpiritus ex ſua ſubſtantia eſt, immundus vero a ſuis moribus, ac depravatis affectibus, quia delectatur rebus obſcœnis, turpi immunditia, vitiis ac peccatis: ſua enim nequitia cæleſtem puritatem amiſit, & fœda malitia illaqueatus eſt, ita ut omnium malorum ſpurcitia repletus ſit, Sylveira *Tom. 2. in Evang. cap. 21. quæſt. 3. num. 15.* cum S. Auguſt. *de Vita Beata*, Bonavent. *in Luc.* & Victor. Antioch. *in Marc.* qui expreſſe circa hoc argumentum, ait: *Dicitur hic Spiritus immundus, cum propter obſtinatam in impietate mentem, fœdamque a Deo defectionem; tum maxime quod obſcœnis flagitioſiſque operibus mirifice oblectetur.* Atque ita dicitur in Apocal. 16. *num. 13. Vidi de ore draconis, & de ore Beſtiæ, & de ore Pſeudopropheta ſpiritus tres immundos exire in modum ranarum.*

Aliquando Dæmon ſimulat Divinitatem, ut olim noſtræ S. Catharinæ Virgini, cui in Imagine Crucifixi Redemptoris apparuit; necnon S. Petro Martyri Veronenſi, qui virtute Sanctiſſimi Sacramenti fallaciam Dæmonum detexit anno 1231. tunc quando in quadam Urbe Inſubriæ Imaginem B. M. Virginis miraculis celebrem, & ab Hæreticis in multa veneratione habitam, tamquam opus Diabolica arte fabrefactum, & mere apparens omnino deſtruxit, delevitque; prout narrat Nicolaus Laghi in ſupra relato libro Italico *de mirabilibus SS. Euchariſtiæ Tr. 1. diſt. 10. c. 97.* Ita fingere poteſt Diabolus, ſe eſſe Animam vel Sancti, vel Defuncti cujuſdam, vel Angelum bonum. Sed, ut alias diximus, cum Diabolus ſit Pater mendacii, illi nunquam credendum eſt, etiamſi vere diceret, & ſanctas ſimilitudines indueret. Animæ Sanctorum in æternis Tabernaculis manſionem habent, nec corpora humana obſideant, aut dilanient. Angeli vero Bonorum largitores ſunt, non tormentatorum. Inſuper Defunctorum Animæ non vagentur per corpora aliorum hominum: Hæc omnia de mendacio convincere poſſunt Dæmonem. 65

Comment. de Rituale.

§. XIV. Neceſſariæ vero Interrogationes ſunt, ut de numero & nomine Spirituum obſidentium, de tempore, quo ingreſſi ſunt, de cauſa, & aliis hujuſmodi. Cæteras autem Dæmonis nugas, riſus, & ineptias Exorciſta cohibeat, aut contemnat, & circumſtantes, qui pauci eſſe debent, admoneat, ne hæc curent, neque ipſi interrogent obſeſſum; ſed potius humiliter, & enixe Deum pro eo precentur,

67 Iſte paragraphus diligenter perpendendus eſt: Et primo neceſſitas interrogationum circa numerum, nomen, tempus, & cauſam, aſt ſerio examinanda, nam uſque modo opportuna adjudicata fuit, ſed Exorciſtarum experientia, hac recentiori ætate aſm tamquam inutilem, ſupervacaneam, & nullius momenti damnavit: Ratio communiter adducta aſt, quia Dæmonia proprie non habent nomina, niſi prout illis varia ſunt vitia, de quibus nos tentant, Magiſt. ſent. *in 2. diſt. 6.* Unde Lucifer,, qui primus aſt, primarium locum ſuperbiæ tenet, quaſi omnium peccatorum princeps. Mammon, qui Avaritiæ præeſt: Aſmodæos, qui Luxuriæ: Sathan, qui Iræ: Beelzebub, qui Gulæ: Leviathan, qui Invidiæ: Beelphegor, qui Acediæ principatum habet, &c. Ultraquam quod, cum Dæmon, ut alias diximus, ſit Pater mendacii, nec aliud ſtudeat, quam homines decipere, & maxime Exorciſtas, qui illius infeſtiſſimi hoſtes ſunt, poteſt ſe manifeſtare per nomen fictum, quandoque ridiculum, quandoque obſcœnum, quod pronunciari nequeat vel ſine riſu, vel ſine pudore ab Exorciſta in actu officii ſui exercendi.

Inſuper, interrogatio de numero, tempore, & cauſa,
68 tamquam fallax rejicitur in praxi ab optimis Exorciſtis, quia qui unus eſt, poteſt fingere ſe eſſe multiplicem, imo ſi de cauſa ingreſſus loquatur, omittenda eſt, ad mala quæ ſequerentur avitanda, quæ non pauca ſunt; nec credenda, quia Dæmones falſa veris ſemper involvant; Ex S. Cypr. *tract. 4. de Idolorum vanitate*. Atque ideo quamvis Rituale neceſſarias ducat has interrogationes, & non omittendas; attamen quia praxis in contrarium docet, poſſunt omitti, quia peſſimos fructos gignunt,

Addo inſuper cum Sylveira *in Ev. T. 2. c. 21. q. 3. n. 13.* quod hæc diſtinctio & ordo inter Dæmoniacos ſpiritus communiter recentioribus non placet, de quo vide Suarez *l. 8. de Angelis, cap. 21. n. 18.* nam idem Spiritus Dæmoniacus ſufficiens eſt ad inducendum ad mendacium, deceptionem, & fornicationem; nam in Angelis bonis talis diſtinctio non traditur a Patribus, ſed idemmet Angelus bonus movet, & excitat ad omnium virtutum genera, ac a vitiis retrahit hominem ſuæ curæ commiſſum: ergo ad æmolationem boni Angeli, depravatos ſpiritus de omnibus vitiis hominem tentabit, & ad malum, pro ſuis viribus inducet.

69 De cæteris vero nugis, & ineptiis Dæmoniacis nihil curare debet prudens Exorciſta, imo eas omnes contemnere, animoque ſerio deſpicere: magnum enim detrimentum operi inferretur, ſi cum Diabolo ridente, & nugante, Exorciſta quoque vel nugaretur, vel rideret: tota authoritas, totamque prædominium evaneſceret, nec fructus ullus ſavore obſeſſi ſperari poſſet, eo quia nullus in Dæmone timor ineſſet. Si hæ nugæ, & ineptiæ a Diabolo inſurgunt, eas audenter cohibere debet Exorciſta, & quantum riſus excitare valent, tantum rigoris, & auſteritatis in corde, & vultu ipſe præſeferat.

De numero circumſtantium jam diximus in §. 10. Decet ut pauci ſint, & nonniſi neceſſarii, inter quos ſi Religioſus aliquis probatæ vitæ adſit, admittatur; omnino demum curioſitatis vitium repellatur.

70 Nec decet illum alium niſi Exorciſtam interrogationes facere, ne confundantur verba, & alius ædificet, alius vero deſtruat. Unicus Miniſter eſt Exorciſta: Cæteri, ſi adſint, Orationi vacabunt, ut per Divinam miſericordiam obſeſſus ab infeſtatione Dæmonis liberetur.

§. XV. Exorciſmos vero faciat, ac legat cum imperio & auctoritate, magna fide & humilitate, atque fervore: Et cum viderit Spiritum valde torqueri, tunc magis inſtet, & urgeat: & quoties viderit obſeſſum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat ſignum Crucis, & Aqua benedicta aſpergat, quam exorcizando in promptu habeat.

71 Liber Exorciſmorum, nempe Rituale Romanum ad hoc valet, ut exorciſmos validiores Exorciſtæ ſuppetat: ſed optimum conſilium eſt illud quod refert Graffius *de*
72 *effect. Cler. prælud. num. 286.* ut exorciſmos memoriæ teneat: nimis enim materialis ille alloquutio eſt, quæ ſcripto præſenti inhæreat. Attamen hoc non eſt rigoroſe exigendum ab Exorciſta; nam eſſet onus ſatis grave: nihilominus quantum fieri poteſt, hoc quæri debet; nam cum exorciſmus ſit gladius pro Dæmone coercendo, tractari debet libere, & abſque ſervitute, ut inimicum ſaltem deterreat.

73 Cæterum de authoritate, & fervore, quo loqui debet Exorciſta, illud ſciendum eſt, loquelam, & imperandi modum in loquente, multa evincere, & maxima dominii ſigna demonſtrare. Aſpere igitur cum tanto hoſte loquatur, dulces ſermones omnino coerceat, & reprimat.

74 Demum ſi ſigna viderit tumoris, vel doloris in Obſeſſo, prælio adſit: ibi Dæmon cruciat, & ideo ibi & ipſe cruciandus aſt. Tumores iſti non ſunt ſigna infirmitatis, nec arte medica ſanendi, nec ungendi oleo, cum meræ ſint apparentiæ. Aqua benedicta, quæ ſemper ad latus Exorciſtæ aſſe debet, omne remedium præſtabit. Quod autem dicit Zacchias *Quæſt. med. legal. l. 4. tit. 1. qu. 8. num. 19.* naturalia remedia Dæmoniacis conſerre, hoc ita accipiendum, quod conferant illis tanquam melancholicis, incommoda, & moleſtias ab humore melencholico Dæmonis opera exagitato provenientes alleviantia.

§. XVI. Obſervet etiam ad quæ verba Dæmones magis contremiſcant, & ea ſæpius repetat. Et quando pervenerit ad comminationem, eam iterum, & ſæpius proferat, ſemper pœnam augendo: ac ſi videat ſe proficere, in ipſa perſeveret per duas, tres, quatuor horas, & amplius, prout poteris, donec victoriam conſequatur.

78 In quarto Paragrapho hujus tituli jam admonitus fuit Exorciſta, ut adverteret ad quænam verba magis Diaboli conturbentur, ut ea deinceps magis inculcet, ac repetat: atque ideo in hoc loco remittendus eſt lector ad ea, quæ ibi diximus: applicata enim verba juvant, & reperita ſanant; ac ubi pendet Arbor, ibi cadet; nec deſiſtere debet valens Exorciſta ad ea quæ magis videbit intentionem ſuam juvare.

79 De comminationibus in hoc paragrapho mentio fit. Comminationes ſunt ultima jacula, & noviſſimi ictus ad expellendum Diabolum, atque vim maximam habent, prout ſunt verba illa: *Recede ergo: da locum Spiritui Sancto: Exi ergo transgreſſor: exi ſeductor: contremiſce, & effuge: Cede ergo Deo: da locum Deo: da honorem Domino: ille te ejicit: ille te expellit: ille te excludit.* Et ſimilia.

80 Quoad durationem vero in iſtis comminationibus, Textus innuit, ut per tres, vel quatuor horas, & amplius perduret Exorciſta. Fateor quidem, longus, & inexplicabilis labor aſt: ſed non ſine longo certamine reportatur victoria: nihilominus haberi debet ratio etiam ad vires corporales Exorciſtæ, quæ adeo defatigari non debent, ut langueat, & ad opera neceſſaria inutilis reddatur, & pereat.

§. XVII. Caveat proinde Exorciſta, ne ullam medicinam infirmo, vel obſeſſo præbeat, aut ſuadeat: ſed hanc curam medicis relinquat.

81 Error graviſſimus Exorciſtarum eſt, Medicinas corporales propinare Dæmoniacis, cum ad hoc tantummodo d...

do deſtinatus ſit iſte Miniſter, ut Medicamenta præbeat
82 ſpiritualia. Mortaliter igitur peccabit cum ex nocabili ignorantia, vel imperitia nocet Energumeno: facit enim contra Præceptum: *non occides*, *ergo, homicidium*, *de Pænit.* & tenetur Infirmo ad æquivalens, ex quo reſarcire non poteſt principale: imo etiam ſi ſanitas ſequatur, peccat mortaliter, quia expoſuit ſe periculo peccati mortalis, id eſt operi, ex quo ſequi poterat notabile damnum proximo, Sylveſt. *verb. Medicus*, *qu.* 1. Graff. *deciſ. aur*, *cap.* 61. *num.* 57.
83 Dato etiam quod Exorciſta eſſet peritus in arte medica, attamen in caſu exorcizandi deberet ſe abſtinere ab exhibendis corporalibus medicamentis. Cui errori remedium ponere ſtudens Epiſcopus Parmenſis anno 1621. per allegat. e Bordon. *Reſolut.* 7. ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ præcepit ſubditis exorciſtis, ne auderent ullo modo præbere antimonium, oleum, 84
aut quodcumque genus medicinæ, niſi de conſenſu medici: & hoc eſt quod intelligit Zacchias *loco citato hoc Titulo & paragrapho*, *num.* 77. circa naturalia remedia Dæmoniacis exhibenda a medico tantum, non ab Exorciſta, qui nec artem chirurgicam exercere debet, neque hoc munere fungi cum Ægrotis a Dæmone obſeſſis; quod prohibuit S. Carolus *Act. Med. Prov.* 4.

§. XVIII. Mulierem exorcizans, ſemper ſecum habeat honeſtas perſonas, quæ Obſeſſam teneant, dum exagitatur a Dæmonio; quæ quidem Perſonæ ſint Patienti, ſi fieri poteſt, cognatione proximæ; atque honeſtatis memor Exorciſta caveat, ne quid dicat, vel faciat, quod ſibi, aut aliis occaſio eſſe poſſit pravæ cogitationis.

85 Frequens eſt mulierem exorcizandarum occaſio; nam ut plurimum hujus naturæ ſunt Perſonæ, quæ vel ficte, vel realiter a Dæmone infeſtari videntur. Idcirco melrum caute ſe gerere debet Exorciſta ad opus ſuum exercendum cum fœminis.

Jam in formula a nobis, initio hujus tituli appoſita continetur quidquid neceſſarium eſt pro laudabiliter exercendo hoc munere in tali circumſtantia. Multa inſuper addit S. Carolus *Prov.* 4. *p.* 2. his verbis: *Mulieri autem Energumenæ tam exorciſmum adhibet, id præſtet duobus ætate, vitaque probatis viris; tum fœminis etiam iiſdem probatis præſentibus, iiſque omnibus, ſi fieri poteſt, Energumenæ conſanguineis, & affinibus.*

86 Caveant omnino Exorciſtæ, ne prægnantes Fœminas exorcizandas ineant, cum ex corporis, animique agitatione, de facili ſubſequi poſſit abortus, ut advertit Benest. in *Opere Medica moral. in not. ad Centur.* 12. Baſcarin. *num.* xx. *in fine*, *pag. m.* 177.

De Sanctimonialibus vero, & perpetuæ clauſuræ ad-
87 dictis, quid dicendum, agendumve? Totam Doctrinam pro hoc caſu ſolvendo præſtat Monacell. *T.* 3. *tit.* 1. *form.* 47. *num.* 1. 3. & 4. Pro liberanda moniali Energumena, nunquam, & in nullo caſu eſt licitus Confeſſarii ingreſſus in Monaſterium: Ordinarii enim licentiam ad hunc finem non concedunt, & Sacra Congregatio concedere non ſolet. Quando enim aliqua Monialis eſt exorcizanda, Sacerdos Exorciſta, ſive ſit Sæcularis, ſive ſit Regularis, debet eſſe ad hunc actum ab Ordinario loci approbatus; & exorcizatio non intra ſepta Monaſterii, ſed obtenta prius a S. C. *Ep. & Reg.* licentia (& non antea) in Eccleſia exteriori Monaſterii, clauſis januis, coram eodem Confeſſario, & duis Fœminis honeſtis, conſanguineis, vel aliis provectæ ætatis, & probæ converſationis eam comitantibus, eſt facienda: Et exorciſmo expleto, ſtatim ſine diverticulo, reducenda eſt in clauſuram juxta modum præſcriptum a *S. C. Concilii* in Decreto, quod per extenſum referunt Barboſa *Apoſt. dec. collect.* 509. *verb. Monialium clauſura circa egreſſum*, *numer.* 5. Tamburin. de *jure Abbat. diſp.* 24. *qu.* 4. *numer.* 1. Gavant. *Man. Epiſc. verb. Monialium cura num.* 30.

Antequam vero licentia exorcizandi Monialem, ab Ordinario concedatur, debent præcedere diligentiæ, & examina ad cognoſcendum, an ſit ea vera a Dæmone vexata: nam frequenter Fœminæ Dæmoniacas ſe eſſe effingunt, licet vere non ſint. quarum exorciſmi erunt carceres, jejunia, & pœnitentiæ rigoroſæ, Monacell. *d. lib.*

§. XIX. Dum exorcizat, utatur Sacræ Scripturæ verbis potius, quam ſuis, aut alienis. Jubeatque Dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica ſigna, vel inſtrumenta; quæ ſi Obſeſſus ore ſumpſerit, evomat: vel ſi alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur. Moneatur etiam Obſeſſus, ut tentationes ſuas omnes Exorciſtæ patefaciat.

88 Verba Sacræ Scripturæ infeſtiſſima eſſe Dæmoni, alibi jam diximus, & præſertim illa *Deuteronomii* 32. *Deum, qui te genuit, dereliquiſti: & oblitus es Dei Creatoris tui*, & *Apocal.* 5. *Ecce vicit Leo de Tribu Juda*, *Radix David*, *&c.* aliaque ſimilia. Hoc præſtat etiam, quia Sacerdos audentius loquitur his Sacris verbis, cum non ſua ſint, ſed Dei: Quapropter maximæ utilitatis erit ſi Sacerdos Exorciſta ſit in tota S. Scriptura verſatus, & præcipue in Verſiculis Pſalmorum, e quibus formulas aptiſſimas huic propoſito extrahere poterit.
89 Advertat inſuper ne ſenſus Sac. Scripturæ detorqueat, & ad ſuum propoſitum convertat. Poteſt tamen ſenſu accommodatitio uti: ſed caveat, ut recte, & grammatice loquatur, ne Dæmon verſutiſſimus illum de barba-
90 riſmis, ſive ſolœciſmis redarguat.
91 Quo vero ad maleficia, ſeu inſtrumenta revelanda, quibus Dæmon detineatur in illo corpore, antiqui Exorciſtæ in hoc conſtantes fuere, ut patet ex libris exorciſmorum antiquitus impreſſis: ſed praxis modernorum aliter ſentit, cum enim Diabolus, prout diximus, Pater mendacii ſit, unice illudere ſtudet vanis figmentis tum Exorciſtas, tum Energumenos. Sæpius fateor Energumenos evomere clavos, Cultellos, Acus, ſoleae equinas, Vitra, globulos plumbeos, Perſicorum oſſa, pomorum, plumas, ligna, Candelas, & alia hujuſmodi viſi 92
ſunt: ſed peractis exorciſmis victoque Diabolo, illuſiones detectæ ſunt, & res evomitas nihil aliud eſſe niſi ſalivam, phlegmata, & pituitas ſtomachi compertum eſt: vel ſi vera tales erant, quales apparebant, nil facilius eſt calliditati Dæmonis illas ſuppeditare, auferendo a vatis officinis, ut magis aſſiſtantes illuderet. Quæ omnia ſi vera evomantur & talia remaneant, aduri præcipit Rituale. Ego vero ſatius duco, tradenda eſſe S. Inquiſitionis Tribunali, ut ſuis loco, & tempore ad relevandum corpus delicti inſerviant in cauſis Sancti Officii.

Quo vero ad tentationes revelandas, quæ plures eſſe 93
ſolent, Sacerdos Exorciſta habere debet prompta remedia ad illas ſuperandas, aliter ad nihilum iſta revelatio inſerviret.

§. XX. Si vero Obſeſſus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter ſibi caveat a peccatis, ne occaſionem Dæmoni præbeat in ipſum revertendi, ne fiant noviſſima hominis illius pejora prioribus.

94 Ut vere ſanitas in corpore perduret, antidota, & præſervativa præſtanda ſunt ad evitandam reincidentiam. Præſervativum vero magis tutum, & amplexabile illud
95 eſt, ut Homo a peccatis abſtineat, & præſertim a ſuperbia; quia inter cauſas potiores, ob quas Deus permittit Dæmones introire in corpora humana, & ea vexare primum locum habet ſuperbiæ peccatum, Monacell. *dict. loc.* propter ejus enormitatem, ut patet in Saul. 1. *Reg.* 15. eo quia omnes ſuperbi ſunt ſub Dominio Diaboli, *Job.* 41. Ex quo concludendum eſt, cauſam, ob quam Diabolus, Corpus, a quo ejectus fuerat, iterum ingrediatur ex patientis parte, eſſe, quia cum per malum habitum, Diabolicis ſuggeſtionibus magis, quam Chriſto ſuum auxilium in ſe credentibus, ac confidentibus pollicenti, credere, & aſſentiri ſit aſſuetus, ideo poſt liberationem, etiam ſimili modo tentatus ſuccumbit: ex quo ad diffidantiam inducitur, ratione cujus a Deo denuo ſub Dæmonis poteſtate cadere permittitur, qui iterum corpus illius ingreditur, ac juxta Dei permiſſionem, ſuam in eo tyrannidem exercet. Et tunc per illam novam invaſionem vere *fiunt noviſſima illius pejora prioribus*, *Matth.* 12. quia nova expulſio eſt prima difficilior ob radicem diffidentiæ, quæ in corda Energumeni dominium, & poſſeſſionem acquiſivit.

Comment. de Ritualis.

Huic Paragrapho addam, quod ſi Exorciſta, imper- 96
ſcrutabili Dei judicio, Dæmonem non vicerit, atque poſt tot labores, adhuc Energumenus in poteſtate Diaboli permanſerit, occulta Dei judicia veneretur; repe-

tat exorciſmos, fidem corroberet; Orationibus, & Jejuniis nocitet caret, opus denuo tentans; quo peracto, ex vi Officii ad nihil magis tenetur, Campion. *Inſtruct. pro ordinand. cap.* 20. *num.* 23.

§. XXI. Itaque Sacerdos, ſive alius Exorciſta, rite confeſſus, aut ſaltem corde peccata ſua deteſtans, peracto, ſi commode fieri poteſt, Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio, divinoque auxilio, piis Precibus implorato, ſuperpelliceo, & ſtola violacea, cujus extrema pars ad Obſeſſi collum, circumponatur, indutus, & coram ſe habens Obſeſſum ligatum, ſi fuerit periculum, eum ſe, & aſtantes communiat ſigno Crucis, & aſpergat Aqua benedicta, & genibus flexis, aliis reſpondentibus, dicat Litanias ordinarias, uſque ad Preces excluſive. In fine Antiphona: *Ne reminiſcaris, &c. Pater noſter, &c.* Pſalm. 53.

Poſt generales inſtructiones circa Exorciſmos adhibendos, deſcendit Rubrica ad praxim eorum, ut hoc pacto Exorciſta rite, & recte fungatur munere ſuo. Itaque de ejus cordis munditia loquendo, me remittam ad ea, quæ in Paragrapho primo hujus Tituli, applicando jam diximus; nempe magnum Obicem eſſe peccatum
97 ad Divinas gratias impetrandas, etiam ex opere operantis, ut communiter docent Theologi. Conſcientia igi-
98 tur pura ad opus ſe debet exhibere Sacer Miniſter, qui ſemper debet eſſe paratus ad rite munus ſuum obeundum: Quare ad Miſſæ Sacrificium tranſeo, quærendo an neceſſarium ſit illud conficere ante Exorciſmos; ſeu ante liberationem Obſeſſi.

99 Libere & præceptive hoc jubet S. Carolus *Conc. Prov.* 4. *p.* 2. dicens: *Sacerdos antequam Exorciſmum inchoet, Miſſæ Sacrum faciat, ſi id commode præſtare poteſt.* Item magnam vim habere Miſſam contra maleficia aſſerit del Rio *f.* 450. & Torreblanca *l.* 2. *c.* 53. *n.* 11. qui ait, ad hoc maxime conducere, ut tradit S. Auguſt. *l.* 22. *de Civ. Dei, cap.* 8. & exemplis confirmat de B. Theodoro, Metaphraſt. *in ejus vita, menſ. April. de Epiſcopo Brixinen.* Leo. Luxemburg. *in Catal. Hæret. lit. G.*

100 Veſtis communis Exorciſtarum eſt Superpelliceum, & Stola, ut in adminiſtratione Sacramentorum, & Sacra-
101 mentalium. Aliqui tamen volunt, quod Stola non ſit neceſſaria, quia Exorciſta non exercet hoc munus tanquam Sacerdos, ſed prout in ordine Exorciſtico eſt
102 conſtitutus. Nihilominus neceſſariam illam duco ſaltem neceſſitate præcepti, non tantum ob diſtinctionem gradus, & Ordinis Sacerdotalis, ſed ob myſterium, & valorem, ſignificationemque ipſius Stolæ, quæ non ſine cauſa præcipitur, ut circumponatur ad Obſeſſi collum: habet enim iſta veſtis peculiarem virtutem ad effugandos
103 Dæmones; & imponitur collo Obſeſſi ad ſignificandum, ut memor ſit, ſub jugo Chriſti, non autem Diaboli ſe eſſe conſtitutum, Alcuin. *de Div. Offic. c.* 38. item ſignificat obedientiam, & jugum ſervitutis, Eduenſ. *de Sacr. Altar. cap.* 10. Inſuper violacei coloris eſt ad denotandam mœſtitiam Eccleſiæ pro miſerrimo Obſeſſo in Diaboli poteſtate conſtituto.

Quo vero ad id, quod dicit Rubrica, conſtituendam 104 eſſe Obſeſſum ligatum ante Sacerdotem, puto, quod intelligi debeat de Obſeſſo furente: Si vero ille eſſet placidus, & manſuetus, ad quid iſta vincula, & hoc deplorabile ſignum captivitatis?

Præterea ego opinor, quod ſi etiam furens eſſet Energumenus ductus ad Sacerdotem; nullo modo ligari deberet, niſi furor proveniret ex morbo naturali, & ex-ſe furens eſſet, non Dæmoniacus. Immediate ac Sacerdos cognoverit Patientem eſſe Energumenum, dico illum ſolvendum fore: ſecus vero ſi ex morbo fureret: eo quia furor ſupernaturalis a Dæmone intus operante proveniens in conſpectu Sacerdotis ceſſare debet, nec ulla timenda eſt noxa a Sacerdote, ſeu ab adſtantibus. Minabitur quidem Obſeſſus, tentabis ictus, & clades; ſed præter minas, nihil amplius erit, ut ſæpius experientia compertum eſt: Quapropter vincula ſolvi debent ſtatim ac ſe Exorciſmis exponit ante Sacerdotem Exorciſtam.

Litaniæ porro recitandæ, ſunt illæ Sanctorum conſuetæ, quibus imploratur auxilium ad liberationem Obſeſſi: 105 ſunt enim magis efficaces, & impetratoriæ apud Deum, quo Sancti, quos invocamus, majori ſunt præditi ſanctitate, Quart. *de Litan. num.* 246.

Antiphona autem: *Ne reminiſcaris, &c.* ideo hic o- 106 mnibus Precibus anteponitur, ad ſignificandum quæcumque adverſa nobis eveniunt propter peccata noſtra; Inquit Jeſus languido ad Probaticam Piſcinam: *Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Joan. 5.

Pſalmus denique: *Deus in nomine tuo*, &c. eſt quinquageſimus tertius in ordine Pſalterii, & ſcriptus fuit, ut homines intelligerent, in magnis perſecutionibus recurrendum eſſe ad Deum, & in illo ſperandum. Bellarm. *in Pſal.* 53.

§. XXII. Deinde præcipiat Dæmoni hunc in modum: *Præcipio tibi, &c.*

107 A Præceptis inchoatur exorcizatio, ut Dæmon hoc pacto authoritatem Sacerdotis ſentiat, fiat obediens. Præceptum enim eſt Ordinatio, ſeu mandatum, quo efficaciter aſtringitur Dæmon, virtute Divina ad Exorciſtæ, ut Miniſtro Chriſti, & Eccleſiæ, præſtandam obedientiam.

108 Quintuplicis generis eſſe Præcepta docent Doctores. 1. Communia. 2. probativa. 3. lenitiva. 4. inſtructiva. 5. expulſiva. Iſta omnia fieri poſſunt expreſſa, & etiam
109 tacite, ſed expreſſe, & viva voce facta magis juvant: quia non rogando, nec amice petendo, ſed imperando, objurgando, & cogendo Dæmon adjurari debet, & ſemper in nomine Jeſu Chriſti. Vox enim Chriſtum ſonans valde efficax eſt, monente Sylveira *in Evang. lib.* 3. *cap.* 6. *q.* 8. *num.* 52.

110 A Præcepto differt objurgatio, qua etiam Dæmones objurgantur, & adjurantur: atque Dæmonis increpatio, ac operationum ejus reprehenſio, quæ ejus ſuperbiam coercet, & impedit, ne actu ita vexatum, ſeu Energumenum tentat, vel affligat. Ob quas objurgationes, Dæmon ignominia plenus confunditur, ac vexare Obſeſſum de- 111 ſinit: & vexatus facilius actus fidei, & confidentiæ promit.

In praxi cognovi pluries, eſſe admodum utilia iſta præ- 112 cepta tacite, & mentaliter facta ſuper damnatos ad mortem, qui vel furiis vexantur, vel ſilentio obmuteſcunt, vel emendari renuunt, ſuadente Diabolo, qui eos tunc temporis maxime occupat. Statim ac per Sacerdotem conſolatorem, ſuper eum commiſſa ſunt, licet ſub ſilentio, hæc præcepta, oculi eorum aperiuntur, ſuſpirant, plorant, atque veritatem illis propoſitam prompte, & libere amplectuntur. Addo inſuper, Exorciſtam poſſe, 113 prout expedire judicaverit, dicta præcepta pronuntiare lingua vernacula patientis, ut ipſe melius intelligat, & ſe conformet modo etiam materiali exorcizantis.

§. XXIII. Deinde legantur ſuper Obſeſſum hæc Evangelia, vel unum, aut alterum, &c.

Hæc dicens, ſignat ſe, & Obſeſſum in fronte, ore, & pectore, &c.

114 Evangelii virtus contra Dæmones magna eſt: verbum enim illius, monente Paulo Apoſtolo ad *Roman.* 1. eſt in ſalutem omni credenti; unde Guillielmus Mimatenſis in ſuo *Rationali, c.* 24. ait: *Contra Diabolum legitur Evangelium, ut illum ſua virtute expellat: quoniam Diabolus nihil tantum odit, quantum Evangelium.*

115 Signa vero Crucis, quæ pollice fiunt, tam in fronte Sacerdotis, quam in fronte, ore, & pectore Obſeſſi, ſunt ad ſignificandum tam Sacerdotem, quam Obſeſſum eſſe diſcipulos Chriſti, cujus Evangelium non erubeſcunt, quo malas cogitationes de corde pellunt. In ore præcipue fit ad confeſſionem Verbi Dei, Gavant. *p.* 2. *t.* 6. §. 3. *lit. D.*

116 Primum Evangelium S. Joannis, Dei ineffabilem eſſentiam oſtendit, atque ejus miram incarnationem. Cujus Evangelii tantam fuiſſe authoritatem ſcribit Sylveira, *in Text. Evangel. T.* 1. *Proœm. n.* 24. ut quidem Platonicus, teſte S. Auguſt. *lib.* 10. *de Civ. Dei, cap.* 29. diceret, quod per omnes Eccleſias, in locis eminentiſſimis, aureis litteris, eſſet ſcribendum ejus initium: & Concil. Antiochenum ex S. Chryſoſt. *hom.* 73. *in Matth.* & S. Hieronym. *in Matth.* 23. teſtatur, quod multi Chriſtiani de collo ſuſpenſum manifeſte portarent.

Secundum Evangelium eſt S. Marci, & narrat ſigna credentium, inter quæ illud ait, quod *in Nomine Jeſu Dæmonia ejicerent.*

Tertium eſt S. Lucæ, & continet poteſtatem datam Apoſtolis calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones.

Quartum denique eſt pariter S. Lucæ, & Hiſtoriam narrat Dæmonii muti a Chriſto fugati, pro quo admiratæ ſunt Turbæ.

§. XXIV.

§. XXIV. Deinde muniens ſe, & obſeſſum ſigno Crucis, circumpoſita parte Stolæ ad collum ejus, & dextera manu ſua capiti ejus impoſita, conſtanter, & magna cum fide, dicit ea quæ ſequuntur: *Ecce Crucem Domini, &c.*

117 Tempus hoc eſt imponendi partem Stolæ ad collum Obſeſſi, non autem in initio operis; quod provide advertere debet Exorciſta.

118 Manuum Sacerdotalium impoſitio antiquæ originis eſt & magnæ virtutis, eſt autem triplex: de quo plenius S. Thomas *ad 4. ſent. diſt. 6.* & tanti myſterii eſt, ut Melchiades Martyr, & Pontifex, *Epiſt. ad Hiſpaniæ Epiſcopos*, ſcribens, quærat, utrum majus ſit Sacramentum, manus impoſitio, an Baptiſmus, Durant. *l. 1. c. 20. nu. 8.* & Euſebius Pontifex pariter, & martyr, *Epiſt. ad Epiſcopos Thuſciæ, & Campaniæ*, de manuum impoſitione loquens, Sacramentum magna veneratione tenendum vocat: Et licet proprie illa impoſitio manuum intelligi debeat vel de conſecratione Epiſcoporum, vel de Sacramenti Ordinis collatione, attamen, non abſque fundamento in Sacramentalibus, etiam adhibetur, & uſu venit ex Rituum præſcriptione.

Hæc facienda ſunt ab Exorciſta conſtanter, & magna cum fide: verba enim illa *Ecce Crucem Domini, &c.* ſunt Dæmoni infenſiſſima, prout ſibi dictum fuit: ideo, quæ pene totum opus exorciſtæ implent.

§. XXIV. Sequentes Cruces fiant in fronte obſeſſi, &c.
§. XXV. Tres Cruces ſequentes fiant in pectore Dæmoniaci, &c.
§. XXVI. Exorciſmus; *Adjuro te, &c.*
§. XXVII. Fiat ſignum Crucis ſuper circumſtantes, &c.

119 In fronte, & in pectore Obſeſſi fiunt bis, & ter iſtæ Cruces, rationibus, & cauſis alias explicatis in Exorciſmis Baptiſmi. Crucis vero ſignum fit ſuper circumſtantes tunc quando Exorciſta dicit: *Diſcedat ab Eccleſia Dei*, quia circumſtantes ſignificant hanc Eccleſiam, ſeu congregationem fidelium.

§. XXVIII. Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti poſſunt, donec obſeſſus ſit omnino liberatus.

Jam diximus ſupra, opus Exorciſtæ non eſſe brevis momenti, ideoque tempus illi non fore limitandum in hoc miniſterio, quia fuga Dæmonis a voluntate Dei primo, & principaliter dependet, qui quantum ſibi lubet, permittit, imperſcrutabili judicio, ut corpora humana
120 vexentur a ſpiritibus immundis. Si vero nox ſupervenerit (quoniam nocte Exorciſtæ officium exercere prohibet
121 S. Carolus *Prov. 2.*) vel ſi viribus deficeret, vel alio incommodo affligeretur, ſuſpendere poterit opus ſuum; & interim præſcribere Diabolo, ne hoc temporis intervallo vexet Energumenum. Mane ſequenti poſtea, vel quando magis congruum videbitur redeat, & noviſſimam expulſionem tentet. Sed ſi hæc non evaniet, & dies adhuc illuceſcat, precum, & præceptorum, ſeu objurgationum, exorciſmorumve maxime juvabit repetitio.

§. XXIX. Juvabit præterea plurimum hæc, quæ infra notantur, ſuper Obſeſſum, devote dicere, ſæpeque repetere. *Pater noſter, &c. Ave Maria, &c. Credo, &c.* Canticum B. M. Virginis: *Magnificat, &c.* Canticum *Benedictus, &c.* Symbolum S. Athanaſii, *Quicumque, &c.* Pſalm. *Qui habitat, &c. Exurgat Deus, &c. Deus in adjutorium, &c. Deus in nomine tuo, &c. Confitemini Domino, &c. Judica Domine nocentes, &c. In te Domine ſperavi, &c. Deus, Deus meus reſpice, &c. Domine, quid multiplicati, &c. In Domino confido, &c. Uſquequo Domine, &c.*

122 Si tempus hoc poſtulet, ne ſemper repetantur eædem Preces, & ipſamet verba, has alias Preces exhibet Eccleſia, ut ſuo loco dicantur: habent enim & ipſæ ſuam virtutem contra poteſtatem Diaboli. Et primo

123 *Oratio Dominicalis* eſt omnium Orationum Regina, & prototypon, cum ab ipſiuſmet Chriſti Redemptoris ore dictata ſit: quod vero verba Chriſti virtutem habeant Dæmones expellendi, nullum dubium. Evangelia id docent pluribus in locis.

124 Secundo. *Salutatio Angelica*, quæ fuit origo Incarnationis Dominicæ, contremiſcere & ipſa facit Diabolum, nec Angelis ſolum, & Hominibus, ſed etiam Dæmonibus dominatur. Hos Maria Sanctiſſima propria virtute calcat, cum ab initio, inimicitiæ inter illam, & hos diabolicos Angues poſitæ fuerint, *Geneſ. 3.* Quod & teſtatur S. Bernardus *ſer. 3. in Miſſus eſt, &c.* his verbis: *Dæmones non ſolum Virginem pertimeſcunt, ſed audita hac voce, Maria contremiſcunt.* Et ſuper Cantic. *Ubi nomen Mariæ invocatur, Dæmonum nocumentum effugatur, quia Maria terribilis ut caſtrorum acies ordinata.*

125 Tertio. *Symbolum Apoſtolorum* cum fidei profeſſionem in ſe contineat, et Fidem excitet in Energumeno, rationabiliter efficit, ut per illos replicatos actus Fidei, Satanas profligetur.

126 Quarto. *Canticum Mariæ Virginis*, ratione objecti, & Authricis ſuæ, maxime valet contra diabolicas vires, ut notat eloquentiſſimus Segneri *in ejuſdem Cantici explicatione*.

127 Quinto. *Canticum Zachariæ: Benedictus &c.* cum e lingua miraculoſe ſanata provenias, non niſi miracula operari poteſt. Vide Gevent. T. e. *in notis ad hæc Cantica*.

Sequuntur Pſalmi. Et primo recitatur *Qui habitat, &c.* de quo alias diximus in *Titulo de viſitatione, & cura infirmorum, &c.*

128 Secundo. *Exurgat Deus, &c.* qui eſt Pſalmus 67. Et in eo decantantur myſteria utriuſque Sacramenti, quæ etiam Diabolo terribilia ſunt.

Tertio. *Deus in adjutorium, &c.* qui juxta explicationem Bellarmini *in Pſalm. 69.* uſurpatur ab omnibus Fidelibus in periculo verſantibus, & illum expedit aſſidue repetere, ut hortabatur Monachos ſuos Jo. Caſſian. *collat. 10. cap. 9.*

Quarto. *Deus in nomine tuo, &c.* qui compoſitus fuit a David imminente magno periculo, Bellarmin. in *d. Pſal.*

Quinto. *Confitemini Domino quoniam bonus, &c.* qui eſt Pſalmus 117. Et de Chriſti Reſurrectione, quæ infeſtiſſima eſt Satanæ, mentionem facit.

Sexto. *Judica Domine nocentes me, &c.* Et eſt Oratio Chriſti ad Patrem adverſus perſecutores ſuos. Alii tamen volunt, quod in eo oret ipſe David pro liberatione ſua, Bellarm. *ibid.*

Septimo. *In te Domine ſperavi, &c.* qui eſt *Pſ.* 30. Et accommodatur ad Eccleſiam inter perſecutionum anguſtiam gementem.

Octavo. *Deus, Deus meus reſpice, &c.* qui de Paſſione, & Reſurrectione Domini, aperte loquitur.

Nono. *Domine quid multiplicati*, &c. Et intelligitur de Davide Orationem faciente pro liberatione ſua a perſecutione Abſalonis.

Decimo. *In Domino confido, &c.* qui eſt cohortatio ad confidentiam, tempore calumniarum, aliarumque perſecutionum.

Undecimo denique. *Uſquequo Domine, &c.* qui eſt Oratio ad Deum tempore magnæ tentationis.

Ecce igitur ratio, propter quam omnes iſti Pſalmi exhibentur ab Eccleſia Sacerdoti exorcizanti, ut illos adhibeat; nam in ſingulis eorum aliquid ineſt, propter quod vel Dei auxilium imploretur, vel Diabolus deterreatur, atque expellatur.

§. XXX. Oratio poſt liberationem. Oremus: *Te Deus, &c.*

129 Si patiens hilari fronte dicat, ac credat, ſe procul dubio liberum a Dæmoniaca poteſtate, atque id conſtanter fateatur; etiam Exorciſta dicat, ſe quoque hoc probabiliter credere, nihilominus probare poterit, an vere, vel ficte Dæmon exierit, modis variis ab Authoribus aſſignatis. Quod ſi nullum dent Dæmones ſuæ præſentiæ ſignum, nec aliquam amplius in tali perſona cauſent vexationem, ſed ipſa permaneat hilaris, ac jucunda, licet languida, ſtatim Dei miniſter recitabit Orationem a Rituali præſcriptam, ad exorandum Deum, ut

De.

Dæmon amplius poteſtatem non habeat in illa creatura.

130 Placet hic, quoniam de Adjurationibus verba fecimus (licet Rituale nullam mentionem de hoc a me dicendo faciat) addere ad inſtructionem Miniſtrorum Eccleſiæ Dei, id, quod apud Monacell. *tom. 3. t. 2. for. 8. n. 18.* adnotatur circa adjurationes faciendas ſuper Bruchos, Locuſtas, vel aliud genus Vermium, damnum fructibus, & ſegetibus terræ inferentium. Sciant itaque Clerici,
131 ſeu Sacerdotes, hujuſmodi Beſtias non eſſe adjurationibus, & exorciſmis expellendas, ſed Jejuniis, & Oratio-
132 nibus humiliter deprecandum eſſe Deum, qui dicta animalia irrationabilia movet, ut dignetur ea compeſcere aliquo modo ſuæ majeſtati bene viſo: & quatenus a Sa-
133 cerdote Sacris veſtibus induto adjurationes fiunt, referantur ad Diabolum, qui, Dei permiſſu, his utitur ad nocendum hominibus, præcipiendo ei dure, ac rigide, poteſtate a Deo tradita Eccleſiæ, juxta illud Lucæ 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra Serpentes*, ut ceſſet a movendo, educendo, & dirigendo ea Animalia con-
134 tra nos: & abſtineat a tali uſu damnoſo, & ſinat Animalia nocentia redire ad locum, unde venerunt; & fugiant a facie Sacroſanctæ Crucis (quæ oſtendatur) & virtute ejus fugare jubeantur, & relinquere & ceſſare a ſuis maleficiis, ad gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, omiſſa ſemper mentione excommunicationis, & anathematizationis; quarum nec Animalia irrationabilia, nec Dæmones capaces ſunt; & iſte modus Animalia nocentia adjurandi licitus erit.

Igitur vanum eſt Animalia irrationabilia exorciſmis adjurare, maledicere, & anathematizare, quia adjurare aliquam creaturam irrationalem, nocentem ad aliquem actum, tamquam procedentem ab ipſa, eſt ſuperſtitioſum, cum non ſit ſui domina, ſed Deus, qui movet eam, vel Dæmon, quatenus permiſſu ejus utitur ea ad nocendum nobis. Quapropter hujuſmodi adjurationes, quæ referuntur ad irrationabilia, fieri non poſſe ſcienter ſine peccato mortali, docent Navar. *conſ. 57. nu. 10. & ſeqq.* Graff. *deciſ. aur. p. 1. l. 4. cap. 6. n. 12.* Monacell. *d. l. n. 17. & alii*. Propterea expungendi ſunt, & damnandi quidam Libelli Manuales, qui hujuſmodi conjurationes, & Preces continent, nec in Miſſali, nec in Rituali Romano admittuntur, prout eos nuper damnavit Sanctiſſimus Benedictus Decimus tertius. Circa quæ invigilare debent Epiſcopi in actu Viſitationis: ut hos abu- 135
ſus eliminent, juxta monita per Monacell. *d. l. n. 16.* Atque hæc ſatis ſint ſupra Titulum *de Exorciſmis*. Ad quæ omnia evitanda, & ab Eccleſia eliminanda Sanctiſſimus *Benedictus XIV.* Summus Pontifex, dum Cardinalis honore fungeretur, & Bononienſi Eccleſiæ præeſſet, in una ſuarum Conſtitutionum Ritum evulgavit hujuſmodi Animalia fugandi non maledictionibus, ſed Benedictionibus, & approbatis orationibus. Cujus libelli titulus eſt. *Rito da oſſervarſi nel benedire gli Animali, nell' implorare l'ajuto di Dio contro i vermi, ed inſetti, e nel benedire le Campagne*. De hac materia diffuſe & ſapienter pertractat Paulus Maria Cardi Ord. Serv. in ſuo libro *de exorcizandis &c.* Verbo, *Aqua luſtralis &c.*

RITUS BENEDICENDI POPULOS, ET AGROS,

TITULUS NONAGESIMUS PRIMUS.

SUMMARIUM.

1 *Iſte Ritus in antiquis Ritualibus non adeſt.*
2 *Quando inſtitutus, & approbatus fuerit.*
3 *Ejus formula legitur in editione Romana.*
4 *Alia ſimilis Benedictio eſt in Rituali, ſed reſtrictior.*
5 *Inſtitutus fuit pro abſolvendis Populis integris.*
6 *Et ob delinquentium non notam quantitatem.*
7 *Benedictionis hujus miniſter quinam ſit?*
8 *Quid exprimi debeat in ſupplicatione ad Papam?*
9 *Dies Dominica præſcribenda eſt pro hac Benedictione.*
10 *Proclama faciendum ante Benedictionem.*
11 *Miſſa debet eſſe ſolemnis in Paramentis Violaceis.*
12 *Si delegatus fuerit Epiſcopus, quid faciendum?*
13 *Juriſdictio incipit a ſedendo.*
14 *Miniſtri Altaris ſine manipulo ſtare debent.*
15 *Diploma legi debet ante benedictionem.*
16 *Confeſſio publica fit a Diacono.*
17 *Baculus Epiſcopi importat Juriſdictionem.*
18 *Delegatus ſimplex non debet tenere Virgam.*
19 *Pſalmorum recitandorum ſignificatio.*
20 *Poſt Benedictionem, gratiarum actio facienda.*
21 *Jejunium indicendum eſt ante benedictionem.*
22 *Jejunium loco publicæ Pœnitentiæ habetur.*
23 *Dies præſcripti ad Jejunium.*
24 *Si non delegati non valet, ſuppleri poteſt per alium.*
25 *Indicenda eſt dies pro Communione generali.*
26 *Mutatio diei eſt ad arbitrium Delegati.*
27 *Si aliquis non communicaverit, non peccat.*
28 *Miſſa pro quacumque neceſſitate eſt celebranda.*
29 *Si Epiſcopus celebret, non eſt publicanda Indulgentia.*
30 *Vera Indulgentia quænam dicatur?*
31 *Verum dicitur pro limitato, & ſtatuto.*
32 *Indulgentia quid ſignificet?*
33 *Poſt quæ facienda ſit mutatio Paramentorum?*
34 *Verſiculus:* Ut fructus terræ &c. *replicatur.*
35 *Benedictio reſtituit fœcunditatem Terræ.*
36 *Pſalmi 84. ſignificatio.*
37 *Benedictio danda Populo.*
38 *Epiſcopi dant trinam Benedictionem.*
39 *Perſona dignior porrigit aſpergillum Epiſcopo.*
40 *Quinam ſit dignior de Clero?*
41 *Parochus in ſua Eccleſia eſt dignior.*
42 *Vel Caſtos Eccleſiæ non Parochialis.*
43 *Vel prior, & Caput Monaſterii.*
44 *Niſi Eccleſia Parochialis ſit Regularium.*
45 *Partes Mundi quatuor aſpergantur, & cur?*
46 *Populus benedicendus peculiariter.*
47 *Benedictio Papalis quare ita dicatur?*
48 *Forma hujus Benedictionis?*
49 *Authoritas Dei primo exprimitur.*
50 *Mentio fit Sanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorum.*
51 *Indicatur nomen, & authoritas Papæ concedentis facultatem.*
52 *Etiamſi Papa concedens ſit mortuus.*
53 *Oratio cantari debet a delegato.*
54 *Signa lætitiæ ad libitum Populi danda.*

HÆC formula locum non habet in Rituali Romano, Pauli V. Juſſu edito, ſed non pro hoc eſt 1
prætermittenda; nam uſque de anno 1635. S. R. C. il- 2
lam a Julio Roſpiglioſio ejuſdem S. Congregationis Secretario reviſam, & emendatam, approbavit, & conceſſit poſſe imprimi, facto verbo cum Sanctiſſimo, qui Sanctiſſimus (nempe Urbanus VIII. Summus Pontifex) benigne annuit die 1. Octobris 1635. Et de facto in Editione Romana ejuſdem Ritualis facta anno 1658. Typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, iſta formula 3
locum habuit; & deinde in aliis Editionibus per Orbem factis.

Igitur, ut de hac Abſolutione, & reſpective Benedictione aliquid præmittam, antequam ad ejus applicationem deveniam, dicam: Alias hoc Rituale præſcripſiſſe 4
Ritum, & formam adhibendam in abſolvendis ab excommunicatione, & interdicto, perſonis ſingillatim, non au- 5
tem in communi. Aſt quoniam dari poteſt caſus, in quo non una perſona tantum, ſed Populus integer ob delin- 6
quentium non notam quantitatem, Excommunicationis, & Interdicti vinculo, nec non Locus ipſe, Interdicto locali innodetur, pia Mater Eccleſia, advertens, non eſſe ſtatutam formulam, neque præſcriptum modum abſolvendi Populum integrum, & liberandi Loca, ſeu Agros ab interdicto, hanc novam formulam ſtatuit, ut in ſimilibus caſibus a delegatis Miniſtris adhiberetur, ne juſtus pro injuſto pœnam lueret.

§. I. Accepto Diplomate pontificio, conſtituatur dies Dominica Delegato, & Populo commodior, pro ejuſdem diplomatis publicatione, & executionis inchoatione.

7 Quoad legitimum Miniſtrum hujus Abſolutionis, ſeu Benedictionis, & quoad facultatem obtinendam, ſuaſque Circumſtantias, remittendus eſt Lector ad ea, quæ diximus in explicatione, *Tit. de Abſolut. ab Excommunicat. in foro exteriori, & de modo abſolvendi a ſuſpenſione, vel ab In-*
8 *terdicto*: Præmiſſo ſemper, quod in ſupplicatione Sanctiſſimo porrecta exprimi debet damnum Spirituale a populo paſſum ob dictam Excommunicationem, ſeu Interdictum, cum delinquentes manifeſtari non poſſint.

Hic tantum loquar de die conſtituenda, quæ debet eſſe 9
dies Dominica, ut ita homines ab Operibus ceſſent, & ad hanc ſolemnitatem accedere valeant, nec ullus abſolvendorum

dorum excuſetus: cum enim quiſque Fidelis teneatur die Dominica adire Eccleſiam, ut Sacrum audiat, hac occaſione intereſſe poterit huic functioni: quæ tamen dies eſſe debet utriuſque commoda, nempe tum Delegato, tum abſolvendis, cum Eccleſia ad nihil obliget cum gravi incommodo: adeo ut ſi commodior utriſque eſſet alia dies feſtiva infra hebdomadam, utique hæc præſcribi, & aſſignari poſſet.

§. II. Die conſtituta, mane fiat concio, qua doceatur Populus de contentis in diplomate Pontificio, & de præparatione ad futuram Abſolutionem, & Benedictionem. Deinde Miſſa celebretur a Delegato; *Pro remiſſione peccatorum*: ſine *Gloria &c.* cum unica Oratione, & *Credo*, in paramentis violaceis; qua finita, depoſita caſula, & Manipulo, induatur Celebrans Pluviali violaceo; & ſi ſit Epiſcopus, Mitram ſimplicem aſſumat; & omnibus genuflexis ante Altare, cantentur Litaniæ Sanctorum, omiſſis Precibus, & orationibus poſt eas dici ſolitis.

10 Si edoceri debet Populus de Abſolutione ſuper eum facienda, & de facultate tradita Delegato, neceſſe eſt, ut publice fiat quoddam quaſi Proclama, ad hoc ut inſtruatur totus Populus ad ea, quæ neceſſaria ſunt pro præparatione ad futuram abſolutionem, ut rite & recte illi impertiatur. Iſta Concio non debet eſſe ſimplex lectio diplomatis, ſed ab eo ſuccus quodammodo exprimi debet, & Italico Sermone, ſeu vernacula lingua, ut ab omnibus percipi facile poſſit, nec quiſquam ignorantiam allegare valeat. Quapropter ex alto loco, ſeu ſuggeſtu fieri debet per Miniſtrum deputandum, qui ſi Notarius fuerit, optime ſe res habebit: ſi vero Clericus, approbabitur, ſeu unus ex Clero illius Eccleſiæ, quæ major eſſe debet loci ejuſdem.

11 Solemnis debet eſſe iſta Miſſa, & Votivo Ritu celebrata ab ipſo Delegato, cum *Credo*, ratione rei gerendæ, quæ ad Profeſſionem Fidei quodammodo pertinet, licet ſit Pœnitentialis, & propter hoc in violaceis paramentis celebranda.

12 Si Delegatus fuerit Epiſcopus, Ritu Pontificali ſingula facienda erunt prout in Cæremoniali Epiſcoporum.

Litaniæ ceteris faciendis præmittuntur, ut ante omnia, Divina imploretur miſericordia, & Sanctorum omnium interceſſio proſit ad abſolutionem recte obtinendam & ad delenda peccata.

§. III. Sedeat Delegatus finitis Litaniis, cooperto capite in ſede ſibi parata ſuper ſcabello Altaris, vel in ſede Epiſcopali, ſi eſt Epiſcopus, ſeu ſuper Faldiſtorio poſito ſuper dicto ſcabello, cum duobus Miniſtris paratis more Diaconali, & Subdiaconali, ſine Manipulis, adſtantibus hinc inde a lateribus omnibus de Clero; & alta voce ab aliquo legatur diploma audiente Populo, quo lecto, dicat Delegatus: *Deo gratias*.

13 A ſedendo, & a cooperiendo capite incipit juriſdictio Delegati, hæc enim ſunt ſigna juriſdictionis, ut alibi dictum fuit. Sedes vero ad libitum eſt. Pro ſcabello hic 14 intelligitur ſedes illa, quæ adhibetur ad ſedendum quando cantatur *Gloria in Excelſis*, *&c.* ſeu *Credo*, *&c.* Miniſtri more Diaconali, & Subdiaconali ſine Manipulis eſſe debent, quia actio hæc fit extra Miſſam: Manipulus enim tantummodo Miſſæ inſervit.

15 Diploma inſuper legi debet omnino quale a Pontifice exaratum eſt cum omnibus ſuis clauſulis, & ſubſcriptionibus, ut veritas rei rogatis pateat, nec Italico, ſeu vernaculo Sermone, ſed prout ab Urbe provenit.

Poſt cujus lectionem Delegatus dicit *Deo gratias*, quo gratiæ Deo aguntur pro incœpto opere. De hoc Verſiculo, vide Gavant. *p. 1. t. 10. lit. L.*

§. IV. Tunc nomine populi, ille qui pro Diacono aſſiſtit, profunde inclinatus a ſiniſtris Delegati, facit Confeſſionem in cantu.

16 Abſolutio exordium habet a peccatorum Confeſſione, prout in Confeſſione Sacramentali fieri ſolet. Diaconus, more ſolito, hanc facit, nomine totius Populi: quam tamen laudabile erit, ſi unuſquiſque ſecreto, & ſaltem corde proſequatur. Fit cum Cantu Gregoriano ob ſolemnitatem rei: non enim hæc eſt actio privata, ſed publica, ideoque cum omni pompa eam facere decet.

§. V. Qua finita, ſi eſt Epiſcopus, aſſumpto baculo Paſtorali in ſiniſtra manu, & adhuc ſedens, cooperto capite incipit: Pſal. 50. *Miſerere, &c.*

17 De Epiſcopo hoc dicitur, quia Baculus paſtoralis pro ſigno authoritatis, & juriſdictionis habetur, Barboſ. *de Ep. p. 1. t. 1. cap. 4. num. 13.* Gloſſ. *in cap. unic. de Sacr. Unct.* Et benedicere cum Baculo eſt benedicere juriſdictionaliter, Paſqualig. *d. T. 2. q. 1251. num. 15.*

18 Delegatus vero ſimplex, etiamſi in aliqua dignitate Eccleſiaſtica ſit conſtitutus, pro Baculo Virgam tenere non debet, ut in abſolutione excommunicationis, nam cum hæc Abſolutio ſit univerſalis totius Populi, non vero unius Perſonæ, ad nihilum inſerviret Virga, ſeu ſunicuius ad eos omnes humero denudatos, leviter percutiendos, ideoque ſatius duxit Eccleſia nihil de hac Virga adhibenda præſcribere.

Cætera porro eodem pacto fiunt, quo in Abſolutione ab excommunicatione in forma, & foro externo; nempe delegatus ſedet, coopetit caput, & recitat Pſalmos pro Divina miſericordia impetranda ſuper Populum, de quo pluries in dicto Pſalmo mentio fit, & de Gente in
illis verſiculis: *Confiteantur tibi Populi Deus; confiteantur tibi Populi omnes, &c. Lætentur, & exultent Gentes, quoniam judicas Populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis: Judicas Populos in æquitate, &c.* 19

§. VI. Super univerſum Clerum, & populum genuflexum, recitando tales Pſalmos ſine cantu, alternatim a Delegato, & Clero.

Eodem modo hæc fient, quo Abſolutio ab excommunicatione in foro exteriori, ut ſupra dictum fuit.

§. VII. Quibus finitis, Delegatus ſtans, detecto capite, Baculoque depoſito, ſi eſt Epiſcopus, verſus Populum, manibus junctis dicat, *Kyrie eleiſon, &c.*

Similiter, ut ſupra.

§. VIII. Deinde ſedens Delegatus, coopertus capite, & ſi eſt Epiſcopus, aſſumpto Baculo, dicit: *Miſereatur veſtri, &c.*

§. IX. Manuque dextera ſuper Populum genuflexum extenſa, addit: *Auctoritate, &c.*

Hæc pariter fiunt eo pacto, quo ſupra, quibus nihil addendum judico, niſi ſignum Crucis per Epiſcopum faciendum ter, & ſemel a ſimplici Sacerdote.

§. X. Tunc Delegatus adhuc ſedens per ſe ipſum, vel alium firmioris vocis, indicet tres dies ſingillatim pro jejunio; & decernat diem Dominicam ſequentem, vel aliam arbitrio ſuo pro Communione, benedictione Agrorum, & populi, & Indulgentia Plenaria.

Fini-

20 Finita Abſolutione, quæ remaneat facienda, ſunt pro
gratiarum actione reſpectu Populi abſoluti, & pro Be-
nedictione Agrorum, quæ aliqua præparatione indiget,
reſpectu habitantium in illis, & eos colentium. Itaque
21 Jejunium futurum indicendum eſt pro tribus diebus, a
quo miſericordia Divina diſponi debet pro ſanctificatio-
ne, ſeu benedictione locorum contumacium.
22 Hoc Jejunium loco publicæ Pœnitentiæ habetur, I-
deoque ſpecifice eſt indicendum, aſſignando dies ſingil-
latim, non vero in genere, ſed ferias nominando, quæ
ſubſequentes eſſe poſſunt, & continuæ, ac etiam prout
23 libuerit, diſgregatæ: quod, ut majori congruentia fiat,
eſſe poterunt, Feria quarta, Feria ſexta, & Sabbato,
ed tenorem quatuor Temporum. Atque adeo neceſſaria
eſt Indictio hujus Jejunii, ut clara, & alta voce fieri
debeat ad hoc, ut omnes diſtincte intelligant: Et ſi ad 24
hoc non valeret vox Delegati, ſupplere deberet vox ple-
nior, & firmior alicujus Miniſtri ex iis, qui interſunt.
Inſuper indicenda eſt dies pro Communione generali, 25
& pro Benedictione Agrorum. Hæc dies eſſe poterit
Dominica immediate Jejunio ſubſequens: Sed ſi magna
alia ſolemnitate, vel aliqua potiori ratione impedita ſit,
poterit, arbitrio Delegati immutari dies hujus abſolutio- 26
nis, & transferri tempus Indulgentiæ a Summo Ponti-
fice in diplomate conceſſæ.

§. XI. Die conſtituta, Populus univerſus debebit communicare, & hora competenti Delegatus cantabit Miſſam, quæ eſt ad finem Miſſalis, ſub titulo. *Pro quacumque neceſſitate*, cum Paramentis violaceis ſine *Gloria &c.* cum unica oratione, & *Credo*, & in fine Miſſæ Celebrans benedicit de more. Si eſt epiſcopus, non dat indulgentias.

Quod in hac Robelsa præcipitur, partim eſt pro com-
plemento Abſolutionis, partim pro diſpoſitione, & e-
xordio ad Benedictionem Agrorum. Communio ſtat pro
prima parte: hæc poterit a quocumque Sacerdote mi-
niſtrari: ubi nota, quod ſi aliquis non communicaverit
27 (ſecluſo contemptu) non peccabit, quia communio in
hoc caſu non eſt de præcepto, ſed de conſilio, ad hoc
ut lucrentur Indulgentiæ in diplomate Pontificio elar-
gitæ.
28 Miſſa *pro quacumque neceſſitate* ideo in paramentis vio-
laceis cantatur, quia eſt actus pœnitentialis præparato-
rius ad benedictionem Agrorum, & propterea votivo
modo celebratur, ſed cantatur ratione ſolemnitatis.
29 Si quæratur ratio, cur ſi Epiſcopus celebraverit hanc
Miſſam, poſt illam non det Indulgentias, prout de ri-
tu Epiſcoporum ſolemniter celebrantium eſt. *Cærem. E-
piſc. c.* 25. Reſpondendum. In hoc caſu non publicari
Indulgentias, eo quia major Indulgentia pro hac Miſ-
ſa, & illis intereſſentibus ex vi diplomatis provenit a
Summo Pontifice, qui eam elargitus eſt: quare in hoc
loco currit Regula: Ubi major, minor ceſſat.
30 Venit hic dicendum aliquid de formula publicandi In-
dulgentias Epiſcopales poſt eorum Miſſas ſolemnes. In
ipſa formula adſunt verba hæc, *de vera Indulgentia*, ac
ſi darentur aliquæ Indulgentiæ, quæ eſſent falſæ. *Verum*
enim opponitur *falſo*, *l. ſi quis legatum*, *d. de falſ.* ut
verus Procurator a falſo Procuratore, Briſſon. *form. verb.
verum*, Sciendum eſt igitur Innocentium Papam III.
anno 1215. in Concilio generali IV. Lateranen. relato
in cap. cum ex eo, *De pœnit. & remiſſ.* ita decreviſſe:
*Quia per indiſcretas, & ſuperfluas Indulgentias, quas
quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claves
Eccleſiæ contemnuntur & pœnitentialis ſatisfactio enerva-
tur, decernimus: Ut cum dedicatur Baſilica, non extenda-
tur Indulgentia ultra annum, ſive ab uno ſolo, ſive a
pluribus Epiſcopis dedicetur: ac deinde in anniverſario
dedicationis tempore 40. dies de injunctis Pœnitentiis in-
dulta remiſſio non excedat, & infra: Hunc quoque die-
rum numerum Indulgentiarum litteris præcipimus modera-
ri, quæ pro quibuslibet caſibus aliquotiens conceduntur,
cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet poteſta-
tis, hoc in talibus conſueverit obſervare, &c.* Cum igitur
taxatæ & limitatæ ſint Indulgentiæ ab Epiſcopo, qui
nimiam authoritatem ſibi uſurpabant, conſequenter ve-
nit, quod illæ, quæ ab iiſdem elargiuntur in poſterum,
ſint *Veræ*. *Verum enim* in hoc caſu ſumitur pro *Taxato*.
Nam Indulgentiæ ab Epiſcopis conceſſæ ultra numerum 31
taxatum, irritæ decernuntur, *c. Indulg. de Pœnit. &
remiſſ. in 6.* ibi Gloſſ. *Non valent in eo, quod excedunt,
quia numerus dierum eſt ſeparabilis, & in ſeparabilibus
utile per inutile non vitiatur, ſed in numero, quem non
excedunt, valent dictæ Indulgentiæ.* Ita dicimus verum
pretium, pro æquo, & juſto pretio, *lib. omnes, de in-
tegr. teſt. lib. ſi fidejuſſor. in fin. de leg. 3. Inſt. ex qui-
bus cauſ. manu. non lic. §. Semel. Saraell. epiſt. eccl. T.
8. ep. 6.*

§. XII. Finita Miſſa, Delegatus, & duo Miniſtri aſſumunt paramenta alba; & ſi eſt Epiſcopus, Mitram pretioſam, & genuflexi ante Altare cum univerſo Clero, & Populo cantant Litanias Sanctorum: repetito per Delegatum Verſiculo: *ut fructus terræ dare, &c.* Illiſque finitis, Delegatus ſtans detecto capite, manibus junctis, dicit: *Pater noſter, &c.* Additur a Clero in cantu Pſal. 84. *Benedixiſti, &c.* quo finito Delegatus dicit: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, &c.*

32 Poſt Indulgentias, per quas Animarum reſurrectio ſi-
gnificatur, ex Filippin. *Fiſtat. Spir. c.* 5. ſit mutatio pa-
33 ramentorum eodem pacto, quo ſit Sabbato Sancto pera-
ctis Litaniis.
34 Verſiculus *Ut fructus terræ, &c.* repetitur, eo quia
Benedictio Agrorum tunc incipit, & circa fructificatio-
nem illorum principalis intentio eſt: erat enim prius
Terra maledicta, ſpinas, & tribulos producens. Per
Benedictionem vero fœcunditas illi reſtituitur, juxta Be- 35
nedictionem Jacob a Patre elargitam. *Geneſ.* 27. *Det
tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ, abun-
dantiam Frumenti, & Vini.*
Pſalmus 84. adhibendus præſcribitur in hoc caſu, quia 36
in eo de Benedictione terræ ſermo eſt, ac etiam de re-
miſſione iniquitatis plebis ſuæ, propter quod Terra da-
bit fructum ſuum.

§. XIII. Poſtea aſſumpto Baculo, ſi eſt Epiſcopus, & cooperto capite dicit Delegatus *Benedictio Dei, &c.*

De Baculo tenendo ab Epiſcopo in ſignum authorita-
tis jam ſupra diximus in explicatione Paragraphi 5. Si
vero erit Sacerdos ſimplex delegatus, de more benedicet,
ſemel faciens Crucis ſignum ſuper univerſum locum.

§. XIV. Si eſt Epiſcopus facit ter ſignum Crucis.

38 Epiſcopalis dignitatis munus eſt trino ductu benedice-
re, prout docet Cæremoniale Epiſcoporum, & Pontifi-
cale Romanum, rationibus & cauſis a Barboſa allegat.
de Ep. p. 1. t. 2.

§. XV. Deinde accepto de manu dignioris de Clero Aquæ benedictæ Aſperſorio, aſpergit verſus quatuor Mundi partes, dicens ſine Cantu, & ſine Pſalmo Antiphonam, *Aſperges me &c.*

39 Cum ab Aquæ benedictæ aſperſione vere conficiatur
Benedictio, & iſta aſperſio ſit principalis actio in hac
formula, ſolemniter decet, ut exequatur. Quapropter
Perſona dignior ex Clero eſt, quæ tradit Delegato Aſ-
pergillum eodem modo, quo ingredienti Eccleſiam E-
piſcopo, ſeu Cardinali, eadem dignior perſona de Clero
eſt, quæ pariter Aſperſorium porrigit.
Quinam vero ſit dignior de Clero eſt diſputandum. 40
Ubi Capitulum, ſeu Collegiata non adſit (in quibus
de jure unus illorum eſt, qui prima dignitate fulget)
erit Parochus, cujus dignitas æquiparatur Epiſcopali per 41
Barboſ. *de poteſt. Paroch. p. 1. c. 9.* Si vero Eccleſia non
eſſet Parochialis, ille Sacerdos, qui Eccleſiæ illius cu- 42
ſtos eſt, in hoc caſu prior, & dignior debet cenſeri.

Si au-

43 Si autem eſſet Eccleſia Regularium, non Parochialis, pro digniore ſumendus eſt, qui Conventui illi præſit, nempe aut Abbas, aut Prior, aut Guardianus, vel Rector, vel Præfectus, vel Præpoſitus, ſive quocumque alio titulo nuncupetur, qui caput eſt illius Religioſæ familiæ, Manriquez *de Praced. & Pralat. per tot.* Si vero Eccleſia Regularium eſſet Parochialis, 44 tunc in hac functione digniorem cenſendum illum judico, qui curam Animarum exercet; quia cum iſta Benedictio, ſive Abſolutio inter quaſi Parochiales functiones annumerari poſſit, & reſpiciat Populum, & Agros Parochiæ ſubjectum, nulla cadit quæſtio, an Parochus in ſua Parochia dignior ſit quibuſcumque aliis ex Clero, cum omnes ibi quantumvis in dignitate conſtitutos præcedere debeat, & Imperatoribus, atque Regibus æquiparetur, Barboſ. *d. p.* 5. *c.* 9. *n.* 4. 5.

45 Quatuor Mundi partes aſperguntur: Ad Orientem, ad Occidentem, ad Meridiem, & ad Septentrionem; non quia Univerſus Orbis cenſeri debeat illa actu benedictus, ſed ut ad omnes Agros illius loci hæc Benedictio ſe extendat. Quidquid enim in Orbe eſt, in una Mundi parte eſt. Sicque ut nullus iſtorum locorum effugiat ab illa benedictione, ſingulæ Mundi partes benedicuntur.

§. XVI. Pro Benedictione Populi, operto capite, manibus junctis, dicit: *Pater noſter, &c.*

46 Poſt Abſolutionem debetur etiam peculiaris Benedictio illorum Agrorum incolis: ideo in hoc loco hæc Benedictio ad Populum ſpectat, & fit operto capite, ratione Juriſdictionis benedicentis, ſed junctis manibus, quia cum a Deo provenire debeat hæc Benedictio, juſtum eſt, ut impetretur humilimo modo, nec melius quam in actu ſupplicantis, Durand. *l.* 4. *c.* 7. Gavant. *t.* 2. *p.* 2. *tit.* 3. *lit. E.*

§. XVII. Tunc Diaconus cantat alta voce: *Humiliate vos ad Apoſtolicam Benedictionem.*

47 Hæc Benedictio Apoſtolica, & Papalis dicitur, quia a Summo Pontifice provenit, ut in diplomate jam ante publicato apparet: quapropter omni humilitate ſuſpicienda eſt: ideo Diaconus eam indicit alta voce, ut totus Populus intelligat, genuflectat; quemadmodum in Miſſis Ferialibus Quadrageſimæ, poſt Communionem Diaconus ad Populum converſus, dicit *Humiliate capita veſtra Deo;* qui Verſiculus verſus Populum dicitur, quia dimittitur, ex Microlog. *c.* 46. & Diaconus hoc tempore ad Populum alloquitur, & hæc eſt quaſi altera Benedictio, Gavant. *p.* 2. *tit.* 11.

§. XVIII. Et Delegatus ſtans operto capite, & ſi eſt Epiſcopus, Baculum ſiniſtra tenens manu, benedicit ſemel, & ſi eſt Epiſcopus, ter dicens: *Auctoritate, &c.*

48 Hæc eſt vere Benedictionis pronuntiatio, ac forma in mandato præſcripta: quapropter cum Delegatus ibi præcipue perſonam induat Summi Pontificis delegantis, ſignum authoritatis oſtendere debet per capitis coopertionem, & per Baculum, ſi fuerit Epiſcopus, quia eo tempore conſiderari debet tanquam ſummus Pontifex, ideoque hæc Benedictio in aliquibus locis vocatur Papalis.

In hac Oratione, ſeu formula Benedictionis, primo 49 authoritas Dei exprimitur, ſine cujus nutu nihil fit, quique omnium Benedictionum Author, & largitor eſt: unde Eccleſia in una Collectarum dicere ſolet: *Deus a quo Bona cuncta procedunt, &c.* Inſuper mentio fit San50ctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, a quibus Apoſtolica Benedictio originem ducit: Et hoc fit ad demonſtrandum, ſummos Pontifices, eſſe veros, & legitimos ſucceſſores S. Petri, a quo per Eccleſiam numquam diſſociatur S. Paulus, rationibus a Gavant. allegatis *in Ru-* 51 *br. Miſſal.* Pariter indicatur nomen, & authoritas Papæ, ut appareat omnibus quinam fuerit is, qui benigniter hujus Benedictionis facultatem tradiderit: quod nomen concordare debet cum illo in diplomate conſcripto, etiamſi ille Papa tunc obiiſſet, & alius tempore Benedi- 52 ctionis regnaret, vel Eccleſia eſſet Paſtore deſtituta; eo quia facultas ſemel collata in hoc caſu durat donec expleatur, quando tamen per ſucceſſorem explicite non revocetur, Barboſ. *de Ep. p.* 2. *alleg.* 22. *n.* 2.

§. XIX. Demum cantetur Hymnus; *Te Deum, &c.* inchoatus a Delegato.

De hoc Hymno alias diximus. Cantatur hoc loco, ut Deo gratiæ agantur pro collatis Beneficiis Abſolutionis, & Benedictionis, atque illum inchoat Delegatus, ut per eum expleatur totum opus, a quo initiatum eſt: dignior enim laudandi Deum eſt quæcumque alia, lingua Sacerdotalis, Molina *Inſtr. Sacerdot. cap.* 7.

§. XX. Quo finito, Delegatus cantat Orationem pro gratiarum actione, &c. Cantores addunt, *Benedicamus, &c.*

53 Tota actio terminatur hac Oratione, quæ debet a Delegato decantari, eo quia totius Populi Vota pie Deo porrexit, & pro parte Dei, & Eccleſiæ munus Benedictionis elargitus fuit. Convenit igitur, ut ipſe ſit, qui pro omnibus, & omnium nomine Deo agat gratias pro collatis donis.

54 Ad libitum Populi eſt, ut poſt hæc dentur publica ſigna lætitiæ, vel campanarum feſtivo ſonitu, vel alio quocumque honeſto modo, prout Populorum, & Locorum ratio, & conſuetudo feret. Signa tamen Deo acceptiora erunt Pax, & Animarum in perfecta charitate concordia.

Benedicamus Domino; idem ſignificat ac *Gratias agamus Domino*: non autem quod Homines benedicant Deo, Sarnell. *Ep. Eccl. T.* 7. *Ep.* 58.

F O R M U L Æ
SCRIBENDI IN LIBRIS

Habendis apud Parochos, ut infra notatur,

TITULUS NONAGESIMUS SECUNDUS.

S U M M A R I U M.

1 *Libri iſti ordinati ſunt, ne pereant memoria rerum.*
2 *Sunt ad perpetuam rei memoriam.*
3 *Per omnes Eccleſias uniformis deberet eſſe ſtylus ſcribendi.*
4 *Libri iſti vocantur etiam Matricale.*
5 *Libri iſti conſervari debent penes Parochum.*
6 *Deberent eſſe duplicati.*
7 *Parochi, qui non cuſtodiunt hos libros, graviter mulctandi.*
8 *Libri iſti probant, etſi non maneant in Archivio.*
9 *Defuncto Parocho, cuſtodiri debent ab Œconomo.*
10 *Monita ad ſubcollectores ſpoliorum.*
11 *Parochi tenentur Fides extrahere ab illis libris.*
12 *Atteſtationes de Vita, & honeſtate puellarum facere debet Parochus.*
13 *Pro atteſtatione an aliquid dandum Parocho?*
14 *Conſuetudo ſervanda eſt circa hoc.*
15 *Atteſtationes faciendæ ſunt in forma probanti.*
16 *Fides non probat, ſi extracta ſit lite pendente.*
17 *Scripturis informibus fides eſt adhibenda.*
18 *Forma librorum, & cartulatio quomodo authentica dicatur?*
19 *Libri iſti ſtare debent apud Parochum.*
20 *Fons Baptiſmi in Civitatibus non eſt in unaquaque Parochia.*

21 *Pro-*

31 *Probatur ex fide quis baptizatus, & non aliud.*
32 *Forma libri Baptiſmalis.*
33 *Poſſunt libri eſſe diverſis characteribus conſcripti.*
34 *Recognitio manus Parochi non eſt neceſſaria.*
35 *Confirmatio poteſt miniſtrari in quacumque Eccleſia.*
36 *Liber Confirmatorum ſufficit ſi cuſtodiatur in Eccleſia Cathedrali.*
37 *Schedula habenda a confirmandis.*
38 *Liber Matrimoniorum habendus a quocumque Parocho.*
39 *Matrimonium non præſumitur contractum, niſi ſcriptum reperiatur.*
40 *Nomina Teſtium deſcribi debent.*
41 *Parochi non ſcribentes matrimonia peccant mortaliter.*
42 *Partita unius rei ſcripta in alio libro, an fidem habeat?*
43 *Liber ſtatus Animarum habendus a quocumque Parocho.*
44 *Particularitates familiarum ſcribendæ in hoc libro.*
45 *Omni anno, vel ſaltem omni triennio, renovari debet iſte liber.*
46 *Liber mortuorum haberi debet ab omni Parocho.*
47 *Intereſt Parochi ſcribere mortuos ſuos.*
48 *Soli Parocho non incumbit hoc onus.*
49 *Singulæ Eccleſiæ, in quibus adſint ſepulchra, conficere debent hunc librum.*
40 *Confraternitates habere debent hunc librum.*
41 *Hoſpitalia ſimiliter notare debent mortuos ſuos.*
42 *Regulæ tenendæ a Parochis in ſcribendis Defunctis.*
43 *Indicari debet Eccleſia, in qua ſepultum fuit cadaver.*
44 *Sufficit, ut mors Parocho innoteſcat.*
45 *Sunt qui nullibi ſepeliuntur.*
46 *Documenta publica magiſtratuum eſſe debent.*
47 *Officium Bullettarum pro mortuis conſcribendis.*
48 *Plures eſſe poſſunt libri Defunctorum.*
49 *Perſonæ diſtingui debent per cognomina.*
50 *Quomodo ſcribenda ſunt nomina, & cognomina illorum, qui nomen, & cognomen ſimile habent.*
51 *Laudabilis uſus ſcribendi nomina Patris, & Avi,*

1 MULTIS in locis juſſit Rituale Romanum, ut
apud Parochos habeantur libri diſtincti, & para-
ti ad notandum in illis quidquid poteſt per revelationem
Parochianos ſuos juvare, ne pereat memoria rerum, quæ
in Eccleſia Parochiali evenerunt, & in dies eveniunt cir-
ca Sacramenta, vel Sacramentalia, vel alia hujuſmodi.
Jam in Titulo generali *De iis quæ in Sacramentorum
adminiſtratione generaliter ſervanda ſunt*, §. *ultimo*: ad-
moniti fuerunt Parochi, ut haberent libros neceſſarios ad
officium ſuum, & ſubſequentes in Titulis Sacramento-
rum, & nonnullorum Sacramentalium denuo repetitum
2 fuit, ut poſt adminiſtrata Sacramenta, & alia hujuſmo-
di, diligenter fieret in libris adnotatio ad perpetuam rei
memoriam.
Nunc tandem in calce Ritualis, expeditis jam omni-
bus, quæ ad Sacramentorum, ſeu Sacramentalium ad-
miniſtrationem expediunt docende, deſcendit Rituale ad
præſcribendas, & deſignandas formulas eorumdem libro-
rum, & modi tenendi in deſcriptione rerum notenda-
rum, ut per omnes Eccleſias uniformis ſit ſtylus, & or-
3 do. Quapropter antequam ad earumdem formularum de-
ſcriptionem deveniamus, oportet ut ex probatis Docto-
ribus nonnulla afferamus, quæ maxime inſerviunt ad re-
ctam conſtitutionem, & uſum eorumdem libro-
rum.
Libri iſti vocantur etiam *Matricula* per Barboſ. *de
4 Paroch. p. 1. cap. 7. num. 1.* ubi plene enumerat quot
eſſe debeant, & ad quem uſum cuſtodiri, ſubdens ex
relatione, ſeu decreto *S. C. Ep. & Reg. ſub die 3. Julii*
5 1604. non eſſe hujuſmodi libros de poteſtate Parochorum
extrahendos: ſed penes illos debere conſervari, dummo-
do tamen, ſi neceſſarium fuerit, copia pro illorum con-
ſervatione detur: quod in diœceſi Mediolan. ſervari ſta-
6 tuit S. Carolus, qui duplicatos eoſdem libros fieri decre-
vit, ad hoc ut, quolibet anno, duplicatum Archivo Ec-
cleſiæ Mediolanenſis traderetur ad perpetuam memoriam.
Act. p. 3. in fine. Facile enim deperduntur iſti libri, ſi
eorum diligens cuſtodia non habeatur; & proinde maxi-
mum damnum evenire poteſt Populo. Quare, in Viſita-
tione, omnes & ſingulos dictos libros exhibendos eſſe
Epiſcopo ſtatuit *Prov. 4.* ut exiſtentia, & bona illorum
cuſtodia pateat, atque illos Parochus, qui hujuſmodi li-
bros non habuerint, vel male cuſtodierint, graviter mul-
7 ctandos eſſe decrevit, *Act. p. 5.* circa quod notat Ana-
clet. *l. 2. Decretal. t. 22. §. 5. n. 126.* hujuſmodi libros
optime probare, quamvis apud Parochum non habeant
8 ſpeciale Archivum; quod tamen utiliſſimum eſſet juxta
monita *Concilii Romani, tit. 12. cap. 6.* ubi Parochiali-
bus Eccleſiis præcipitur hoc Archivum.
9 Quapropter defuncto Parocho, vel ad aliam Eccleſiam
tranſeunte libri remanere debent ſub cuſtodia Œconomi,
donec ſucceſſor electus fuerit, & illi ab eodem Œcono-
mo conſignandi, ut illos adhibere poſſit, quando opus
fuerit, ad uſus aſſignatos. *Act. p. 1.*

In quo caſu admonendi ſunt ſubcollectores ſpoliorum, 10
dum ad vacantem Eccleſiam accedunt, Inventariumque re-
rum ad Eccleſiam pertinentium conficiunt, fructuſque, &
redditus intercipiunt in hæreditate remanſos, ne pro uſu
expoliendorum redituum, & fructuum inexactorum,
hujuſmodi libros transferant de loco in locum, & ſe-
cum ad domos ſuas aſportent; eo quia in tanta rerum
everſione, facile deperduntur, & oblivioni traduntur:
Dumque ſolertia ſubcollectorum quærit quod ſuum eſt,
quod ſuum non eſt uſurpat, in damnum Eccleſiæ. Quæ
cautela mere idealis non eſt: plures vidi ego, & co-
gnovi hujuſmodi ſubcollectores officium ſuum tranſcen-
dere, & nimia aviditate (quod ab Eccleſia non to-
leratur) bona non de juribus ſpoliorum occupa-
ſe.
Igitur dum in vivis ſunt Parochi, hujuſmodi Matri-
culis ſeu Libris bonam cuſtodiam adhibere tenentur, ne
dum poſſunt ad aliorum manus facile pervenire, falſen-
tur, vel obliterentur; nam quandocumque requiſiti fue-
rint, tenentur ab illis fides neceſſarias extrahere, vel
Matrimonii, vel Baptiſmi, vel Mortis, & ſimilium, 11
Barboſ. *de Par. p. 1. cap. 7. num. 19.*
Non tamen tam faciles ſe præbere debent ad relevan-
das, & authenticandas has fides, quando ad uſum ali-
quem pravum, & illi, de quo ſermo eſt in fide, no- 12
cuum, illas inſervire debere, timeri poteſt, ne per hoc
Parochi incurrant in cenſuram illis illatam *a Cong. Ref.
Urbis*, apud de Luc. *de credit. & debit. diſc.* 153. & no-
tat Sera *de eff. locumten. c. 26. num. 12.* quem ſequutus
fuit Urſaya *t. 3. p. 2. diſc. 2. n. 39.* Nihilominus *S. C. Con-
cilii* ſtat pro exhibitione Atteſtationis Parochialis præci-
pue circa vitam, & honeſtatem Puellarum *ſub die 11.
Januar.* 1721. Urſaya *T. 4. p. 1. diſc. 31. num.*
32. 33.
An vero pro relevandis hujuſmodi Atteſtationibus poſ- 13
ſit Parochus accipere mercedem ullam, quæſitum fuit
olim apud *S. Cong. Ep. & Regul.* uſque ab anno 1604.
atque hæc reſcripſit: *Nihil pro hujuſmodi fide recipi poſ-
ſe*, Barboſa vero *l. c.* hoc Decretum interpretando, opi-
natus, ſtandum eſſe loci conſuetudini; ita ut ſi ſolitum 14
ſit fieri gratis, gratis & ipſe faciat: atque ideo poſſe ac-
cipere pro ſua mercede illud, quod in loco ſolitum eſt
dari, apertiſſime docet pro tuta Parochorum conſcientia.
Verum Anaclet. *lib. 2. Decretal. tit. 22. §. 5. num.* 128.
dum dicit, nihil commodi atque emolumenti provenire
Parochis ex hujuſmodi libris, videtur quod concordet cum
opinione illorum, qui cum ſuperallegata Sacræ Congre-
gationis relatione aſſerunt, nullam mercedem Parochum
ſperare poſſe.
Valde tamen durum videtur, quod abſque ulla mer-
cede, ſeu remuneratione remanere debeat iſte vere im-
probus labor perquirendi, & rimandi per horas, & quan-
doque per dies in tot voluminibus, & ſæpe incaſſum, ad-
notationes petitas, illaſque omni diligentia tranſcribendi
& ſigillo muniendi cum authentica ſubſcriptione. Sane
bona cuſtodia librorum aliquid meretur, aliquid papyrus
ſeu charta, & multo magis ſi formula ſit typis exara-
ta, & aliquid ſigilli ſculptura: quæ omnia gratis Paro-
cho largiri non ſolent. Igitur ſaltem pro expenſis in li-
bri & Chartæ comparatione aliquid videtur Parochus
poſſe ſibi arrogare. Unde Samuel. *tit. 1. conſ. 6. concl.*
3. quando dicit *Parochos intereſſe ſcribere diem mortis*,
credo quod reſpiciat ad fructus, qui a tali ſcriptura pro-
veniunt.
Ad hoc autem, ut Fides in judicio probet, eſt neceſ- 15
ſario facienda in forma probanti, nempe cum formali
tranſcriptione partitæ, de verbo ad verbum, prout jacet,
præmittendo verba per Barboſ. *d. l. num.* 21. enunciata,
nempe: *Ego N. Parochus infraſcriptus Eccleſiæ N. de N.
fidem facio, qualiter in libro* (Defunctorum, Baptizato-
rum, &c.) *dictæ Eccleſiæ, fol.* .... *adeſt ſequens par-
tita, videl. Die, &c. In quorum fidem, &c. Datum,
&c. Ego N. &c. de N. Parochus ſupradictus, manu pro-
pria, &c.* Quocumque alio modo facta fides, ſeu Atteſta-
tio Parochi, quibuſcumque verbis concepta ſit, abſque
formali, ut ſupra, tranſcriptione partitæ, non probat,
Gregor. *dec.* 359. *num.* 5. Beltramin. *in annot. ad deciſ.*
359. *ejuſdem num.* 9. & fuit dictum *in Tolet. Cappellæ* 18.
Maji 1615. coram Pirovano, *& in Æſina Bonorum* 17.
Maji 1617. coram Andrea Ferentill. *in annot.* ad Baratt.
num. 5.
Neque probat ſi extracta ſit lite pendente in Rota ſine 16
citatione, & recognitione, quæ tamen neceſſaria non
erit, ſi tempore productionis, non fuerit de hoc oppoſi-
tum, ut cenſuit *Rota in Romana nullitatis obligationis* 26.
Januar. 20. coram Duran. *verſ. non obſtat.* 1. Judex enim,
parte non opponente, poteſt adhibere fidem ſcripturis 17
etiam informibus, cum poſſint quandoque recognoſci,
Socin. *in auth. ſi quis in aliquo, num.* 18. & ibi. *deciſ.
num.* 27. *verſ. Si vero Judex, c. de edendo*, Puteo. *dec.*
405. *l.* 1. Rot. *dec.* 487. *part.* 1. *recent.* ex Barboſ. *de
Paroch. p. 1. c. 7. num.* 21. 22.
Sciendum eſt inſuper circa bonam cuſtodiam prædicto- 18
rum librorum, debere eoſdem ad hoc, ut dicantur legali-
ter re-

ter recenti, eſſe bene compactum, & chartulatum, nec alium titulum, nec aliquid aliud extraneum ibidem adnotatum habentes, Monacell. *T.* 1. *tit.* 10. *num.* 2. atque ita dicuntur authentici, & plene probant ea, quæ ad officium Parochi pertinent, ut advertit Paa Jurdan. *Lucubr.* t. 3. *l.* 14. tit. 20. *num.* 48. *addend.* ad Pamphil. *dec.* 456. *n.* 7. 8. 9.

Quinque igitur libri ſunt, qui Parochiales nuncupantur, de quibus hic mentio fit: ſed non omnes neceſſe eſt, ut ſint apud Parochos, contra opinionem Monacell. *d. l. n.* 1. nam ipſa Rubrica ſatis aperte loquitur, & aſſignat eos, qui indiſpenſabiliter haberi debent a quolibet Parocho, prout infra.

§. I. Liber Baptizatorum habeatur in Eccleſiis, in quibus confertur Baptiſma.

20 Quoniam non in quacumque Eccleſia Parochiali ſemper adeſt fons Baptiſmalis, ſed vel in ſola Cathedrali, vel in paucis aliis, ex Indulto, vel Privilegio, vel conſuetudine; ideo ad habendum iſtum Librum non tenentur omnes Parochi. In Villis vero, & locis Diœceſanis, ut plurimum omnes Eccleſiæ Parochiales fonte Baptiſmali inſignitæ ſunt: quapropter apud illos Parochos illa obligatio vim ſuam habet.

21 Ex partita hujus Libri ſuperlative probatur quis baptizatus, & ejus ætas, prout docent Caputaq. *dec.* 214. n. 1. *p.* 1. Mandoſ. *ad Reg.* 18. *Cencell. q.* 10. *a num.* 1. & alii quamplurimi allegat. a Barboſ. *de Par. p.* 1. *cap.* 7. *nu.* 4. & *de Epiſc. p.* 2. *alleg.* 32. *n.* 176. Ubi dicitur, quod hujuſmodi liber de Baptizatis tenendus eſt, & faciendus a Parocho, in quo nomina, & cognomina ipſorum ſint deſcripta, Parentumque, ſi de legitimo Matrimonio nati ſunt, cum nominibus Patrini, vel Patrinorum, Die, Menſe, & Anno, Fuſc. *de Viſit. l.* 2. *c.* 3. *n.* 24.

22 Quo vero ad formam hujus libri, ſatis laudabile Decretum Synodale Epiſcopi Taurinen. affert Durand. *in una Taurinen. Profeſſionis* 1. *Junii* 1629. *quæ eſt* 207. *inter ejus deciſiones a Stramanna collect. pag.* 359. (circa quod valde errat in eo allegando, Barboſa *de Par. p.* 1. *cap.* 7. *numer.* 4.) ubi ſtatuitus *ſub num.* 5. quod debeat eſſe foliorum ad minus centum, hœdina charta coopertus, candida, & ſine macula, & auro in ſuis extremitatibus delineatus, chordulis ſericeis rubei coloris, ad claudendum munitus, & in ea recta verborum formula deſcribi poſſit annus, menſis, &c. Baptizati. Hæc vero tam cultra facies externa non eſt de ſubſtantia, ſed potius pertinet ad inſtructionem Parochi, ut ſic ornatus Liber facilius collocatur, difficiliuſque deperdi poſſit, ut DD. de Rota dixerunt in eadem *deciſ. nu.* 5. quæ tota ea gratia videnda eſt, cum in ſe multa ad præſens argumentum ſatis utilia contineat.

Nec obſtat, quod Libri reperiantur diverſis characteribus deſcriptus, quia Parochus non idem ſemper eſt, nec 23 idem ſemper eſt qui baptizat; ſed quandoque, & frequentes Cappellani, qui ſunt amovibiles, & non perpetui, munus baptizandi ſibi aſſumunt ad ſublevandum Parochum a labore. Unde recognitio manus Parochi, qui ſcripſit in tali Libro, non eſt neceſſaria, conſtito de 24 Libri identitate, Dec. *d. n.* 12. & *nu.* 14. Quod autem in eo non reperiantur deſcripti quidam, qui probantur nati de eodem anno, non debet redundare in præjudicium deſcriptorum, quia potuerunt baptizari alibi.

Præ omnibus attendendum eſt Decretum Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de ref. matr. cap.* 2. per quod Parochis imponitur obligatio conficiendi, & retinendi hujuſmodi Librum, Genua *de ſcript. priv. l.* 5. *tit. de Scriptur. Pleban. q.* 1. *num.* 3. & 4. Duran. *deciſ.* 18. *Romana nullitatis obligat.* 1626. *n.* 22.

§. II. Liber Confirmatorum habeatur in Eccleſiis, in quibus confertur Chriſma.

25 Confirmationis Sacramentum poteſt ab Epiſcopo miniſtrari in quacumque Eccleſia ſuæ Diœceſis, ideoque difficile eſt præſcribere, ut in omnibus Eccleſiis retineatur liber Confirmatorum: nihilominus ſi loquimur de Eccleſiis Civitatum, ſufficit, ut iſte liber cuſtodiatur in 26 Archivo Eccleſiæ Cathedralis, Poſſevin. *de Off. Curat. cap.* 12. *num.* 43. Pro Eccleſiis vero Diœceſis, ſeu ruralibus regulam ſatis claram præſtat Barboſ. *de Par. p.* 2. *c.* 7. *n.* 16.

In hoc autem Libro deſcribi debent nomina, & cognomina Confirmatorum, Patrum, & Matrum, necnon Parochiæ, in qua degunt: item Patrinorum, ſeu Matrinarum, & ipſius Epiſcopi miniſtrantis: tum dies, menſis, & annus, & Titulus ipſius Eccleſiæ, in qua Chriſma fuit adminiſtratum.

Ad hoc ut iſta adnotatio facile ſuccedat, nec in perſonarum tumultu, occaſione Confirmationis, aliquis obliviſcatur ſe conſtituendi ad regeſtum apud Parochum, 27 uſus laudabilis eſt, ut confirmandi ſecum habeant ſchedulam, ad hoc typis impreſſam, cum eorum nominibus, Patrinorum, ſeu Matrinarum, & Parochiæ, manu deſcriptis; quæ ſchedulæ a Clerico, ſeu alio miniſtro collectæ in actu Confirmationis de manu confirmati, tradantur Parocho, qui illas alphabetice deſcribat in libro parato ad hoc officium: qui mos ſatis laudabilis eſt, quia hoc pacto nullus ab hac deſcriptione ſubtrahitur.

§. III. Liber Matrimoniorum, &c.

Hic Liber a quolibet Parocho habendus eſt, cum ſit 28 unus ex tribus deſinitis a Rituali: circa quem nonnulla advertenda ſunt. Et primo. Neceſſarium eſt, hunc Librum penes Parochum haberi indiſpenſabiliter, prout decernit Conc. Trid. *Seſſ.* 24. *de Ref. Matrim. c.* 1. *verſ. habeat Parochus*; ut ſi dubietas aliqua contingat, 29 poſſit fidem de contractu Matrimonio præſtare: non præſumitur enim contractum Matrimonium, quando non reperitur in Libro adnotatum, Urſaya *T.* 1. *p.* 2. *d.* 1. *num.* 39. qui liber in hac parte ſuperlativam probationem facit ex adduct. per Gratian. *diſc.* 481. *num* 8. & Rot. coram Cavaler. *dec.* 444. *num.* 1. unde & nomina te30 ſtium, & locum contractus deſcribere debet, Barboſ. *de Par. p.* 1. *c.* 7. *n.* 6. 7. 8. 9. ex quo libro probari Matrimonium tenet Cancell. Gallia *conſ.* 15. *n.* 3. Genua *q.* 6. *l.* 5. alii; cum Parocho deponenti de pertinentiis ad ſuum officium credatur, Menoch. *de Arbitr. c.* 49. *n.* 3. Surd. *dec.* 70. *num.* 13. Gratian. in terminis *diſcept.* t. 4. *diſc* 653. *n.* 60. Nomina vero teſtium, & locus contractus deſcribi debent in fine, quia cum hæc ad ſolemnitatem Sacramenti pertineant propter finem neceſſarium vitandi lites, obligare ſub mortali, tenent Sanch. *de Matr. l.* 3. *diſp.* 15. n. 22. Reginald. *Prax. for. Pœn. l.* 31. *n.* 242. *V. ult.* Gutier. *de Matrim. cap.* 60. *num.* 9. & alii apud Barboſ. *l. c. n.* 8. qui formulam tradit, de qua infra in formulis ſermo habebitur.

Adnotationem vero Teſtium nullatenus neceſſariam, minuſque validitati Matrimonii nocentem illius omiſſionem vult Urſaya *T.* 1. *p.* 2. *diſc.* 1. *num.* 50. Ex quo Parochi negligentia contrahentibus præjudicare non valet; ut cumulatis antiquioribus, firmavit Rota cor. Otthobon. *dec.* 251. *num.* 36. Ubi, quod Concilium Tridentinum diſponens, quod Parochus retineat librum, in quo Matrimonia debeant adnotari, non progreditur ulterius illa invalidando ex defectu adnotationis. Nihilominus multum confert juncta cum aliis circumſtantiis ad Matrimonii comprobationem per ea, quæ obſervant adducti per Cavalcan. *de Teſtib. p.* 3. *num.* 243. ab Urſaya ibi allegat. ubi quod fruſtra Concilium Trid. onus impoſuiſſet Parochis deſcribendi Matrimonia in eorum libris, niſi fidem facerent.

Quod ſi in caſu relevationis fidei, Teſtes mortui eſſent, & ſimul Parochus, qui partitam deſcripſit in libro, adhuc per fidem relevatam plene probatur Matrimonium abſque aliis probationibus, ut bene reſolvunt cum Barboſ. *d. l. num* 10. Cavalcan. Maſcard. Sanch. & alii. Ratio autem eſt, quia in hoc Parochi fides, atque illibata cuſtodia fuit electa a Sacroſancto Concilio, Bellet. *diſq. Cler. p.* 1. *tit. de Cler. teſt.* §. 1. *num.* 9. Maſcard. *de probat. concl.* 672. *num.* 18. & alii apud Barboſ. *de Ep. p.* 2. *alleg.* 32. *num.* 175

Sciant ulterius Parochi, quod ſi Matrimonium contra- 31 ctum in libro non deſcripſerint, in peccatum mortale incident, quia ſpernunt præceptum Concilii in re gravi, ut pluries firmavit Rota *dec.* 233. *num.* 11. *p.* 10. *dec.* 445. *p.* 13. & *dec.* 44. *num.* 29. *recent.* & coram Dunozet. Jun. *dec.* 896. *num.* 3. Monacell. *T.* 1. *tit.* 10. *for.* 8. *num.* 7. unde ſi in viſitatione Epiſcopus inveniat eos in hoc deficere, corripiat, & puniat.

Quæſita fide, annis elapſis, de Matrimonio inter duas 32 ſpectatæ famæ Perſonas, a qua arduæ litis dependebat deciſio, non fuit inventa in libro conſueto Parochiali Matrimoniorum deſcripta partita adeo neceſſaria. Diu moratum fuit in hac indagine, quæ eo obſcurior erat, quia Parochus, per quem deſcribi debuerat illa partita, jam e vivis deceſſerat. Tandem, Deo favente, tunc quando minus ſperabatur, & Judex in calculo ferendæ ſententiæ jam erat, inventa fuit Partita fideliter, & diligenter deſcripta in libro Mortuorum ejuſdem Parochiæ: cumque nihil aliud ejus valori objiceretur, niſi æquivocatio libri, cum regulariter in libro Defunctorum non deſcribantur niſi mortui in illa Parochia, non vero Matrimonia, pars quæ contra fidem inſtabat, recurſum habuit pro conſilio, & voto ad D. Dominicum Catelanum, tunc Cardinalis de Verme Epiſcopi Ferrarien. Vicarium Generalem, ac deinde merito Termularum Epiſcopum laudatæ memoriæ;

qui ea.

qui caſu diligenter examinato, inſpectaque oculariter
Partita, & Libris tum Matrimoniorum, tum Defuncto-
rum conſideratis, æquivocationem hanc declaravit nihil
officere validitati, & robori ejus, quia non doloſa erat,
ſed tantum materialis; & vere dici poterat, talem Par-
titam deſcriptam fuiſſe in Libris Parochialibus, licet il-
bet ille, per accidens, non eſſet ad Matrimonia deſti-
natus. Itaque canonizata fuit hæc Fides, & relevata ad
producendum in Proceſſu favore Partis, pro qua inquiſi-
ta fuerat.

§. IV. Liber ſtatus Animarum.

Et hic quoque liber habendus eſt a quocumque Paro-
33 cho, prout Rituale præcipit, Concilium enim Tridenti-
num *Seſſ. 24. de Ref. cap.* 1, docet debere Præfectum Cu-
ræ Animarum Oves ſuas agnoſcere non ſolum in gene-
re, ſed & in ſpecie per familias ſingulas, & in indivi-
duo Perſonas quaslibet, earumque ætatem, & qualita-
tus, ut poſſint ipſimet, vel ſi opus fuerit, Ordinarii lo-
corum, neceſſaria ad ſalutem ſingulorum opportune ſub-
miniſtrare, Barboſa *de Pot. Par p.* 1. *cap.* 7. n. 1. Nec fa-
cilius hoc fieri poteſt, quam hunc librum componendo
ad præſcriptum Ritualis. Ibi Familiæ, & Perſonæ ſub- 34
ditorum cum ætatis nota, & Sacramentorum præſertim
ad ſalutem neceſſariorum receptione, & alia hujuſmodi
deſcribi debent.
Pro recto uſu hujus libri admonet Monacell. *d. T.* 1. 35
tit. 10. §. 1. ut ſi non ſingulis annis, ſaltem omni trien-
nio renovetur, quia probabiliter cenſetur quocumque
triennio, vel per mutationem loci, vel per augmentum,
vel decrementum Familiæ, renovari ſtatum ſubditorum
illius Parochiæ.

§. V. Liber defunctorum habeatur etiam in omnibus Eccleſiis, in quibus Defuncti ſepeliuntur.

Eadem ratione, qua deſcribi debent a parocho qui na-
36 ſcuntur, & baptizantur, adnotari debent etiam qui mo-
riuntur; illi enim adnotanti mortem Parochiani credi-
tur, quia ad illum & opus ſepeliendi Defunctos ſuæ Pa-
rochiæ, & hujuſmodi adnotatio ſpectat, ut per Barboſa
de poteſt. Epiſc. p. 2. *cap.* 7. *numer.* 31. qui plures Do-
ctores ejuſdem ſententiæ affert. Quod vero ex hac par-
tita probetur mors, & ſepultura alicujus tradit Menoch.
de præſumpt. lib. 1. *præſ.* 51. *numer.* 53. cum aliis mul-
tis.
Quapropter attendenda eſt Concluſio Samnalis *de Se-*
37 *pult. tit.* 2. *concl.* 6. *concl.* 3. „Parochum tenereſſa ſcribere
diem mortis, ac ſepulturæ ſui Parochiani: ad id enim
habere debet librum paratum, ubi cum omni ſinceri-
tate, ac fidelitate procedere, & incedere debet, ſine do-
lo, & fraude.
Sed onus hoc Defunctos ſcribendi ſoli Parocho non in-
38 cumbit: unaquæque Eccleſia, ſi non jus, ſaltem con-
ſuetudinem habet tumulandi Cadavera: quapropter ſingu-
læ Eccleſiæ, in quibus humanum cadaver aliquod ſepeli-
39 tur, hunc librum habere debent, in quo fideliter adno-
tentur Defuncti; nam etiam iſtis fides in Judicio adhi-
betur, Rota *in Elven. Heremitorii*, 7. *Febr.* 1631. coram
Merlino, ubi fuit dictum, quod circa mortem alicujus,
credendum eſt libro Societatis, ſi Confraternitas habet
40 pro inſtituto hoc officium generale ſepeliendi mortuos;
& quod credatur Scribis deputatis a Confraternitatibus in
Regno Luſitaniæ conſuluit Valaſc. *conſ.* 20. *num.* 2. *p.*
1. quem refert Perez de Lara *de Capellan. & Anniverſar.*
lib. 2. *cap.* 4. *numer.* 91. & 93. Eſcobar. *de purit. &*
nobil. proban. p. 1. *q.* 6. §. 1. *num.* 30. Prout etiam ex
Libro Hoſpitalis, cui conſuevit fides adhiberi, probari
41 mortem affirmat Surd. *Conſ.* 350. *nu.* 36. Barboſ. *de Par.*
p. 2. *cap.* 7. *num.* 13. 14. & 15.
Regula tutior a Parochis tenenda erit hæc. Quicum-
42 que ſit qui moriatur, procul dubio alicujus Parochiæ ſub-
ditus eſt, quamvis in Eccleſia Parochiali non ſepeliatur:
cumque ſuorum ſubditorum debeat Parochus curam ha-
bere, donec tales fuerint ſeu ſuper terram ſuperſtites, ul-
timus actus hujus juriſdictionis per ſepulturam (in quo-
cumque loco fuerit) concludi debet. Non ne illum in
Libro ſtatus Animarum, vivum deſcripſit? non ne in Li-
bro Matrimonii, ſi ſub illo conjugatus fuerit? non ne Sa-
43 cramenta illi miniſtravit? que ratio igitur impedit, ut
illum in libro mortuorum non deſcribat, licet in Eccle-
ſia aliena ſepeliatur? Ejus præſentia certe non deeſt in
funera aſſociando, cum jus illi competat concomitandi
Cadaver, quamvis deferatur ad aliquam Eccleſiam: ergo
teſtimonium præſtare poteſt de ejus morte, funere, &
ſepultura; Quapropter in libro adnotabit quoſcumque de-
functos in ſua Parochia, quamvis in ea ſepulchri honore
deſtituti fuerint, cum hac tamen advertentia (ut in ex-
plicatione formulæ notabimus) indicandi Eccleſiam, in
qua tale Cadaver humatum fuit. Definitio itaque Bar-
boſæ *loc. cit.* non eſt tuta: dum enim dicit: notandos
eſſe in Libro Parochiali Defunctos in Parochia ſua ſepul-
tos, jus Parochi limitat, quando hoc quoad ſuos ad
quaſcumque Eccleſias extenditur.
Nec obſtat, quod vere Parochus ocularis teſtis non fue-
rit humationis, quia in aſſociatione Cadaverum ad Ec-
cleſiam Regularium Sepulturæ non aſſiſtit: teſtimonium 44
enim Parochi ſit de morte, non de ſepultura, & mors
illi manifeſta eſt pluribus modis, ſed præcipue ob aſſocia-
tionem Cadaveris. Sepultura eſt quid conſecutivum mor-
ti: mors eſt certa; ſepultura vero incerta, & conſtat de
morte, donec videatur reviviſcentia, Pignatell. *T.* 4. *conſ.*
16. *num.* 5 Ultraquamquod Fides de ſepultura non ſem-
per fieri poteſt, corpora enim non ſemper ſepulturæ tra- 45
duntur, ut videre eſt in ſupplicio damnatis, & diſſectis,
in incendio combuſtis, in mari, ſeu fluminibus demer-
ſis, vel pulvere tormentario diſcerptis, necnon ſimili
modo enecatis, qui generaliter loquendo, nullum habent
ſepulchrum, vel incertum, vel multiplex. E contra fides
de morte ſemper fieri poteſt, quia mors certa eſt, nec
evitari poteſt, & ſufficit, ut Parocho evidenter conſtet,
aliquem expiraſſe animam, ut legalem & authenticam
fidem præſtare poſſit.
Præter Parochum, & aliarum Eccleſiarum Cuſtodes, in 46
quibus humantur Cadavera, fides relevari poteſt ex pu-
blicis documentis. Unaquæque enim Civitas de more
Officiales deputatos habere ſolet, qui Regeſtum fidele te-
neant Defunctorum totius Civitatis Certe hic Ferrariæ
per magnum Centumvirale Conſilium quolibet anno eli-
gitur, ac deputatur unus Notarius ad officium Bulletta- 47
rum nuncupatum; qui librum Defunctorum in toto illo
regiminis ſui anno conficiat, juxta notulas ſibi per Libi-
tinarios, qualibet hebdomada traditas, ſtatuto ſtipendio
unius oboli pro quocumque Defuncto, qui obulus in con-
ſuetis Taxis funeralibus locum habet. Illorum Notario-
rum officium eſt, non tantum regiſtrare nomina Defun-
ctorum, ſed libros annorum præteritorum ſibi traditos
cuſtodire, atque ab illis relevare, quando opus fuerit,
fides authenticas, quæ in judicio producuntur, & ſuum
valorem habent, tamquam ſi a Parochis narratæ eſſent:
& tamen nemo iſtorum Notariorum teſtis fuit mortis il-
lius Defuncti, de quo relevantur atteſtationes, & docu-
menta.
Sed ut ad Parochos redeamus, Libri Defunctorum plu- 48
res eſſe poſſunt arbitrio Parochi, nempe unus pro mor-
tuis morte naturali, alter pro interemptis, alter pro ſu-
bita morte correptis, ut notat Monacell. *d. lib.* Sed ma-
gni incommodi eſſet hæc regula, cum per unicum librum
ſatis fieri poſſit Univerſis.

§. VI. Advertat in primis Parochus, ut in Libris tam Baptizatorum, & Confirmatorum, quam Matrimoniorum, & Defunctorum exprimat ſemper non ſolum nomen Perſonarum, quæ ibi nominantur, ſed etiam familiam.

Diſtinctio communior Perſonarum eſt per cognomina,
49 quæ præſtant id quod ſufficit, ut facile dignoſcatur per-
ſona, de qua agitur, & evitentur æquivocationes. Ubi
advertendum eſt, quod ſi duo, vel plures Perſonæ repe-
riantur in uno loco, quæ ejuſdem nominis, & cognomi-
nis ſint, prout ſæpe accidit in Civitatibus populoſis: tunc
50 inveniendus eſt a parocho modus, ut unus diſtinguatur
ab alio, nempe nobilitas, vel ignobilitas conditionis,
exercitium, ſeu ars, Via & ſitus Domus ſuæ, perſonales
inſpectiones, dignitates, nomen Patris, Avi, & alia in-
ſervire poſſunt ad illos diſtinguendos.
Optima demum regula illa eſt nonnullarum nationum, 51
quæ nomen alicujus indicando, nunquam prætermittunt
nomen Patris, Avi, & Abavi, quaſi librum generatio-
nis ejuſdem percurrentes, hoc pacto, verbi g. Titius Fi-
lius Sempronii, olim Caji, qui fuit olim Seji; & ſic ge-
nerationes illas enumerando non confunduntur perſonæ,
licet eodem nomine, & cognomine appellentur.

FORMA

F O R M A
DESCRIBENDI BAPTIZATOS
I N P R I M O L I B R O,
T I T U L U S N O N A G E S I M U S T E R T I U S.

S U M M A R I U M.

1 *Formula communis.*
2 *Formula reſtrictior.*
3 *Quæ in una Formula reſtringi debeant?*
4 *Ille qui Baptizat, debet indicari.*
5 *Dies nativitatis exprimi debet.*
6 *Ad quid inſerviat iſta adnotatio?*
7 *Parochi caute ſe gerant in deſcribendis natis ex incertis Parentibus.*
8 *Nomen matris certe ſcribendum.*
9 *Parochi non eſt judicare de legitimitate Prolis.*
10 *Expoſiti poſſunt eſſe legitimi.*
11 *Schedulæ appenſæ collo Infantibus non ſunt attendendæ.*
12 *Non obſtantibus ſchedulis, Infantes baptizandi ſub conditione.*
13 *Baptizati ab Obſtetricibus notandi ſunt.*
14 *Expleta Cæremoniæ notari debent.*
15 *Nomen eſt imponendum a Parocho, non ab Obſtetrice.*
16 *Quicumque ſit, qui baptizet, etiamſi Epiſcopus, notandus.*
17 *Principum filii, licet non baptizentur in Eccleſia, notari debent.*
18 *Baptizati ſub conditione adnotendi.*
19 *Obſtetrices debent prius approbari, & examinari circa Baptiſmum.*
20 *Formula ſcribendi in libro Neophytos Baptizatos.*
21 *Omnes circumſtantiæ apponendæ ſunt.*

1 RESTRICTIOREM Formulam hujus deſcriptionis tradit Monacell. T. 1. *tit.* 10. *for.* 1. Sed
hæc a Rituali præſcripta eſt tutior, & in judicio fidem
facit, Rota coram Duran. *in Taurinen. Profeſſionis*, *dec.*
2 207. Compendioſitas vero Monacelli provenit ex multiplicitate formularum ab hac unica Ritualis Romani extractarum: nam præter formulam deſcriptionis Natorum, & Baptizatorum, tradit illam nati ex Parentibus inceſtis; illam pro Baptizatis Domi ob periculum immi-
3 nens mortis, illam ſupplementi cæremoniarum, & denique illam adhibendam in caſu quo Infans dubie fuerit baptizatus, ſeu dubitetur de validitate collati Baptiſmi: quæ tamen varietates formularum utiles ſunt, & adhibendæ in ſuis caſibus.

§. I. Anno Domini . . . Die . . . Menſis . . . Ego N. Parochus hujus Eccleſiæ S. N. Civitatis, vel Loci N. Baptizavi Infantem, Die . . . . . Natum, vel natam ex N. & N. Conjugibus hujus, vel Parochiæ S. N. & ex tali Patria, vel familia. Cui impoſitum eſt nomen N. Patrini fuerunt N. Filius N. ex Parochia, ſeu loco N. & N. Conjux N. Filia N. ex Parochia, ſeu loco N.

4 *Ego N. Parochus &c.* Hæc eadem Rubrica, ut infra, limitatus, ſi Parochus non ſit, qui baptizet, ſed Capellanus, vel alius Sacerdos de conſenſu Parochi. Tunc nomen Baptizantis exprimi debet, ut veritas omnino eluceat in teſtimonio faciendo.

5 *Die . . . natum, &c.* Dies nativitatis, quatenus ſciri poſſit, exprimi debet: ſi vero non innoteſcat, erit reti-
6 cendus. Inſervit autem hæc ſpecialis diei indicatio ad probandam ætatem in illis, qui Baptiſmum protraxerunt per dies, & menſes, Nasbona *de Ætate*, *l.* 2. *c.* 2.

§. II. Si Infans non fuerit ex legitimo Matrimonio natus, nomen ſaltem alterius Parentis, de quo conſtat, ſcribatur (omnis tamen Infamiæ vitetur occaſio.) Si vero de neutro conſtat, ita ſcribatur: *Baptizavi Infantem, cujus Parentes ignorantur, &c.*

7 Prudentia Parochi in hoc valde eminere videbitur, ſi in notandis, ſeu deſcribendis Baptizatis, ſed natis ex Parentibus incertis, caute ſe geſſerit, ita ut nemini infamiam intulerit. Quando vero unus ex Parentibus inſtet, ut ſcribatur nomen vel Patris, vel Matris, advertere debet Parochus ne hoc fiat ſubdole, & malitioſe, ad hoc ut tractu temporis, qui teſtimonium relevaverit, fidem habeat de eo, quod non fuit. Regula itaque certa
8 erit ſcribere nomen Matris, ſi certo ſciatur, non vero Patris, quia hoc eſt difficilis probationis etiam in Conjugatis, multo minus in ſolutis: Ad ſummum adnotare poterit nomen Patris cum clauſula; (*ut dicitur*, *ut ajunt*, *ut relatum fuit*, *ut inſtiterunt ſcribi*,) nunquam tamen hoc fiat, ſi ex conjugatis natus ſit Infans, quamvis ſuſpicio etiam gravis adeſſet: imo etiam ſi
9 cauſa deducta eſſet ad forum contentioſum, quia Parochi, ſeu Baptizantis non eſt judicare de illegitimitate Prolis, ut communiter docent Doctores.

§. III. Si expoſitus ſit infans, exprimatur quo die, ubi, & a quo repertus: & quot dierum veriſimiliter ſit, & baptizetur ſub conditione, ſi ignoratur fuiſſe baptizatum.

10 Non omnes expoſiti ſunt illegitimi, ſed derelicti dicuntur; ideo quamvis non conſtet de eorum Parentibus, attamen legitimi eſſe poſſunt. Illi abſolute, & abſque ulla conditione baptizandi ſunt, quoties eſt omnimoda ignorantia de ſibi collato Baptiſmo, nec ulla datur in
11 oppoſitum certa conjectura. Si vero haberent appenſam collo, vel in alia corporis parte ſchedulam, in qua eſſet ſcriptum recepiſſe Baptiſmum, tunc ſub conditione baptizari debent, quia ſchedola poteſt eſſe teſtimonium
12 illuſorium ab aliquo Fidei Chriſtianæ hoſte adductum, ut communiter diſtinguunt DD. relati a Romaguer. *ad Synod. Gerund. l.* 3. *tit.* 18. *cap.* 7. *a* 9. Monacell. *T.* 1. *titul.* 10. *for.* 3. *num.* 3.

§. IV. Si infans Domi ob imminens mortis periculum baptizatus ſit, tunc ita ſcribatur.

Anno . . . Die . . . Menſis . . . Natus eſt N. Filius N. Conjugum, &c. ut ſupra, &c. quem, ob imminens mortis periculum, in Domo rite baptizavit N. Obſtetrix probata; vel N. Filius N. ut mihi retulit N.

13 Iſta deſcriptio facienda erit a Parocho unice in caſu, quo Infans, qui domi baptizatus fuit, ob immi-
14 nens periculum mortis, idem periculum evaſerit: nam ſi poſt Baptiſmum domi datum, mortuus fuerit, nulla de eo ſit mentio a Parocho, quia nullam partem in eo habuit, licet Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradatur. Contrariam opinionem vero ſuſtinet Monacell. *d. l. num.* 3. §. *ſi infans*, *&c.* ante *form.* 4. quæ in hoc caſu ſuſtineri non. *Comment. ad Rituale.*

nequit, niſi dictus Author intelligat, ſcribendum eſſe hunc Baptiſmum privatum tunc, cum ſcribit in libro mortuorum mortem, & ſepulturam Infantis.

Si vero mortis periculum poſt collatum Baptiſmum evaſerit, tunc pro explendis Sacris Cæremoniis, Infans deferendus eſt ad Eccleſiam, prout notavimus in *Tit. de Bapt.* & iſtod cæremoniarum ſupplementum erit notandum in libro, formula ſequenti.

§. V. Si ſupervixerit Infans, & adhibitæ ſint in Eccleſia Sacræ cæremoniæ, ita addatur:

Die . . . Ejuſdem menſis, ad Eccleſiam portatus eſt Infans prædictus, ipſique ego Parochus Sacras Cæremonias, & preces adhibui, & N. Nomen impoſui,

15 Hinc patet, Nomen imponendum eſſe Infanti a Parocho baptizante, non vero ab Obſtetrice, vel alia perſona, quæ Infantem baptizaverit in privato loco, ob periculum imminens, quia in illo periculo de ſalute Animæ quærendum eſt, non vero de nomine Infantis, cui Eccleſia pia Mater debet nomen imponere. Si vero detur in Baptizante talis ignorantia, vel inadvertentia, ut cum Baptiſmo, nomen quoque imponatur Infanti; iſtud nomen erit a Parocho baptizante in faciem Eccleſiæ confirmandum, quia Parochus ſequi debet voluntatem Parentum, ſeu deferentium Infantem ad Fontem, quando id poſtulent, & nomen ſit vero ab Eccleſia approbatum.

Et quoniam de imponendo nomine primum: Locus eſt hic admonendi Parochos, ſive quoſcumque alios ad fontem Baptizantes, hujuſmodi nomen imponendum eſſe ad libitum parentum ſuorum, dummodo nomina ſint decentia, & prout a Rituali noſtro præſcribuntur.

Poteſt nomen eſſe multiplex ſive ſit maſculini, ſive fœminini generis, & nomina etiam, quæ conveniunt maſculis, poſſunt fœminino generi applicari. Prout Hieronymus, Jacobus, Julius, Bartholomæus, Caſpar, & hujuſmodi fœminæ Baptizandæ in actu Baptiſmi applicari poſſunt dicendo Hieronyma, Jacoba, Julia, Bartholomæa, Caſpara, &c.

Quod ſi multa eſſent nomina, nec ita facile memoriæ tam cito mandari poſſent, ut nominentur in forma, & cum aliis verbis recitandis tempore Catechiſmi, ſeu Baptiſmi: non pigeat Parochum, ſeu alium quemcumque Baptizantem, illa in chartula conſcribere & legere toties quoties opus erit illa repetere.

Immo Parentum ſolertiæ incumberet hujuſmodi nomina (præcipue ſi plura eſſent & extravagantia) in pagella conſcripta ſecum ad fontem portare ad illam Parocho ſeu Baptizanti præbendam, ut hoc pacto expeditius munus ſuum expediat.

§. VI. Si forte non Parochus, ſed alius baptizaverit, id exprimatur.

Præter Parochum, ſeu ejus Capellanum, dari poteſt, ut miniſtretur Baptiſmus ab Epiſcopo, vel a dignitate
16 Capitulari; & in hoc caſu iſta ſpecialitas eſt in libro notanda ad legalitatem ipſius, etiamſi Baptiſmus non conferret in Eccleſia, ſed in Domo, ſeu Palatio Principis, prout dictum fuit in *Titulo de Sacramen-to Baptiſmi*, §. 3. ubi excipiuntur ab obligatione adeundi Parochiam Regum, & Magnorum Principum Filii. Tunc quamvis Parochus non ſit Baptiſmi miniſtor, attamen eſſe debet præſens, ut omnia videat, quæ 17
in libro Parochiali notanda ſunt.

§. VII. Si fuerit baptizatus ſub conditione, *Si non es baptizatus*, id pariter exprimatur.

18 Quando dubitatur de validitate Baptiſmi, utpote quia Obſtetrix, vel alius baptizans in periculo Mortis, poſtea examinatus, recte formam non callere repertus eſt, vel quia aqua elementaris, qua uſus fuit, dubia erat, aut ex alia ſimili cauſa, tunc erit Infans rebaptizandus ſub conditione, & in partita libri apponendum erit, quod in examine diligenter habito Baptizantis ſuper forma, & modo Baptiſmi per eum collati, dubitatum fuit de illius validitate, atque ideo rebaptizatus fuit Infans ſub conditione: *ſi valide non es baptizatus*, &c.

19 Dicitur in formula; *ab Obſtetrice approbata*, ut intelligat Parochus, quod nulla fœmina exercere debet munus obſtetricis, antequam ſit bene inſtructa per eum circa materiam, & formam hujus Sacramenti, & ab Epiſcopo approbata, prout monet S. Carolus *Prov.* 5. & Gavant. *Man. Epiſc. verb. Baptiſmus*, *numer.* 26, quod tradunt communiter Doctores, quos refert Romaguer. *ad Synod. Gerund. lib.* 3. *tit.* 18. *cap.* 2. *numer.* 18.

Inſuper additur expreſſio, ſeu annuntiatio imminentis periculi mortis, ad demonſtrandum, quod ſecluſa neceſſitate, & periculo, in collatione Baptiſmi adhibendæ ſunt ſolemnitates ab Eccleſia præſcriptæ; alias baptizans abſque illis graviter peccaret, Monacell. *d. form.* 6. *num.* 6.

Rituale Romanum non affert formulam deſcriptionis Neophytorum baptizatorum, qui ab Hebraiſmo, ſeu ab Infidelitate, ad gremium Eccleſiæ ſe conferunt, & tamen iſta formula debet eſſe ſpecialis, & diſtincta ab aliis ſupra deſcriptis; ut jam dictum fuit in *Titulo Baptiſmi Adultorum*, §. 47. *V. Remanet*.

Hujuſmodi eſt illa, quam adhibet Eccleſia Cathedralis Ferrariæ, in qua frequenter intra annum baptizantur 20
Judæi, & Infideles ad Catholicam fidem converſi. Hanc afferam ad publicam utilitatem, prout ſequitur.

Reverendiſſimus N. N (Hic ponatur nomen, & dignitas illius Perſonæ in dignitate conſtitutæ, quæ Adultum baptizavit.)

Si vero fuerit Curatus, ſcribatur hoc pacto.

Ego N. N. Curatus, &c. Exorcizavi, Catechizavi, & ſolemniter Baptizavi N. N. Hebræum de Ghetto, vel talis Civitatis (vel illius nationis infidelis, de qua eſt) *Filium N. N. & N. N. Conjugum, in Hebraiſmo; ſeu inter Turcas*, vel alios Infideles *commorantem; cui impoſitum fuit nomen N. Patrini fuere N. N. & N. N. quorum unus donavit illi cognomentum de N. &c. Ego, &c.*

In quibuſcumque tandem formulis Parochus circum-
ſtantias omnes ſupra notatas per totum hunc Titulum 21
apponere non omittat, quia ſæpe in probanda identitate Perſonæ, in ſucceſſionibus, & aliis caſibus maxime proſunt.

F O R M A

DESCRIBENDI CONFIRMATOS

IN SECUNDO LIBRO,

TITULUS NONAGESIMUS QUARTUS.

S U M M A R I U M.

1 *Occaſione Viſitationis fieri debet ab Epiſcopo Confirmatio.*
2 *Ætas confirmati deſcribenda.*
3 *Solemnitas Pontificalis notanda.*
4 *Mares a Fœminis ſeparatim deſcribantur alphabetice.*
5 *Quomodo Illegitimi Confirmati notendi ſint.*

SEQUITUR Liber ad deſcribendos Confirmatos, qui tamen, ut diximus, non a quovis Parocho habendus eſt, ſed ab illis tantummodo, in quorum Eccleſia miniſtratum fuit hoc Sacramentum ab Epiſcopo, Formula eſt hujuſmodi.

§. I. Anno . . . Die . . . Menſis . . . Qui fuit Dies . . . N. Filius N. & N. Conjugum. Vel N. Filia N. *Si fuerit nupta addatur* Uxor N. Sacramentum Confirmationis accepit a Reverendiſſimo, vel Eminentiſſimo D. N. Epiſcopo N. in Eccleſia S. N. Civitatis N. vel loci N. Compater fuit N. Filius N. Parochiæ S. N. Civitatis, vel loci N.

1 Pariter in hac forma Monacellus *diſt. l. formul.* 7. addit nonnulla ad majorem explicationem Collationis hujus Sacramenti. Et primo: *Occaſione Viſitationis*. Et hoc ut recordetur Epiſcopus, quod, ne ſubditi graventur, conveniens eſt, ut hoc Sacramentum miniſtratur occaſione Viſitationis incorum Diœceſis.

2 Inſuper ætatem Confirmati deſcribendam eſſe dicit, ut notum ſit, qua ætate tale Sacramentum ſuſceperit, & an fuerit compos mentis, ut memoriæ retineat collationem ejuſdem.

3 Addit etiam circa Epiſcopum, quod fuerit Pontificalibus indutus, ut ſolemnitas appareat, qua celebratum fuit hoc Sacramentum, de quo vide Pontificale Romanum.

§. II. Marium deſcriptio in una pagina, ſeu prima facie folii; Fœminarum vero in altera ſejunctim notetur.

4 Clarius explicat Monacell. *diſt. l.* quæ præſcribuntur in hoc Paragrapho; nam dicit: *Deſcribantur mares ſeparatim e Fœminis, in eodem Libro ordine alphabetico, exprimendo ætatem, & qualitatem Adultorum, præſertim ſi ſint conjugati.*

§. III. Si confirmatus non conſtet an ex legitimo Matrimonio genitus ſit, vel Parentes ignorentur, ſervetur quod in Libro Baptizatorum præſcriptum eſt.

5 Sufficit, ut qui Confirmatos in Libro deſcribit, ſi ejus Parentes incerti ſint, ſcribat hæc verba: *N. cujus Parentes ignorantur*. Non debet enim Parochus decernere, ſeu judicare, an ille ſit Spurius, an Legitimus: quod ſi faceret, damnum, & quidem maximum, inferret Confirmato, qui (hoc non obſtante) legitime poſſet eſſe procreatus: incertitudo enim Parentum non eſt ſufficiens ratio, ut quis dicatur illegitimus, ex communi Doctorum ſententia; & eo magis infamiæ occaſio daretur, quia Adultus ſi ſit mentis, & rationis compos, dedecus ſuum concipere poteſt, quod non evenit in ſcribendis Infantibus baptizatis, quia in illa ætate nihil de ſe ipſo Infans cognoſcit, nec erubeſcere valet eo pacto, quo maximum pudorem concipere poſſet in adulta ætate, ſi in conſpectu ejuſdem pronunciaretur ſententia de ejus illegitimitate.

F O R M A

SCRIBENDI CONJUGATOS

IN TERTIO LIBRO,

TITULUS NONAGESIMUS QUINTUS.

S U M M A R I U M.

1 *Formula emplienda eſt, & regiſtranda juxta caſus occurrentes.*
2 *Quænam ſint neceſſaria, ut ſcribantur?*
3 *Conditiones omnes ſcribendæ.*
4 *Varietas Formulæ quando occurret?*
5 *Fides denunciationum fieri debent in ſcriptis, non verbaliter.*
6 *Reſpiciendum eſt in hoc, tempus futurum.*
7 *Facultas pro exteris danda eſt ab Ordinariis.*
8 *Dilatio publicationum debet eſſe in ſcriptis.*
9 *Conjugati poſt dilationem publicationum monendi ſunt de non detectis impedimentis.*
10 *Denuntiationes per quas cauſas emitti poſſint?*
11 *Facultas conjungendi in ſcriptis eſſe debet.*
12 *Ad quid inſerviat adnotatio diſpenſationis?*
13 *Denunciationes factæ in diverſis Parochiis adnotari debent.*
14 *Negligentiæ Parochorum in ſcribendis conjugatis damnandæ.*
15 *Parochi negligentes puniendi ſunt.*
16 *Excuſatio de chartulis deperditis non valet.*
17 *Parochi caute ſe gerant in faciendis atteſtationibus.*

TERTIUS Liber habendus a Parocho ille eſt, in quo deſcribendi ſunt conjugati ſuæ Parochiæ, toties quoties Sacramentaliter contrahunt, ſeu in primo, ſeu in ſecundo, ſeu in quocumque alio Voto. Formula autem eſt hujuſmodi.

§. I. Anno . . . Die . . . Menſis ... Denunciationibus præmiſſis tribus continuis Diebus feſtivis, quarum prima, die ... ſecunda, die ... tertia, die ... inter Miſſæ Parochialis ſolemnia, habita eſt, nulloque legitimo impedimento detecto: Ego N. Rector hujus Eccleſiæ Parochialis N. Civitatis, *vel* loci N. N. Filium N. Parochiæ S. N. & N. Filiam N. (ſeu relictam q. N. (*ſi Vidua fuerit*) hujus, ſeu Parochiæ S. N. in Eccleſia N. interrogavi, eorumque mutuo conſenſu habito ſolemniter per verba de præſenti, Matrimonio conjunxi, præſen-

tibus Teſtibus notis N. Filio N. qui habitat in Parochia S. N. & N. Filio N. &c. & N. Filio N. &c. Poſtea eis ex ritu S. Matris Eccleſiæ (*ſi tamen Nuptias benedixerit*) in Miſſæ celebratione benedixi.

Plura ad hanc formulam pertinentia jam dicta remanent in *Tit. de Sacr. Matr.* quamobrem in hoc loco unice addenda erant, quæ ad materialem hujus formulæ deſcriptionem inſerviunt, cum alia jam dicta ſint in Titulo generali Librorum a Parochis habendorum nuper expoſito.

1 Hæc formula per alleg. a Monacell. *d. l. form.* 8. *n.* 6. poteſt, imo debet ampliari, & reſtringi, aut variari a Parocho juxta Matrimonii circumſtantias: neque
2 ſi denunciationes fuerint omiſſæ ex diſpenſatione Epiſcopi, vel ſi alius Sacerdos de licentia ipſius Parochi, Epiſcopi, aut Vicarii Generalis Matrimonium celebravit. Tunc enim Parochus ſcribit particulam, & Sacerdos illam ſubſcribit. Inſuper quando Conjuges fuerint a S. Sede Apoſtolica diſpenſati ſuper impedimento publico; Et vigore licentiæ Ordinarii Matrimonium fuit celebra- 3
tum. Ulterius quando de licentia Epiſcopi Matrimonium celebratur domi. Demum quando celebratur in alia Eccleſia quam Parochiali.

Iſtæ omnes circumſtantiæ important variationem for- 4
mulæ deſcribendæ in libro Matrimoniorum, unde ipſum Rituale non in una formula ſe ſiſtit, ſed quatuor diverſas exhibet, adhibendas prout occaſio ſe offert.

§. II. Si unus ex iis, qui Matrimonium contrahere voluerint, alterius Parochiæ fuerit, antequam admittatur, Parochus, in cujus Eccleſia Matrimonium celebrari debet, denunciationum in ejus Parochia rite factarum fidem ſcriptam habeat, quæ aſſervetur, & res tota exprimatur in ipſomet libro Matrimoniorum, hac ratione.

Denunciationes hujus Matrimonii factæ ſunt etiam a R. D. N. Parocho Eccleſiæ S. N. ſub cujus cura dictus N. *vel* dicta N. habitat, ut ex ipſius Parochi ſcripto ſervato apud me apparet. Denunciatio autem prima facta eſt die . . . ſecunda, die . . . tertia, die . . . inter Miſſæ parochialis ſolemnia, nullumque impedimentum Canonicum detectum eſt.

5 Fides denunciationum factarum in altera Parochia fieri debent in ſcriptis in forma probante, nec ſufficit, ſi ipſe Parochus oretenus diceret, ſe illas feciſſe etiam medio juramento; quia cum ad perpetuam memoriam remanere debeat apud Parochum proprium hæc atteſtatio; eſſet aerea, & nullius momenti illa, quæ verbaliter fieret: non debet enim in hoc caſu reſpici tantummodo
6 tempus præſens, ſcilicet validitas Matrimonii (pro quo atteſtationes de denunciationibus factis in altera Parochia eſſent validæ) ſed tempus futurum eſt reſpiciendum, hoc eſt lites, & jurgia, quæ tractu temporis inſurgere poſſunt: ſi enim in fide Matrimonii deeſſet illa atteſtatio in ſcriptis de factis denunciationibus in alia Parochia, Matrimonium poſſet infirmari, prout infirmatum fuit in caſu a Barboſa allegato *de Ep. p.* 2. *allegat.* 32. *n.* 183.

§. III. Si autem alteruter ſit diverſæ Diœceſis, teſtimonium Parochi affirmantis, denunciationes eſſe rite præſtitas, nullius roboris cenſeatur, niſi ab Epiſcopo, vel ab ejus Vicario Generali illius Diœceſis ſubſcriptione, & ſigillo comprobatum, & ab Epiſcopo, ſeu ejus Vicario loci, ubi contrahitur Matrimonium, recognitum ſit, ab eoque licentia contrahendi fuerit obtenta.

7 Regula generalis, & tutior tenenda in hoc caſu a Parocho, nec umquam prætermittenda, erit in Matrimoniis Perſonarum diverſæ Diœceſis mandatum, & facultatem authenticam, & in ſcriptis ab Ordinario obtinere: hac norma tutus procedet. Si vero ſecus facere auderit, magno ſe periculo exponet, atque erit reprehendendus, & juxta diverſitatem circumſtantiarum, puniendus.

§. IV. Ubi vero Ordinarii conceſſu (quod ſcripto conſtare debet) denunciationes aliquæ differendæ, aut omittendæ interdum ſint, ita notetur:

Anno Domini... die... menſis... denunciationum una die feſto... rite facta, reliquis vero dilatis poſt Matrimonii celebrationem ex facultate ſcripto conceſſa a Reverendiſs. N. *ſeu* a Vicario N. ſub die . . . dat., &c. infraſcripti tenoris, quam penes me ſervo, cum aliis hujuſmodi facultatibus, nulloque prorſus impedimento allato. Ego, &c. ut ſupra.

8 Notandum, quod ſi Epiſcopus, vel Vicarius dilationem publicationum concederet oretenus, & ſine ſcriptis, Matrimonium utique eſſet licitum, ſed Parochus non recte ſe gereret circa ſuam obligationem, quia Rubrica præcipit rigoroſe, ut iſtæ diſpenſationes, ſeu dilationes habeantur in ſcriptis.

§. V. Denunciationes vero, quæ poſt contractum Matrimonium fient, ita ſcribantur:

Anno ... die ... menſis ... qui fuit Feſtus. &c. & ſequenti, qui fuit Dominicus, &c. ejuſdem menſis. Ego N. Rector hujus Eccleſiæ S. N. inter Miſſarum ſolemnia denunciationes habui Matrimonii, jam prævia opportuna diſpenſatione initi inter N. & N. die prima hujus menſis, nullum tamen Canonicum impedimentum ab aliquo allatum eſt, quominus hujuſmodi Matrimonium ratum, ac firmum eſſe debeat.

9 De cauſis, propter quas differri poſſunt denunciationes, jam diximus in Explicatione Sacramenti Matrimonii: hic tantummodo dicendum eſt, poſt factas denunciationes dilatas monendos eſſe a Parocho Conjugatos, nullum detectum fuiſſe impedimentum (ſi ita res ſe habeat) ut ſimul cohabitare poſſint licite.

§. VI. Si autem denunciationes omnes omittendæ ſint, aut differendæ, ita ſcribatur:

Denunciationibus omnibus omiſſis, vel dilatis, &c. ex facultate, &c. Ego Rector, N. &c. ut ſupra.

Denun-

10 Denunciationes omnes poſſunt omitti, & poſſunt diſferri juſtis de cauſis, ſed ſemper tum omiſſio, tum dilatio ab Ordinario concedi debet; nec Parochus propria authoritate in his ſe ingerere poteſt: ideo ſcribendo in libro Matrimoniorum hanc partitam, ſemper adeſſe debet: *ex facultate*, *&c.* quæ in Archivo ſervari debet.

§. VII. Cæterum ſi alteri Presbytero ab Ordinario, vel a Parocho ipſo facultas facta ſit conjungendi aliquos, id in libro proprii Parochi ſic adnotetur, ipſius Parochi manu.

N. Presbyter, vel Capellanus Eccleſiæ N. de licentia Reverendiſs. Epiſcopi N. ſeu ejus Vicàrii N. aut mea, quæ penes me extat, N. Filium N. & N. *&c.* in Matrimonium conjunxi, *&c.* ut ſupra. Et ego N. ſubſcripſi, & teſtor, rem ita ſe habere.

11 Per illam particulam, *quæ penes me extat*, demonſtratur, hanc quoque licentiam concedi debere in ſcriptis, & non aliter ad perpetuam rei memoriam, ut magis in forma probanti appareat validitas Matrimonii.

§. VIII. Quod ſi ex denunciationibus compertum ſit, Conjuges aliquo conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradu conjunctos eſſe, nihilominus ad contrahendum fuerit cum ipſis Apoſtolica authoritate diſpenſatum, adnotetur gradus conſanguinitatis, vel affinitatis diſpenſatæ, & compendium decreti ſuper ea relati, cum die, & anno, ac Notarii de illo rogati nomine, hoc modo.

Anno Domini . . . die . . . menſis . . . præmiſſis denunciationibus, ac comperto impedimento ſecundi, vel tertii, aut quarti gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, ſeu alio quovis, *&c.* inter N. & N. obtentoque per eos Apoſtolicæ Sedis mandato de diſpenſando; & cum eis per Reverenpiſſimum Epiſcopum N. authoritate diſpenſato ſub die . . . Anno . . . ut conſtat ex actis Notarii Officii prædicti Epiſcopi, eos Matrimonio conjunxi, ut in prædicta formula, *&c.*

12 Adnotatio diſpenſationis diſtincta inſervit ad demonſtrandam affinitatem, vel conſanguinitatem, ſuper qua diſpenſatum fuit. Circa vero hoc, debet Parochus omnino ea adimplere, quæ in mandato Epiſcopi habet, nec in uno apice aliquid prætereundo, & ſingula ſcripto ordinata diligenter cuſtodire, atque ſervare, Monacell. *d. l. n.* 8.

§. IX. Denunciationes autem factæ in diverſis Parochiis, Sponſi videlicet, & Sponſæ, ab utroque Parocho, in libro notari debent, etiamſi Matrimonium non ſequatur.

13 Quamvis Matrimonium non habeat effectum ſuum,
nihilominus Parochus parcere non debet calamo in adnotandis
ſingulis, quæ circa Matrimonia eveniunt, eo
quia multum prodeſſe poſſunt ſuis loco, & tempore.
14 Negligentia enim Parochorum illorum eſt damnanda,
qui in pagellis volantibus notant celebrationes Matrimoniorum,
& aliarum rerum, quæ ex præſcripto Concilii,
& Ritualis notanda ſunt in Libris ad hoc paratis, animo
tranſcribendi illas in Libro præſcripto: evenit enim facile,
ut chartulæ deperdantur, & pereant, vel Parochus
obliviſcatur tranſcribere, vel moriatur, vel a cura diſcedat,
vel aliud accidat, propter quod illa particularis ſchedula
ad nihilum valeat, & tanquam ſcartafacium judicetur.
In hoc caſu, ſi denuncietur Epiſcopo, vel in Viſitatione,
vel extra, hæc negligentia Parochi, puniendus
15 eſt gravi mulcta, quia præter peccatum mortale commiſſum
in re gravis momentis ob ſpretum Decret. Concilii,
Rot. *deciſ.* 233. *num.* 11. *part.* 10. *deciſ.* 445. *p.*
23. *& dec.* 44. *num.* 29. *part.* 19. *recent.* & cor. Dunozet.
Jun. *deciſ.* 896. *num.* 3. infert grave damnum tertio,
& tenetur ad damna, & intereſſe, quæ Parœcianis
ex ſui negligentia, & reſpectiva omiſſione, obvenirent,
prout declarat Berton. *de Negl. p.* 2. *art.* 32. *nu.*
88. atque ideo Parochiani habent actionem contra Parochum
ex quaſi contractu, qui dum acceptavit officium
cum honoribus, & oneribus, quaſi ſit mercede conductus
teneret, unde in utriuſque commodum ſuſcepit officium;
ac propterea tenetur non ſolum de lata, ſed etiam
de levi culpa, Azor. *p.* 3. *lib.* 4. *cap.* 6. *q.* 2. Filiuc.
l. 23. *cap.* 3. *num.* 71. Sicut Tutor, qui ex negligentia
damnificavit pupillum, tenetur ad intereſſe, *l. niſi
cum*, *l. ſi tutoris*, *cap. de adminiſtr. tutor.*

Neque relevat per allegat. a Berton. *d. l. n.* 90. ex- 16
cuſatio de chartulis deperditis: tum quia tenebatur deſcribere
in libro ad id parato, ut ex Conc. *Trid. l. c.*
tum quia non apparet impedimentum aliquod, per quod
excuſabiliter poſſet uti remedio chartularum: tum demum
quia tenebatur etiam omni adhibita diligentia, & ſollicitudine
reportare ad librum notata in ſchedulis: vel ad
ſummum excuſatio potuiſſet habere locum in una, vel
altera partita poſt breve tempus a celebrato Matrimonio,
puta, de mane in ſero deſcribenda: vel ſi tale accidens
contigiſſet, puta, ſi gravi morbo paulo poſt celebratum
Matrimonium corriperetur, ut revera, ex impotentia,
non ex negligentia contigiſſet omiſſio.

Denique afferam quæ refert Barboſa *de Ep. p.* 2. *alleg.* 17
32. *n.* 178. Videant Parochi, quomodo fidem de his libris
facere debeant; nam in Curia Archiepiſcopali Neapolitana,
quemdam Parochum, qui fidem fecerat de ſolemnizatione
Matrimonii inter quaſdam Perſonas, referendo
ſe ad librum Matrimonii, cum poſtea, perquiſito
hoc libro, non reperiretur ſolemnizatio, judicatum fuit,
crimen falſi incurriſſe: quia vero cum torqueretur, nihil
confeſſus fuit, ſed graviora contra ipſum indicia extabant,
ſuſpenſus a cura per quinquennium, diffinitive
ſententia condemnatus fuit, ut refert Aloyſ. Ricc. *Prax.
for. Eccl. dec.* 729. *in* 1. *edit.* *& reſol.* 607. *in ſecunda.*

FORMA DESCRIBENDI
STATUM ANIMARUM

In quarto Libro,

TITULUS NONAGESIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

1 *Parochus debet cognoſcere Oves ſuas.*
2 *Quadrageſima eſt tempus deſcriptionis.*
3 *Libri hujus copia præſentanda in Cancellaria Epiſcopali.*
4 *Parochus perſonaliter debet deſcriptionem facere.*
5 *Deſcriptio fiat cum intervallo ab una ad aliam Familiam.*
6 *Quinam dici debeant de Familia?*
7 *Communicati, & confirmati quomodo notandi?*
8 *Non apti ad Communionem quomodo deſcribendi?*
9 *Mulier prægnans pro unica perſona eſt notanda.*

10 *Qui ad aliam Parochiam divertunt, non ſunt ſubditi.*
11 *Quid faciendum ad evitandas fraudes?*
12 *Ordo Perſonarum tenendus in hac deſcriptione.*
13 *Formula variari poteſt ſecundum conſuetudinem locorum.*
14 *Deſcriptio ætatis non ſemper verificatur.*
15 *Liber iſte teſtimonium dat de ſuperviventia, non de ætate.*

1 CUM Animarum Præfectus debeat, monente Concil. Trid. *Seſſ.* 24. *de Ref. cap.* 1. Oves ſuas agnoſcere non ſolum in genere quoad earum numerum, ſed in ſpecie Familias, & in individuo Perſonas quaslibet, earumque ætatem, & qualitates, Barboſ. *de Paroch. p.* 1. *cap.* 7. *num.* 1. propterea tenetur, quolibet Anno, & ſtatuto tempore (quod eſſe ſolet Quadrageſimale, ut mos eſt in 2 Diœceſi Ferrarienſi) ſtatum Animarum conficere in libro ad id unice deſtinato; illoque confecto, ante Paſcha Reſurrectionis, exhibere debet copiam ejuſdem in Cancellaria Epiſcopali poſt dies quindecim ab ejuſdem Paſchatis ſolemnitate, ex Urſaya *diſc. Eccl. t.* 2. *p.* 1. *d. n.* 123. qui ait, per hujuſmodi deſcriptionem probari Pa- 3 rochialitatem.

Iſta deſcriptio, ut diligentius, & perfectius compleatur, fieri debet a propria Perſona Parochi, qui perſona- 4 liter ſe conferent ad quaſcumque domos, & habitationes in ſua Parochia ſitas, ibi quoſcumque incolas viſitet, & recognoſcat a primo uſque ad ultimum, nemine excepto, eoſque in Libro ſuo deſcribat.

§. I. Familia quæque diſtincte in libro notetur, intervallo relicto ab unaquaque ad alteram ſubſequentem, in quo ſingillatim ſcribantur Nomen, Cognomen, ætas ſingulorum, qui ex familia ſunt, vel tamquam advenæ in ea vivunt.

Liber igitur more aliorum confectus eſſe debet: modus vero deſcribendi Perſonas præſcribitur, ut fit *cum* 5 *intervallo* ab una ad aliam Familiam: ratio hujus intervalli eſt, ut ſi in domo deſcripta aliquis infra annum vel creſcat, vel imminuatur, poſſit illum commode, & ſine tranſpoſitione adnotare.

6 De Familia dicuntur non tantum qui e ſtipite eodem proveniunt, vel illi adhærent ratione conjugii, ſed etiam Servi, & totus famulatus, qui expenſis Domini vivat, & ibi continuo habitat, *l.* 195. *ff. de ver. ſignif.* ibi Alciat. *& in l. deteſt.* 11. §. *Familias.*

§. II. Qui vero ad Sacram Communionem admiſſi ſunt, hoc ſignum habeant. C.

§. III. Qui vero Sacramento Confirmationis ſunt muniti, hoc ſignum habeant Chr.

7 Juxta ætatem habitantium in Domibus, hæc duo Sacramenta adnotanda ſunt ſuis ſignis. Qui vero utroque Sacramento gaudent, ſignantur, ut communiter fit, cum duplici C. C. quibus ſignificatur tum Communio, tum Chriſma.

8 Qui vero nondum ad unum, vel ad aliud Sacramentum admiſſi ſunt, ut ſunt Infantes, & lactentes, aliquo ſigno notari ſolent, nempe Cruce ✠, ubi nota, quod Mulier prægnans pro unica Perſona eſt notanda, licet vere duæ Perſonæ ſint, ſed cum illa, quæ in Utero clauſa eſt, adhuc inter vivos non cenſeatur, notanda non eſt, Tiraquell. *de leg. con. lib.* 9. *n.* 16.

§. IV. Qui ad alium locum habitandum acceſſerint, eorum nomina ſubducta linea notentur.

10 Illi, qui ad aliam Parochiam incolendam ſe contulerunt, non amplius ſubditi appellari poſſunt primi Parochi, quamvis Filii, vel Fratres, vel affines, vel conſanguinei ſint illorum, qui illam Domum incolunt, ſed fiunt ſubditi Parochi, ad cujus Parochiam ſe contulerunt, ideoque nullam video rationem, propter quam aliter notari debeant, & ſubducta linea ſignari: niſi ſit, eo quia poſſunt quandocumque velint, ad Domum propriam redire. Quapropter ad evitandas fraudes circa 11 perſonas, quæ cum nolint certum habere locum, nulli quoque Parocho ſubjacere deſiderant, hoc factum eſt, ut quamvis talis Perſona in Domo, puta Paterna non habitet, ſed ad alium locum habitandum acceſſerit, attamen adnotetur, & ita a deſcriptione ſui non effugiat.

§. V. *Hac igitur ratione fiat, videlicet*

Anno . . . die . . . menſis . . . in via, *ſeu* platea, *ſeu* pago in propriis ædibus Pauli N. *vel* in ædibus N. a Paulo conductis habitant

Chr. Paulus N. Petri filius, Annorum . . .
Chr. Apollonia ejus Uxor filia Jacobi N. Annorum . . .
C. Dominicus eorum filius Annorum . . .
Lucia eorum filia, Annorum . . .
C. Chr. Antonius filius N. Famulus, Annorum . . .
C. Catharina N. filia N. Ancilla, Annorum . . .
✠ Martinus filius N. Annorum . . .

12 Circa quæ breviter dicam, primum adnotatum ſemper debere eſſe Patrem Familias, ſi adſit, vel Matrem Viduam, ſeu illum, qui primam Perſonam gerit. Ultimos vero debere eſſe famulos.

Inſuper debere fieri hanc deſcriptionem lingua vernacula, ut ita ab omnibus intelligatur.

13 Denique, Formulam poſſe variari ſecundum conſuetudinem locorum: non enim poſſibile eſt regulam inſtituere, quæ in nullo caſu deficiat, S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 120. *art.* 1. Hoc tamen ſtudere debet Parochus, ut ſtylum Anteceſſorum ſuorum ſequatur, quando laudabiliter ſequi poſſit, nec ſit deformis, ac contra præceptum Rubricæ, aut non evertat omnino Formulam a Rituali præſcriptam.

14 Porro ſciendum eſt, deſcriptionem ætatis non ſemper veritati inniti: Senes enim ut plurimum dantur, qui gravem ætatem occultare ſtudent; & alii, præcipue in locis Foraneis, & ruſticis, qui ætatis ſuæ annos penitus ignorant. In hoc caſu per verbum *circiter*, vel ſimile hæc adnotatio ſanari poteſt, facta prius inſpectione oculari ad aſpectum, & ſpeciem vultus, qui etſi non ſemper infallibile teſtimonium ſit, (cum quandoque dentur qui in juvenili aſpectu ætatem cuſtodiunt ſenilem, & qui in ſenili vultu juveniles annos tegunt, unde Juvenal. Sat. 2. inquit: *Fronti nulla fides*) attamen cæteris paribus, de raro fit, ut veritas in vultu, in inceſſu, inque aliis indiciis ætatem concomitantibus non elucеſcat. Quidquid vero ſit, Liber iſte præſcribi- 15 tur, ut teſtimonium præbeat de exiſtentia, non autem de ætate Perſonarum, quæ illo deſcribuntur, unde in judicio pro ætate probanda deferri non ſolet.

F O R M A
DESCRIBENDI DEFUNCTOS
IN QUINTO LIBRO,

TITULUS NONAGESIMUS SEPTIMUS, ET ULTIMUS.

S U M M A R I U M.

1 *Deſcriptio Sacramentorum miniſtratorum Defuncto eſt facienda.*
2 *Clauſula de Sepultura, & loco debet apponi.*
3 *Deſcriptio funeris debet diligentiſſime fieri.*
4 *Filii Familias adnotari debent maxima cura.*
5 *Mortis diverſitas apponenda.*
6 *Monita ad Parochos pro iſta deſcriptione.*
7 *Atteſtationes poſſunt fieri vernacula lingua.*
8 *Si nonnulla omittantur, poſſunt lites gigni.*
9 *Atteſtationes propria manu Parochi firmandæ.*
10 *An ſigilla muniri debeant?*
11 *Sigillum non eſt de ſubſtantia actus.*

De Libro Defunctorum a Parochis habendo, jam ſupra in generali Titulo ſermonem habuimus; modo nonnulla dicenda remanent, quæ praxim, & uſum hujuſmet libri edoceant.

§. I. Deſcribatur quis, & quæ, & cui Sacramenta miniſtraverit, quando quis mortuus fuerit, & ubi ſepultus; quod hoc pacto fieri poterit.

Anno ... die... menſis... N. filius, *vel* filia N. ex loco N. ætatis ... (*ſi hæc ſciri poſſunt*) in domo N. in communione Sanctæ Matris Eccleſiæ Animam Deo reddidit: cujus corpus, die ..., ſepultum eſt in Eccleſia S N. mihi N. *vel* N. Confeſſario probato confeſſus die ... Sanctiſſimoque Viatico refectus die ... & Sacri Olei unctione roboratus etiam per me die ...

1 Itaque deſcriptio Sacramentorum miniſtratorum illi, qui defunctus eſt, fieri debet, ut patet ratio, propter quam Eccleſiaſticæ ſepulturæ traditus ſit. Si enim fuiſſet publicus peccator, vel excommunicatus, vel aliis de cauſis ab Eccleſia ſegregandus, hoc privilegio gaviſus non fuiſſet.

2 Clauſula de ſepultura, & ejus loco, debet neceſſario apponi: ſunt enim Doctores, qui opinantur, quod fides Parochi non probet mortem, niſi dicat, defunctum fuiſſe ſepulturæ traditum, Capyc. Latr. *dec.* 14. *num.* 22. & alii, quos refert Monacell. *d. l. for.* 9. *n.* 1.

3 Deſcriptio inſuper ſatis diligens eſt facienda de ætate,
4 maxime in filiis familias, quia de jure prius præſumitur
mortuus Pater, quam Filius, Medic. *de Reg. Jur. p.* 2.
ampl. 59. 75. & mortuus quis non præſumitur in pupil-
lari ætate; ſed qui hoc dicit, probare debet, Bald. *conſ.*
451. & 455. *l.* 4. Natt. *Conſ.* 395. *poſt n.* 7. Quare ſi
deſcriptio mortis non reperiretur in libro adnotata cum
omnibus ſuis particularitatibus, damnum notabile inter-
eſſe habentibus Parochus afferret, quamquam aliunde
mors probari poſſet.

5 Cum vero diverſimode quis mori poſſit, vel naturali, vel improviſa, vel violenta morte, ſingula quæque ad hoc ſe referentia adnotari debent in ſupradicta formula, niſi Parochus patientiam habere velit tranſcribendi varias formulas aſſignatas a Monacell. *d. l. for.* 10. 11. 12. 13. juxta diverſos moriendi modos: ſed cum per unicam formulam, mutatis mutandis, additis addendis, demptis demendis, ampliatiſque ampliandis, totum id quod neceſſario exprimendum eſt, exprimere poſſit; a Formula per Rituale Romanum aſſignata recedere, minime laudabile cenſeo; eo magis quia mori ferro, veneno, ligno, &c. inter ſe, quoad ſubſtantiam mortis, non differre demonſtrat Sanch. *de Matrim. lib.* 4. *diſput.* 5. *n.* 35.

6 Cæterum, quocumque modo mors ſequatur, notabilis ſunt monire per Monacell. *d. l. for.* 13. *n.* 1. nempe quod
Parochus cautus eſſe debet, ut exprimat clare, & diſtin- 7
cte, etiam lingua vernacula, ſi opus eſt (præſertim in Pagis obſcuris, ubi Incolæ ſunt rudes, & talis qualis notitia linguæ latinæ pro magna litteratura habetur) ætatem defuncti, locum, & diem obitus, Eccleſiam tumulationis, & qualitatem Perſonæ: ideſt ſi Infans, ſi Adultus, ſi Senex. Item ſi obiit in Parochia, vel extra, ſi in Civitate, vel Ruri, qua morte, violenta ne, an naturali, an ſubitanea. Si filius familias, ſi Vir Uxoratus, an Clericus, an in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutus, an in magiſtratu Laicali, vel in grado apud Rempublicam eminenti, an titularis, an Laicus: & circa Mulieres, an Uxor, & cujus, an Vidua, an Virgo; quia hujuſmodi
circumſtantiæ relevant identitatem Perſonæ, & certitu- 8
dinem mortis; litium occaſionem tollunt; & ſi omittantur, ſemina ſunt rixarum, & contentionum pernicioſiſſimarum.

Pro corollario demum addam, debere Parochum o- 9
mnes atteſtationes, & fides a quocumque iſtorum libro-
rum deſumptas, propria manu firmare, & ſigillo Paro- 10
chiali munire, atque corroborare, ut ita inviolabilem fidem præſtent, nec circa illas ratio ſit dubitandi, cum ſigillum faciat rem indubiam, & veram, Bald. *in l. bonæ fidei, col.* 3. *c. de reb. cred.* Innoc. *in cap.* 2. *de fid.*
inſtr. Pignatell. *T.* 5. *conſ.* 59. *n.* 11. quamvis non ſit 11
de ſubſtantia actus, Rota *dec.* 708. *num.* 9. & 10. coram Dunoz. jun. Vide plura de ſigillo apud Anaclet. *T.* 2. *Decr. tit.* 22. §. 3.

Atque hoc pacto *Commentaria hæc ad Rituale Romanum*, quæ ab Hominis nativitate, ſeu a Baptiſmali regeneratione exordium habuere, ad mortem uſque, & ad ſepulturam Hominis perducta, finem ſuum habeant, nec ultra procedant; ubi *mors eſt ultima linea rerum*.

F I N I S.

Quæcumque in his Commentariis ad Rituale Romanum ſcripſi, & expoſui; ea cuncta Sanctæ Apoſtolicæ & Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, & pro ea, Sacræ Rituum Congregationi de Urbe, & piorum Theologorum cenſuræ ſubjicio. Item ſi quid mihi ignaro elapſum, quod Eccleſiæ minus placeat, ſeu ab ea non probetur, improbo, damno, & pro non ſcripto haberi penitus volo. EGO HIERONYMUS BARUFFALDUS, *Ph. & I. V. D. Protonotarius Apoſt. in Eccleſia Cathedrali Beneficiatus, in Publico Ferrariæ Gymnaſio Profeſſor, & S. Inquiſitionis Conſultor.*

CATALOGUS
OMNIUM DECRETORUM
Ad Rituale Romanum pertinentium, quæ uſque ad hæc tempora prodierunt.

1. Miſſa in die obitus præſente corpore, ultra miſſam de communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. S. R. C. 14. April. 1696. *in Uliſſiponen.*
2. In Officio Defunctorum duplicatio antiphonarum præter diem commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & diem depoſitionis Defuncti, fiat in diebus 3. 7. 30., & anniverſario. S. R. C. 8. Martii, 1738.
3. Quando ab aliqua Congregatione dicitur totum Officium Defunctorum, non debet illud dici in ſecunda die Novemb. omittendo pſalmos poſt veſperas, & matutinum poſitos in Officio Defunctorum. S. R. C. 5. Julii. 1698. in *Collen.*
4. In Officio Defunctorum in veſperis, & laudibus dicendi ſemper ſunt pſalmi appoſiti *De profundis*, & *Lauda, anima mea, Dominum*, & poſt veſperas, & laudes omittuntur iidem pſalmi tantum in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & in die depoſitionis defuncti. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.*
5. Pſalmi *Lauda, anima mea, Dominum*, & *De profundis* omittantur in precibus poſt officium in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & in die obitus, ſeu depoſitionis defuncti dumtaxat; ceteris autem diebus ſemper, & omnino dicantur. S. R. C. 3. Aug. 1737. *in Nolana.*
6. In die depoſitionis dicenda eſt miſſa pro Defuncto, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 12. Jul. 1628. *in Janu.*
7. In Dominicis, & feſtis poteſt celebrari miſſa de Requiem pro Defunctis, inſepulto cadavere. S. R. C. 23. Maii 1603.
8. In duplicibus primæ claſſis, etiam præſente corpore, non poteſt cantari miſſa Defunctorum, & multo minus dicenda erit una miſſa privata deficientibus clericis in choro. S. R. Cong. 5. Julii 1698. *in Collen.*
9. Cum, juxta Rubricas Ritualis Romani abſque miſſa, quantum fieri poteſt, Defunctorum corpora non ſint ſepelienda, poterit præſente in Eccleſia cadavere, unica miſſa ſolemnis de Requiem celebrari feria ſecunda Paſchæ, aut Pentecoſtes. Hæc tamen miſſa non decantabitur in duplici primæ claſſis, etiam non feſtivo de præcepto, ſi corpus præſens in Eccleſia non fuerit, aut ſi fuerit pridie ſepultum. S. R. C. 2. Sept. 1741.
10. Miſſæ exequiales Defunctorum in die depoſitionis Defuncti poſſunt ſolemniter celebrari diebus, in quibus cadit feſtum duplex alicujus Sancti, dummodo non ſit de præcepto juxta Rubricas Brev. Romani, S. R. C. 19. Sept. 1654. *in Papien.*
11. Cum primum accipitur nuntium de obitu in loco diſſito alicujus, poteſt cantari miſſa de requiem in die obitus pro ejus anima in feſto duplici majori, vel minori, non tamen de præcepto, ut citius ſuffragetur animæ defuncti, non relicta tamen miſſa in cantu de feſto duplici, quatenus adſit obligatio. S. R. C. 4. Maji 1686. *in una Canon. Regul. Lateran.*
12. Miſſæ privatæ de Requiem corpore præſente, & inſepulto, dici non poſſunt diebus, quibus fit de officio duplici, vel aliis a Rubrica vetitis, & quamcumque conſuetudinem tamquam abuſum abolendam juxta diſpoſitionem Rubricæ V. miſſalis Romani de miſſe Defunctorum nu. 2. in fine, & Decreta S. Congregationis, & ſignanter generale 5. Auguſti 1662. ſervanda eſſe mandavit S. R. C. 10. Jan. 1693. in *una Galliar.*
13. Officium pro die tertio, ſeptimo, vel trigeſimo poſt obitum Defuncti, ſi cadet in die Dominico, vel feſtivo, transfertur in diem ſequentem cum eadem ſolemnitate. S. R. C. 23. Maii 1603. *in Egitanien.*
14. In Eccleſiis Parochialibus ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, & ſine cantu, poteſt dici miſſa de Requiem, quando anniverſaria ex Teſtatorum diſpoſitione, recurrente obitus die, incidunt in feſtum duplex majus. Non idem tamen dicendum eſt de diebus 3. 7. & 30., ſed ſervetur Decretum generale editum 5. Auguſti anno 1662. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.*
15. In diebus relictis a Teſtatore, 3. 7. 30. miſſa ſolemnis de Requiem poteſt cantari, etiam in duplici majori, dummodo non ſit feſtum de præcepto, & non ſit duplex 1. vel 2. claſſis. S. R. C. 27. Sept. 1669.
16. Anniverſaria, & miſſæ cantatæ de Requiem relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum, quotannis in die ipſorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, poſſunt celebrari, & proinde in Decreto die 5. Aug. 1662. edito, non comprehenduntur, S. R. C. 22. Novem. 1664. *in Novarien.*
17. Anniverſaria, & miſſæ de Requiem, quæ ex diſpoſitione Teſtatorum cum cantu ſunt quotannis celebrandæ, poſſunt cantari, etiamſi ipſorum obitus inciderit in feſto duplici majori. S. R. C. 20. Julii 1690. annuente Clemente IX. die 13. ejuſdem anni in Decreto generali.
18. In anniverſario occurrente in feſto duplici 2. claſſis non poteſt cantari miſſa de Requiem. S. R. C. 5. Jul. 1698. *in Collen.*
19. Infra octavas privilegiatas non poteſt cantari miſſa Defunctorum in anniverſario, & officio ſolemni. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*
20. Miſſæ cantatæ mortuorum infra octavam Corporis Chriſti, non ſunt celebrandæ, niſi præſente corpore. S. R. C. 12. Sept. 1671. in *Nuſcana.*
21. Anniverſaria, & aliæ miſſæ pro Defunctis certo die dicendæ, eo impedito, poſſunt transferri in diem ſequentem. S. R. C. 27. Septembris 1518.
22. Ex privata devotione Parochianorum petentium ſæpius per annum anniverſaria pro defunctis parentibus, fratribus, amicis, & aliis defunctis, poteſt in ruralibus Eccleſiis cantari miſſa ſolemnis de Requiem in feſto duplici minori, altera miſſa cantata de feſto, ubi adſunt plures, vel ſaltem duo ſacerdotes, dummodo ſermo ſit de die vere anniverſaria a die obitus. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.*
23. Defunctorum miſſæ non ſunt cantandæ, nec celebrandæ in diebus ſolemnibus. S. R. C. 23. Junii 1627. *in Veron.*
24. In die, quo celebratur feſtum duplex, etiam translatum, prohibetur miſſa de Requiem, niſi ſit præſens cadaver, Anniverſarium poteſt transferri, immo debet, & in feriis majoribus debent omnino cantari duæ miſſæ. S. R. C. 31. Julii 1665. *in una nullius Provinciæ Treviren.*
25. Tolerari poſſunt miſſæ votivæ cantatæ B. M. V. in ſabbato, vel pariter cantatæ Defunctorum in feſto duplici, quod non eſt de præcepto, ut Teſtatorum voluntates adimpleantur, dummodo non omittatur miſſæ conventualis. S. R. C. 1. Sept. 1607. & 20. Junii 1626. *in Nucerina.*
26. Anniverſaria, ſive miſſæ quotidianæ cantatæ de Requiem, relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum pro certis diebus, hiſque impeditis die Dominico, ſeu alio feſto de præcepto, cantari poſſunt in diebus ſubſequentibus, ſeu antecedentibus, in quibus occurrunt officia de duplici majori, non tamen de præcepto, præcipue de Sanctis alicujus Ordinis, non relicta tamen miſſa in cantu de duplici minori occurrente, quatenus adſit obligatio cantandi. S. R. C. 4. Maii 1686. *in una Canon. Regul. Lateran.*
27. Anniverſaria, & miſſæ de Requiem, quæ certo die dici debent, eo impedito, transferri poſſunt in ſequentem, prout tranſtulit S. R. C. 19. Maii 1614. *in Tarvtana.*
28. Non valentes ſatisfacere anniverſariis Defunctorum in diebus ferialibus, poſſunt ipſa adimplere in feſtis duplicibus, non tamen de præcepto. S. R. C. 3. Martii 1629. in *Papien.*
29. Epiſcopus prohibere non poteſt, ne Regulares campanas pro funeribus pulſent ſine licentia ipſius Epiſcopi. Congr. Ep. & Reg. 20. Febr. 1601.
30. Servanda eſt pia conſuetudo pulſandi campanam aliquot ictibus tam de ſero, quam de mane, quando dicendum eſt officium defunctorum. Congr. Ep. & Reg. 21. Aug. 1607.
31. Quoad mercedem campanæ, quæ pulſatur occaſione funerum, ſervanda eſt conſuetudo. Congr. Ep., & Reg. 5. Maii 1617., & 28. Maii 1638.
32. Eſt abuſus non tolerandus, quod campana aliqua pro ſolis nobilibus pulſari reſervetur, ſed pulſari debet, pro quibuſcumque petierint. Ead. Congr. 19. Jun. 1585.
33. Domi antequam cadaver efferatur, poſſunt hæredes ſuper eo officia recitare facere, cuicumque libuerit. Ead. Congr. 19. Maii 1579.
34. An hæredes defunctorum ſint cogendi ad retinendum domi cadavera uſque ad tempus illa ſepeliendi? An vero iiſdem hæredibus liceat pro libito aſportare dicta cadavera e propriis domibus ad quamcumque aliam Eccleſiam per modum depoſiti, uſque ad horam illa tumulandi, etiamſi eſſent ſepelienda in Eccleſiis Regularium, non obſtante diſſenſu Parochi, ſeu prohibitione ab eodem facta vel Vicario Foraneo? S. R. C. reſpondit: *Petita, & etiam non obtenta licentia, poſſe cadavera deponi arbitrio hæredum in qualibet Eccleſia uſque ad tempus illa proceſſionaliter deferendi ad Eccleſiam ſepulturæ*, Die 22. Junii, & 13. Julii 1675.

35 Epi-

35. Epiſcopus impediat eam omni diligentia, ac paſtorali ſollicitudine ebuſum gentilitatis, quod fœminæ in funere ſuorum liberorum, parentum, aut meri torum capillos vellant. Pœnas autem exigendas ipſe non retineat, ſed apud depoſitarium deponet. Cong. Ep. & Reg. 20. Apr. 1587.

36. Non tamen imponant pœnam excommunicationis. Ead. Congr. 6. Dec. 1588.

37. Convivia, & prandia tolerari poſſunt in Anniverſariis defunctorum, ubi eſt conſuetudo, præſertim ſi ita a defuncto cautum fuiſſet in diſpoſitione teſtamentaria, habita ratione pauperum, qui de illis participant, ſed providendum erit, ut abſit exceſſus ſumptuum, & quidquid poteſt eſſe ſcandali. Ead. Congr. 6. Dec. 1588.

38. In ſecundo triduo majoris hebdomadæ non poſſunt celebrari exequiæ defunctorum, & officium, & preces recitentur privatim. S. R. C. 11. Auguſti 1736. *in Placentina*.

39. Cadavera in quacumque hora diei deferri poſſunt ad Eccleſiam, de nocte vero nonniſi de licentia Ordinarii. Congr. Concil. 15. Martii 1704. & Clemens XI. 9. Dec. 1704.

40. Quoad tempus humationis cadaverum ſervandam eſſe Synodum cenſuit S. R. C. 22. Junii 1675. & iterum 13. Julii ejuſdem anni.

41. Defunctorum corpora in Eccleſiis Regularium tumulanda, deferenda ſunt recto tramite, & per viam a Parocho declarandam ad Eccleſias ipſorum Regularium, non autem prius ad Parochialem. Quod ſervandum erit etiam hæredibus defunctorum contradicentibus, & ad dictam Parochialem prius deferri volentibus. S. R. C. 19. Decembris 1671. *in Savonen.*

42. Parochi juriſdictio ſuper cadaver durat, quouſque tranſeat in aliorum juriſdictionem; non tranſit autem cadaver in juriſdictionem Regularium, niſi quando pervenit ad fores eorum Eccleſiæ. Congreg. Concil. 28. Febr. & 26. Martii 1711. & S. R. C. 2. Septemb. 1741.

43. Cadavera recto tramite ad Eccleſiam deferri debent. Congreg. Ep. & Reg. 11. Decemb. 1615. & 14 Jan. 1639.

44. An cadavera defunctorum ſepelienda in Eccleſia Regularium, antequam ad eorum Eccleſiam deferentur, debeant prius aſportari ad Parochialem, & eorum ibidem debeat fieri expoſitio uſque ad horam ſepulturæ? Reſp. negative. Congr. Conc. 14. Martii 1712. 16. Mart. 1726. & 6. Febr. 1734.

45. An cadavera ſepelienda in Eccleſia Regularium, antequam ad eorum Eccleſiam deferantur, debeant prius aſportari ad Parochialem, & in ea permanere per aliquod tempus. Reſp. negative. S. R. C. 22. Junii & 13. Julii 1675.

46. Hæres defuncti invitare poteſt numerum ſacerdotum, ſeu ſæcularium, ſeu Regularium, immo & confraternitatum ſibi bene viſum. Congr. Ep. & Reg. 5. Maii 1617.

47. Ad hæredes, & non ad Parochum ſpectat vocare quot, & quos libuerit. Ead. Congr. 4. Janu. 1594.

48. Numerum Religioſorum, ac electionem Religionum pro aſſociandis cadaveribus, ad hæredes defunctorum pro libito voluntatis eorum ſpectare, & pertinere, & ita ubique in poſterum ſervari debere declaravit S. R. C. 4. Jan. 1640.

49. Hæredes defuncti invitare poſſunt numerum ſacerdotum ſæcularium, aut Regularium, immo & Confraternitatum ſibi bene viſum, nec cogi poſſunt ad vocandum Capitulum, vel alios, ſed ſolum Parochum, cui debetur duplum eleemoſynæ illa, quæ datur aliis Sacerdotibus ſimplicibus. Congr. Ep. & Reg. 17. Mart. 1579. 11. Oct. 1580. 24. Jan. 1581. 12. Jan. 1647. & 11. Decemb. 1649.

50. Hæredes non tenentur vocare, niſi Parochum. Congr. Ep. & Reg. 28. Sept. 1646.

51. Parochus minime excluditur, licet a defuncto accerſiri tantum Regulares jubeantur. Ead. Congr. 24. Apr. 1594.

52. Inhiberi non poteſt, quod non ſepeliantur cadavera abſque interventu duorum Presbyterorum a Capitulo deputatorum vice Parochi, etiam ubi Parochia ſpectat ad ipſum Capitulum, quia unius aſſiſtentia ſufficit. Ead. Congr. 16. Martii 1553.

53. Si electio non fiat ab hæredibus, Parochus ad funus poteſt vocare quos voluerit, omiſſis etiam vicinioribus. S. R. C. 7. Sept. 1613. *in Ferrarien.*

54. Quoties electio fit a Parocho, clerici Eccleſiæ debent externis præferri. Congr. Ep. & Reg. 23. Apr. 1649.

55. Funus comitantes, in Parochiali Eccleſia, vel in alia juxta loci conſuetudinem omnino convenire debent. S. R. C. 8. Febr. 1631. *in Tropien.*

56. Nullo modo permittendum eſt a funus comitantibus Parochum expectari per vias, vel ad domum defuncti, non obſtante contraria conſuetudine expectandi per vias, vel ad domum defuncti. S. R. C. 12. Febr. 1633. *in Theleſina*.

57. An illatis cadaveribus privata ab hæredibus ad aliquam tertiam Eccleſiam per modum depoſiti, Regulares convenire, & congregari debeant in dicta tertia Eccleſia, aut in Parochiali ad effectum illa aſſociandi ad Eccleſiam, ubi ſunt tumulanda? Sacra autem Rituum Congregatio inhærendo aliis Decretis reſpondit, Regulares debere congregari in illa Eccleſia tertia, ubi cadaver fuit depoſitum ut ſupra. Die 22. Junii 1675. *in una Ord. Erem. S. Auguſtini*, & iterum 13. Julii 1675. *in una Ord. Minor. Obſerv.*

58. Regulares tenentur accedere ad Eccleſiam Parochialem, & ab hac cum Parocho ad domum defuncti; ſed ſi cadaver depoſitum fuerit in aliqua Eccleſia, ſufficit quod iidem Regulares conveniant in Eccleſiam, ubi cadaver eſt efferendum, & hinc cadaver aſſocient ad Eccleſiam ſepulturæ. Congr. Ep. & Reg. 24. Dec. 1581. 16. Maii 1588. 19. Aug. 1603. 16. Aug. 1616. 28. Nov. 1642. & 26. Apr. 1652.

59. Et id non obſtante quod non adeſt alterus, ſed ſolus Parochus. Ead. Congr. 23. Martii 1646., 29. Maii 1648., & 28. Apr. 1651.

60. Defunctorum corpora ſi deponantur in Parochiali, ut inde transferantur ad Eccleſiam Regularium, in qua elegerunt ſepulturam, nihil debetur Eccleſiæ Parochiali, exceptis juribus Parochialibus. S. R. C. 23. Martii 1619. *in Placentina*.

61. An liceat Curatis, ſalvis eorum juribus Parochialibus, impedire contra voluntatem hæredum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus, corpora defunctorum ad quaſvis Eccleſias deferenda, una cum Parochis, & clericis proceſſionaliter aſſocient? S. R. C. reſpondit. *Regulares in caſu propoſito non poſſe impediri*. Die 3. Apr. 1633. approbante Urbano VIII. Die 25. Junii 1633. in Conſt. *Nuper*.

62. Parochi, Capellani Confraternitatum, Sacerdotes, aliique Eccleſiaſtici, qui cotta induti interveniunt proceſſionibus funeralibus, deferant, ſicuti in aliis proceſſionibus, birretum ſacerdotale, non vero pileum, excepto tempore pluviæ, & noctis, prout diſponit Rituale Romanum *tit. de Proceſſ.*, & ut ſæpe reſolvit S. R. C. Quæ quidem pilei prohibitio non ſolum eſt pro Eccleſiaſtico Sæculari, ſed etiam Regulari, licet ſint Parochi cotta induti. Clemens XI. 9. Dec. 1704. Conſt. *La Santità*.

63. Regulares in proceſſionibus deferre non debent galerum, ſive pileum, non obſtante prætenſo ſolito, & Epiſcopus eos cogat ad deponendum, etiam per cenſuras, prout innovando Decretum anno 1664. ſub die 30. Aug. emanatum, ita ſervari mandavit S. R. C. 26. Apr. 1692. *in Aquapendien.*

64. Prohibere non poteſt Epiſcopus, ne Regulares in proceſſionibus pileum deferant. Congr. Ep. & Reg. 8. Nov. 1581.

65. An Archipresbyter aſſociando cadavera ſepelienda in Eccleſia Regularium, teneatur incedere ſub illorum cruce, ſeu potius valeat propriam crucem elevare? Affirmative quoad primam, & negative quoad ſecundam partem reſpondit S. Cong. Conc. 16. Mar. 1726. & 29. Jan. 1735.

66. Abuſus ſepeliendi defunctos privatim, ſine lumine, cruce, & Parocho, non eſt permittendus. Cong. Ep. & Reg. 28. Jan. 1650.

67 Hæres defuncti pro funere ad ſuum libitum accipere poteſt quantitatem ceræ. Congr. Ep. & Reg. 5. Maii 1617.

68. An Regulares poſſint cogi ad aſſocianda cadavera in eorum Eccleſiis tumulanda; an vero poſſint expectare in propriis eorum Eccleſiis? Sac. Rit. Congr. reſpondit: *Regulares non poſſe cogi ad exeundem a propriis Eccleſiis, ad effectum aſſociandi Cadavera in eiſdem ſepelienda, ſed ſufficere, quod illa expectent ad januas*, die 22. Jun. & 13. Jul. 1675.

69. Regulares primi debent invitari quando cadaver ſepeliendum eſt in eorum Eccleſia. Cong. Ep. & Reg. 9. Jan. 1595.

70. An Parochus teneatur aſſociare cadavera in Eccleſiis Regularium ſepelienda, uſque ad januas ejuſdem Eccleſiæ etiam ipſis Regularibus non aſſociantibus? Sacr. Rit. Congr. reſpondit: *Parochum teneri aſſociare cadavera in Eccleſiis Regularium ſepelienda*. Die 22. Junii, & 13. Jul. 1675.

71. Nullo modo eſt tolerandus abuſus quod mortui cum ora clauſi deferantur ad Eccleſiam. Cong. Ep. & Reg. 17. Mart. 1650.

72. Epiſcopus prohibere non poteſt, ne hebdomadarius cotta, ſtolaque utatur cum funeribus, quæ deferuntur ſepelienda ad Eccleſias Regularium. Congr. Ep. & Reg. 13. Jun. 1464.

73. Hebdomadarius Regularium, ad quorum Eccleſiam cadaver ſepeliendum defertur, etſi in cotta, & ſtola funeri interſit, nec domi, nec in via officium

facere

ſacere poteſt ut Parochus. Congreg. Ep., & Reg. 28. Oct. 1584.

74. An Congregationi Sacerdotum Sæcularium ſub invocatione S. Philippi Nerii in aſſociatione Confratrum Defunctorum competat præcedentia ſupra Regulares? 2. An eidem Congregationi occaſione aſſociationis eorumdem cadaverum liceat elevare propriam crucem? Ad primum, & ſecundum *affirmative* reſpondit S. R. C. 19. Aug. 1710. *in Imolen.*

75. Non licet Regularibus levare, & efferre defunctorum corpora, niſi vocato, & expectato defuncti Parocho, eoque ibi intereſſante, ſi tamen ipſe aliter fieri non conſentiat, vel niſi requiſitus venire recuſet. Cong. Ep., & Reg. 12. Janu. 1604.

76. Si Regulares a Parocho, vel clam nimium tardantibus vilipendio afficerentur, Ordinarius debet præſcribere terminum competentem expectandi poſt perventionem, & requiſitionem, quo elapſo levare poſſint funus auctoritate propria. Congreg. Ep. & Reg. 8. Oct. 1585.

77. Dum Defunctorum cadavera in Eccleſiis Regularium ſepeliuntur, tenetur Parochus funerale ducere, & comitari uſque ad eaſdem Eccleſias Regularium. Congr. Concil. 28. Julii 1591.

78. Sicut non licet Parocho, depoſito feretro ante limina Eccleſiæ Regularium, conſuetas recitare preces ſupra cadaver, ita non poterunt Regulares (etiam rogati a parentibus defuncti, vel a quolibet alio) antequam vere, & realiter ſit cadaver intra limites propriæ juriſdictionis, ſuper illud abſolvere, depoſito feretro in vico, qui actus ad ſummum unice ſpectaret ad Parochum. S. R. C. 2. Sept. 1741.

79. Parochis in aſſociatione, ſive occaſione aſſociationis cadaverum non licet ingredi Eccleſias Regularium, ſed tenentur dimittere eadem cadavera ad januam Eccleſiarum, ibique ſolum poſſunt benedicere, & dare ultimum vale. Officia vero, & alia munia, quæ in ejuſmodi miniſteriis adhiberi ſolent, ab ipſis Regularibus peragi debeat, non autem a Parochis. Atque ita in præmiſſis omnino deinceps fieri, & exequi præſentium vigore mandat, & præcipit, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Sacra Congreg. Ep. & Reg. 27. Novemb. 1671., accedente ampliſſima approbatione & confirmatione Clement. X. Conſtit. *Nuper* 18. Janu. 1672.

80. Parochi tenentur cadavera ſuorum Parochianorum levare a loco, ubi aſſervantur, & aſſociare uſque ad portam Eccleſiæ Regularium, etiam ipſis Regularibus non aſſociantibus, nec Parochi ſe ingerere poſſunt in faciendo ſuper iiſdem cadaveribus officium in Eccleſiis præfatorum Regularium, ſed ad ipſos Regulares in propria Eccleſia ſpectat, & pertinet. Urbanus VIII. 24. Julii 1641. & S. R. C. 4. Martii 1673., & 27. Janu. 1680. approbante Innoc. XI. 11. Martii 1680.

81. An ad Parochum ſpectet facere officium funebre ſuper cadaveribus ſepeliendis in Eccleſiis, & Oratoriis publicis confraternitatum? Reſp. affirmative, quando tumulandus eſt ſubjectus Parocho, intra cujus fines eſt Eccleſia, vel Oratorium. S. R. C. 10. Decemb. 1703. approbante Clem. XI. die 12. Janu. 1704.

82. An liceat Confraternitati Salutis ſepelire in propria Eccleſia cadavera Confratrum, & Conſororum, qui ibidem elegerint ſepulturam; & an ejuſdem Cappellanus abſente Parocho valeat officium, aliaſque functiones ſuper iiſdem cadaveribus explere? Sacra Congr. Concilii reſpondit affirmative quoad primam partem, quoad ſecundam negative, niſi Parochus vocatus renuat, vel alium ſacerdotem non ſubſtituat. Die 28. Julii 1724.

83. Conſuetudo benedicendi cadavera ad Eccleſiæ portam, & in funeribus ſervanda eſt. Congr. Ep. & Reg. 8. Nov. 1646, & 21. Janu. 1650.

84. Pſalmi *Lauda, anima mea, Dominum*, & *De profundis* omittantur in precibus poſt officium in die obitus, & depoſitionis Defuncti. S. R. C. 3. Aug. 1737. *in Nolana*

85. In miſſis defunctorum non pulſentur organa, nec aliud quodvis muſicum inſtrumentum adhibeatur. Benedictus XIII. in Concilio Romano tit. 15. cap. 6.

86. In depoſitione defunctorum in verbis illis: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia nullus apud te juſtificabitur homo*; quando eſt mulier, aut plures ſunt defuncti, non poſſunt verba *ſervo tuo* immutari in *ſerva tua*, vel *ſervis tuis* abſque ſacræ Rubricæ læſione, & ſervandum eſt Rituale. S. R. C. 31. Aug. 1697. *in Fanen.*

87. In exequiis parvulorum in feria V. & VI. & Sabbato majoris hebdomadæ poteſt omitti *Gloria Patri* in pſalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. S. R. C. 16. Janu. 1677. *in Hiſpalen.*

88. Parvulorum ſepulcrum ab aliis debet eſſe ſeparatum. S. R. C. 12. Dec. 1620. *in Civitat. Caſtellan.*

89. Parvulorum corpora poſſunt ſepeliri, etiam in Eccleſiis Regularium, ſi ibi eſt ſepulcrum majorum, vel concurrente conſuetudine, ſi ibi pater eligat ſepulturam. S. R. C. 12. Decemb. 1620. *in una Civit. Caſtell.*

90. An liceat in Eccleſiis Confraternitatum habere ſepulcra, & reſpective poſſint cadavera tumulari abſque licentia Parochi, & in præjudicium jurium Parochialium? Sacra Congreg. Concil. reſpondit: Licere habere ſepulcra accedente licentia Epiſcopi, & poſſe in eis cadavera tumulari ſi eligatur ſepultura, abſque licentia Parochi, ſed ſalvis juribus Parochialibus. Die 10. Maii 1727.

91. An in ſepulcro Confraternitatis in propria Eccleſia ſito, ſepeliendi ſint Confratres, qui ſine ſepulturæ electione decedunt? Reſp. negative, Congr. Concil. 13. Febr. 1666.

92. Sepulturam eligere licet parentibus in quacumque Eccleſia voluerint, etiam Regularium, pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a Parochis locorum impediri poſſunt, aut debent, præſertim ſi in dictis Regularium Eccleſiis ſepeliri conſueverint, vel in eis habeant ſepulcrum majorum. Congreg. Ep. & Reg. 20. Janu. 1640.

93. Pater poteſt eligere ſepulturam pro filiis impuberibus in vita, non poſt mortem eorum. Congregat. Ep. & Reg. 27. Oct. 1587. & 6. Dec. 1641. ac 6. Junii 1659.

94. An etiam mater, cum Pater non adeſt, poſſit filio impuberi ſepulturam eligere? Reſp. affirmative. Eadem Congregat. 15. Septemb. 1603. & 6. Dec. 1641.

95. Dummodo adſit conſuetudo, vel in Eccleſia electa ſepulcrum majorum. Ead. Congr. 18. Junii 1648. & 2. Junii 1651.

96. Sacra Congreg. Reg. & Ep. examinata prius diligenter relatione Epiſcopi, cenſuit licuiſſe, & licere parentibus in Eccleſia Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere ſepulturam, ac propterea reſtituenda eſſe ipſorum Fratrum Eccleſiæ cadavera infantium jam depoſita, præmiſſis, ceteriſque quibuſcumque non obſtantibus. Die 20. Martii 1643.

97. Exhumetur puella, & ſepeliatur in ſepulcro majorum, in quo ſepeliri debent, quicumque carent facultate ſibi eligendi ſepulturam. Congr. Ep. & Reg. 21. Oct. 1616. & præſertim ſi patet ſic ſepeliri intendat. Eadem Congr. 22. Febr. 1641.

98. Infantes, aliique quicumque, qui non habent facultatem ſibi eligendi ſepulturam, vel hac non electa decedunt, ſunt tumulandi in ſepulcro ſuorum majorum, vel in Parochiali Eccleſia. Congr. Ep. & Reg. 16. Novemb. 1615.

99. Quicumque ſive ſit infans, ſive impubes, ſive adultus, qui ſepultura non electa decedit, ſepeliendus eſt in ſepulcro majorum ſuorum, cum ibi tacite ſepulturam elegiſſe videatur. Ead. Congr. 21. Oct. 1616.

100. Clerici non ſepeliantur in ſepulcro ſuorum majorum, ubi eſt conſuetudo eoſdem ſepeliendi in ſepulcris ſeparatis a laicalibus. Congreg. Ep. & Reg. 13. Maii 1650.

101. Clericus, qui ſibi non electa ſepultura decedit, ſepeliri debet in ſepulcro majorum, & non clericorum. S. R. C. 6. Maii 1705. *in Senogallien.*

102. Sepultura non electa ſi uxor præmoriatur, & maritus habeat proprium ſepulcrum, in ipſo tumulari debet, quamvis extra limites parochiæ, ubi mortua eſt. S. R. C. 15. Janu. 1633. *in Senogalien.*

103. An cum Fratres aliqui extra monaſterium moriuntur, & a curatis ſacramenta receperint, poſſint ab eorum ſuperioribus ad ſuas Eccleſias deferri, parochis inconſultis? Reſp. Regulares extra clauſtra decedentes, poſſe ad eorum Eccleſias deferri, etiam parochis inconſultis. Congreg. Concil. 2. Julii 1620.

104. Epiſcopo, & Parocho nullum jus ſepulturæ competit ſuper Regularem, etiam extra clauſtra, vel in domo parentum ſuorum defunctum. Congr. Ep. & Reg. 22. Maii 1615.

105. Clerus ſæcularis nihil poteſt prætendere propter exequias, aut ſepulturam Monachorum, aut Fratrum morientium extra clauſtra. Congr. Ep. & Reg. 24. Novemb. 1634. & 24. Sept. 1636.

106. Fratribus Minimis S. Franciſci de Paula, ut iis, qui in ſuis immorantur obſequiis, Sacramenta libere miniſtrare poſſint, & ipſos, cum deceſſerint, in eorum cœmeteriis ſepelire, cujuſvis licentia ſuper hoc minime requiſita, concedit Leo X. die 7. Julii 1513.

107. An in Eccleſiis Fratrum ſepelienda ſint cadavera eorum, qui ejuſdem Ordinis habitu induti, ex hac vita migrarunt? Reſp. ſi conditiones in Bulla aq-

aurea ſel. rec. Sixti Papæ IV. contentas, in ipſis ad-impleta eſſe conſtiterit, videlicet quod a Guardiano Domus loci, in quo tales decedere contigerit, aut ab alio Superiore, vel ab altero, cui id Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac prædictus Guardianus, vel alius Superior eoſdem præmonuerit, eorum cadavera propter habitus conceſſionem, ſeu receptionem penes ipſos fratres, quorum habitum geſtant, eſſe ſepelienda; eo caſu eam habitu Religionis decedentes, in Eccleſiis pariter ejuſdem Religionis Eccleſiaſticæ ſepulturæ eſſe tradendos. Congr. Ep., & Reg. 11. Dec. 1615.

107. Parochi, Superiores Eccleſiarum Sæcularium, & Regularium Sacriſtæ, & alii, ad quos ſpectat, non permittere debent, quod cadavera Eccleſiaſticorum ſæcularium, præſertim Sacerdotum, ſicut etiam Diaconorum, & ſubdiaconorum transferantur ex propriis domibus ad Eccleſias, vel in iſtis exponantur quocumque alio habitu, ſive Confraternitatum, ſive Religionum, ſed cum ſacris veſtibus eorum Ordini convenientibus, juxta diſpoſitionem Ritualis Romani tit. de exequiis. Clement XI. 9. Decembr. 1705.

108. Canonici pluviali, planeta dalmatica, vel tunicella parati, non debent deferre almutias; Canonico vero defuncto induto planeta, ſeu dalmatica, vel tunicella imponi poteſt almutia ſuper brachium. S. R. C. 4. Auguſt. 1663. *in una Delmatiarum*.

109. Pileus Epiſcopi demortui debetur Eccleſiæ tumulanti, non Cathedrali. Congr. Ep., & Reg. 26. Apr. 1653.

110. Ut in Eccleſia nihil indecens relinquatur, iidem (ſcilicet Capitula, Parochi, Rectores, Vicarii, Sacriſtæ, Oſtiarii, & alii Cuſtodes, etiam Regulares) provideant, ut capſæ omnes & depoſita, ſeu alia cadaverum conditoria, ſuper terram exiſtentia, omnino amoveantur, prout alias ſtatutum fuit: & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Pius V. Conſt. *Cum primum Apoſtolatus*, 1. Apr. 1566.

111. Non comprehenduntur monumenta marmorea, muris, ſeu columnis adhærentia, præſertim amotis cadaveribus a locis aliis; hæc enim ornamentum potius, & decorum, quam indecentiam, vel impedimentum aliquod afferunt Eccleſiis. Congr. Epiſc. 13. Oct. 1579.

112. Sed capſæ omnes, & alia ſimilia depoſita, licet aureis veſtibus contecta, omnino debent amoveri, *Eadem Congr. 15. Dec.* 1579.

113. Inſignia, ſive vexilla appoſita in Eccleſiis in ſignum alicujus victoriæ, contra ſanctæ fidei hoſtes obtentæ, in Conſtitutione Piana non comprehendi cenſuit *ead. Congr.* 21. *Mart.* 1580.

114. Eccleſiæ non debent fodi, neque excavari pro ſepultura, ſed in ſepulcris, ſive tumbis profundis infra terram Chriſtianorum cadavera ſepeliri. Congr. Ep. & Reg. 23. Julii 1603.

115. Altaria, ſub quorum predellis cadavera ſunt ſepulta, licet propterea conſecrationem non amittant, debent tamen interdici, donec cadavera in alium deferantur locum. Congr. Ep. & Reg. 10. Novemb. 1599.

116. Prohiberi non poteſt, quin cadavera intra Eccleſiam ſepeliantur, ſed alia via arcendi ſunt fœtores. Congreg. Ep. & Reg. 3. Febr. & 16. Decemb. 1603.

117 Ne cadavera ſepeliantur in Eccleſiis intra locum, ſeu terram conſtitutis abſque præjudicio emolumentorum Parochi, niſi confirmatum per Cardinalem a latere legatum nullum eſſe declaravit *eadem Congreg.* 1. *Septemb.* 1603.

118. Tolerari tamen poteſt, quod ii, qui decedunt non electa ſepultura, tumulentur extra mœnia. Ead. Cong. 5., & 27. Apr. 1603.

119. Non licet Parochis majorem eleemoſynam exigere pro defunctis in Eccleſiis Regularium ſepeliendis, quam eis ſolveretur, ſi in propriis, vel aliis ſæcularium Eccleſiis ſepeliri deberent. Congr. Ep., & Reg. 27. Oct. 1603. 22. Aug. 1642., 2. Oct. 1643. 20. Martii 1647. 27. Jan. 1651.

120. Ordinariis locorum per præſentes committimus, ut provideant omnino, ne diutius abuſus hujuſmodi tolerentur, & decernant, ne Parochi plus percipere poſſint in ſepulturis, quæ fiunt in Eccleſiis Regularium, quam in iis, quæ fiunt in propriis, ſeu aliorum clericorum. Urb. VIII. Conſt. *Cum ſicut dilectus* 11. Martii 1683.

121. Ceteris paribus non poſſunt Parochi majorem eleemoſynam exigere pro ſepultura forenſium, aut extraneorum, quam incolarum. Congr. Ep., & Reg. 25. Maii 1640., 31. Martii 1646., 20. Junii 1653., & 10. Junii 1654., ac 8. Aug. 1659.

122. Parochi pauperum cadavera gratis ſepelire tenentur. Congr. Ep. & Reg. 5. Maii 1617. & 31. Maii 1646.

123. Reſidua illius ceræ, quam aliqua Confraternitas, vel locus Pius impendit de ſuo in ſepeliendis pauperibus gratis, nec a Parocho, nec a quocumque alio prætendi poſſunt, niſi ſubſit fraus aliqua. Congr. Ep. & Reg. 22. Nov. 1588. 11. Martii 1578. 21. Aug. 1606. & 15. Martii 1616.

124. Licet hæredibus cadavera defunctorum ad tumulum aſſociari facere intortitiis, & candelis extinctis, offerendis Confraternitatibus pro aſſociatione SS. Sacramenti, aut pauperum ad ſepulturam, dummodo eorumdem cereorum ſaltem duplum accenſum deferatur, unde ſi ex extinctis deferuntur duo, ex accenſis ſaltem debent eſſe quatuor. Congr. Ep. & Reg. 14. Oct. 1598.

125. Servanda eſt conſuetudo circa candelas, quas prætendit Abbas, dum impeditus ad funera mittit crucem Eccleſiæ ſuæ, donec aliter declaratur. Ead. Congr. 19. Apr. 1641.

126. Si quis ſepultus fuerit extra Eccleſiam, in qua debebat ſepeliri, ſunt reſtituenda omnia emolumenta occaſione ejus ſepulturæ percepta, & etiam ipſum cadaver, ſi petatur. Ead. Congr. 29. Nov. 1612.

127. Maxime ſi fuerit ſepultus in loco, vel capſa ſeparata, & ejus contemplatione relictum fuerit annuum legatum Eccleſiæ ſepulturæ. Ead. Congr. 15. Febr. 1593. 13. Julii 1618. & 5. Julii 1647.

128. Non tamen convenit reſtitui, ſi fuiſſet ſepultus a multo tempore, & maxime ſi cum aliis corporibus, unde difficulter poſſint ejuſdem oſſa diſcerni: quo caſu ſola funeralia reſtituuntur, cum declaratione, quod cadaver ſpectabat ad talem Eccleſiam. Ead. Congr. 15. Junii 1601. 7. Dec. 1604. 12. Jun. 1654. & 30. Apr. 1655.

129. Reſtituendum eſſe cadaver Eccleſiæ, in qua defunctus ſepulturam elegerat, una cum emolumentis, quarta deducta cenſuit Sacra Congreg. Ep. & Reg. 1. Febr. & 31. Maii 1647. 5. Febr. 1649. 14. Jan. & 1. April. 1650. ac 22. Sept. 1657.

130. Cadaver, quod alicubi poſitum non eſt per modum depoſiti, ſed traditum eſt perpetuæ ſepulturæ, exhumari non licet, nec alio aſportari, niſi de licentia Ordinarii. Congr. Ep. & Reg. 28. Jann. 1603.

131. Cadavera alicubi tumulata per modum depoſiti, abſque ullius venia ad ſuam ſepulturam transferri queunt. Ead. Congr. 16. Oct. 1602.

132. Translatio cadaverum de partium conſenſu, juſtaque de cauſa, ac ſine ſolemnitate fieri debet. Congr. Ep. & Reg. 4. Aug. 1597. & 2. Aug. 1658.

133. Pro translatione cadaverum de uno in alium locum, nullam deberi gabellam declaravit S. Cong. Immunit. 20. Jun. 1613.

134. Exhumari nequeunt cadavera ſine licentia Sacræ Congregationis pro recognitione facienda a curia ſæculari. Eadem Congr. 17. Decemb. 1601.

135. Quam facultatem etiam tradere poteſt Epiſcopus, tametſi Eccleſia eſſet Regularium. S. Congr. Immun. 8. Aug. 1645.

136. Defunctorum cadavera non poſſunt vulgo arreſtari, ſeu ſequeſtrari ob debita civilia, quibus gravantur, etiam erga Menſam, nec eadem de cauſa poteſt differri eorumdem ſepultura, ſed prius cadavera ſepelienda ſunt, & poſtea debitum medio juris petendum, cum chriſtiana pietas non patiatur propter intereſſe pecuniarium remanere inſepulta cadavera. Congreg. Ep. & Reg. 14. Aug. 1590. 20. Oct. 1592. & 13. Aug. 1652.

137. Quia ſævire in mortuos feritas eſt plus quam barbara a jure ipſo civili proſcripta. Ead. Congr. 20. Dec. 1580. 9. Jul. 1581. 18. Dec. 1601. 16. Nov. 1640. & 19. Apr. 1641.

138. Sepultura mortuorum nullo prætextu retardari, aut impediri debet, etiam compoſitionis, aut quartæ funeralis cauſa. Sac. Rit. C. 15. Mart. 1704. *in Neveren.*

139. In Eccleſiis Regularium ſine horum conſenſu non poteſt quis ſepeliri, niſi ſit propria defuncti Parochialis, licet ibi ſepulturam elegiſſet, aut ad eam donationem, vel legatum feciſſet. Congr. Ep. & Reg. 2. Jun. 1587.

140. Non licere Curatis ſepelire cadavera defunctorum, neque officia in Eccleſiis facere Regularium abſque expreſſa licentia ſuperiorum Eccleſiarum ipſorum Regularium, non obſtante contraria conſuetudine cenſuit S. R. C. 19. Julii 1636.

141. Supra ſepulchri tabulam pro libito ornamenta plana quælibet hæredes affirmare valent, dummodo a ſolo non emineant, & abſint coronæ vulgo *Cornice*. Cong. Ep. & Reg. 26. Maii, & 6. Oct. 1645.

142. Nec ab Ordinariis locorum impediri poſſunt. Ead. Congr. 9. Sept. 6. Oct. 15. Dec. 1645., & 21. Maii 1646.

143. Univerſi Religioſi, & Sæculares Clerici cujuſcumque

quæ ſtatus, vel conditionis exiſtant, qui aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducunt, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrunt, ab alio, quam a Sede Apoſtolica (præterquam in mortis articulo) nullatenus abſolvendi. Bonifacius VIII. *Cap.* 1. *De Sepult. in* 6., & Clemens V. in Clem. *Cupientes* de pœnis.

144. Electio ſepulturæ ex inductione ut ſupra habita, nullius adeo eſt firmitatis, ut hi, qui ſic elegerint, nec apud ſic electas Eccleſias ullatenus ſepeliri, nec alibi poſſint eligere ſepulturam, ſed ſepeliendi omnino ſunt apud illas Eccleſias, apud quas ſepeliendi de jure fuiſſent, ſi alias ſepulturæ non electa forſitan deceſſiſſent. Bonifacius VIII. *cap.* 1. *de ſepult. in* 6.

145. Si vero iidem Religioſi, vel Clerici prædictos in ſuis Eccleſiis, vel Cœmeteriis præſumpſerint ſepelire, ad reſtitutionem tam ſepultorum corporum (ſi petantur) quam etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eoſdem, infra decem dierum integraliter faciendam, ipſos obligatos eſſe cenſemus. Quam niſi fecerint, Eccleſiæ ipſæ, apud quas ſepulti fuerint, necnon & Cœmeteria earumdem, & ex tunc eo ipſo ſint, & tamdiu maneant Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium prædictorum. Idem Bonifacius VIII. *in cit. Conſtitut.*

146. Num illi, qui coram teſtibus dumtaxat, licet abſque ſcriptura, in Regularium Eccleſiis ſepulturam ſibi elegerint, ibidem ſint ſepeliendi? Sacra Congr. Ep. & Reg. reſpondit, *in dictis Eccleſiis eſſe ſepeliendos, ſine præjudicio tamen jurium Parochialium*. Die 11. Dec. 1615.

147. Electio ſepulturæ ſufficienter probatur per duos teſtes fide dignos. Ead. Congr. 18. Aug. 1589.

148. Conſanguinei defunctorum, qui in Eccleſiis Regularium ſepeliuntur, illis parentare in Parochialibus, & aliis Presbyterorum Eccleſiis, etiam Cathedralibus, compelli nullo modo poſſunt. Congr. Ep. & Reg. 14. Jann. 1639. cujus Decretum approbavit Alex. VII. in ſua Conſtitut. *Alias pro parte* ſub datum 30. Apr. 1660.

149. An curati poſſint cogere hæredes, ſeu executores teſtamentarios, ut pro defunctis, qui tumulantur in Eccleſiis Regularium in Eccleſiis etiam Parochialibus celebrari faciant officia novenalia, & anniverſaria prout celebrantur in Eccleſiis Regularium, in quibus cadavera ſepeliuntur; Sacra Rituum Congregatio reſpondit; non poſſe cogere. Die 23. Apr. 1633. approbante Urb. VIII. die 25. Junii 1633.

150. Damnati ad mortem ſepelliri non debent in Eccleſia majoris devotionis, ſi inde populus concipit horrorem, & occaſionem Eccleſiæ minus frequentandæ. Congreg. Ep. & Reg. 17. Martii 1579.

151. In Exequiis poſt abſolutionem, quæ fit ſupra cadaver in die obitus, vel ſupra tumulum in die anniverſario, dicto V. *Requieſcat in pace*, ſubjungi debet, *Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace*; ſed ſuper lecticam, ſeu caſtrum doloris in commemoratione omnium fidelium defunctorum nihil eſt ſuperaddendum. S. R. C. 2. Dec. 1682. in una *Canon. Regul. Lateran.*

152. Ubi ex diſpoſitione Teſtatorum ſingulis diebus canendum eſt in Eccleſia reſponſorium pro defunctis, poterit quotidie decantari, exceptis feſtis 1. & 2. claſſis, & octavis privilegiatis, necnon tota hebdomada majori; in prædictis autem feſtis 1. & 2. claſſis, & octavis privilegiatis, ac majori hebdomada, ne pia Teſtatorum voluntas defraudetur, reſponſorium prædictum recitetur privatim in choro, abſolutis horis canonicis. S. R. C. 8. Julii 1741.

153. In Litaniis Sanctorum pro diverſitate functionum, & temporum aſſignatis, & in aliis pro commendatione animarum, poſt nomen S. Joannis Baptiſtæ ſtatim adjungi debet illud S. Joſephi, dicendo: *Sancte Joſeph ora pro nobis. Omnes Sancti Patriarchæ &c.* Benedictus XIII. 19. Decemb. 1726. *in Decreto Urbis, & Orbis*.

154. Sixtus V. in Bulla *Reddituri* 11. Julii 1587. univerſis Chriſtifidelibus, qui SS. nomen Jeſus, aut Mariæ devote invocaverint, indulgentiam viginti quinque dierum conceſſit; iis vero, qui præfata agere conſueverint, ſi in articulo mortis conſtituti, & ore, vel ſi non potuerint, ſaltem corde ſanctiſſimum nomen Jeſus, & Mariæ invocaverint, inſuper indulgentiam plenariam adjecit. Quas indulgentias Apoſtolica auctoritate confirmavit Benedictus XIII. in ſuo brevi 12. Jann. 1728.

155. Pœnæ ob prætermiſſionem confeſſionis annuæ, & communionis paſchalis non incurruntur, niſi poſt Judicis ſententiam, ſive poſt edictum Ordinarii, per quod declarantur incurſi. Congr. Epiſc. 24. Junii 1595.

156. Limita ſi intermiſſio ſit notoria; vel adſit ſtatutum ſynodale in contrarium. Eadem Congr. 15. Decemb. 1596.

157. Epiſcopus adverſus eos qui temporibus ab Eccleſia ſtatutis ad Confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta negligunt accedere, & pœnas Cap. *Omnis utriuſque ſexus* de Pœnit. & remiſſ. contemnunt, poteſt etiam ad excommunicationem procedere, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ex rationabili cauſa communio ad tempus dilata fuerit. Congreg. Concil. 28. Januarii 1587. ad 1. dub.

158. An poſſit Epiſcopus pro ſatisfactione iis, qui temporibus ab Eccleſia ſtatutis ad Confeſſionis, & Euchariſtiæ Sacramenta negligunt accedere, & pœnas cap. *Omnis utriuſque ſexus* de Pœnit. & Remiſſ. contemnunt, & pœnas pecuniarias pro loco applicandas injungere? Reſp. poſſe injungi eleemoſynas alicui pio loco applicandas pro hujuſmodi excommunicatorum emendatione. Ead. Congregat. in eod. Decret. ad 2. dub.

159. An expediat talium abſolutionem ſibi reſervare? Reſp. non expedire. Ead. Congr. in eod. Decr. ad 3. dub.

160. Præſenti Decreto noſtro ſancimus dictis Fratribus, & Presbyteris dictæ Societatis, & aliis privilegiatis prædictis, quibus id a Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, & peccata ſua, etiam quadrageſimali, & paſchali, & quovis alio tempore confiteri licite poſſe, dummodo tamen iidem ſæculares Chriſtifideles Sacramentorum Euchariſtiæ die feſto Paſchæ Reſurrectionis in propria Parochia ab eodem Parocho ſumant. Clemens VIII. anno 1592. adverſus quoſdam Galliæ Epiſcopos.

161. Epiſcopi declarare non poſſunt, quod Regulares ad confeſſiones ſæcularium excipiendas approbati, hos in Paſchate audire non valeant ſine Parochorum licentia, quia Regulares poſſunt audire Confeſſiones quorumcumque ad eos confluentium. Congregat. Concil. 24. Martii 1597. 8. Junii 1599. & 26. Martii 1671.

162. Illi Religioſi qui ad Confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis generaliter quoque, & indiſtincte abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admittantur. Clemens X. in ſua Conſtit. *Superna* 21. Junii 1670.

163. Ii vero, qui ſemel fuerint ſimpliciter approbati, poſſunt in Diœceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paſchali, confeſſiones audire abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. Idem Clemens X. in *cit. Conſtit.*

164. Ii vero qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis paſchali tempore confeſſi fuerint, conſtitutioni, quæ incipit omnis utriſque ſexus, quoad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſeantur. Idem Clemens X. *in cit. Conſtitut.*

165. Quoad cæteros vero Religioſos qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinquuntur, ipſos cum limitata facultate prout iiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. Idem *in cit. Conſtit.*

165. Non ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato. Alexand. VII. 24. Sept. 1665. oppoſitam theſim proſcribens.

167. Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. Alexand. VII. 24. Sept. 1665. theſim proſcribens oppoſitam.

168. Præcepto Communionis annuæ non ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem. Innoc. 2. Martii 1679. oppoſitam profligens propoſitionem.

169. Confeſſores Regulares cogendi non ſunt habere libros, in quibus ſcribantur nomina pœnitentium, quod Parochorum proprium eſt, ſed ſufficit, quod pœnitentibus in ſcriptis conſignent atteſtationis ſchedulam, obi aſt præceptum, vel conſuetudo, ut eam Parocho exhibeant tempore Paſchatis. Congreg. Concil. 18. Martii 1586.

170. Intelligimus optimo jure ſatisfactum eſſe canoni, ſi in hebdomada ſancta, vel intra octavam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ ſecundum meliorem diſpoſitionem conſcientiæ, & aptiorem mentis devotionem fideles præparatione debita Sanctum Euchariſtiæ pignus accipiant, & cum Domino Paſcha celebrent ad ſalutem, & huic ſententiæ omnes volumus acquieſcere. Eugenius IV. Conſt. *Fide digna* 8. Julii 1440.

171. Communionis in Paſchate præceptum poteſt extendi in longius tempus ex Epiſcopi, aut Parochi diſpenſatione rationabili, veluti ſi timeatur de relapſu in peccatum, ſeu gravitas delicti perpetrati id requirat, aut ſi cauſa alicujus forenſis expeditionis impediat conſcientiæ ſerenitatem. Congreg. Concil. 19. Novemb. 1619.

172. Re-

172. Regulares poſſunt laicis qui degunt intra ſepta Monaſterii, eiſque actu inſerviant, miniſtrare Sacramenta Euchariſtiæ, etiam tempore Paſchatis, ac extremæ unctionis, necnon ſepolturam dare in propria Eccleſia juxta decretum editum in Mediolanenſi, non tamen iis, qui quidem actu inſerviunt, ſed degunt extra ſepta Monaſterii, nec eorum familiis, Congr. Concil. 25. Jan. 1738.

173. An famuli, & famulæ Monialium ſæculares degentes in manſionibus ſitis in extus Monaſteriorum muro circumvallatis, & quæ ſunt contigua Monaſteriis, & habent portam, quæ claeditur, teneantur recipere Sacramentum Euchariſtiæ tempore paſchali a Parochis, in quorum Parochiis Monaſteriorum, & manſiones ſitæ ſunt? Reſp. affirmative, & non amplius. Congr. Concil. 19. Sept. 1720.

174. In Oratoriis Collegiorum Convictoribus diſcipulis, & Domeſticis, hoc eſt, illis, qui actu degunt in Collegio, & illi inſerviunt, communio paſchalis adminiſtrari non poteſt. Congreg. Concil. 11. Junii 1718.

175. Conqueſti ſunt coram Sanctiſſimo Rectores Eccleſiarum Parochialium illius Civitatis de Patribus Theatinis, & Societatis Jeſu, quod aſſerere audent perſonas laicas ſumentes in eorum Oratoriis, ſeu Congregationibus Euchariſtiæ Sacramentum in die Paſchatis, Eccleſiæ præcepto ſatisfacere: cumque id minime ſit permiſſum, ſed fideles Sacram Communionem tempore paſchali a proprio Sacerdote, vel ab alio de Ipſius Sacerdotis licentia ſuſcipere teneantur, Sanctitas ſua juſſit Eminentiæ Veſtræ ſignificandum, ut ſub pœna ſuſpenſionis a divinis, & aliis ſibi bene viſis, id prohibeat præfatis Religioſis, moneatque ipſos laicos Sacramentum Euchariſtiæ ut ſupra manu proprii Parochi teneri ſuſcipere, ut Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant. Cardinalis Veroſpies de mandato Urbani VIII. 20 Martii 1638. ad Card. Boncompagnum Archiep. Neapol.

176. Non ſatisfecit præcepto Eccleſiæ, qui SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipit ante vel poſt diem Paſchatis, non de manu Parochi, ſed Regularium habentium a Sede Apoſtolica privilegium miniſtrandi hoc Sacramentum, *præterquam in die Paſchatis*; quod tamen viſum eſt etiam in die Reſurrectionis poſſe ipſos miniſtrare. Congreg. 21. Maii 1601.

177. Parochiani non ſatisfaciunt obligationi communionis paſchalis per Euchariſtiam ſumptam extra propriam Parochiam; quare monendi erunt Regulares, ne in eorum Eccleſiis adminiſtrent Euchariſtiam die Paſchæ, niſi illis, de quibus ſibi conſtiterit, jam illam in Parochiali ſumpſiſſe in aliqua ex diebus hebdomadæ majoris: & in omni caſo a Parochis habendi non erunt liberi ab onere communionis paſchalis parochiani illi, qui in propria Parochia non communicaverint. *Congreg. Epiſcop. 16. Maii 1600.*

178. Qui ſatisfecit in paſchate in parochiali, non tamen poteſt in ipſo die paſchatis Euchariſtiam ſumere in Eccleſia Regularium non habentium curam animarum. Congreg. Concil. 23. Jan. 1586. & 14. Martii 1615.

179. Fuit dubitatum, an die paſchatis Fratres poſſint adminiſtrare populo Sanctiſſimam Euchariſtiam, Sacra Congregatio cenſuit, non poſſe, ſtante quod in privilegio Eugenii IV. hoc eis interdicitur expreſſe pro illa die. Die 2. Martii 1619.

180. Non poſſunt ſæculares in ipſo die Paſchatis de manu Regularium Sacram communionem accipere, etſi in alia die ſatisfecerint Eccleſiæ præcepto hac de re edito. Congr. Concil. 8. Junii 1619.

181. Prohibentur Regularibus adminiſtrare ſæcularibus Sacramentum communionis, etiam devotionis gratia, ipſo die Paſchatis; in aliis vero diebus temporis Paſchalis declaretur, eos, qui S. Communionem receperint extra Parochiam, præcepto Eccleſiæ non ſatisfacere. Congr. Epiſc. 10. Sept. 1627.

182. Epiſcopi non poſſunt prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive adminiſtrare non valeant perſonis ſæcularibus Sacramentum Confeſſionis; poſſunt tamen eiſdem prohibere, ut perſonis ſæcularibus in die Paſchatis non adminiſtrent Sanctiſſimum Sacramentum, etiamſi dictæ perſonæ ſæculares in alia die ſatisfecerint præcepto hac de re edito. Congr. Concil. 9. Julii 1644.

183. Non licet Regularibus in die Dominica Reſurrectionis D. N. J. C. devotionis cauſa adminiſtrare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum perſonis ſæcularibus. Congregatio Concil. 14. Januar. 1736.

184. Etſi frequens, quotidianuſve Sacroſanctæ Euchariſtiæ uſus a SS. Patribus fuerit in Eccleſia probatus, nunquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi, certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmitatem ſecus reputaret, nihil præcipiens, quid caperet, tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut ſingulis miſſis fideles aſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent*, idque non immerito; multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, variæ ob negotia ſpiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, & Dei dona parvulis conceſſa; quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certe de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui. Sac. Congr. Concil. 12. Febr. 1679. approbante Innoc. XI.

185. Et propterea quoad Negotiatores attinet frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu Laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod perſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt. S. Congr. Concil. in eodem Decreto.

186. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apoſtolus nolit eos fraudari, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi, eos ſerio admoneant, tanto magis ob Sacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cæleſtium epularum communionem eſſe conveniendum. Ead. Congr. in eodem Decreto.

187. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana ſacræ communionis ſumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum, per ſe, aut Parochos, ſeu confeſſarios ſibi decernendum putet; illudque omnino prohibeat, ut nemo a Sacro Convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unuſquiſque digne pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici corporis ſuavitatem degustet. Eadem Congreg. in laudato Decreto.

188. Itidem Moniales quotidie Sacram communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent; ſi quæ vero puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis a ſuperioribus permittatur. Ead. Congr. in eodem Decreto.

189. Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum fideles ad SS. Sacramenti frequentiam (quod facere debent) acceſſerint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſive laici negotiatores ſint, ſive conjugati, ſive quicumque alii ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii formidine diſcant cæleſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri, & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere. Ead. Congr. in eodem Decreto.

190. Epiſcopi autem, in quorum Diœceſibus viget hujuſmodi devotio erga SS. Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſi adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt; & ab eorum officio poſtulari ſibi maxime perſuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, & dona in ſumentibus augeantur. Quod abunde continget, ſi ii, qui devoto hujuſmodi ſtudio, divina præſtante gratia, tenentur, ſeque Sacratiſſimo Pane frequentius refici cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueverint. Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe fidelibus manducandum, & ſe pretium in mortem tradidit, atque in cæleſti regno ſe præmium eſt daturus, precatur S. Congregatio, ut ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Ead. Congr. in eod. Decreto.

191. Porro Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes Communionem quotidianam eſſe de jure divino. Ead. Congr. in eod. Decreto.

192. Doceant in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis ex diſpenſatione, ſeu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam SS. Euchariſtiam, nec eam ullo modo deferendam ſe cremeno, aut ſecreto ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant; & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur, publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani, ſi vero ab Oratorio privilegiato, cum pompa decenti. Congr. Concil. 12. Febr. 1676. approbante Innoc. XI.

193. Ad-

193. Admoneant, nulli credendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas. Ead. Congreg. in eod. Decr.

194. Curent etiam, ut circa communionem in feria ſexta Paraſceves, Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur. Ead. Congr. Concil. 12. Febr. 1679. approbante Innoc. XI.

195. In feria ſexta Paraſceves non eſt miniſtranda Euchariſtia, niſi infirmis. S. R. Congreg. 19. Februar. 1622.

196. Præceptum, quod in nocte Nativitatis Domini poſt miſſam decantatam non poſſint ſucceſſive aliæ duæ miſſæ celebrari, nec communio exhiberi Euchariſtica fidelibus depoſcentibus, ligat etiam omnes Regulares tum Ordinum Mendicantium, tum Congregationum Monachalium, tum etiam Patres Societatis Jeſu, tum omnes cujuſque alterius Inſtituti, etiam ſpeciali mentione nominandi. Neque poſſunt excipi in Eccleſia confeſſiones, maxime mulierum, durante tempore nocturno, ſed expectandum eſt, ut illuceſcat aurora tam pro confeſſionibus mulierum excipiendis, quam pro Euchariſtia miniſtranda fidelibus utriuſque ſexus. S. R. C. 23. Martii 1686 *in Senen.*

197. In Miſſis Defunctorum, quæ in paramentis nigris celebrantur, non miniſtretur Euchariſtia per modum Sacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, extrahendo pyxidem a cuſtodia; poteſt tamen miniſtrari per modum ſacrificii, prout eſt, quando fidelibus præbetur communio cum particulis intra eamdem miſſam conſecratis. S. R. C. 2. Sept. 1741.

198. Quando in Miſſa ſolemni miniſtratur ſacra Euchariſtia clericis, vel laicis, reliqui de clero in Choro debent ſtare. S. R. C. 9. Maii 1711. *Caſerten.*

199. Patenæ ſuppoſitio per Sacerdotem cotta indutum in Communione generali, quæ per Dignitates agitur, licita eſt. S. R. C. 3. Sept. 1661. *in Andrien.*

200. In communione Monialium habentium feneſtellam in parte Evangelii, Sacerdos debet deſcendere per gradus anteriores, & non laterales altaris. S. C. R. 15. Sept. 1737. *in Toletana.*

201. Avanti di cominciata la Meſſa non ſi faccia la Comunione ſenza gran neceſſità, ed in queſto caſo s'accenda il Cereo dell' Elevazione. Sacra Congregat. Viſit. Apoſtol. ſub Urbano VIII. apud Meratum *part. 2. tit. 10. num. 29.*

202. La comunione dentro la Meſſa è deſcritta nel Meſſale minutamente: nel fine non ſi dia la benedizione, ſe non in fine della Meſſa. Eadem Congregat. in eod. Decret.

203. Comunicando fra la Meſſa de Requiem, ſi faccia l'iſteſſo; nè ſi dia alcuna benedizione. nè ſi ſcordi di coprire fra tanto il calice con la ſolita palla. Ead. Congr. in eod. Decr.

204. Chi comunica finita la Meſſa, ſi tenga la pianeta, ed il manipolo, come preſcrive il Rituale Romano; nè il Chierico eſtingua il cereo dell' elevazione, ſino che ſia finita la comunione. Ead. Congr. in eod. Decreto.

205. Il pannicello, che ſi dà per la comunione, ſia deſtinato a queſt' uſo; nè mai ſi dia il velo del calice, e molto meno il fazzoletto dell' ampollette d'aſciugare le mani al Sacerdote. Ead. Congregat. in eod. Decr.

206. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non eſt denegandum peccatori occulto publice petenti, maxime quando notitia, quæ de illius peccato habetur, non eſt certa. Congr. Epiſc. 18. Sept. 1618.

207. Sacrorum Canonum auctoritas, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit, & ſervat hoc Sacramentum non poſſe recipi a non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis a Jure, vel ab Eccleſia conceſſo, vel admiſſo. Concil. Conſtant. ſeſſ. 13.

208. Ne ſacratiſſima Euchariſtia denegetur condemnatis per Judicem ad ultimum ſubeundum ſupplicium, conſtituit Concilium Moguntinum anno 847. Cap. 27.

209. Reis capitali ſententia damnatis, etiam mane quando exequenda eſt, poteſt dari Euchariſtia. Congr. Epiſc. 16. Junii 1590.

210. Non licet ſanctam Euchariſtiam ad ægrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti, ſumere eam non poſſunt, ſed venerationis gratia ſolent eam deoſculari. Et ſi forte aliquo in loco talis eſt conſuetudo, ea prorſus eſt tollenda, quod Pius V. prohibuit. Congreg. Concil. apud Benedictum XIV. *Annot. tom. 2. part. 4. ſect. 2. num. 267.*

211. Ægrotis morti proximis, cujuſcumque ſint conditionis, quamvis in ſordido, ac vili degant loco, aut tugurio, ſacram Euchariſtiæ Viaticum deferatur eum apud Deum nulla ſit acceptio perſonarum, ac pro noſtra ſalute nec ſtabulum, nec crucis ignominiam exhorruerit. Alex. VII. Conſt. *Sacri Apoſtolatus* 18. Januar. 1658. & Clemens IX. Conſt. *In Eccleſia* 13. Sept. 1669.

212. Pyxis, in qua proprio velo coopertum defertur SS. Viaticum infirmis, debet etiam cooperiri extremitatibus veli oblongi humeralis. S. R. C. 21. Martii 1699. *in Bergomen.*

213. Cæremonialis liber nec laicis, nec clericis prohibet, quo minus in Proceſſione SS. Sacramenti deferant intortitia, vel candelas accenſas. S. R. C. 10. Aprilis 1603. *in Andrien.*

214. Parocho reumate laboranti, & SS. Sacramentum infirmis deferenti, ſolet indulgeri uſus pileoli in itinere, non tamen intra Civitatem, vel oppidum. S. R. C. 5. Martii 1633. *in Aſculana.*

215. Et ita remiſit arbitrio Epiſcopi uſum pileoli ad tenorem dicti Decreti. Ead. Congr. 10. Januar. 1693. *in Treviren.*

216. Parochis miniſtraturis SS. Sacramentum infirmis, non eſt licitum, neque de nocte uti parvo pileolo in delatione ejuſdem per civitatem ſub prætextu alicujus infirmitatis abſque ſpeciali Sanctæ Sedis licentia. S. R. C. 13. Auguſt. 1695. *in una urbis.*

217. In ſolemnibus SS. Sacramenti Proceſſionibus, præter conſueta lumina quatuor ſaltem ſemper laternæ cum intus accenſis candelis circa celebrantem deferantur. Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. anno 1725. celebratum *tit. 15. cap. 7.*

218. In feria VI. Paraſceve Parochus, dum defert SS. Sacramentum ad domum infirmi ipſi miniſtrandum pro viatico per vias publicas, recitat conſuetos pſalmos, & in fine illorum omittit ℣. *Gloria Patri*, & ingreſſus Eccleſiam, ſtatim deponit Sacram pyxidem, & dimittit populum abſque benedictione; quæritur, an ſit laudandus? Reſp. Non eſt reprobandus Parochus, qui defert SS. Viaticum infirmis feria VI. in Paraſceve dummodo privatè, & ſubmiſſa, quinimmo ſubmiſſiſſima voce recitet pſalmos conſuetos per vias publicas, etiamſi dicat ℣. *Gloria Patri*, quia in tali circumſtantia actio talis nihil habet eſſe cum functionibus Eccleſiæ hujus diei, & conſiderandum eſt, quod deferens cum ſtola, atque pluviali albi coloris, quando in feria ſupradicta color paramentorum eſt niger pro Eccleſiæ functionibus; ideoque ſi defert privatim pro aliqua neceſſitate, non eſt reprobandus, ſi populum abſque benedictione dimittat, quia in publica Eccleſia non debet recondi. S. R. C. 15. Maii 1745. *in Lucana.*

219. Non poteſt Epiſcopus prohibere Curato, ne adminiſtret Viaticum infirmis ſine ſua licentia. Congr. Epiſc. 30. Oct. 1640.

220. Laicis, qui intra clauſtra Regularium habitant, & illis actu ſerviunt, poſſunt Regulares Sacramentum Euchariſtiæ, & tempore Paſchæ, et extremæ unctionis miniſtrare, necnon in eorum Eccleſiis eiſdem laicis ſepulturam dare. Congr. Concil. ſub menſem Junii 1587. & 25. Jan. 1738.

221. An ad Parochos ſpectet in caſu ultimæ infirmitatis Sacramenta miniſtrare famulis, & famulabus monialium ſæcularibus, habitantibus in manſionibus iis atriis monaſteriorum muro circumvallatis, & quæ ſunt contigua Monaſteriis, & habent portam, quæ clauditur. Reſp. affirmative Congregat. Concil. 19. Sept. 1722.

222. Non potuere licite Regulares, irrequiſito parocho, Sacramenta adminiſtrare, & corpus tumulare in caſu. Congr. Concil. 29. Jan. 1718.

223. Ut Patres Theatini Sacramenta Euchariſtiæ, etiam pro viatico, ac extremæ unctionis adminiſtrare valeant cæteris clericis, ac Fratribus Congregationis hujuſmodi, ac etiam mercenariis, famulis, operariis, & ſervis eorumdem, ac quibuſvis hoſpitibus, etiam ſæcularibus, & extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis hujuſmodi tunc reperiri contigerit etiam Diœceſanorum locorum, & Sacerdotum Curatorum quorumcumque, etiam in quorum civitatibus, & Diœceſibus, Eccleſiarum Parochiis, reſpective Eccleſiæ, & loca ipſorum Congregationis, nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcumque licentia minime petita, nec obtenta, & in caſu, quo non daretur ſpatium petendi talem licentiam, propter repentinam neceſſitatem, etiam quibuſcumque aliis perſonis, quæ in hujuſmodi neceſſitate intra Eccleſias, collegia, domus, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigerit, ac extra illa, aliis quibuſcumque infirmis, etiam in mortis articulo conſtitutis, ubique in caſu neceſſitatis ſupradictæ, etiam nulla ad hoc per eos petita, nec et conceſſa licentia cujuſvis Curati, concedit Pius V. in Conſtitut. *Ad Immarceſcibilem* 13. Februar. 1567.

224. Jus

224. Jus adminiſtrandi Sacramenta Canonicis, & Beneficiatis Eccleſiæ Cathedralis infirmis, & habitantibus in alienis Parochiis, ſpectat ad Parochum domicilii, ſeu habitationis, non vero ad Parochum Cathedralis. Congreg. Concil. 16. Martii 1680. 12. Maii 1685. 11. Septemb. 1694. 17. Septemb. 1695. & 26. Septembr. 1699.

225. Ubi Parochiæ diſtinctæ ſunt per determinatas familias, adminiſtratio baptiſmi, aliorumque Sacramentorum ſpectat ad proprium dictarum familiarum Parochum, & non ad Archipresbyterum Collegiatæ, ſeu matricis. Congregat. Concil. 24. Maii 1732.

226. Parocho Cathedralis non licet miniſtrare Sacramenta quibuſcumque clericis, & Sacerdotibus infirmis, & in alienis Parochiis commorantibus, ſed id competit privative Parocho Domiciliantis. Congr. Concil. 2. Apr. 1720.

227. Non eſt probata conſuetudo, & idcirco terminanda eſt cauſa ſecundum jus commune, videlicet, quod quando quis in una Parochia moritur, & in alia ſepelitur, benedictionem in domo mortui faciat circa corpus proprius Parochus, qui ſtolam deferens a domo defuncti uſque ad Eccleſiam, in qua corpus ſepeliendum erit, aliis omnibus præcedere debet, in Eccleſia vero, in qua Corpus ſepelitur, officium faciat circa corpus, & aliis præcedat Parochus ipſius Eccleſiæ, & ita ut ſupra in Civitate Eugubina inter Curatum Eccleſiæ Cathedralis, & Curatum S. Petri Monachorum Olivetanorum ſervandum eſſe cenſuit, & declaravit, atque ſervari mandavit quibuſcumque non obſtantibus. Ead. Congr. 5. Julii 1614.

228. Servari debet dicta ceremonia Sanctificandi SS. Sacramentum incluſum in pyxide, cum defertur pro Viatico infirmis, & cum ipſo benedicitur populus. S. R. C. 21. Junii 1738. *in Ultrab. Orient.*

229. Sanctiſſimum Sacramentum conſervandum eſt in qualibet Parochiali. Congr. Epiſ. 28. Janu. 1603.

230. Quamvis pauperi; quod ſi redditus, & ſocietas non ſufficiat, inſtituatur quæſtor, vel eleemoſynarum collector. Ead. Congr. 14. Martii 1614. & Congreg. Concil. 22. Martii 1594.

231. Et in Regularium Eccleſiis, quæ de hoc habent privilegium. Ead. Congr. Epiſc. 25. Maii 1635.

232. Extra Parochiales Eccleſias non conceditur retineri aſſidue Euchariſtia. Congreg. Epiſc. 14. Januar. 1610.

233. Epiſcopus concedere non poteſt Eccleſiæ non Parochiali, ut in ea retineatur SS. Sacramentum Euchariſtiæ, ſed requiritur licentia Sedis Apoſtolicæ. Congr. Concil. 3. Martii 1668. & 3. Januar. 1682.

234. Confraternitates retinere non poſſunt earum Oratorii ſine peculiari Sedis Apoſtolicæ indulto SS. Euchariſtiæ Sacramentum. Ead. Congr. 19. Aug. 1690. & 17. Nov. 1691.

235. In Eccleſiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus, retineri non poteſt SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ. S. R. C. 10. Dec. 1703. approbante Clem. XI. 12. Janu. 1704.

236. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum conſervari poteſt in Eccleſiis etiam non Parochialibus, ſi ab immemorabili fuerit in iiſdem aſſervatum. Congr. Concil. 27. Apr. 1709.

237. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervandum eſt uno tantum in loco cujuſcumque Eccleſiæ, in qua cuſtodiri debet, poteſt, aut ſolet. Congreg. Epiſc. 13. Oct. 1620.

238. Tabernaculum regulariter debet eſſe ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno ſerico decenter contectum. Congr. Epiſc. 26. Oct. 1575.

239. Sanctiſſimum Sacramentum teneri non debet in vaſculis eburneis, ſed in Pyxide argentea, intus inaurata. Ead. Congr. 26. Jul. 1588.

240. Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti in Cathedralibus non debet eſſe in altari majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt verſis renibus ad altare; in Parochialibus vero, & Regularibus debet regulariter eſſe in altari majori tanquam digniori. Congreg. Epiſc. 10. Februar. 1579. & 29. Nov. 1594.

241. In tabernaculo SS. Sacramenti eſſe non debent vaſa Sacrorum oleorum, vel Reliquiæ, vel aliud. Congr. Epiſc. 3. Maii 1693.

242. Ante Oſtiolum Tabernaculi SS. Sacramenti, in quo depicta, vel inſculpta eſt imago Domini Noſtri, non eſt retinendum vas florum, vel quid ſimile, ſed poteſt collocari in humiliori, & decentiori loco. S. R. C. 22. Janu. 1701.

243. Lampas ardens omnino retinenda eſt ante altare Sanctiſſimi Sacramenti, non vero ſupra valvas Eccleſiæ in Choro de diametro oppoſito ante prædictum altare. S. R. C. 12. Aug. 1599. *in una Ord. Cappuccinor.*

244. Legato de Lampade ardente ante SS. Sacramentum ſatisfaciant hæredes per ſubminiſtrationem olei, apud Eccleſiæ Rectorem remanente cura, ut continuo ardeat. Congr. Epiſc. 28. Apr. 1599.

245. Renovatio SS. Sacramenti debet fieri qualibet Dominica, non autem differri ad quindecim dies. Ead. Congreg. 5. Apr. 1573.

246. In feſto SS. Corporis Chriſti ſervanda eſt diſpoſitio Cæremonialis Epiſcoporum lib. 2. cap. 33. in reponendo SS. Sacramento, ubi nulla fit mentio de ℣. *Dominus vobiſcum*, non vero Rituale Romanum, ubi dicitur addi *Dominus vobiſcum*, & ſic ſervat in Urbe Summus Pontifex, & ſervatur ab omnibus. S. R. C. Junii 1663. *in Granaten.* & 28. Sept. 1675. *in Salernitana.*

247. In expoſitione SS. Sacramenti cantatis, ſeu recitatis verſiculis *Panem de Cælo &c.* Sacerdos inſurgens non debet iterare genuflexionem antequam recitet orationem. S. R. C. 2. Aug. 1698. *in una Urbis*, & 6. Sept. 1698. *in Ravennaten.*

248. Benedictio cum SS. Sacramento danda eſt in fine hymni *Pange lingua*, non vero ad ℣. *Sit benedictio*. S. R. C. 5. Febr. 1639. *in Sabinen.*

249. In benedicendo populum cum SS. Sacramento, iſte modus approbatur, nimirum cum Sacerdos ſtat ante populum, Oſtenſorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora, non ſupra caput, ſed tantum uſque ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum illud tollit uſque ad pectus, & exinde ad ſiniſtrum humerum ducit, & reducit ad dexterum, & rurſus ante pectus reducit, ibique aliquantulum ſiſtit, quaſi peracta ad omnes mundi partes Cruce, & Sacramentum etiam venerandum omnibus præbet, tunc gyrum perficiens, collocat Oſtenſorium ſuper altare. Servari etiam poteſt alius modus deſcriptus in Cæremon. Epiſc. *lib. 2. cap. 33.* ubi requiritur tantummodo, ut cum eodem Sacramento Celebrans producat ſignum Crucis, S. R. C. 21. Martii 1676. *in Collen.*

250. An liceat Patribus Carmelitis ingredi Eccleſiam Monialium, & ibidem benedictionem impertiri eiſdem Monialibus, & deinde populo; necnon in propria Eccleſia ſub triplici ſigno ad formam ejuſdem Ritualis in caſu &c. Reſp. licere Patribus Carmelitis ingredi Eccleſiam Monialium, accedente conſenſu Epiſcopi, ibique impertiendam eſſe unicam Benedictionem Monialibus, & in propria Eccleſia cum triplici ſigno. S. R. C. 16. Maii 1744.

251. Omnibus & ſingulis utriuſque cleri ſuperioribus Almæ urbis prohibetur, ne in earum Eccleſiis, dum officia divina celebrantur, vel SS. Euchariſtiæ Sacramentum manet expoſitum, quidquid cantari permittant præter ea verba, quæ a Breviario, vel Miſſali Romano in officio de proprio, vel de communi currenti cujuſque diei feſto, vel Sancti ſolemnitate præſcribuntur, vel quæ ſaltem a Sacra Scriptura, aut Sanctis Patribus deſumpta ſint, quæ tamen prius a Sacra Rituum Congregatione ſpecialiter approbentur, excluſis modulis illis, qui choreas, & profanum potius, quam Eccleſiaſticam melodiam imitantur. Alexand. VII. in Conſt. *Piæ ſollicitudinis* 23. Apr. 1657.

252. Novæ, aut inuſitatæ orationes, præſertim in Miſſa, non recitentur. Bened. XIV. Conſtit. *Quemadmodum* 23. Martii 1743.

253. In feſto SS. Corporis Chriſti non convenit cantare cantiones vulgari ſermone. S. R. C. 11. Martii 1609.

254. Genuflectendum eſt ſemper ab omnibus tranſeuntibus ante SS. Sacramentum, etiam dum fiunt proceſſiones per Eccleſiam, & contraria conſuetudo declaratur abuſus. S. R. C. Dec. 1602.

255. Quando SS. Euchariſtiæ Sacramentum publice diſcoopertum exponitur, omnes ante illud tranſeuntes, cujuſcumque conditionis, & ordinis ſint, ſeu ad illud accedentes, ſeu ab eodem recedentes, ſemper utroque genu genuflectere debent. S. R. C. 19. Aug. 1651. *in una Urbis.*

256. Sacerdos celebraturus Miſſam privatam, dum tranſit ante altare, in quo eſt expoſitum SS. Sacramentum, poſt factam adorationem flexis genibus, aperto capite, dum ſe erigit, caput cooperiat. S. R. C. 7. Sept. 1628. *in una Urbis.*

257. In Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſias ſine SS. Sacramento, non eſt pulſanda Campanula ad elevationem hoſtiæ in Miſſa privata. Quod ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum eſt utroque genu a tranſeuntibus ante altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito

ſito Sacramento progrediendum eſt. Similiter ſi alii tranſeant in elevatione Calicis. S. R. C. 1. Martii 1681. *in una Canon. Reg. Lateran.*

258. Pyxis, Oſtenſorium, & Corporalia, quæ immediate inſerviunt SS. Sacramento, debent benedici juxta formam, quæ habetur in Miſſali proprio. S. R. C. 16. Nov. 1649. in *Jeſin.*

259. Abbates, & alii Prælati Regulares non poſſunt benedicere paramenta Eccleſiarum non ſibi ſubditarum. S. R. C. 24. Aug. 1609. in *Cremon.*

260. Prælati Epiſcopis inferiores Eccleſiaſticam ſupellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum benedicere valent. S. R. C. cor. Alex. VII. 27. Sept. 1659.

261. Ad paragraphum decimum octavum, quo vetita eſt Abbatibus benedictio ſacræ ſupellectilis pro uſu alienarum Eccleſiarum, aſſerentibus Monachis, etiam pro aliena Eccleſia ex Apoſtolico indulto eis licitum eſſe Eccleſiaſticam ſupellectilem benedicere, Sacra Congregatio mandavit exhiberi indultum authenticum ex Archivo Apoſtolico deſumptum, ac interim abſtineri. S. R. C. coram Alex. VII. 20. Julii 1670.

262. Prothonotarii ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ, ſeu Sacræ Congregationis licentia, nulla poſſunt benedicere vaſa, paramenta, ſeu ornamenta Eccleſiaſtica. S. R. C. 16. Julii 1627.

263. Prælati Epiſcopis inferiores aliqua Pontificalia extra loca ipſis ſubjecta, vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in ſubditos penitus alienos etiam de licentia Ordinariorum, exercere non poſſunt, puta campanarum benedictiones, calicum, & ſimilium, in quibus ſacra adhibetur unctio, necnon Minorum Ordinum collationes. S. R. C. coram Alex. VII. 27. Sept. 1659.

264. Cruces altarium, ſeu Proceſſionum non ſunt benedicendæ de præcepto, poteſt tamen ſimplex Sacerdos eas benedicere privatim, & non ſolemniter. S. R. C. 12. Jul. 1704. in una Urbis.

265. Regularium Eccleſiæ, & Oratoria per eos recepta, ſeu recipienda, necnon altaria, & Cœmeteria ab alieno Epiſcopo ad eorumdem Regularium requiſitionem conſecrari, & benedici, ac in Eccleſiis ædificandis primus lapis poni poteſt, ubi & quando Epiſcopus loci Ordinarius bis, aut ter cum debitis reverentia, & inſtantia requiſitus ſine legitima cauſa prædicta facere recuſaverit, vel ultra quatuor menſes diſtulerit. Honorius IV. Conſt. Ea parte 7. Kal. Decemb. Pontiſ. anno primo, & Bonifacius IX. Conſtit. Sacræ Religionis 5. Kal. Maji Pontiſ. anno 13.

266. Prælati Regulares omnia, & ſingula ſuorum Ordinum, Eccleſias, Cœmeteria, Capitula, & Oratoria, ubicumque exiſtentia, tam recepta, quam recipienda ſolemni benedictione benedicere valent, & idipſum poſſunt alii Fratres eorumdem Ordinum, qui ad hoc in Capitulis generalibus fuerint deputati. Leo X. Conſt. *Religionis ſuadet honeſtas* 3. Febr. 1514.

267. Simplex reconciliatio Eccleſiæ, ſeu Cœmeterii non conſecrati, poteſt committi Presbytero in dignitate conſtituto. S. R. C. 9. Febr. 1608.

268. Prælati Regulares, vel alii Sacerdotes in Capitulis generalibus deputati, ſuas Eccleſias, Cœmeteria, & Oratoria, qualibet ſanguinis, ſeu ſeminis effuſione, ſeu alias quomodolibet pollutas, ſeu pollutas, quoties opus fuerit, aqua per eos (præſertim in locis remotis, ubi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non potuerint) benedicta reconciliare libere, & licite valent. Leo X. Conſt. *Religionis ſuadet honeſtas* 3. Febr. 1514.

269. Benedictio, & diſtributio Candelarum, & Palmarum regulariter poteſt fieri in omnibus Eccleſiis, tam Collegiatis, quam Parochialibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus. S. R. C. 28. Apr. in *Oſtien.*

270. An benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum ſint de juribus mere Parochialibus? Reſp. negative. S. R. C. 10. Decemb. 1703. approbante Clem. XI. 22. Jan. 1704.

271. An liceat Capellano Confraternitatis facere benedictionem, & diſtributionem Candelarum in ſuo Oratorio pro Confratribus, & Sororibus in feſto Ss. Purificationis? Reſp. affirmative. Congr. Concil. 24. Sept. 1718.

272. Benedictio Candelarum, Cinerum, & Palmarum, & aliæ ſimiles actiones, quas faceret Epiſcopus præſens, eo abſente, vel impedito ad primam dignitatem, non vero ad Canonicum hebdomadarium pertinent. S. R. C. 21. Martii 1609. *In Piſauren.*

273. Miſſarum ſolemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in proceſſione in ejus feſtivitate, Candelarum, Cinerum, & Palmarum benedictiones, & functiones ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere ſolet, & debet juxta formam libri Cæremonialis Epiſcoporum, abſente vel impedito Epiſcopo, ad primam dignitatem, & deficiente prima, ad ſecundam, & ſic ſucceſſive, pertinent. S. R. C. 25. Jun. 1611. *in Civitaten.*

274. Abſente Epiſcopo benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis fiant per Celebrantem. S. R. C. 12. Junii 1627. in *Brunduſina.*

275. Dignior Sacerdos, ad quem ſpectat Candelam, Cineres, & Palmam Sacerdoti Celebranti in die Purificationis, in feria IV. Cinerum, & in Dominica Palmarum miniſtrare, debet ab eodemmet Celebrante ſupradicta accipere ſtans, non vero flexis genibus. Sac. R. C. 30. Aug. 1664. *in Sutrina.*

276. Dignior a clero, a quo celebrans in die Purificationis, Cinerum, & Palmarum recipit Candelam, Cineres, Palmam, debet accedere ad altare ſine ſtola, & genuflexus, ſicut alii, recipere Candelam, Cineres, Palmam a celebrante, & oſculari manum celebrantis porrigentis Candelam, & Palmam. S. R. C. 14. Febr. 1705. in una Cappuccinor. Galliæ.

277. Celebrans, qui Cineres diſtribuit, Candelas, & Ramos, detecto capite ſtet. S. R. C. 18. Julii 1626. *in Pientina.*

278. Sacerdos, etiamſi ſit dignitas, vel Canonicus abſente, vel impedito Epiſcopo, diſtribuens palmas juxta Decretum 18. Julii 1626. ſtare debet capite detecto. S. R. C. 31. Martii 1629. *in Pientina.*

279. Prima dignitas dat Candelam Epiſcopo in feſto Purificationis B. M. V. & Epiſcopus det ſtatim primæ dignitati ante Vicarium Generalem. S. R. C. 14. Junii 1608. & 28. Maji 1616.

280. Cineres Epiſcopo miniſtrare feria quarta cinerum, non ad primam dignitatem, ſed ad Canonicum in die celebrantem pertinet. Ead. Congreg. 28. Maji 1616. in *Brixien.*

281. Cum Epiſcopus benedicit cineres, debet celebrans imponere cineres Epiſcopo. Quæritur, an id ſervari debeat in die Candelarum, & Palmarum? Reſponſum fuit: ſervetur Cæremoniale in cap. 16. de feſto Purific., & in cap. 21. de Dominic. Palmar. S. R. C. 12. Junii 1627. *in Brunduſina.*

282. Dum Epiſcopus diſtribuit Candelas, Cineres, & Palmas, Celebrans, & Miniſtri debent ſedere capitibus coopertis. S. R. C. 28. April. 1708. in *Bracharen.*

283. Aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, Candelarum, & Palmarum, ſed quilibet debet accedere ſecundum prærogativam ſui Ordinis. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Nolana.*

284. In proceſſionibus Præpoſito Cathedralis debetur Candela majoris ponderis, & in diſtributione Palmarum diſtincta, & honoratior Palma, quam cæteris de Capitulo. Sacra Rituum Congregat. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina.*

285. In feſto Purificationis B. M. non diſtribuantur, niſi præſentibus in Eccleſia, candelæ benedictæ, & ad ægrotos tantum mittantur. Congreg. Epiſcop. anno 1581. apud Gavantum in Manuali Epiſc. verb. Benedictio num. 13., & apud Meratum part. 4. tit. 24. num. 9.

286. Candelæ in die Purificationis diſtribui tantum debent præſentibus, nullatenus abſentibus, & ne quidem Epiſcopo. Congr. Concil. 22. Sept. 1736., & 9. Febr. 1737.

287. De ceris, quas quis tenetur tradere in feſto Purificationis pro publica diſtributione, ea pars, quæ aliquando ſupereſt, non cedit in beneficium Eccleſiæ, ſed illius, qui illam adminiſtravit. Congr. Concil. 9. Maji 1719.

288. Ille idem, qui benedixit Candelas in feſto Purificationis B. M. V., vel Cineres in feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ, aut ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare Miſſam ſequentem. S. R. C. 26. Februarii 1628., & 12. Aprilis 1640.

289. Regulares non prohibentur in eorum Eccleſiis mulieres poſt partum ad purificationem admittere. Congr. Concil. 2. Julii 1650.

290. An prædictis Regularibus Civitatis Antverpienſis liceat in propriis Eccleſiis mulieres poſt partum ad purificationem admittere? Reſp. negative. Congr. Concil. 18. Novemb. 1662.

291. An Patres poſſint in propria Eccleſia mulieres poſt partum benedicere, & ad purificationem admittere? Reſp. affirmative. Ead. Congr. 9. Junii 1708.

292. An Benedictiones mulierum poſt partum, & Fontis baptiſmalis ſint de juribus mere parochialibus? Reſp. negative, ſed fieri debere a Parochis. S. R. C. 10. Decem. 1703. approbante Clem. XI. 22. Jan. 1704.

293. An jus benedicendi puerperas ſpectet privative ad Parochos? Reſp. negative. Cong. Concil. 3. Decem. 1718.

294. Eſt in libertate puerperarum accedere ad quamcumque Eccleſiam ſibi beneviſam. Ead. Cong. 7. Dec. 1720.

295. An valeat Parochus in Eccleſiis Monialium Ordinario ſubjectarum, benedictiones mulierum poſt partum, vel ſimiles impartiri? Reſp. negative. Congreg. Concil. 23. Auguſti 1727.

296. Ad

296. Ad validitatem matrimonii ſufficit præſentia ſolius Parochi proprii ſponſæ, quando matrimonium in Parochia ſponſæ contrahitur; ſimiliter ſufficit præſentia ſolius Parochi ſponſi, ſi modo matrimonium contrahatur in Parochia ipſius ſponſi. Congr. Concil. 1573. apud Benedictum XIV. tom. 2. notif. 13. nu. 5.

297. Parochus, qui matrimonio debet aſſiſtere, eſt Parochus habitationis, ſeu domicilii, non originis. Congreg. Concil. 18. Nov. 1702.

298. Non valet matrimonium contractum coram Parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi. Ead. Congr. 1. Decemb. 1640.

299. Vir, & mulier a loco ſuæ habitationis abſque animo illam relinquendi diſcedentes, & ad locum alterius Parochiæ ſolo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, ſe transferentes, cum Parocho illius loci matrimonium inter ſe invalide contrahunt. Ead. Congr. 22. Febr. 1631.

300. An matrimonium ſuſtineatur in caſu? Reſp. affirmative. Ead. Congr. 20. Febr. 1723.

301. Nullum eſt matrimonium contractum ab iis, qui alio perrexerunt ad illud contrahendum, ut majorem facilitatem experirentur. Ead. Congr. 13. Nov. 1683.

302. Non ſuſtinetur matrimonium, ad quod contrahendum vir, & mulier alio profecti ſunt cum animo repetendi illico parochiam proprii domicilii. Ead. Congr. 7. Sept. 1697.

303. Metrimonii in perpetuum, vel ad tempus damnatorum ad carceres, aſſiſtere debet Parochus, intra cujus Parochiam ſiti ſunt carceres; eorum vero, qui damnati non ſunt, ſed in iiſdem detinentur loco cuſtodiæ, Parochus, in cujus Parochia illi proprium habent domicilium. Cong. Concil. 26. Maii 1707.

304. Matrimonium contractum a puella educanda ad cratę Monaſterii coram teſtibus, & Parocho Eccleſiæ Parochialis, intra cujus limites ſitum eſt Monaſterium, validum eſt, etiamſi Parochus fuerit alio prætextu vocatus, niſi aliud obſtet. Congr. Concil. 19. Dec. 1648.

305. Matrimonia expoſitarum puellarum, quæ immorantur in hoſpitalibus, celebranda ſunt coram Parocho, intra cujus parochiam hoſpitalia ſita ſunt, & non coram confeſſario, ſeu Capellano prædictorum hoſpitalium. Congr. Concil. 22. Apr. 1651.

306. Parochus ruralis non eſt proprius, & verus Parochus, quando rus itur cauſa recreationis, vel pro ruſticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram hujuſmodi Parocho celebrari non poteſt. Cong. Concil. 1. Dec. 1640.

307. Ad validitatem Matrimonii non ſufficit præſentia Parochi pure phyſica, ſeu materialis, ſed requiritur moralis humano modo; quænam autem, providendum eſt in caſibus particularibus. Cong. Concil. 7. Martii 1700.

308. Suſtinetur matrimonium etiamſi Parochus non intellexerit verba ſponſæ, dum tamen de illius conſenſu ex aliis ſignis juxta juris communis diſpoſitionem legitime conſtat. Ead. Cong. 15. Feb. 1646.

309. Reſponſum fuit pro validitate matrimonii clandeſtine contracti coram Parocho, qui conſenſum ſponſæ non audivit, teſtes tamen adhibiti deponebant de verbis ſponſæ exprimentibus ſuum conſenſum. Ead. Congr. 11. Maii 1669.

310. Validum eſt matrimonium, non obſtante quod Parochus non audiverit verba ſponſæ, non affectate, ſed ex animi turbatione, idem tamen Parochus ex antecedentibus, & ſubſequentibus credebat, ſponſos habuiſſe animum contrahendi, & teſtes quoque deponebant de conſenſu ſponſæ. Eadem Congr. 28. Novemb. 1671.

311. Pro validitate matrimonii contracti coram Parocho, qui tantum audivit verba fœminæ, ſed viri annuli traditionem aſpexit, teſtibus deponentibus de utriuſque expreſſo conſenſu, reſpondit ead. Cong. 11. Martii 1673.

312. Reſponſum fuit pro validitate matrimonii contracti coram Parocho, qui non audivit verba ſponſi; ſponſus pariter teſtatus eſt ipſum nullum verbum dixiſſe coram Parocho: at mater puellæ cum juramento depoſuit fuiſſe explicitum utriuſque conjugis conſenſum, & de hoc etiam deponebant plures connubii teſtes, aſſerentes etiam potuiſſe voces conjugum percipi a Parocho. Ead. Cong. 6. Aug. 1712.

313. Validum eſt matrimonium celebratum coram Parocho, qui cum Miſſam celebraret, audivit ſponſum dicentem: *Queſta è la mia Spoſa*, ſponſæ vero verba nulla audivit, nec externum aliquem vidit actum, ex quo conſenſus ejuſdem erui poſſet, etſi idipſum deponant duo teſtes, dumtaxat addentes, quod ſponſus ſponſæ manum tenebat, dum præſens una mulier, & alius teſtis deponunt, utrumque conjugem protuliſſe verba, mutuum conſenſum expreſſe deſignantia. Ead. Cong. 10. Jan. 1715.

Comment. ad Rituale.

314. Matrimonium, in quo Parochus ſubdole accerſitus audivit conſenſum ſponſæ, non autem ſponſi, quem ceteroquin conſenſiſſe in eodem actu, depoſuerunt plures ibidem præſentes teſtes, validum declaravit eadem Sac. C. Concil. 6. Maii 1741.

315. Matrimonium initum in hiſce circumſtantiis, quod Parochus, & teſtes perceperint conſenſum partium, non ex verbis, ſed ex ſignis, & actibus antecedentibus, concomitantibus, & ſubſequentibus ad matrimonialem contractum, ſubſiſtere cenſuit ead. Congr. 6. Maii 1741.

316. Matrimonium initum a ſponſo faciem habente palliatam naſo tenus, invalidum in caſu declaravit ead. Congr. 19. Sept. 1733.

317. Nonnulli Parochi pro ſua, & matrimonia contrahentium quiete ſupplicant declarari; An conceſſa per Epiſcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a ſacro Concilio vetitis, in iis locis, in quibus diſpoſitio ejuſdem Concilii ad ipſum quoque matrimonii contractum repetitur a conſuetudine extenſa, intelligatur permiſſa traductio ſponſæ, ſeu nuptis ad domum viri? Reſp. affirmative, dummodo traductio fiat abſque ſolemnitate. Congr. Concil. 10. Junii 1684.

318. Denunciationes matrimonii fieri poſſunt temporibus prohibitis nuptias celebrare. Cong. Epiſc. 18. Dec. 1589.

319. Matrimonium ſi contrahatur per Procuratorem omiſſis denunciationibus, eſt validum, licet mandati procuræ traditione præceptum fuerit, ut matrimonium deberet contrahi juxta ritum S. R. Eccleſiæ. Cong. Conc. 12. Jul. 1721.

320. In Eccleſia, quæ ſimul parochialis eſt & collegiata, denunciationes matrimoniorum, & ordinandorum, aliæque ſimiles functiones parochiales, arbitrio Parochi fieri poſſunt vel in Miſſa parochiali, vel conventuali, quando pro utraque habeatur concurſus populi. Congr. Conc. 8. Julii 1724.

321. Denunciationes Matrimoniales ex juſta cauſa poſſunt etiam fieri diebus feſtivis, dum cantantur veſperæ. Cong. Concil. 25. Oct. 1586.

322. Non poteſt Parochus in Eccleſiis Monialium Ordinario ſubjectarum aſſiſtere matrimoniis, vel eorum denunciationes facere. Cong. Conc. 23. Aug. 1727.

323. Benedicendi ſunt Sponſus, & Sponſa, licet contractis ſponſalibus per verba de futuro, antequam coram Parocho, & teſtibus matrimonium contraxerint, invicem ſe cognoverint. Congr. Concil. 2. Octobr. 1593.

324. Jus benedicendi ſponſos ſpectat privative ad Parochos. Congr. Concil. 3. Decemb. 1718.

325. Regulares poſſunt benedicere ſponſos cum licentia Parochi. Cong. Concil. 19. Martii 1708.

326. Benedictio contrahentium matrimonia non eſt facienda a Parocho extra Eccleſiam, ſed in Eccleſia. Congr. Concil. 17. Apr. 1649.

327. Nuptiarum benedictio non poteſt fieri, niſi inter Miſſarum ſolemnia. Congr. Concil. 13. Julii 1630.

328. In proceſſione feriæ VI. In Paraſceve, Epiſcopo totum officium, & ſacram functionem in pontificalibus non peragente, non ſunt a geſtantibus haſtas baldachini adhibenda pluvialia, ſed ſolum cottæ. S. R. C. 15. Septembris 1736. *in Toletana.*

329. In proceſſionibus, in quibus defertur Ss. Sacramentum, vel lignum Ss. Crucis, tam clerus, quam Sacerdotes detecto capite incedere debent; in aliis vero proceſſionibus, in quibus deferuntur Reliquiæ, vel ſtatuæ Sanctorum, tunc ſæculares, & Eccleſiaſtici, qui eas deferunt, detecto capite, alii vero clerici poſſunt incedere tecto capite, quando vero non geſtantur Reliquiæ, Magiſtratus ad inſtar cleri poteſt incedere capite cooperto. S. R. C. 2. Sept. 1690. *in Cajetana.*

330. Licitum eſt Epiſcopo incedere cum mitra, quando defert reliquiam ligni ſanctiſſimæ crucis in proceſſionibus. S. R. C. 14. Junii 1692. *in. Materanen.*

331. Epiſcopus in publicis proceſſionibus cum cappa, & bireto, non inter dignitates, ſed ſolus incedere debet. Quod ſi deferatur aliqua imago, ſeu reliquia, ipſe cum cappa, & bireto debet incedere poſt imaginem, ſeu reliquiam, niſi adſit conſuetudo in contrarium. S. R. C. 28. Oct. 1628. *in una Ord. Minor. de obſerv.*

332. Non eſt genuflectendum a Capitulo, & Clero proceſſionaliter tranſeuntibus ante altare, in quo recondita eſt reliquia Ss. Crucis. S. R. C. 15. Sept. 1736. *in Brixien.*

333. Tranſeuntes ante expoſitam reliquiam S. Crucis, utrum debeant genua uſque ad terram genuflectere, vel etiam an ſufficiat ſemigenuflexio, uti ſolet fieri coram Epiſcopo, & utrum eadem genuflexio facienda ſit ante prædictam reliquiam S. Crucis, quæ licet non ſit expoſita, aſſervatur tamen occluſa in aliquo altari, aut etiam quando expoſita eſt, ſed non apparet,

ex eo quod pars hæc, quæ reſpicit populum, habeat figuram Chriſti crucifixi? Et reſponſum fuit: ſi loco principe reliquia SS. Crucis ſuper altare fuerit expoſita, tunc tranſeuntes ante illam, unico genu uſque ad terram flexo venerari debent; diverſimode vero ſola capitis inclinatione, ſi præfata reliquia recondita erit intra cuſtodiam. S. R. C. 7. Maji 1746. *in Varſavien.*

334. Poſt expoſitionem Reliquiæ SS. Crucis, vel poſt ejus delationem in proceſſione, benedicendus eſt populus cum ipſa. Ead. Congr. in eod. Decr.

335. Poteſt permitti, quod hebdomadarius, aut alius canonicus poſt proceſſionem in feſto alicujus Sancti, ſtans ad altare majus benedicat populum, habens tantum ſuperpelliceum, & ſtolam, ſicuti in aliis proceſſionibus, in quibus circumferuntur aliquæ reliquiæ, cum alba, ſtola, & pluviali. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

336. Reliquiæ Sanctorum, quæ deferuntur in proceſſionibus per civitates, & oppida, non debent deferri ſub baldachino. S. R. C. 23. Martii 1686. in Calaguritana.

337. Ubi adeſt conſuetudo immemorabilis, licitum eſt Spineam D. N. J. C. præſertim in Paraſceva, capite aperto, ſub baldachino proceſſionaliter deferre. S. R. C. 12. Julii 1740. *in una Urbis, & Orbis.*

338. Imaginem B. V. cum baldachino, & intortitiis in proceſſione deferri prohibendum non eſt, modo petatur ab Ordinario licentia, ut occurri poſſit abuſibus. Congrag. Epiſc. 11. Martii 1579. 20. Dec. 1609. 12. Martii 1613. & 10. Jul. 1621.

339. Idem eſt de imaginibus, ſive ſtatuis Sanctorum. Ead. Congr. 19. Jul. 1647.

340. Conſuetudo deferendi Reliquiam SS. Crucis manibus opertis cum velo a ſpatulis pendente poteſt retineri. S. R. C. 16. Sept. 1741. *in Bracharen.*

341. Jus deferendi SS. Sacramentum, & Reliquias in proceſſionibus ſpectat ad hebdomadarium Miſſarum ſolemnium peragendarum poſt proceſſionem, vel ad illum, qui immediate ante proceſſionem eadem peregerit, privative quoad reliquos, etiam Dignitates, & ſeniores Canonicos, tam abſente, quam nolente Epiſcopo prædicta munia obire. S. R. C. 26. Jan. 1658. *in Cajetan.*

342. Permitti poteſt, ut ſtatua B. M. V. velo nigro circumdata, in nocte feriæ V. in cœna Domini cum Jeſu Domino Filio mortuo in gremium depoſito in Eccleſia exponatur, & ſequenti feria ſexta in more proceſſionaliter cum pluvialibus nigris deferatur. S. R. C. 21. Martii 1744. *in Bergomen.*

343. Proceſſiones in feſto Corporis Chriſti facere non licet aliis Eccleſiis, ſed ſoli Epiſcopo, ſeu Eccleſiæ Cathedrali. S. R. C. 22. Maji 1615. *in Piſana.*

344. Non poſſunt Regulares proceſſiones facere extra Eccleſiam in feria V. in Cœna Domini, nec in feſto Corporis Chriſti extra eorum juriſdictionem, & per parochiam alienam. S. R. C. 11. Dec. 1613. *in Aretina.*

345. Non eſt revocandum Decretum Epiſcopi, in quo demandatur proceſſionem fieri in feſto Corporis Chriſti in Eccleſia Archipresbyterali, non obſtante conſuetudine in favorem Eccleſiæ Regularis. Ead. Congr. 3. Junii 1651. *in Hiporegien.*

346. An proceſſio SS. Corporis Chriſti incipere, & terminare debeat in Eccleſia Collegiata, ſeu potius in Eccleſia Parochiali? & S. R. C. reſpondit affirmative quoad primam partem, negative quoad ſecundam. Die 1. Sept. 1718. *in Nolana.*

347. Proceſſio in ſolemnitate SS. Corporis Chriſti incipere debet a Cathedrali, ſeu Matrice, & ad eamdem terminare, non vero a Parochiali. S. R. C. 19. Aug. 1629.

348. Proceſſio SS. Corporis Chriſti inchoari non debet ab Eccleſia inferiori, non attenta immemorabili conſuetudine. Cong. Concil. 7. Aug. 1683.

349. An proceſſio in feſto Corporis Chriſti facienda cum Venerabili competat dicto Archipresbytero, illam inchoando a dicta Eccleſia Collegiata, vel ab alia Eccleſia intra oppidum Pontremoli privative ad Præpoſitum, & Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ, ſive potius jus faciendi eamdem proceſſionem pertineat ad eumdem Præpoſitum, & Capitulum reſpectu dicti Archipresbyteri, & aliorum Parochorum dicti oppidi? Reſp. negative quoad primam partem, & affirmative quoad ſecundam. Ead. Cong. Conc. 9. Jun. 1725.

350. Inter præeminentias Eccleſiæ matricis connumeratur proceſſio SS. Sacramenti in feſto Corporis Chriſti. S. R. Congr. 6. Sept. 1636. *in Syracuſana.*

351. Delatio SS. Sacramenti in ejus die feſto, abſente Epiſcopo, ad Dignitates, ſeu Canonicos Cathedralis ſpectat, atque ab eadem Cathedrali proceſſio debet inchoari, & ibi finire. S. R. C. 19. Maji 1616. *in Tuſcan.*

352. Functiones ſolemnes, quæ abſente, vel impedito Epiſcopo, ſpectant ad primam Dignitatem, ſunt feſtum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aſſumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, Dedicationis Eccleſiæ, Patroni Civitatis, necnon commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, diſtributio Candelarum, Cinerum, Palmarum, celebratio officii feria V. in Cœna Domini, feria VI. in Paraſceva, Feſtum Paſchatis Reſurrectionis D. N., & dies ſolemnis Corporis Chriſti cum proceſſione. S. R. C. 3. Decembr. 1672. *in Andrien.*

353. Prima Dignitate impedita, vel abſente, ſuccedat ſecunda Dignitas in functionibus peragendis, & ſecunda impedita, ſuccedat tertia, & omnibus dignitatibus impeditis, vel abſentibus primus Canonicus id exequatur. Ead. Congr. 26. Nov. 1670. *in Senen.*

354. Celebratio Miſſæ Solemnis in diebus Nativitatis Domini, Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & in die feſto Corporis Chriſti ſpectat privative ad primam Dignitatem, ſeu primum de Capitulo. Eo autem abſente, vel impedito, non poteſt alium in ſui locum ad libitum ſubrogare, ſed hujuſmodi celebratio fieri debet privative ab alio, qui immediate ſuccedit, non vero ab hebdomadario. Ead. Cong. 23. Mart. 1709. *in Compſana.*

355. In feſto SS. Corporis Chriſti deferatur Euchariſtia a celebrante; in veſperis autem diei octavæ (ſi fiat proceſſio) deferetur ab eo, qui cantavit veſperas, modo ſit Dignitas, vel Canonicus. S. R. C. 12. Jun. 1627. *in Brunduſina*, & 23. Martii 1709.

356. Non convenit, quod prima Dignitas celebret Miſſam ante proceſſionem SS. Sacramenti, & deinde altera Dignitas minor deferat illud in proceſſione. Ead. Congr. 31. Julii 1632. *In Janu.* confirmante Innoc. XI. 4. Jun. 1689. Conſt. 21.

357. Geſtare Sacramentum in proceſſione Corporis Chriſti ſpectat ad eum, qui Miſſam celebravit. S. R. C. 5. Jun. 1634. *in Aquilana.*

358. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in proceſſione, quæ fit in feſto SS. Corporis Chriſti, deferri debet ab eo, qui Miſſam celebrat, & idem ſervandum eſt in proceſſione, quæ fit in die Dominica infra ejus octavam, non vero deferendum eſt a primo de Capitulo, qui non celebravit. Ead. Congr. 23. Mart. 1709. *in Compſana.*

359. Delatio SS. Sacramenti in feſto Corporis Chriſti ſpectat ad Præpoſitum Eccleſiæ Matricis ordine ſucceſſivo, dummodo illo die ſolemniter celebraverit. Ead. Congr. 6. Sept. 1636. *in Syracuſana.*

360. Delatio SS. Sacramenti, quæ fit per digniorem de capitulo, abſente vel impedito Epiſcopo, in die ſolemnitatis Corporis Chriſti, ſpectat ad eumdem digniorem per totam viam, etiamſi contingat proceſſionem tranſire limites alterius Parochiæ. S. R. C. 21. Apr. 1630. *in Lucana.*

361. In feſto Corporis Chriſti Euchariſtia non eſt deferenda Sacerdotum humeris, ſed celebrantis manibus, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declaravit S. R. C. 2. Junii 1618. *in Syracuſana.*

362. In proceſſione ſolemni SS. Corporis Chriſti, quando proceſſio ſiſtit, Sacerdos celebrans, ſubdiaconus, & diaconus non debent ſedere, neque in ſcamno, neque in ſedibus, etiamſi deferantur ad ornatum tantum. S. R. C. 21. Jan. 1690. *in Hiſpalen.*

363. Miſſa in die ſolemnitatis Corporis Chriſti non debet cantari poſt abſolutam proceſſionem; & hujuſmodi conſuetudo, uti a Cæremonialis diſpoſitione aliena, omnino abroganda eſt. S. R. C. 3. Jun. 1662. *in Albingaunen.*

364. Miſſa de Dominica, ſeu de feſto duplici, ſi illa die occurrat, debet dici cum commemoratione SS. Sacramenti ad formam Rubricarum Miſſalis, quando fit particularis proceſſio cum SS. Sacramento in aliquibus Dominicis, ſeu aliis diebus cujuslibet menſis. S. R. C. 6. Dec. 1653. *in Fanen.*

365. Abſque pluviali non licet non habentibus uſum illius in die, & infra octavam SS. Corporis Chriſti peragere proceſſionem cum SS. Sacramento; non poſſe tamen cogi, ut ejus expoſitio fiat cum pluviali ab ipſis non habentibus uſum, ſtatuit S. R. C. 22. Jan. 1701. *in una Camald. Montis Coronæ.*

366. D. Mattia Eremita Camaldoleſe di Monte Corone, al preſente Priore dell' eremo di Santa Maria degli Angeli di Nola in Regno, reverentemente eſpone, come in tutta la ſua Congregazione vi è l'abuſo, che nella proceſſione del Corpus Domini ſi porti il Venerabile dal celebrante col ſolo umerale, e ſenza altra aſſiſtenza de' Miniſtri con indumenti ſacri, che di un ſolo Chierico, che porta il turribolo, ed un altro, che ſoſtiene l'ombrella appreſſo, lo che pare ſia contro le Rubriche, e l'uſo univerſale di S. Chieſa, ed anche di poca venerazione, decoro, e riſpetto verſo Gesù Sacramentato: che però ſupplica l'EE. VV. volerſi compiacere d'iſtruire tanto l'oratore, che tutta la detta ſua Congregazione della maniera propria, colla quale ſi deve fare non ſolo detta Proceſſione del Corpus Domini, ma anche quelle del Giovedì, e Venerdì Santo, per potere in avvenire correggere gli abuſi, ed errori ſin al preſente commeſſi. Che &c.

Reſpon-

Reſponſum fuit; Præcedet cruz haſtata a Religioſo cotta induto delata, inter ceroferarios cotta pariter indutos. Sequentur viri Religioſi bini incedentes, qui in ſolemnitate Corporis Chriſti, Monaſterii cappis depoſitis, poſt communionem celebrantis ſument, non in choro, ſed in alio convenienti loco, ſuperpelliceum, cereoſque accenſos geſtabunt: In proceſſionibus vero, quæ fiunt feria V. in Cœna Domini, & feria VI. in Paraſceva, quia hæ intra Eccleſiam peraguntur, cum cappis monaſticis procedunt. Poſt digniores Religioſos viros ſuccedant duo thuriferarii iidem cum cottis, qui thuribula cum incenſo fumigantia lente ducent ante celebrantem, facie, non dorſo, ad Sacramentum ſemper verſa in inceſſu. Tandem adveniet celebrans pluviali, ac velo humerali amictus, deferens Sacramentum inter Miniſtros ſacris veſtibus, ſed ſine manipulo, indutos, fimbrias pluvialis hinc inde elevantes, qui alternatim una cum eodem Celebrante pſalmos ſubmiſſa voce recitabunt. Supra Celebrantem Sacramentum portantem deferatur omnino baldachinum, quatenus ſaltem haſtis inſtructum, quæ a totidem Religioſis ſuperpelliceo indutis in feſto Corporis Chriſti elevetur. Feria autem ſexta in Paraſceve deferri poterit baldachinum a Religioſis ſine cotta; qua die Celebrans non ſumet pluviale; Miniſtri autem celebrantis, cum non utantur planetis plicatis tum ſolemni illius diei officio, tum proceſſioni cum ſuperpelliceo aſſiſtent. Cerei extinguuntur poſtquam reconditum fuerit Sacramentum, & feria VI. in Paraſceva, poſtquam fuerit a Celebrante conſumptum, nec ceſſabit campanarum, ſonitus, ubi ab Eccleſia non prohibetur, niſi poſt Sacram actionem abſolutam. Quod ſi ad hujuſmodi ſupplicationes convocentur confratres alicujus ſodalitii, hi ſacco induti deſignari poterunt ad deferendum baldachinum, ſupplendo vices Religioſorum alia munia obeuntium. In his autem Cœnobiis, ſeu Religioſis familiis, in quibus parva Monachorum manus ſit, aſſiſtentes Celebranti poterunt incedere cum ſuperpelliceo, ſed nunquam fas ſit, ut omittatur baldachinum, ſemper deferendum ut ſupra, ſive a Monachis, ſive a confratribus. S. R. C. 15. Sept. 1742. *in una Ord. Erem. Montis Coronæ*.

367. Primicarius, licet dubitetur, an ſit dignitas, debet in proceſſionibus capere pluviale ſicut dignitas, & non planetam, ſicut Canonici. S. R. C. 28. Apr. 1607. *in Capuana*.

368. Si Epiſcopus in proceſſione SS. Sacramenti non deferat Euchariſtiam, vel non interveniat, canonici tamen cathedralium induant ſacras veſtes. S. R. C. 27. Martii 1628. *in Cajetana*.

369. Canonici Eccleſiæ collegiatæ non debent in proceſſionibus incedere parati ſicut canonici cathedralis. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina*.

370. An Patres Carmelitæ induere poſſint ſacras veſtes ad formam eorum Ritualis in proceſſione facienda extra clauſtra, & ambitum Eccleſiæ infra octavam SS. Corporis Chriſti. Reſp. Affirmative, exceptis Fratribus Laicis. S. R. C. 16. Maji 1744. *in Imolen.*

371. Licet Patribus Reformatis Oppidi Montis Murri facere proceſſionem die Dominico infra octavam SS. Corporis Chriſti, dummodo fiat diſtincta hora ab ea, in qua fit a Patribus Dominicanis. S. R. C. 18. Apr. 1714. *in Tricaren.*

372. S. R. C. ſtetit in deciſis, juxta modum præſcribendum ab Eminentiſſimo Ponente. Eadem Congr. 4. Martii 1717. *Quæ reſpondit*: Proceſſionem faciendam eſſe per Clerum Sæcularem in die SS. Corporis Chriſti: Per Patres Dominicanos in die Dominico infra octavam de mane, & per Patres Reformatos in eadem die Dominico infra octavam de ſero. Card. Ponens 12. Martii 1718.

372. Licet Patribus Franciſcanis facere proceſſionem extra clauſtra per loca ſolita, etiam de mane in die Dominica infra octavam SS. Corporis Chriſti, diſtinctis tamen horis ab Epiſcopo, & data electione horæ Patribus Dominicanis, a qua ſemel electa non liceat amplius recedere. Innoc. XII. Conſt. *Sua nobis* 25. Febr. 1696.

374. Licet Patribus Dominicanis prohibere aliis Regularibus, ne in die Dominico infra octavam SS. Corporis Chriſti peragant proceſſionem. S. R. C. 30. Apr. 1671. *in Placentina*.

375. Patres Dominicani non valent prohibere Patribus Conventualibus proceſſionem S. Antonii Patavini quatenus dicto die Dominico occurreret, dummodo fiat diverſa hora, & data prælatione temporis Patribus Dominicanis de mane, vel de veſpera. S. R. C. 18. Martii 1701. *in Aliphana*.

376. Licet Patribus Carmelitis abſque licentia Parochi facere proceſſionem, & amplius cauſa non proponatur. Cong. Epiſc., & Regul. 15. Jan. 1782.

377. Fratres Prædicatores nequeunt in ſuis proceſſionibus SS. Sacramenti Dominica infra octavam Corporis Chriſti mutare viam ſemel a principio electam. S. R. C. 14. Nov. 1615. *in Piſauren.*

378. Intra ambitum Eccleſiarum Confraternitatum fieri poſſunt proceſſiones juxta cujuſvis Confraternitatis inſtitutam, abſque interventu, & licentia Parochi. S. R. C. 10. Dec. 1703.

379. Proceſſiones juxta inſtitutum Confraternitatum fieri non poſſunt extra ambitum earum Eccleſiarum, abſque licentia illorum Parochorum, per quorum Territorium tranſeundum eſt, niſi adeſſet licentia Epiſcopi. Ead. Cong. in eod. Decr.

380. An delatio Venerabilis, quæ ſingulis annis fieri ſolet die ultima Aprilis per Civitatem poſt expoſitionem XL. horarum, ſit facienda a Capellano Confraternitatis, vel potius a Parocho? *Reſpondit*: delationem eſſe faciendam a Capellano Confraternitatis de licentia Epiſcopi. Congr. Conc. 18. Maji 1716.

381. Quamvis Epiſcopus adhibito capitali conſilio, præfigat, & dirigat, ac transferat proceſſiones, tamen non poteſt pervertere, & immutare ritum proceſſionum a Cæremoniali, & Rituali Romano præſcriptum, neque de conſenſu capituli. S. R. C. 26. Jan. 1658. *in Cajetana*.

382. Ubi proceſſio SS. Sacramenti in ejus feſto die, vel per octavam ea, qua decet, ſolemni pompa nequiverit haberi, deſignabit Epiſcopus pro ſuo arbitrio, & prudentia unicuique Eccleſiæ aliquam ex ſequentibus Dominicis, in qua celebrata Miſſa cum commemoratione SS. Sacramenti juxta Rubricarum præſcriptam formam ſolemnis illius proceſſio peragi poſſit. S. R. C. 8. Martii 1749. *in Lisbonen.*

383. Proceſſio ſolemnis aliquo certo die facienda, ſi cadat in feriam VI. Paraſceves, eo anno transferenda eſt in aliam diem. Congr. Epiſc. 25. Febr. 1598.

384. In feria VI. Paraſceva non poteſt fieri nocte proceſſio cum SS. Sacramento, & hunc abuſum abrogat Congregatio Epiſc., & Regul. 22. Martii 1596.

385. Proceſſiones facere de nocte cum SS. Sacramento feria quinta, & ſexta majoris hebdomadæ non convenit, & repugnat myſteriis Eccleſiæ, & eſt abuſus omnino tollendus. S. R. C. 13. Aug. 1606. *in Mantuana*.

386. Si conſuetudo deferendi proceſſionaliter SS. Sacramentum feria VI. Paraſceves in feretro nigris velleribus confecto, non poteſt abſque graviori incommodo extirpari, eſt toleranda. Cong. Epiſc. 3. Jan. 1582., & 29. Martii 1596.

387. Miſſa ſolemnis de S. Joſepho, quando ejus feſtum incidit in feriam II. III. IV. majoris hebdomadæ non poteſt cantari, etiam ob concurſum populi, ſed debet omitti, nec poteſt in illis diebus fieri proceſſio in ejus honorem. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Urbis*.

388. Benedictio aquæ in Sabbato Sancto etiam ſine infuſione olei ſancti fieri non poteſt in Eccleſiis non habentibus fontem baptiſmalem, quamvis uſus ſit in hujuſmodi Eccleſiis talem benedictionem fieri. S. R. C. 13. Julii 1697. *in Januen.*

389. In Litaniis ſanctorum pro diverſitate functionum, & temporum aſſignatis, & in illis pro commendatione animarum, poſt nomen S. Joannis Baptiſtæ ſtatim adjungi debet illud Sancti Joſephi, dicendo: Sancte Joannes Baptiſta ora pro nobis. Sancte Joſeph ora pro nobis: Omnes Sancti Patriarchæ &c. *Benedictus XIII. 19. Decemb.* 1726. in *Decreto Urbis, & Orbis*.

390. Qui fontem benedicit, debet cantare Miſſam ſequentem. S. R. C. 12. Junii 1627. *in Brunduſina*.

391. Non eſt Parochorum tantum, quod juxta Sacra Canonum ſtatuta Rituali Romano præſcribitur, ut ſolemnis ſcilicet per eos bis in anno, utroque Sabbato ante Sacratiſſimum Paſcha, & Pentecoſtem, baptiſmalis fontis benedictio perſolvatur, ſacrumque baptiſma tunc ſolemnius miniſtretur. Speciali id etiam ratione ab Epiſcopis exigit Cæremoniale Epiſc., & nos ipſi, præcipuas velut inter Pontificalis Ordinis actiones, non minori ſollicitudine commendamus. Concil. Rom. tit. 26. cap. 1. ſub Bened. XIII. 1725.

392. Gratia petita erectionis Fontis baptiſmalis concedi poteſt, de conſenſu tamen Ordinarii, & intereſſe habentium. Congr. Conc. 7. Jan. 1640.

393. Suſtinetur erectio Fontis baptiſmalis in caſu. Ead. Cong. 22. Junii 1720.

394. Conceſſo baptiſmali fonte alicui Parochiali Eccleſiæ, in qua non aderat, ad eam privative ſpectat baptizare ſuos Parochianos, nec hinc amplius licet Cathedrali Eccleſiæ, aut alteri, in qua baptizari ſolebant, intingere ſalutis aqua. Congr. Concil. 14. Nov. 1733., & 20. Martii 1734.

395. Benedictio fontis baptiſmalis non eſt de juribus mere Parochialibus, ſed fieri debet a Parochis. S. R. C. 10. Decemb. 1703. approbante Clem. XI. 12. Januar. 1704.

396. Parochi Eccleſiarum filialium tenentur accedere ad benedictionem fontis in die Sabbati Sancti ad matricem. Congreg. Concil. 17. Nov. 1691. *in Sevonen.*

397. Vicarii Parochialium inferiorum tenentur in die Sabbati Sancti accedere ad Eccleſiam Archipresbyteratem, & aſſiſtere benedictioni fontis. Cong. Conc. 15. Maji 1717. & 23. Julii 1718.

398. Parochi Eccleſiarum inferiorum tenentur in Sabbato Sancto accedere ad Eccleſiam matricem, vel gaudentem ſpecie ſuperioritatis, & præſtare per ſe, vel mediantibus eorum deputatis aſſiſtentiam perſonalem benedictioni fontis. Ead. Congr. 22. Junii 1720.

399. Parochi Eccleſiarum filialium, vel inferiorum cogi poſſunt ad intereſſendum in matrice, vel quaſi matrice benedictioni fontis die Sabbati Sancti, & Pentecoſtes. Cong. Conc. 28. Julii 1731.

400. Curatus Regularis debet juxta ſolitum ad aſſiſtendum in matrice benedictioni fontis accedere, indeque aquam accipere projecta in ſacrarium ea, quam ipſe contra ſolitum benedixerat. Cong. Epiſc. & Regul. 6. Sept. 1625.

401. Non poſſunt Regulares in Sabbato Sancto benedicere domos laicorum. Congr. Conc. 23. Nov. 1619.

402. Nequeunt Regulares benedicere domos Diœceſis in hebdomada ſancta. Ead. Cong. 2. Jul. 1620.

403. Non licet Parochis benedicere in hebdomada majori, ſeu in octava Paſchatis Reſurrectionis cum ſtola, vel ſine domos alteri Parochiæ ſubjectas, invito hujus Parocho. Cong. Conc. 17. Jun. 1719.

404. Parochis nullatenus licet in Sabbato Sancto benedicere collocutoriis, aut januæ Monaſterii Monialium ordinario ſubjectarum, vel hoſpitio Tertiariorum connexo. Cong. Conc. 23. Aug. 1727.

405. Ad benedicenda Monialium Monaſteria, & cellas, die Sabbati Sancti, aut quolibet alio tempore eſt omnibus prohibitus in clauſuram ingreſſus. Cong. Conc. 13. Sept. 1583. & Congr. Epiſc. 4. Sept. 1596.

